ANAMNESIS SIUE COMMEMORATIO OMNIUM SANCTORUM...

Juan Tamayo y Salazar, ...

Digitized by Google

N.12.

7
8-e
23

7
2 F
9

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

ANAMNESIS,

SIVE

COMMEMORATIONIS

SANCTORVM HISPANORVM,

AD ORDINEM, ET METHODVM

MARTYROLOGII ROMANI,

QVO VTITVR ECCLESIA CATHOLICA;

AVCTORE

D. IOANNE TAMAYO SALAZAR,
I. V. C. Presbytero Ilipensi Beturi-Turdulo; Illustrissimi Domini,
ac Domini DIDACI DE ARCE REYNOSO Episcopi,
& Generali Inquisitoris Hispaniæ Secretario.

TOMVS TERTIVS.

LVGDVNI,
Sumptib. PHIL. BORDE, LAVR. ARNAVD, & CL. RIGAVD.

M. DC. LV.
CVM SVPERIORVM PERMISSV.

Digitized by Google

Digitized by Google

ILLVSTRISSIMO,

AC REVERENDISSIMO DOMINO,

AC DOMINO SVO,

D. DIDACO DE ARCE REYNOSO,

OLIM EPISCOPO PLACENTINO,

nunc PHILIPPO IV. *Regi Catholico à Consiliis, & in omnibus Regnis eius, & Dominijs Supremo* FIDEI *Censori*

D. IOANNES TAMAYO SALAZAR,

S. D. C.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EMANUELE

CVM iamiam, amore imperante tuo, obtemperante meo, in hoc Volumine TERTIO (ILLVSTRISSIME DOMINE) sublimem MEDIVM arriperem, & in iisdem lineis, pro SANCTORVM Nostratum gloriâ, conlato iterum pede pugnarem, necessariò ad tuam censionem MEDIVS hic Noster ANNI typus accurrit, vt per tuam amœnissimam eruditionis spongiam mei Operis insalubritas medicata, & tui fauoris animaduersione protecta, hæc Nostra in *Medio Tybure Sardinia* sistat. Nihil enim glorioſius in hisce, & similibus Ecclesiasticarum rerum studiis, quàm quæ bono incepta sunt nomine, eodem prosequantur munimine, & omine terminentur. Maximè si felici inchoata exordio ad *Medium* agonis absque cespitatione veniatur. Quid ergo aliud est, incipere, quam ad *medium* accedere? Quid hoc, nisi finire? Audi Ausonium:

Incipe, dimidium facti est cœpisse: superst
Dimidium, rursum hoc incipe, & efficies.

Ergo en *dimidij* Operis ectypum sub tua protectione conflatum, in medio agonis stadio opem iterum expetens; manum, vt è manu tua auxilium recipiat, è medio gurgite petens. Ecquid, & EGO positus

Digitized by Google

in *medio*, de Operis ope dubitabo? Abſit. Adſit Ennodius: *Sicut vbertas tritici in* dimidio *viriditatis ipſius tranſit in lolium, ſi ceſſat agricolæ curatio; ſic ſpes ſcribentium, ſi in* medio *laboris Magnatum cultura deficit:* Nec tua meum deſpiciet, quæ continuis ſuffragiis ad illum perficiendum, noſtram vrges quotidie deſidiam.

Quare age iam fidei noſtræ firmiſſime poſtis:
Méque meas Præſul dirige docte manus.
Tu mihi penè pium Numen; te ſydus adoro;
Auſum qui cœptis das vbicumque meis.
Perfice iam cœptum ſub tantis nutibus ergo
Paſtor amœne tuis hoc tibi ſemper Opus.

TERTIVM igitur eſt MARTYROLOGII Noſtri Volumen, in quo Sanctorum HISPANORVM, Menſium MAII, & IVNII Acta, exactâ diſquiſitione, nectuntur. Illud, vt antecedentia ſub tuo Nomine excuſa, gratanti animaduerſione complectere; dùm ſequentia, quæ ad Anni complementum deſideras, tuo etiam Numini conſecrata, perficio. Deum Nos interim (ILLVSTRISSIME DOMINE) vt quamdiutiſſimè tuam Illuſtriſſimam Dominationem ſaluam, atque incolumem præſtet, vtque tua omnia conſilia fortunet, & ad gratum ſibi, glorioſum tibi, vtilem tuis, finem dirigat, ſupplices, quanta poſſumus pietate, oramus, obſecramus, obteſtamur. ILIPÆ Beturi-Turdulæ XIII. Kal. Martij, Anno Domini M. DC. LIII.

Illuſtriſſime, ac Reuerendiſſime Domine,

Illuſtriſſimæ Dominationis Tuæ,
Addictiſſimus Seruus,

L. D. IOANNES TAMAYO SALAZAR.

AD

Digitized by Google

LECTORI PRÆFATIO.

TERTII Voluminis ſtrues HISPANI MARTYROLOGII, in quâ Menſium MAII, & IVNII Noſtræ Regionis Diuorum certamina referuntur, & elogia concinnantur, provt in Duobus ſuperioribus, in publicum (LECTOR amice) prodiit; ô vtinam vt tuæ præſtet vtilitati, vtque omnium ſit eruditioni proficua! Multa quæ in ipſius textamine dicta, & ſcripta percipies, aut nondum audita, aut non ſic digeſta cognoſces. Sed cùm ea ſint, vel ex MSS. vetuſtiſſimorum auctoritate decerpta; vel editorum iam reuolutione voluminum prolixiùs delibata, quid mirum, ſi tibi admirationi, veritati nobis feliciùs præbeant anſam, & viam. Hinc nihil quod non probetur ex ipſis inuenies; ſi quid proponimus, ex eorum doctrinâ referimus, nouâ eruditione proferimus, quâ, vt inquit *Auguſtinus*, antiqua firmantur, & ipſa recentioribus roborantur. Tomos ſequentes ad vſque ANNI finem, quos ſub ferulæ animaduerſione paramus, breui, Deo annuente, perleges. Interim, vt Apoſtolicis ordinationibus pareamus, ſcito: Quod *Illuſtrium Virorum, quos in hoc* TOMO, *& præcedentibus recenſuimus, aut ſequentibus recencebimus, geſta, virtutes, dona, & miracula, eam fidem habere duntaxat volumus, quæ ex Hiſtoria peti debet, aut traditione; non autem eam, quæ in approbatione Eccleſiæ requiſita eſt ad publicum cultum; præter eos, quibus aliàs ex Sedis Apoſtolicæ ſpeciali indulto, aut longiſſimi temporis ſcientiâ, ac tolerantiâ eiuſdem, vel Ordinariorum id contigerit. Et ſiquando appellationem* SANCTI, *aut* BEATI, *aut* MARTYRIS, *aut eiuſmodi ſubiunxerim, nequaquam ſtrictâ, aut propriâ acceptione, & fundata in approbatione Canonica, & Eccleſiaſtica, quæ deſeruit ad communem cultum, & inuocationem ſumenda eſt; ſed iuxta vulgarem notionem, quâ Seruis Dei, & pijs Viris, ratione inſtituti, vel arctioris vitæ, aut ſtudij rerum cæleſtium, etiam in carne viuentibus, ſolet accommodari; ac proinde hinc omne periculum, & argumentum tranſgreßionis ſubmoueatur.* Lib. 10. de Ciuit. c 4. PROTESTATIO.

Me, meaque omnia correctioni Sanctæ Matris Eccleſiæ Catholicæ Romanæ ex corde ſubiicio. Hoc, mi LECTOR, te ſcire cupiebam; nunc ad vlteriora perge: Vale, & Fruere.

Digitized by Google

D. D. IOANNI TAMAYO, SALAZAR HIEROPOLYHISTORI,

S V V S

FR. LVISIVS TINEO PRÆMONSTRATENSIS,

S. P. D.

VALDE mihi in desiderio olim, ad te scribere (VIR DOCTISSIME) at nunc vel maximè impellor. Olim ex iis, quæ demissa per aures: nunc ex iis, quæ oculis subiecta fidelibus. Imò & nunc ex iis, quæ bibulis auribus dulciter imbibita; dum è tuo amico iam totiens animus seriò erudito suspensus. Proh tutam Herculis auiditatem! Id, quod æternum, in diésque gratulabundiùs mihi decantabitur nostro D. D. Ilephonso Nuñez, iam apud Pampilonenses vtique dignissimo Togato: verius nunquam si tandem tandem; verius nihil si obtinet iustitia, in Viro sanè sapientissimo, nostri seculi ornamento, & inuidendo elogio haud secus, & literis, & integritate conspicuo. Tu tamen haud vnquam tacende IOANNES, nostræque laus Hispaniæ, quæ te non Quarta, vt aiunt, Luna, sed Mercurio dextro, rebus Ecclesiasticis illustrandis, concinnandis, incidendis felicissimè natum, adepta est: quam meritò talem Virum prædicatorem habeat, vel cæcior Liberide, quis non videat? Dignissimum sanè tuo Nomine præconium; nisi verò, & pro dignitate, iam de tuismet laudatissimis elucubrationibus adaptatur. En nunc meus ad te libentissimè coactus, & Epistolicus impulsus; vt & modicum ætati gratuler, officióque respondeam, ter maximum, ter typis excudendum te expectans, & morarum impatiens, ter vocibus inclamans. Profectò cum in tuo edito vno, & altero Volumine, nihil sit, quo Te non exprimas, qualem in hoc TERTIO parabis apud posteros gratiam, ipsum Atticè testabitur. Sic licèt lippientibus oculis minus pulchra, fœcunditate tamen formosa, sibi gratulabatur illa fœmina Saluatoris inclyta progenitrix: *Concepítque tertiò* (ait sacer textus) *& genuit alium filium, dixítque: nunc quoque copulabitur mihi maritus meus, eo quòd pepererim ei* Tres *filios, & ideirco appellauit nomen eius Leui.* Vbi tempestiuè Lyppomanus: *Leui igitur* Tertium *filium, additionem, vel appositionem nominat Lia, sperans accessione* Tertij *filij gratiam sibi mariti impetrandam.* Quid inquam non de Lia, verùm de fœcundissima Rachele (fas sit ita loqui) mente scilicet tua, in quam apertis Musarum ianuis, tot, ac tanti mitæ eruditionis fluuij confluxere, philosophari liceat? Vbi suos Epiphanios, Origenes, Eusebios, Gennadios, Fortunatos, Lyppomanos, Perionios, Georgiósque Hispaniam nostram illustrantes in Te vno, & sapientissimo Histore secula reposcant. Testatur Zuingherus ex Homeri sententia, historiam à veteribus non ob id solùm excogitatam fuisse, quòd res gestæ monumentis consecratæ ab obliuionis iniuria vindicarentur; sed multo magis, vt exemplis hisce Mortales instructi, virtutes imitari, vitia declinare ediscerent. At qualium, Deus bone! exemplorum diuitiæ, quámque singularis pretij in tuis scriptis proponuntur: quæ si quis deportaret philosophaturus, vt cum meo cultissimo Sidonio loquar, aut ad paludicolas Sicambros, aut ad caucasigenas Alanos, aut ad equimulgas Gelonos, bestialium, rigidarúmque nationum corda cornea, fibræque graciles proculdubio mollirentur, egelidarentur, neque illorum ferociam, stoliditatémque, quæ secundum belluas ineptit, brutescit, accenditur; rideremus, contemneremus, pertimescremus. Neque ibi solummodò sistit, quin ilicet à deliciis in delicias nos rapias,

Genes. c. 29. v. 34. vbi Lyppoman.

Digitized by Google

pias, quatenus & apicibus, & omnibus numeris absoluta vndique tua historia conspiciatur. Si tamen prima Historici virtus, veritas adstruitur, & perfecta rei narratio: viderint qui tua scripta sedulò perlegerint, quo iure cognomentum φιλαληθης tibi optimo, & scientissimo veritatis indagatori debeatur? Ecquid inde? Proculdubio ibi sardonicata eloquentia, gemmata locutio, purpurata dictio recolenda; ibi mouet Rhetorica, concludit Dialectica, canit Poësis, stylo sanè & historę, atque obelisco digno, & omnibus antiquæ eruditionis pigmentis saporato. Nec possum non congratulari tuo semper Illustrissimo Patrono, qui sicut & literarum, & Pontificum gemma; haud aliter inclytus, & munificus studiorum, studiosorúmque Mecœnas, Romanos iam Clementes, & Iulios referens, id muneris eo exactè, appriméque, sicuti olim designatis illis Protonotariis, tibi iniungendum curauit, fouit, & promouere dignatus est, vt sic haberet Nostra HISPANIÆ Ecclesia tàm eximia, & præclara monumenta, quibus iam veluti de tuæ fulgentissimæ eruditionis radiis præluceret; quin & de tuo piissimo, & canoro calamo inuictissimi nostræ Catholicæ militiæ Hispani Quinquertiones inuictissimè coronarentur. Memini antiquitùs validissimos Græcorum Pentathlos coronâ pennatâ, inter alia certaminum præmia, mirificè insigniri. Rem egregiè inculcat Paschalius: *Credo quòd honor, qui hinc est, sicuti quibusdam alis euehit homines in sublime.* Sic etiam galeæ pennatæ, seu pinnatæ, ab strenuis militibus gestari solitæ, vt idem Paschalius scribit. Ex quo meditanti mihi hoc tuum cœleste genium, ad res Ecclesiasticas scribendas opportunè natum, extemplò se res obtulit, diuinâ id quippè prouidentiâ dispositum, statutúmque, vt sic diuinus ille Brabeutes, & de tuo calamo coronam triumphatoribus suis floridè exornet, & honorificè concinnet, efficiátque, vt qui suo vixerunt Numini, sic & de tuo Nomine supercoronati viuant, dùm tuo ingenio adhærescentes, ab obliuione vindicati, toto terrarum Orbe conclamentur. Quod vt sartum tectúmque ex animi mei sententiâ posteris relinquam aliquale, pro mea mediocritate, præconium, placuit nuper in te vtriusque eruditionis Cinnum Græcis versibus ita ludere. Si quod habes non vis, ergo quid accipies?

Lib. 3. de Coron. c. 18.
Lib. 10. c. 16.

Πῶς γὰρ σ' ὑμνήσω πάντως εὖ ὕμνον ἔοντα
Τῶν μετρίων φίλον ἠδ' ἀληθ. Ἐπιστείας;
Τῶν στέφανον Χείρει κυδιμέδ' ἑορτάζεις Ἀιθλῶν,
Καὶ σὸν τῇ δόξῃ λαμπαδὰ δώκινος ἅμα.
Εἴδε ἴκεγι Τείτονες μὴ ἐ Κρήτον ἄλλα βοᾶτε,
Λαμπρὸν TAMAION ἴσορ ἐν ἰσοείκ.

Macte ergo IOANNES doctissime, & iam fidelibus annue votis, nec te diutius exspectandum patiaris. Quinimò nec in hoc TERTIO duntaxat VOLVMINE, verumetiam, & in reliquis, quæ à te pro vadimonio expectamus, hunc plenè transcursum iam sacratæ eruditionis Zodiacum, quantocyùs communi studiosorum prouentui proferre libeat. Noui & moram sæpè esse meliorem, sed vt matureſcant fructus: secùs autem vt opimi tui dulciter maturi famelicis retardentur. Hoc enim non tam sapidioris condimenti studio, quàm detestabili auaritiæ vertitur; cuius abs te longum diuortium, & tui mores, & illud candidi pectoris scrinium, vel ipsis silentio, & modestia clamant. VALE, Madriti ex Præmonstrato Nostro XII. Kalend. Septembr. Anno salutis M. DC. LII.

Tuus semper

FR. LVISIVS TINEO.

Digitized by Google

APPROBATIO DOCTORVM.

PERLVSTRAVIMVS *Anamneſim ſeu Commemorationem Sanctorum Hiſpaniæ*, editam in lucem ab Eruditiſſimo Viro D. D. Ioanne de Tamayo Salazar I. V. C. Ilipenſi Presbytero, in qua Nos infrà ſcripti in Sacra Facultate Pariſienſi Doctores Theologi omnia curioſiſſimè ſelecta, Eccleſiæ vtilia & orthodoxæ doctrinæ conformia iudicauimus, hac die 28. Ianuarij 1651.

F. FRANCISCVS LORNET,
Ordinis Prædicatorum.

F. PAVLVS LOMBARD, Carmelitarum
Lugdunenſium Prior.

PERMISSIO.

VISA Doctorum Approbatione, Ego infrà ſcriptus Regio nomine non impedio, quin hic Liber à PHILIPPO BORDE, LAVRENTIO ARNAVD, & CLAVDIO RIGAVD, Bibliopolis Lugdunenſibus excuſus in publicam lucem prodeat, cum defenſione, tali caſu requiſita, & ſolita. Actum Lugduni 30. Ianuarij 1651.

LORIN.

CONSENSVS.

ITA & me non diſſentiente fiat. Lugduni die 30. Ianuarij 1651.

SEVE.

Digitized by Google

INDEX
ALPHABETICVS NOMINVM
Sanctorum in hoc MAII Menſe contentorum.

A

ACathius Martyr. pag 122
Ægidius Confeſſor. 199
Æmilius Martyr. 293
Alexander Martyr. 63
Aluarus Cordubenſis. 75
Anaſtaſius Epiſcopus. 258
Andeolus Martyr. 14
Antonina Martyr. 63
Ambroſius Martyr. 53
Athanaſius Monachus. 51
Atto Abbas. 278
Auguſtinus Martyr. 91
Auguſtus Martyr. ibid.

B

BAſileus Epiſcopus Martyr. 324
Baudelius Martyr. 257
Bæbius Venuſtus Martyr. 292
Benignus Martyr. 34
Berteragmus Eremita. 251

C

CAſtus Martyr. 293
Celeſtinus Martyr. 50
Celerina Vidua. 220
Celſus Epiſcopus. 388
Columba Martyr. 271
Columba Virg. & Mar. yr. 369
Columbana Martyr. 276
Conſecratio S. Eccleſ. Compoſtellanæ. 95

D

DEdicatio S. E. Cordubenſis. 246
Dedicatio S. Eccleſ. Salmanticenſis. 160
Dedicatio S. E. Segobricenſis. 110
Dedicatio S. E. Valentinæ. 106
Dedicatio S. E. Valliſoletanæ. 266
Dominicus Calciatenſis. 148
Dominici Patriarchæ Inuentio. 336

E

EPitatius Epiſcopus Martyr. 296
Eoualdus Martyr. 93
Eudaldus Martyr. 138
Exuperantius Abbas. 361
Exuperantius Epiſcopus Vxam. 383
Exuperantius Epiſcopus Lucenſ. 386
Eutychius Martyr. 91
Eudaldi M. Tranſlatio. 170

F

FElix Archidiaconus Martyr. 48
Felix Epiſcopus Martyr. 237
Felix Monachus. 371
Flauius Epiſcopus Martyr. 91

G

GEleſuintha Regina. 331
Gennadius Epiſcopus. 349
Germanus Martyr. 393
Gregorius Oſtienſis Epiſcopus. 124
Gregorij Oſtienſis Tranſlatio. 133

H

HEctor Ferrandus Epiſcopus. 393

I

IAcobus Apoſtolus. 10
Ioanna à Cruce. 68
Ioannes Abbas Biclar. 82
Inuentio S. Crucis. 55
Inuentio S. Gregorij. 133
Inuentio Imaginis de Rupe-Gallica. 242
Inuentio S. Dominici. 336

Digitized by Google

Index Feſtor. Maij Alphabetic.

Inuentio S. Ildephonſi. 354
Iuſtus Epiſcopus Vrgelenſis. 365
Iuſtus Auſonenſis. 367
Iſidorus Agricola. 189
Iſidorus Martyr. 198

L

Leucianus Regulus Martyr. 276
Licinianus Epiſcopus. 70
Lucianus Presbyter. 344

M

Macrobius Martyr. 91
Marcellinus Martyr. ibid.
Martialis Epiſcopus Martyr. 276
Martiana Martyr. 331
Meletius Dux Martyr. ibid.
Memmius Mantius Epiſcopus Mart. 181
Mercurialis Epiſcopus. 328
Michaëlis Archangeli feſtum. 116

N

Natalis Epiſcopus. 157

O

Orentius Pater S. Laurentij. 15
Oliua Virgo. 54

P

Palladia Martyr. 331
Paſchalis Baylon. 224
Paſchaſius Arnugus. 66
Pancratius Anachoreta. 151
Paſycrates Confeſſor. 341
Patientia Mater S. Laurentij. 15
Petronilla Virgo. 391
Philippus Apoſtolus. 10
Plurimi Martyres Pampilonæ. 363
Præſcellius Martyr. 343

Q

Quiteria Virg. & Martyr. 271

R

Raphaëlis Archangeli feſtum. 87
Romanus Martyr. 276

S

Sacerdos Epiſcopus. 78
Secundus Epiſcopus Martyr. 40
Secundinus Martyr. 262
Sigiſmundus Rex. 35
Simplicius Martyr. 53
Simplicius Martyr. 276
Sixtus Martyr. 93
Syluanus Martyr. 393
Stephanus Abbas. 390
Suſanna Martyr. 331
Syneſius Martyr. 263

T

Teleſphorus Martyr. 393
Theodolus Martyr. 54
Theopompus Martyr. 263
Torpes Martyr. 213
Torquatus & Socij Epiſcop. Martyr. 173
Tranſlatio S. Vincentij & Sororum. 143
Tranſlatio SS. Nerei, Achilei, & Pancratij. 153
Tranſlatio S. Soteris Virg. & Mart. 148
Tranſlatio S. Eudaldi. 170
Tranſlatio S. Antonini Palentini. 239
Tranſlatio Brachij S. Theclæ. 253
Tranſlatio S. Victoris Cereſenſis. 259
Tranſlatio S. Adelhardi Geneſij. 264
Tranſlatio S. Dominici. 336
Tranſlatio S. Ildephonſi. 354
Tranſlatio S. Gregorij Oſtienſis. 133

V

Valens Epiſcopus & Martyr. 261
Valentinianus Martyr. 276
Victoria Auranienſis. 243
Victoricus Martyr. 393
Victurus Martyr. ibid.
Vincentius Martyr. 336
Vottus Monachus. 371
VViteſindus Martyr. 188

INDEX

Chorographicus Sanctorum huius Menſis MAII.

ABVLA.

SAnctus Secundus Epiſcopus, & Martyr. pag. 40

ALCAZAR.

S. Theodolus Martyr Romanus. 54

ADVRA.

S. Quiteria Virg. & Martyr. 271

SS. Leucianus, & Socij MM. 276

AMBRATIA.

S. Epitatius Epiſcopus, & Mart. 296

S. Baſileus Epiſcopus, & Mart. 324

ARLANZA.

Tranſlatio ſacrorum Pignorum SS. Vincentij, & ſororum. 143

ASSOTA.

SS. Caſtus, & Æmilius MM. 293

ASTVRICA.

S. Gennadius Epiſcopus. 349

AVSONA.

S. Iuſtus Confeſſor. 367

BETICA.

S. Cœleſtinus Martyr. 50

S. Lucianus Preſbyter. 344

BRACCARA.

S. Baſileus Epiſcopus, & Mart. 324

CALAGVRRIS.

S. Gregorius Oſtienſis Epiſcopus. 124

Eius Tranſlatio Corporis. 133

CARAVACCA.

Apparitio S. Crucis. 55

CARTHAGO-NOVA.

S. Licinianus Epiſcopus. 70

Tranſlatio S. Adelhardi Geneſij. 264

S. Hector Ferrandus Epiſcopus. 393

CERESVM.

Tranſlatio S. Victoris Mart. 259

CLVNIA.

S. Meletius Dux, & Socij MM. 331

COMPOSTELLA.

Conſecratio eius S. Apoſtolicæ Baſilicæ. 95

CONCHA.

S. Acathius Centurio Mart. 122

CORDVBA.

B. Aluarus S. Eulogij ſynchronos. 75

S. Raphaëlis Archangeli feſtum. 87

S. VVitefindus Martyr. 188

Dedicatio S. E. Cordubenſis. 246

S. Secundinus Martyr. 262

DERTOSA.

B. Paſchalis Baylon Minorita. 214

EBORA.

S. Memmius Mantius Epiſcopus Mart. 181

EGABRVM.

S. VVitefindus Martyr. 188

GERVNDA.

S. Ioannes Abbas Biclarenſis, Epiſcopus. 82

S. Eoualdus, & Sixtus MM. 93

SS. Germanus & Socij MM. 393

HISPALIS.

S. Felix Archidiaconus Toletan. Mart. 48

HISPANIA.

SS. Philippus, & Iacobus Apoſtoli. 10

S. Oliua Virgo. 54

S. Mercurialis Epiſcopus. 328

Inuentio S. CRVCIS. 55

S. Michaëlis Archangeli feſtum. 116

SS. Torquatus, & ſocij Epiſcopi, & MM. 173

S. Berteragmus Eremita. 251

S. Geleſuintha Regina. 331

S. Petronilla Virgo. 391

S. Anaſtaſius Epiſcopus. 258

HYPPO.

S. Præſcellius Martyr. 343

ILIBERIS.

S. Flauius Epiſcopus, & ſocij MM. 91

LOCRONIVM.

S. Gregorius Oſtienſis Epiſcopus. 124

Tranſlatio Corporis eiuſdem. 133

LVCVS.

S. Exuperantius Epiſcopus. 386

MADRIDIVM.

Tranſlatio S. Soteris Virg. & Mart. 148

S. Iſidorus Agricola Patronus. 189

Tranſlatio S. Vincentij Mart. 143

MEVANIA.

S. Benignus Martyr. 34

MARTORELLVM.

S. Iſidorus Martyr. 198

MASIA.

Digitized by Google

Index Chorograph. Sanctor. Menſ. Maij.

MASIA.

S. Paſycrates Martyr. 341

MONASTERIA.

Pinnatenſe: SS. Vottus, & Felix. 371

Vergedenſe: S. Stephanus Abbas. 390

NIVARIA.

S. Andeolus Martyr. 14

NERTOBRIGA.

SS. Theopompus, & Syneſius Martyres. 263

S. Exuperantius Abbas. 361

NVMANTIA.

Tranſlatio pignorum SS. Nerei, Achilei, & Pancratij MM. 153

OSCA.

SS. Orentius, & Patientia. 15

OLCADES.

SS. Alexander, & Antonina MM. 63

ORETVM.

SS. Bæbius Venuſtus, & Socij MM. 292

OVETVM.

S. Baudelius Martyr. 257

PALENTIA.

Tranſlatio S. Antonini Mart. 239

PAMPILONA.

S. Valens Epiſcopus, & Mart. 261

Plurimi SS. Martyres. 363

PORTVSCALLE.

S. Baſileus Epiſcopus, & Mart. 324

PORTVSVIRIDIS.

S. Pancratius Anachoreta. 151

PORTVS SYNES.

S. Torpes Martyr. 213

S. Celerina Vidua. 220

PAXAVGVSTA.

S. Atto Abbas, & Epiſcopus. 278

RVPES-GALLICA.

Inuentio Imaginis B. Mariæ. 242

SALMANTICA.

Dedicatio S. E. Salmantinæ. 160

SCALABIS.

B. Ægidius Confeſſor. 199

SEGOBRIGA.

Dedicatio S. E. Segobricenſis. 110

SEGVNTIA.

S. Sacerdos Epiſcopus. 78

SPALIS.

S. Felix Epiſcopus Martyr. 237

TARRACO.

Tranſlatio Brachij S. Theclæ V. M. 253

TOLETVM.

S. Felix Archidiaconus Toletanus. 48

B. Ioanna à Cruce Abbatiſſa. 68

S. Michaëlis feſtum. 116

S. Natalis Epiſcopus. 157

Victoria Auranienſis. 243

S. Celſus Epiſcopus. 388

S. Hector Ferrandus Epiſcopus. 393

TRITIVM.

S. Columba Virg. & Martyr. 369

VALENTIA.

Dedicatio S. E. Valentinæ. 106

VALLISOLETVM.

Dedicatio S. E. Valliſoletanæ. 266

VALLIS-VENERIS.

B. Athanaſius Monachus. 51

VALLIS RIPOLL.

SS. Simplicius, & Ambroſius MM. 53

S. Eudaldus Presbyter. 138

Tranſlatio eiuſdem. 170

VILLA-REGIA.

B. Paſchalis Baylon, Minorita. 224

VLMETVM.

S. Paſchaſius Arnugus Eremita. 66

VRGELLVM.

S. Iuſtus Epiſcopus. 365

VXAMA.

S. Exuperantius Epiſcopus. 383

ZAMORA.

Tranſlatio S. Ildephonſi. 354

Digitized by Google

INDEX

Nominum Sanctorum per Dies, quæ in hoc Menſe MAII continentur.

I. SAncti Philippus & Iacobus Hiſpaniæ Tutelares. pag. 10
S. Andeolus apud Niuariam. 14
SS. Orentius, & Patientia apud Oſcã. 15
S. Benignus Martyr apud Meuaniam. 34
S. Sigiſmundus Rex in Tesbiade. 35
II. S. Secundus Epiſcopus Abulenſis, & Martyr. 40
S. Felix Archidiaconus Toletanus, & Martyr Hiſpali. 48
S. Cœleſtinus, Bœticæ Conſularis, & Martyr. 50
S. Athanaſius Monachus in Valle-Vinaria Confeſſor. 51
SS. Simplicius, & Ambroſius MM. in Valle-Ripollenſi. 53
S. Oliua Virgo, & Martyr in Hiſpania. 54
S. Theodoli Tranſlatio Româ Alcazum. ibid.
III. Inuentio S. Crucis, & eius Apparitio apud Carauaccam. 55
SS. Alexander, & Antonina MM. apud Olcades. 63
B. Paſchaſius Arnugus Eremita apud Vlmetum. 66
B. Ioanna à Cruce Sanctimonialis Virgo in agro Toletano. 68
IV. S. Licinianus Carthaginis Spartariæ Epiſcopus. 70
Venerabilis Aluarus Cordubenſis, S. Eulogij ſynchronos. 75
V. S. Sacerdos Epiſcopus Seguntinus, & Confeſſor. 78
VI. S. Ioannes Abbas Biclarenſis, & Epiſcopus Gerundenſis. 82
VII. S. Raphaëlis Feſtum Cordubæ. 87
SS. Flauius Epiſcopus Illiberitanus cum Sociis MM. 91
SS. Eoualdus, & Sixtus in agro Gerundenſi. 93
Conſecratio S.E. Compoſtellanæ. 95
Dedicatio S.E. Valentinæ. 106
Dedicatio S.E. Segobricenſis. 110
VIII. S. Michaëlis Archangeli feſtum Toleti, & in Hiſpania. 116
S. Acathij Martyris feſtum Conchæ ob Capitis exiſtentiam. 122
IX. S. Gregorius Oſtienſis apud Locronium. 124
X. Inuentio ſacrorum Pignorum S. Gregorij Oſtienſis. 133
XI. S. Eudaldus Presbyter, & Martyr in Oppido Ripollenſi. 138
Tranſlatio SS. Vincentij, Sabinæ, & Chriſtetæ ſororum Abulâ, ad Cœnobium Arlanzenſe. 143
XII. S. Dominicus Calciatenſis Presbyter, & Confeſſor, apud Calagurram. 148
S. Pancratius Eremita apud Portum-Viridem. 151
Tranſlatio ſacrorum pignorum SS. Nerei, Achilei, & Pancratij. 153
Tranſlatio S. Soteris V. & Martyris, Româ Madridium. 148
XIII. S. Natalis Epiſcopus Toletanus. 157
Dedicatio S.E. Salmanticenſis. ibid.
XIV. Tranſlatio S. Eudaldi in Oppidum Ripollenſe. 170
XV. SS. Torquatus, & alij ſex Epiſcopi, Diſcipuli S. Iacobi. 173
S. Memmius Mantius Epiſcopus Eborenſis. 181
S. VViteſindus Egabrienſis Martyr apud Cordubam. 188
S. Iſidorus Agricola Madridenſis Cõfeſſor, & Patronus. 189
S. Iſidorus Martyr apud Martorellum in Cathalonia. 198
XVI. B. Ægidius ex Ordine Prædicatorum Confeſſor, apud Scalabim. 199
XVII. S. Torpes Martyr Piſanus apud Portum-Sinenſem Portugalliæ. 213
S. Celerina Vidua. 220
B. Paſchalis Baylon Minorita apud Villam-Regiam Dertoſanæ Diœceſis. 224

XVIII.

Digitized by Google

Index Feſtorum Maij.

XVIII. S. Felix Epiſcopus Accitanus, Martyr apud Spalim in Pyrenæis. 237
Tranſlatio S. Antonini Palẽtini. 239
Inuentio Imaginis B. Mariæ de Rupe Gallica. 241
Feſtum victoriæ Auranienſis in S.E. Toletana. 243
Dedicatio S.E. Cordubenſis. 246
XIX. S. Berteragmus Eremita Auguſtinianus apud Firmum Piceni. 251
Tranſlatio Brachij S. Theclæ, Tarraconam. 253
XX. S. Baudelius Martyr Nemauſenſis apud Ouetum. 257
S. Anaſtaſius Epiſcopus Brixienſis Hiſpaniæ Prædicator. 258
Tranſlatio Pignorum S. Victoris Presbyteri Cereſenſis. 259
XXI. S. Valens Epiſcopus Pampilonenſis cum Sociis. 261
S. Secundinus Martyr Cordubenſis. 262
SS. Theopompus Epiſcopus, & Sineſius Magus, Nertobrigæ. 263
Tranſlatio Reliquiarum S. Adelhardi Geneſij, Carthaginem. 264
Dedicatio S.E. Valliſoletanæ. 266
XXII. S. Quiteria Virgo & Martyr Aduenſis. 271
SS. Leucianus, & Socij Martyres Aduenſes. 276
S. Atto Abbas Vallis-Vmbroſæ, ex Pacenſi vrbe. 277
S. P. Bæbius Venuſtus Martyr ex Oreto. 292
SS. Caſtus, & Æmilius Rectus Martyres Aſſotani. 293
XXIII. S. Epitatius Epiſcopus, & Martyr Ambratianus. 296
S. Baſileus Epiſcopus & Martyr Portucalenſis, & Braccarenſis. 324
S. Mercurialis Epiſcopus Liuienſis in Italia, Prædicator Hiſpaniæ. 328
XXIV. S. Meletius Dux cum ſociis Martyribus Clunienſibus. 331
B. Geleſuintha Gallię Regina. ibid.
S. Vincentius Martyr Romanus, apud Madridium. 336
Inuentio, & Tranſlatio ſacrorum Pignorum S. Dominici. ibid.
XXV. S. Paſycrates Confeſſor Maſienſis in Hiſpania. 341
S. Præſcellius Martyr Hipponenſis in Hiſpania. 343
S. Lucianus Presbyter Ieroſolymitanus ex Bœtica Hiſpaniæ. 344
S. Gennadius Epiſcopus Aſturicenſis, & Confeſſor. 349
XXVI. Inuentio, & Tranſlatio S. Ildephonſi Epiſcopi apud Zamoram. 354
XXVII. S. Exuperantius Abbas Benedictinus apud Nertobrigam. 361
SS. Plurimi Martyres apud Pampilonam Nauarræ. 363
XXVIII. S. Iuſtus Epiſcopus Vrgelitanus Confeſſor Hiſpanus. 365
S. Iuſtus Auſenſis in Hiſpania Confeſſor. 367
S. Columba Virgo, & Martyr Tritienſis in Hiſpania. 369
XXIX. SS. Vottus, & Felix Monachi ex Cœnobio Pinnatenſi. 371
XXX. S. Exuperantius Epiſcopus Vxamenſis. 383
S. Exuperantius Epiſcopus Lucenſis. 386
S. Celſus Epiſcopus Toletanus. 388
S. Stephanus Abbas Vergedenſis. 390
XXXI. S. Petronillæ feſtum in Hiſpania. 391
SS. Germanus, & ſocij MM. Gerundæ. 393
S. Hector Ferrandus Epiſcopus Toletanus. ibid.

SCRIBEN

Digitized by Google

SCRIBENTIVM IMAGINES

in Librorum limine præfigi, & honeſtas, & neceſſitas perſuadet, vt ſicut Codicibus fruitur per quos erudiatur, ita effigies eorum, à quibus docetur, ad viuum delineatas, ſeculum conſequatur.

Philoſtrat. in Vit. Apollin.

Corporis eſt iſthæc præclari forma TAMAYI:
Effigiem Mentis docta camæna dabit.
Illam ſi quaris, placidam in compagine frontis
Inuenies normam, quòd venereris eam.
Iſtam ſi inquiris Sex volue Volumina Diuûm,
In quibus Ingenij grandis acumen ineſt.
I. T. S. A. D. D.

Digitized by Google

MAIVS.

TEMPORVM floridum monimentum, Annorum purpureum ſpectaculum, & Menſium coronarium delicium; Gratiarum partus, Veneris merum cingulum, Amoris illicium, & cupidinum ferè ineuitabilis apotheca. Cuius *Maij encomium.*

MAII *ſuauia dona* Menſis, *hæc ſunt:*
Latis graminibus, virente fronde,
Vrbis pellere tædium ſuperbæ:
Nunc cultis iuuat ambulare in hortis,
Flores carpere, ſerta ſuſtinere.

Perpulchrè: Nam hoc Menſe ſuauiter Zephirus tacito ſtrepitu cuncta maritat, maritata fœcundat, & fœcunda floreſcere curat, ac parturire. Nam cùm hæc pars anni Regina ſit temporum, pompas MAIO ducit Regi dierum, & pulcherrimo, eodémque iucundiſſimo ſtipat veluti ſatellitio. Nunc Cœlum renidet purius; nunc Sol altior, auro ſimilior; nunc orbis Lunæ pulchrior ſplendet, atque illibati Stellarum chori clarius eniteſcunt. Nunc littoribus conciliantur fluctus, Soli nubes, aëri ventus, terra plantis, plantæ oculis. Nunc fontes manant liquidiùs, & hybernis compaginibus expediti, largiùs amnes fluunt, prata collucent floribus, gemmis arbores turgent, detonſi nitent herbarum tori, & per virentes agros agni laſciuiunt. Iam Naues, vt plurimum piis refertæ vectoribus, cum celeuſmate ſoluunt è litore, & alas velorum explicant: mox leni curſu fluentibus aſſultant Delphini, & ſuauiſſimè quidem anhelantes tranquillo mari fidi comites nautas deducũt. Lætus autem agricola ſerenum intuetur cælum, & aratrum reficit, frugum largitorem Deum appellans, tùm ſtrenuè boues aratores cogit ſub iuga, & dulces imprimit ſulcos, totus iam ſpe delibutus. At Opiliones cum bubulcis concinnant fiſtulas, & paſtorale carmen accinunt, nunc per gramen abiecti, nunc vmbroſis rupibus inſidentes, MAII ſuauitate mulcentur. Ex altera parte Olitores plantas excolunt, aucupes calamos inſtruunt, deſignant ramos ad aucupium, & plumas auium ad inſidias eleganti artificio contexunt. Piſcatores profundum ſcrutantur, purgant retia, petríſque marinis inſident. Interim apis laborioſa explicatis pinnulis diſcedit ex aluearibus, ſapientiæ datura ſpecimen, & iam prata peruolat, iam flores pabulatur, & caſtra cerea concinniùs extruit, contextis veluti diſparibus, ac ſexangulis fiſtulis, rectos quoque vicos, & alternos angiportus mirabiliter implicans, vt operi firmitatem, & elegantiam conciliet. Deinde mel in apothecis recondit; arat quippè, & laborat ſuo hoſpiti gratum animalculum, eíque feriato periucundum liberaliter fructum affert. Quis non videt hanc arationem delicatiſſimis floribus aſperſam? Nam & omnia fermè Veris adiuncta colligit accuratè, egregiè miſcet, & ſummâ temperat ſuauitate. Et denique *Deſcriptio.*

MAIVS *amor Veneris:* MAIO *Venus aurea ſertis*
Gaudet, & innumero flore ſerenat humum.

MAII Menſis etymon variè ab Scriptoribus aſſignatur. Quidam à MAIORIBVS Romanis Ciuibus, ob diſcrimen IVNIORVM, quibus ſequentis Menſis nomen *Etymon.*

Digitized by Google

tributum fuit, deducunt, vt refert Ouid. *libro* 5. *Faſtorum.*

Hinc ſua MAIORES *tribuiſſe vocabula* MAIO
Tangor, & ætati conſuluiſſe ſuæ.

1. *Opinio.* Cauſam huius rei ex Macrobio *lib.* 1. *Saturnal. c.* 12. auſculta: MAIVM *Romulus tertium poſuit; de cuius nomine inter Auctores lata diſſentio eſt. Nam* Fuluius Nobilior *in* Faſtis, *quos in æde Herculis Muſarum poſuit:* Romulum, *dicit*, poſtquam populum, in MAIORES, Iunioréſque diuiſit, vt altera pars conſilio, altera armis Rempublicam tueretur, in honorem vtriuſque partis, hunc MAIVM; ſequentem IVNIVM Menſem vocaſſe. Sed hæc ſententia *Feſto* non arridet, quia MAIVS Menſis ante Romuli conſtitutionem iam hoc nomine vocabatur in complurimis Latinorum ciuitatibus; ideò cùm fuerit vetuſtius Romulo nomen, perperam etymon à Ciuibus MAIORIBVS deductum credit. Huic *Feſti* adſtipulatur ſententiæ altera eiuſdem, quâ fatetur, hunc Menſem MAIVM olim linguâ Oſcâ MAESIVM dictum. Cui ſi credimus (proſequitur Roſinus *lib.* 4. *Antiquitat. Roman. c.* 9.) Maij Menſis appellatio, vel ante Romam conditam extitit; id quod argumentum foret, à Romulo nullam ei propter MAIORES obtigiſſe denominationem. Tertiò etiam diluitur hæc prima opinio, ex ea à Ioanne Goropio Becano *in Chronÿs* relatâ, quâ contendit huius Menſis appellationem deductam à veteri Cimbria voce MAI, ſiue MEI fuiſſe, quia huius vocabuli ſignificatio plantarum virorem denotat, eo quòd in MAIO Menſe omnia florida, & amæna ſint.

Reiicitur 1.

Opinio hæc reiicitur 11.

Reiicitur 111.

11. *Opinio.* SECVNDA Opinio aſſerit, Menſem MAIVM etymon accepiſſe à MAIESTATE Magiſtratuum Dea, quæ, vt ex Ouidio *d. lib.* 5. *Faſtor.* liquet, Mundum temperat omnem; ſic Roſinus *d. libro* 4. *c.* 9. D. Carolus de Neapol. *ad Faſt. Ouid. lib.* 5. *n.* 1. qui ſingularem auctorem huius Opinionis Naſonem vocitat. Hanc ſententiam amplectitur Ioannes Baptiſt. Maſculus *in Encom. SS. n.* 1. *fol.* 189.

111. *Opinio* TERTIA Opinio, quam ex *Cincio* producit Macrobius *d. lib.* 1. *Saturnal. c.* 12. contendit eſſe dictum præſentem Menſem à MAIA Vulcani vxore, eo quod flamen Vulcanalis, *hiſce Kalendis* huic Deæ rem diuinam facit. Aſt Ouidius *d. lib.* 5. nomen accepiſſe à MAIA Mercurij Matre, cum aſſerit, & conglutinat fabulam Oceani; fatetur:

At tu materno donaſti nomine Menſem
Inuentor curuæ, furibus apte fidis.

Quam & refert ipſe Macrobius *vbi ſupra*, concludens: *Contendunt alij* MAIAM *Mercurij matrem* Menſi *nomen dediſſe; hinc maximè probantes, quòd hoc* Menſe *Mercatores omnes* Maiæ *pariter, Mercurióque ſacrificant.*

Nomina Maij apud diuerſas Nationes. SED nunc quibus MAIVS nominibus à Nationibus appelletur, differamus: Romani MAIVM; Hebræi, & Syri IIAR; Chaldæi, & Ægyptij PAYNI; Abiſſini PASCHNES; Athenienſes ΣKIPPOΦOPIΩN; Macedones APTEMIΣIOΣ; Cypri AINIKOΣ; Perſæ CHARDAD; Arabi, & Sarraceni GIVMADI Alexandrini PACHOI; Syracuſani CARNIO; A Carolo Magno BVNNEMONAT; In Faſtis Veteribus MEYE; Alemañi MEY; Belgici DE MAY; Cimbrici BEYMAANET; Itali MAGGIO; Hiſpani MAYO; Galli LE MOIS DE MAY; & Angli THE MONETH OF MAY, dixêre. Apud quas ſemper & vbique ex XXXI. diebus conſtitit. Sed ad Faſtos Gentilicos veniamus.

Lares Præſtiti qui? KAL. MAII. Hoc die Romani, ob aram LARIBVS *Præſtitibus* à Curibus Sabinis conſecratam, feſtum recolebant: Erant enim LARES tanquam GENII, qui hominum tutelas præſe ferebant, ideóque PRÆSTITI dicti, quia præerant, vt Martiano Capella placet: *Specialis ſingulis mortalibus* Genius *admouetur, quem &* PRÆSTITEM, *quòd præſit gerundis omnibus, vocauerunt.* Quod & obſeruauit Ouidius:

PRÆSTITIBVS *Maiæ* Laribus *videre* Kalendæ.
Aram conſtitui, paruáque ſigna Deûm.
Ara erat illa quidem Curibus: ſed longa vetuſtas

Deſtruit,

Deſtruit, & ſaxo longa ſenecta nocet.
Cauſſa tamen poſiti fuerat cognominis illis,
Quòd præſtant oculis omnia tuta ſuis.
Stant quoque pro nobis, & præſunt mœnibus Vrbis:
Et ſunt præſentes, auxiliúmque ferunt.

Plutarch. *in Quæſt. Roman. apud Buxhorn. fol.* 37. quærit, *Cur* LARIBVS, *quos* PRÆSTITES *propriè vocant, Canis præficitur, & ipſi caninis pellibus amiciuntur?* Cui quæſito reſpondet: Quia cum iſti PRÆSTITES ſint, qui præſunt, & canum natura ſit domos cuſtodire, ideò ſymbolicè illis Canis præficitur, & caninis amictibus induuntur. Quod & notauit Vetus Scholiaſtes *ad illud Perſij Sat.* 5. *Cur his Laribus canis præficitur?*

Bulláque ſuccinctis Laribus donata pependit.

Quia (inquit) *Gabino habitu, Cynomia, id eſt*, pelle canina *Dij Penates formabantur.* cui adhærere videtur M. Zuerius Buxhorn. *in Animaduerſ. ad Quæſt. Plutarch. folio* 113. Sic & Cornutus *fol.* 56. *n.* 31. & Theodor. Marcillius *fol.* 111. ad eundem Perſij locum.

SECVNDÒ, hoc die MAIÆ Deæ ſacrificia fiebant, & illa ſub titulo BONÆ Deæ facta recenſet *Ouidius*, licet Macrobius *d. lib.* 1. *c.* 12. *Saturnal. ex Cornelio Labeone* MAIÆ ſub nomine BONÆ Deæ inſtituta contendat. *Ouidium* auſculta. *Maia an bona Dea?*

—— Interea Diua canenda BONA *eſt.*

Audi Macrobium: *Auctor eſt* Cornelius Labeo *huic* MAIÆ *adem* Kalendis Maiis *dedicatam ſub nomine* BONÆ Deæ. Qui poſtmodùm pluribus probat, eandem eſſe TERRAM. Locum huius Ædis deſcribit *Naſo* his carminibus. *An Terra?*

Eſt moles natiua loco: res nomina fecit:
Appellant Saxum: pars bona montis ea eſt.
Hìc Remus inſtiterat fruſtrà, quo tempore fratri
Prima Palatinæ regna dediſtis aues.
Templa patres illic oculos exoſa viriles
Leniter accliui conſtituêre iugo.
Dedicat hæc veteris Clauſorum *nominis hæres,*
Virgineo nullum corpore paſſa virum.
Liuia reſtituit, ne non imitata maritum
Eſſet, & ex omni parte ſecuta virum.

Hanc Deam Græci Γυναικείαν dixere, Latini verò *Polynominis* Deam. In cuius ſacris, vt innuit *Poëta*, nequaquam viris ingredi licebat, & eadem ſacra in æde Pontificis Maximi peragebantur à Matronis. Illaque, vt *Feſtus* contendit DAMIA fuiſſe nuncupata, eo quòd fiebant in operto, à contrarietate, quòd minimè eſſet δημόσιον, id eſt *publicum*. Licet *Ioſephus Scaliger* falſum reputet *Feſti* etymon. *In Maia ſacris viri non ingrediebantur.*

QVÆRIT Plutarchus *in Quæſt. Roman.* 22. *fol.* 15. *apud Buxhorn.* agens de hac Dea: Cur Matronæ in eius templa myrthum non inferunt: quanquam omnibus germinantibus, & florentibus ſtudiosè ad ornatum vtantur? Et reſpondet, quòd cùm quidam Faulius Aruſpex vxorem vinum potaſſe deprehenderet, illam myrtheis virgis caſtigauit; hinc ortam conſuetudinem, ne mulieres myrthum in hiſce ſacrificiis inferrent; ſed permiſſum illis Deæ vinum ſub lactis appellatione libare. Quod & notauit Arnobius *lib.* 5. *aduerſus Gent.* ex opinione Sexti Clodij *lib.* 6. *de Dijs Græcor.* his verbis *Faunam igitur Fatuam,* BONA *quæ dicitur Dea tranſeamus: quàm myrtheis cæſam virgis, quòd marito neſciente ſeriam meri biberit plenam,* S. Clodius *indicat.* VI. de Diis Græcorum. *ſignúmque monſtrari, quòd cùm ei diuinam rem mulieres faciunt, vini amphora conſtituatur obtecta: nec myrtheas fas ſit inferre verbenas.* Quo loco Stevvechius *fol.* 373. Ioann. Meurſ. *in Arboret. ſacr. lib.* 2. *c.* 1. *fol.* 100. Alias rationes quære *ex Plutarcho.* *Damia hæc ſacra dicta.* *Cur in his ſacris Matrona myrthum non inferunt?*

Digitized by Google

Scyrea feſta apud Græcos quæ?

TERTIÒ, etiam hoc die, vt conſtat ex veteri *Romano Kalendario* apud Eliam Reuſnerum *in Diario Eccleſ.* Athenis SCYREVM, ſiue Vmbraculorum feſtum peragebatur. Quod hoc fuerit? aperit Lil. Gyrald. *Syntagm.* 17. vbi probat hanc celebritatem Athenienſium peculiarem fuiſſe, in qua Vmbracula, & Scenæ fiebant, ita vt fere ſimilis eſſet *Hebræorum Scenopegiæ.* Iulianus Aurelius *de Cognominib. Deor. lib.* 2. aſſerit, quòd hæc celebritas fiebat in honorem *Minervæ*, quæ etiam Scyradis dicta fuit, à Scyro Vate Dodonæo, qui delubrum ei condidit.

Compitalia ſacra quæ?

II. DIE MAII, hoc eſt VI. Non. eiuſdem COMPITALIA ſacra erant, quibus, *Laribus* ſacrificabatur: de his *Feſtus*, & Macrobius *lib.* 1. *Saturnal. c.* 7. Varro verò, LARIBVS fuiſſe COMPITALIA Sacra tributa, docet, vbi vix *competunt*, ideò *Compita*, & tùm ibi ſacrificabatur, quotanniſque is dies concipiebatur. Ab hac ergo voce originem traxere hæc Sacra, & COMPITALITII LARES, nec-

Lares Compitales qui?

non LVDI COMPITALITII. Omnia hæc cognomina, vnâ eſt complexus periodo Sueton. Tranquill. *de Cæſar. in Vit. Octau. Auguſt. cap.* 31. apud Stuchium *de Sacrif. Gent. fol.* 79. his verbis: COMPITALES LARES (*quibus* COMPITALIA *dicata ſunt, & quorum in honorem fiebant* LVDI COMPITALITII) *ornare bis in anno inſtituit, vernis floribus, & æſtiuis.* Qui *Suetonij* mentem eliciens proſequitur: *Per* vernos flores *intelligit* (Suetonius) *heliochryſon, hyacinthum, roſam, & violam albam, quæ prima florum eſt Ver nunciantium, quam* Columella *Græcâ dictione λευκοιον vocat, quaſi dicas albam Violam. Per æſtiuos verò flores, eos qui vernis ſuccedunt, cuiuſmodi ſunt, lychnis, Iouis flos, amaracus, iris, & quoddam genus lilij.* De quo & videndus Torrent. *fol.* 87.

Eorum Antiquitas.

ANTIQVITAS horum Sacrorum longæua fuit, primùm cruenta, pòſt moderata, & demùm feſtiua, ſi Macrobio *lib.* 1. *c.* 7, credimus. Iſte ex ſententia *Albini Cecinna* refert, quòd hæc inducta ſunt Sacra ex reſponſo Apollinis, quo præceptum eſt, vt pro capitibus *Maniæ* Deæ Larium matri ſupplicaretur: ideò ex reſtitutione Tarquinij Superbi obſeruatum eſt, vt pro familiarum ſoſpitate pueri Deæ mactarentur. *At Iunius Brutus* Conſul, pulſo Tarquinio, hoc Sacrificij genus aliter conſtituit celebrandum, vt Apollinis reſponſo fieret ſatis, ſcilicet, quòd capitibus allij ſupplicaretur: eſto quòd Apollo non de capitibus hominum, ſed abſolutè de capitibus loqueretur; quod reſponſum etiam de capitibus allij intelligere liceret: ſicque remouebatur illud infauſtæ ſacrificationis ſcelus. Hic mos inualuit, vt effigies *Maniæ* ſuſpenſæ conſpicerentur pro ſingulorum foribus, quatenus periculum, ſi quod immineret familiis, expiarent. Denique ad feſtiuam conſuetudinem hæc Sacra redacta, ex *Tullij* placito, ſacrificia miniſtrantibus ſeruis parata ſunt, vt inquit Dionyſ. Halycarnaſ. *lib.* 4. vbi poſt conſignationem *Tullij* proſequitur: *Duráque mos ille priſcus in ſacris placandi* Genios *per* ſeruorum *miniſteria, qui temporaria libertate fruuntur per eos dies, vt hac humanitate manſuetiores redditi, Dominos chariores habeant, & leuiùs ferant ſuæ fortunæ inclementiam.* Hic

Quare inducta?

Bruti interpretatio.

Cur feſtiuitas ſeruorũ?

Inſcriptionis Romanæ intellectus.

fortè lucem accipiet *Inſcriptionis fragmentum*, quod adhuc *in Municipio Ilipenſi*, hodie CALAMEA *de la Serena*, Patriâ meâ, viſitur; vbi has tantùm literas temporum inuidioſa colluuies poſteris reſeruauit.

::::::::::: TRATVS
::::::::::: SERVVS.
::::::::::: COMP. LV
::::::::::: PE VICT.
::::::::::: NN. LXXI.
::::::::::: T. T. L.

Quam Inſcriptionem (ſi ariolari licet) ſic ſupplendam curauimus, vt ſententiæ *Dionyſii Halycarnaſſei* congruat diuinatio.

CALLISTRATVS.
T. SEMPR. SERVVS.
QVI. IN. COMP. LV
DIS. SÆPE VICT.
EVASIT. ANN. LXXI.
H. S. E. S. T. T. L.

Hoc

Digitized by Google

Hoc eſt: *Calliſtratus T. Sempronÿ* Seruus, *qui in* COMPITALIBVS LVDIS *ſæpe Victor euaſit, Annorum* LXXI. *hic ſitus eſt: ſit tibi terra leuis.* Nec te deterreat quòd hoc memorabile monumentum *Seruo* erigeretur; nam ſimilibus ſeruis, communis hic honor erat, vt videre licet apud Iacobum Guther. *de Iure Man. lib.* 2. *c.* 36. *fol.* 374. Sed ad COMPITALIA redeamus: in hiſce ſacris, LARIBVS attributis, porcis ſaginatis compita luſtrabant, vt inquit Propert. *libro* 4. *elegia* 1. hoc carmine. *Seruis honor ſepulchri cum Inſcriptionibus dabatur.*

Parua ſaginati luſtrabant Compita *porci.*

Cur Porcus in Compitalibus offerebatur Laribus?

Quo loco plura apud Ioann. Paſſerat. *in Not. fol.* 553. vnum hic omittere non auſim, cùm de *Laribus* verba facio, quia CHRISTI Domini reſpicit cultum; ſcilicet quod *Alexander Seuerus* Mameæ filius inter *Diuos Tutelares*, quos in ſuo *Lario* colebat, effigiem D. N. IESV CHRISTI repoſuit, *cui quotidie* (inquit Ælius Lampridius in Alexandr. Seuer. fol. 351.) *rem diuinam faciebat.* *Chriſtus inter Lares cultus.*

VI. *Non. Maÿ* id eſt dies II. celebris Romæ repetebatur *M. Cl. Marcelli* Conſulis de Comenſibus, & Inſubribus triumphus, quem honorificentiſſimo recepit plauſu, vt inquit Goltzius *Ann.* 557. & Elias Reuſner. *in Diar. Hiſtoric. h. d. fol.* 68. Baptiſt. Maſcul. *in Encom. SS. fol.* 190. *Triumphus Marcelli.*

V. *Non. Maÿ*, hoc eſt, Dies III. Nihil in Kalendariis antiquis Romanorum adnotatum inuenitur, niſi quòd *Athenis Minervæ* ſacra erant; quæ tauris, & agnis celebrari ſolebant, vt ex Alexandro refert Lilius Gyrald. *Syntagm.* 17. *Athenis ſacra Minervæ.*

IV. *Non. Maÿ*, id eſt, Dies IV. Ludi Maximi per ſex dies celebrabantur, vt notatur *in Kalendarÿs.* & repetunt *Reuſner.* & *Maſculus*, qui etiam ex Liuio *A. Manlÿ Torquati* Conſulis triumphum refert. *Triumphus Torquati.*

III. *Non. Maÿ*, hoc eſt, Dies V. in Kalendariis Romanis conſignatur alter Maximorum Ludorum dies. Qui iſti Ludi fuerint? me latet; niſi fortè illi ſint, de quibus Tit. Liuius *Decad.* 3. *lib.* 2. agit à *M. Accilio* Conſule in Vrbem inducti. Videſis Alexandrum ab Alex. *lib.* 6. *Dier. Genial. c.* 19. vbi Tiraquel. *fol.* 698. *Ludi Maximi.*

PRIDIE Non. Maÿ, id eſt, Dies VI. qui fuit *C. Martÿ Rutili* Dictatoris illuſtris triumpho de Tuſcis reportato, ad Annum Vrbis CCC. XCVII. vt referunt *Maſculus*, *& Reuſnerus.* *Triumphus Rutili.*

NONIS Maÿ, & Dies VII. ſingularis ob duplicem triumphum, quorum alterum *Q. Fabius Vabulanus* III. Conſul A. V. CC. XCIV. de Æquis. Alterum *C. Sulpitius Baticus* Dictator de Gallis reportarunt. & ex *Maſculo*, & *Reuſnero* liquet. *Triumphus Duplex.*

VIII. Idus Maÿ, & Dies VIII. apud Romanos ater. Apud Græcos *Neptuno* Sacrum, vt indicant vetuſta *Kalendaria.* Quod veriſimile; nam vt inquit Plutarch. *in Theſ.* & Lil. Gyrald. *Syntagm.* 5. Græci Octauum cuiuſque Menſis Diem *Neptuno* ſacrarunt. *Neptuno ſacra apud Græcos.*

VII. Idus Maÿ, & Dies IX. quo LEMVRIA Sacra tribus noctibus diſcontinuis peragebantur, de quibus Ouidius *d. lib.* 5. formam, cauſam, & ritus ad amuſſim: Originem ad Romulum refert, eo quod occiſo Remo fratre, *Lemuria ſacra, quæ?*

Vmbra cruenta Remi *viſa eſt aßiſtere lecto.*

Quæ poſt longam orationem, ſimile mortis genus fratri precatur Romulo: qui vt illa terriculamenta piaret, hæc Sacra inſtituit, quæ REMVRIA nominauit, & conuersâ litera R. in L. poſt *Lemuria* dicta fuêre. *Etymon.*

Romulus *obſequitur, lucémque* REMVRIA *dixit*
Illam, quâ poſitus iuſta feruntur auis.
Aßpera mutata eſt in Lenem tempore longo
Littera, quæ toto nomine prima fuit.

Formam quam in hiſce ſacris obſeruabant Romani, hanc fuiſſe contendunt nonnulli, videlicet, quòd fabam noctu iacere ſolerent, & ſe ex domo *Lemures* eijcere clamantes: quam tamen fabam, nigram eſſe oportebat, ipsámque totis manibus, & pede nudo per ora verſare, & poſt terga reijcere, æriſque tinnitum facere, vtque *Lemures* fabis redempti domo abirent, nouies orare, & tribus alternis noctibus repetere, donec ſolutis religione animis, *Manes* ex, iatos ducerent. Vnum in hiſce *Forma.*

Digitized by Google

ſacris obſeruatum nouimus, ſcilicet, quòd eorum tempore nullius *Templi* ianuæ aperirentur; & quod nefas eſſet matrimonia contrahere. Ouidium auſculta:

Cur non aperiebantur Templa?

Fana tamen veteres illis clauſere diebus:
Vt nunc ferali tempore operta vides.
Nec vidua tadis eadem, nec Virginis apta
Tempora: quæ nupſit non diuturna fuit.
Hac quoque de causâ, ſi te prouerbia tangunt,
Menſe *malas* Maio *nubere vulgus ait.*

Cur nubere nefas? Cauſas, quare hoc Menſe nubere religio erat, refert Plutarch. *in Quæſt.* 85. *apud Buxhorn. fol.* 58. qui *in Annotat. fol.* 140. Plutarchum deceptum contendit, in ea ratione, qua nititur probare, ideò denegatas nuptias, quia *Maius* in medio loco inter *Aprilem* eſt, & *Iunium*, quorum ille *Veneri*, hic *Iunoni* ſacer eſt: quia inquit Buxhornius: *Fallitur Plutarchus dum* Iunium *Iunoni adſcribit*, cum *Mercurio ſit adſcribendum. Vicinitas nominum* Iunij, *&* Iunonis *decepiſſe* Plutarchum *videtur.*

Plutarchi lapſus.

Triumphus Tiber. Cæſ. *VI. Idus Maij*, & Dies X. celebris Romæ ob nobilem triumphum, quem *Tiberius Cæſar* de Illiricis, Pannonibus, Dalmatis, atque Germanis egit ſplendide; ſic Suet. *c.* 9. Onuphr. Panuin. *in Triumphal.* Maſculus *ſupr. fol* 192. & Reuſner. *fol.* 72.

V. Idus Maij, & Dies XI. quo *in Kalendario Veteri* notatur: LEMVRIA *altera: tum Iuuenes Romæ armati.* Qualis hæc armata fuerit iuuenilis manus, & aduerſus quos, ſcire ſi cupis, auſculta: Hac ſecundâ nocte, Romana iuuentus, vt *Lemures* iſtos, ſiue laruas de domibus expelleret, armabatur, & per domorum angulos curſitans, tanquam cum ipſis dimicatura, omnem conatum horrido ſtrepitu aduerſus monſtra ponebat. Videſis Maſculum *fol.* 193. vbi ſuccincta hæc enarratione complectitur.

Iuuẽtus Romana cur hoc die armabatur?

IV. Idus Maij, id eſt, dies XII. qui Romæ celeberrimus fuit, maximè ob Ludos, & Sacra *Marti Vltori* peracta, de quibus Ouidius,

Ludi Circẽſes Marti Vltori.

Solemnes Ludos Circi *celebrate Quirites:*
Non viſa eſt fortem Scena decere Deum.

De *Marte Vltore*, & eius Sacris, plura apud *Gyraldum*, & *Stukium*, & alios huius rei Scriptores, qui laxato calamo diuerſa dixere.

Triumphus L. Cornelij. Item hoc die Romæ celebris triumphus *L. Cornelij Maluginenſis* de Volcis, & Antiatibus Anno ab V. C. ex *Liuio* CC. XCIII. vt referunt *Maſculus*, & *Reuſner. folio* 72.

III. Idus Maij, & Dies XIII. quo plenè LEMVRIA abſoluebant, ita vt crederent Ethnici, quòd hiſce Sacris peractis *Lemures*, & cætera inferorum caterua è domibus abigerentur, nec in poſterum reuerſuræ.

Lemurium finis.

PRIDIE Idus Maij, & Dies XIV. auſpicatiſſimus Romanis, eo quod *Antoninus Caracalla*, à Seuero patre Imperator eſt dictus. Hinc Romæ iſte dies auſpicatiſſimus conſignatus, quem & celebrari voluit, vt notarunt *Panuin. Maſculus*, & *Reuſnerus.*

Caracallæ inauguratio

IDIBVS Maij, & Dies XV. Mercurio ſacer, ob eius natalitium, in quo quia ædes ipſi Deo dicata erat, vt inquit *T. Liuius* Ann. CC. LIX. Mercatores ad portam *Capenam* nundinas celebrabant, qui è Mercurij fonte aſpergentes ſe Lauro ter in eo immerſa, aut vberioris quæſtus gratiâ, aut propter expiationem periuriorum, & fraudium in negotiationibus commiſſarum.

Mercurij nundinæ.

Templa tibi poſuere patres ſpectantia Circum
Idibus: *ex illo eſt hæc tibi feſta dies.*
Te quicumque ſuas profitentur vendere merces,
Thure dato, tribuas vt ſibi lucra, rogant.

Templi dedicatio. Circa *Templum* prope *Circum* dicatum *Mercurio* Tit. Liu. *libro* 2. hac ſerie: *Eodem Anno Signia Colonia, quam Rex Tarquinius deduxerat, ſuppleto numero Colonorum iterum deducta eſt, Romæ Tribus vna & viginti facta,* ÆDES Mercurij *dedicata eſt Idibus Maijs.*

Digitized by Google

Maÿs. Qui etiam per id tempus *Mercatorum Collegium* inſtitutum eſt, cuius Pontifices, ſeu Principes, *Magiſtri Mercuriales* dicti ſunt, vt ex antiquo lapide obſeruat D. Carol. de Neapol. *in lib.* 5, *Faſt. Ouid. n.* 233. *fol.* 247. Sed ad *Mercatorum* ſuperſtitioſam expiationem ad fontem *Mercurÿ* redeamus: audi *Naſonem.*

Forma expiationis Mercatorũ in hiſce nũdinis.

Eſt aqua Mercurij *porta vicina* Capenæ;
Si iuuat expertis credere, Numen habet.
Huc venit incinctus tunicâ Mercator, *& vrnâ*
Purus ſuffuſâ, quam ferat, haurit aquam.
Vda ſit hinc laurus: lauro ſparguntur ab vda
Omnia, quæ dominos ſint habitura nouos.
Spargit & ipſe ſuos lauro rorante capillos:
Et peragit ſolitâ fallere voce preces.
Ablue prateriti periuria temporis, inquit;
Ablue prateritâ, perfida verba, die.
Siue ego te feci teſtem, falsóve citaui,
Non audituri nomina vana Iouis;
Siue Deum prudens alium, diuámve fefelli,
Abſtulerint celeres improba verba Noti.
Et pereant veniente die periuria nobis:
Nec curent Superi, ſi qua locutus ero.
Da modo lucra mihi; da facto gaudia lucro;
Et fac vt emptori verba dediſſe iuuet.

Hoc etiam die *Argeorum* ſcirpea ſimulacra, & oſcilla de Ponte ſublicio in Tyberim præcipitabantur. Qui iſti *Argei* fuerint? diximus ſupra *tom.* 2. *in Menſis Martÿ ſimulacra. prolegomeno ad XVI. Kal. April. fol.*... Sed hoc die iſtorum ſimulacra de ponte deijciebantur, vt Varro *de L. L. lib.* 6. inquit: ARGEI *fiunt è ſcirpeis virgultis, ſimulacra ſunt hominum Triginta, ea quotannis è ponte ſublicio à Sacerdotibus publicè iaci ſolent in Tyberim.* Ouid. *Argeorum ſimulacra.*

Tunc quoque priſcorum Virgo ſimulacra *virorum*
Mittere roboreo ſcirpea *ponte ſolet.*

Vbi cauſam huius præcipitationis ad longum refert, provt & Plutarch. *Quæſt. Rom.* 32. *fol.* 24. Vbi Buxhorn. *fol.* 108. *Cur præcipitabantur?*

Viuieron concordes en recta conçiençia,
En gracia firmados ſiruiendo à ſu Dios,
El qual por ſer tales los quiſo alos dos
Poner en dos tronos de tanta excelencia.
Las tales raçones el Preſul decia
Con hartos ſuſpiros ſentado en el trono,
Las quales por ſuyas aqui las abono,
Que cierto mi lengua perdiera la via.
Eſtando en aqueſto yo vi que cubria
Al Santo vna nube celeſte pintada,
Laqual con vn ayre volo ſin parada,
Y junto con ella mi bien, y alegria.
Anſi como quando algun deſdichado
Se ſueña, durmiendo, tener mucha gloria;
Y quando recuerda la ſola memoria
Le da doble pena por ver ſe priuado.
Anſi me quidè yo triſte burlado
Con rabias dobladas por ver me tan ſolo,
Penſando en Orencio *que entraua en el Polo*
Que exçede los otros, Impireo llamado.
Deſpues que ſin viſta del Santo me vi
Dexando à Lloreto *adonde el naçiera,*
Por freſcos Xarales topè la ribera
Adonde mi Varco primero ſurti:

Moramas encojo, las velas tendi
Al buen tramontano que las alboroza,
Y dentro de vn hora tornè a Zaragoza,
Mi buena Madrasta de donde sali.
No quiero pasar debajo silencio
Que en esta Ciudad que aora nombrè
Estar, claro consta por acto de Fè,
Una preciosa Reliquia de ORENCIO:
Reside en el Templo de santo Laurencio
Vetusta Parroquia, do son Parroquianos
Hidalgos, y Nobles, y mil Ciudadanos,
Que aqui declarara si fuera Terencio.
El Aqua de fuentes, o fluuio mayor
En esta Reliquia corriendo si toca,
Qualquier que la pone de dentro su boca
De fiebres guareze perdiendo el calor.
Personas heridas de vario langor
Beuiendo tal aqua reciben salud,
Que Dios puso en ella tan alta virtud,
Que puede alos tristes librar de dolor.
Y pues que en los Cielos triunfa con don
ORENCIO *de quien aora contamos,*
Que honrra le demos, y gracias agamos
Al Rey de los Reyes, es mucha razon.
Pues el fue tal arbol que à nuestra Nacion
Decora con ramos tan llenos de flores,
Roguemos nos haga de aquel seruidores,
Que presta alos suyos eterna mansion.

Hactenus vetustus *Velasquius* laureatus Poëta Castellanus, in cuius ecphrasi non est cur mireris, si *Regum Franciæ*, & *Comitum Bigerrensium*, & *Focensium* Decij Imperatoris tempore meminerit, cùm tunc nec fuissent, nec nisi post multa sæcula fuêre; quia communem Poëta contraxit antiquorum scribentium errorem, circa nomina *Regum*, & aliorum Dynastarum titulos; non quia isti successus æuo fuissent, sed quia Scriptorum seculo erant, & ita passim etiam in Scriptoribus Ecclesiasticis inuenitur. Ad rem ergo accedentes, optimè ex hoc vetusto carmine liquet, Nostros Sanctissimos Coniuges *SS. Laurentij*, & *Orentij* extitisse Parentes, eósque *Fratres* fuisse *gemellos*, quod & supra *d. Tom. 1. die XV. Martij*, probauimus, vt amico *Andreæ Saussayo* faceremus satis, de hac fraternitate dubitanti.

Error antiquorum in nominatione Regum, communis.

SED nunc alia anceps QVÆSTIO est, inter Nostros, & Exteros controuersa: *An isti Sanctissimi* Coniuges, *Parentes Laurentij, & Orentij*, Confessores, *an* Martyres *fuerint?* Circa cuius Quæsiti resolutionem, quò me vertam nescio. Scribentium vtriusque sententiæ placita subiiciam, vt postmodùm discussis conferentium rationibus, meam proferam opinationem. Illos fuisse MARTYRES, tàm antiqua, quàm recentiora Martyrologia Romana, siue à *Rosvveydo*, seu à *Baronio* edita suadent, dicentia: OSCÆ *in Hispania* SS. Martyrum ORENTII, & PATIENTIÆ.

An Confessores isti SS. Coniuges, an Martyres.

1. Opinio. Probatur fuisse Martyres.

Digitized by Google

Quibus adſtipulantur Flau. Dext. *in Chron. Ann.* 246. ſequentia referens verba: OSCÆ *in Veſcetania SS. Chriſti* Martyres ORENTIVS, *&* PATIENTIA, *Parentes S. Martyris, & Archileuitæ* Laurentij, *Romæ paſſi, &* S. Orentij *Confeſſoris, & Epiſcopi Auſcitani.* Vbi Rodericus Caro *fol.* 85. *lit. I.* & P. Biuar. *Ann.* 246. *num.* 1. *fol.* 278. P. Martin. Del-Rio *in Prælud. ad Opera S. Orentij Illiberitani Tom.* 5. *Biblioth. Patr.* Poëta ille *Hiſpanus* apud Aynſa *in Libello de Tranſlat. Reliquiar. S. Orent. fol.* 69. vbi Paranimphum inducit ad ORENTIVM loquentem:

Tu mortem occumbens ACRI CERTAMINE *partam,*
Adſpicies VICTOR PROFVSO SANGVINE *palmam.*

11. *Opinio. Quòd fuerint Confeſſores.*

Pro contraria Opinione ſtat vniuerſalis *Hiſpaniæ* traditio, maximè *Oſcenſium*, & *Aragonenſium* Eccleſiarum, & Scriptorum; in quorum auctographis nihil de paſſione depromitur; ideóque illos CONFESSORES appellitant vetuſta, & recentiora *Breuiaria*; quibus adhærent *Ambroſ. Moral. Ioann. Mariet. Didacus de Aynſa, Lanuza, & Ioannes Franciſc. Andreſ.* apud quos omnia ad amuſſim elicies, quibus & ego adhæreo. Hìc tantùm adnotare libet, *Doctorem Ioannem Franciſcum Andreſium* aſſeruiſſe in *Defenſion. S. Orent. fol.* 7. (niſi ſit error in prælo) *Baronium* dixiſſe: *Romæ paſſos.* Sed in hoc proculdubio *Cardinali* noſter amicus temerè crimen imponit. Verba *Andreſij* hæc ſunt: *En el Martyrologio Romano, que ſacò à luz el Cardenal Ceſar Baronio en las Kalendas de Mayo ſe lee, que* S. ORENCIO, *y* S. PACIENCIA *Alcanzaron la corona del martirio en Roma.* Flauio Lucio Dextro *ſeñala que ſucedio el año* CC. XLVI. Quæ verba, ſi Latina facias, ſonant: *In Martyrologio Romano à Cardinali Cæſare Baronio edito, Kalendis Maij legitur,* SS. ORENTIVM, *&* PATIENTIAM *martyrij coronam Romæ percepiſſe.* Flauius Lucius Dexter *annum paſſionis CC. XLVI. conſignat.* A quo hæc ſuxerit penitus ignoro, fides ſtet apud illum. ACTA Noſtrorum Coniugum hæc ex *Breuiario* antiquo *Oſcenſi* de Anno 1547. à *D. Petro Auguſtino*, eius Sedis Epiſcopo, conflata ſuſcipe, & aliis.

ACTA SS. ORENTII, ET PATIENTIÆ Coniugum, ex Breuiario Oſcenſi, & alijs Scriptoribus.

Origo.

Coniugium.

Filij duo vno partu editi.

Laurentius Romã perrexit.

Orentius Pater cum Orentio filio Galliam pertingit.

Agriculturam exercet.

ORENTIVS *Ciuis* Oſcenſis *in* Hiſpania *Citeriori* Celtiberiæ, *qui cùm eſſet nobilis, & temporalibus abundaret diuitijs, vxorem duxit nomine* PATIENTIAM, *ex ipſa in primo ſuæ iuuentutis flore, vno ortu duos genuit filios; quorum vnum* LAVRENTIVM, *& alium* ORENTIVM *nominauit, & eos ab infantia Deum timere docuit. Proceſſu temporis, cùm ad diſcretionis annos peruenìſſent pueri, in dicta Ciuitate eos tradidit literis imbuendos. Qui quaſi bonæ indolis iuuenes, non tantùm ætate, & ſcientiâ, quantùm bonis moribus excreſcentes, infrà tempus breuiſſimum, ad ſacros Ordines ſunt promoti. Poſtmodum* Laurentio *Romam per* Sixtum *Pontificem maximũ tranſlato, &* PATIENTIA *è viuis ſublata, eiúſque ſacro corpore in* Lauretanâ *domo coniugum prope* Oſcam, *tumulato; quadam nocte veniens Angelus Domini dixit ad ORENTIVM:* Tolle filium tuum *Orentium*, & vade in terram, quam monſtrauero tibi. *Manè itaque facto, receſſit cum filio ſuo in* Vallem-Lebitaniam *diœceſis* Tarbenſis, *in qua tunc Legio dæmonum deuaſtans homines, iumenta, & fructus terræ, habitabat; quæ præcepto famuli Dei ab illo loco fugata eſt, quo miraculo vniuerſi accolæ territorij venerabiles Viros, patrem, & filium, tanquam Dei ſeruos venerari cæperunt. Sed ipſi ne vicinis faſtidio eſſent, protinus ex labore manuum ſuarum comedere decernentes,* ORENTIVS *Pater par boum inquirens, nullum, niſi indomitum adinuenit; ſed Chriſti nomine inuocato, & ſuper illud Crucis ſigno facto, protinus bones ſub iugo ceruices manſueti, & affabiles ſubmiſêre; quibus ſuo tempore maximam fructuum meſſem collegit. Domi venerabilem anum, quam Matrem vocabat, & famulum nomine* Expertum *habebat, qui Sancti ſenis inuidiâ ſtimulatus, loco boni ſeminis, zizaniam in agri cultura ſeminabat, & alia deteriora faciebat; ſed Dei prouidentiâ,* ORENTIVS *potiores tritici cumulos coaceruabat. Quod ſeruus nequam contuens, lupum*

pum è ſyluis trahens, quo tempore S. Senex iuxta limpidiſſimi fontis fluenta puros latices eius, quietâ ſuſpenſione, bibebat, bouem tradidit comedendum; cuius fames vorax nil niſi oſſa, & cornua relinquens, iterum ad horridæ ſyluæ ſpeleum tardâ feſtinatione currebat; ſed visâ per ORENTIVM *ſtrage, & auctore perſpecto, illum Chriſti nomine ad locum occiſionis reuocauit, quem cum alio bouc ſub iugo coadunans, vice deuorati, bos, & lupus tanquam vnius ſpeciei, pari modeſtiâ ferebant aratrum. Cùm ergo ſeruus* Expertus *ſuæ intentionis ambitum vacuum proſpiceret, altera die in agrum deuenire renuit, ſeſe agritudine laborantem affirmans, cuius miſertus Vir Dei in lectulo compoſitum dereliquit, & ad agri feſtinauit culturam. Vix* ORENTIVS *è domo digreditur, quando famulus corpus anus venerabilis obſidet, quam ſic tormentis inſuperabilibus fatigauit, vt illam ſe in ignem, & in puteum conijcere compelleret; ſed in domum reuerſo* ORENTIO *cognita diabolici ſerui fraude, illum Chriſti virtute, è corpore venerabilis matris expellere procurauit; ſed diabolus anum relinquere promiſit, ſi ab eo licentiam acciperet, in corpus alicuius* Corneliæ *ingrediendi; quod S. Senex conceſſit, & tunc* Expertus *anum reliquit. Poſt hæc cùm* Franciæ *Princeps vnicam filiam nomine* Corneliam *haberet, euenit vt Diabolus, in eius corpus ingreſſus, adoleſcentulam torquebat ferociter, cui pluribus exhibitis remedijs, nulla penitus proficiebant, quia diabolum reſpondiſſe illud tantùm fertur; illum* ORENTII *permiſſione in corpus* Corneliæ *ingreſſum, à quo recedere difficile, ſine ipſius facultate. Tunc Princeps auditâ fama B. Viri miſit Nuncios ad eum, qui inſpiratione diuina motus ipſe, &* Orentius *filius iter arripuerunt. Vrbem ingreſſi, quâ erat* Cornelia, *& ad eam producti Viri Dei, protinus eorum conſpectibus diabolus grauiora cruciamina virgini rependebat, ſed* ORENTII *oratione compulſus: corpus ob fraudem obſeſſum deſeruit cum magno fragore, itavt* Corneliam *quaſi mortuam relinqueret; ſed B. Senex eius manum apprehendens, virginem ſuo colori, & ſplendori reſtitutam erexit, & parentibus tradidit pulchriorem. Cúmque ſic curata fuiſſet filia Principis, ille promiſit eis plurima dona ſi ſecum vellent habitare. Illi verò quaſi ſtercora recuſantes, præcepto Dei in terram* Tarbæ *reuertuntur. Contigit autem, cùm appropinquarent vrbi* Auſcitanæ, *quòd nuper ſuo Antiſtite fuiſſet orbata. Qui cùm Epiſcopi illius Prouinciæ cum Clericis in electione diſcordes extitiſſent, facto triduano ieiunio à Domino reuelatum eſt, vt qui eis in introitu Ciuitatis primò occurreret, ipſum Epiſcopum conſtituerent. Quod facientes, inuenerunt* Orentium *iuuenem primùm, & iniecta manu eum elegerunt, & ad Eccleſiam cum Canticis produxerunt, ſícque in Epiſcopatu plenus bonis operibus vixit. Quo viſo per Patrem, Vale dicens filio, ad* Tarbenſem *domum accedens, agnouit venerabilem anum, prolixis ſingultibus* ORENTII *reditum expectantem, illa die fatis conceſſiſſe. Tunc B. Senex Matrem adhuc in feretro iacentem alloquutus Chriſti diſpenſatione reſtituit ad vitam. Demum poſt aliquod temporis interuallum Angelus apparuit* ORENTIO, *quem, vt ad propriam repedaret patriam, admonuit, illius præſentiam magnis precibus deſiderantem. Annuit Senex, & in* Celtiberiam *properans, agros pluuia orbatos, & aduſtos inueniens, illis à Domino ſalutarem rorem precibus impetrauit; & ad* Laureti *domum concedens, tandem dierum, & virtutum plenus obdormiuit in Domino* Kalend. Maij, *circa annum* CC. LXV. *Eius corpus religioſè noſcitur tumulatum iuxta ſanctiſſima Coniugis pignora in Oratorio* Lauretano, *vbi huc vſque ſeruatum honorifice conſtans illius Regionis traditio eſt.*

Miraculum de lupo cum boue arante.

Miraculum de liberatione anus à diabolo.

Miraculum de ſanitate Corneliæ.

Orentius filius eligitur Epiſcopus Auſcenſis.

Vitam reſtituit Pater vetula.

In Patriam reuertitur.

Moritur.

Sepelitur.

Hæc ACTA ex antiquis, & vetuſtioribus Officiis, Breuiariis, & iconibus, licèt prolixiùs, deſumpſit Ainſa Yriate *Hiſtor. Oſcenſ. lib. 2. c. 1. fol.* 115. Qui ex Petro Occo Gallo 2. *p. Annal. c.* 26. & 27. addit, tria miracula Noſtri Senis ORENTII, ſcilicet *demoniacum quendam hominem alapâ; quendam ictu fuſtis quem geſtare ſolebat, ab diaboli obſeſſione liberaſſe; & quandam viduam in oppido Sebot, annuariam viduitatis ſolitudinem, intra domus cancellos, obſeruantem, à diabolo, cadaueri mariti aſſuto, illuſam, mirabiliter exemiſſe.* Quæ ſi ad longum videre deuotio cupit, adeat Ainſam & Occum.

Alia miracula.

SED

Digitized by Google

Pro pluuia Patronus apud Celtiberos.

SED & Tutelaris pro pluuia conſequenda ſterilitatis tempore apud *Celtiberos* conſignatur, vt liquet ex *Collecta*, quam antiqua *Breuiaria* referunt *Oſcenſia*, & *Montis-Aragonum*, huiuſmodi:

ORATIO B. ORENTII, CONFESS.

MIſericors, & miſerator Domine Deus, qui Beatum ORENTIVM *Confeſſorem tuum, ciuem, & procerem* Oſcenſem *ſpeciali dono* Patronum *pluuiæ in terris conſtituiſti; Nos famulos tuos clementer exaudi, & eius precibus, & interceſſionibus, ſupra areſcentem terram, imbrem fac deſcendere congruentem, & ariditatem noſtri cordis ſuperna gratiæ digneris rore perfundere.* Per Dominum Noſtrum, &c.

Et contra locuſtarum imbrem.

Imò contra *locuſtarum* epidemiam *Patronus* fauorabilis numeratur, vt inquit idem Ainſa *d. lib. 2. c. 1. fol.* 120. Ioannes Franciſcus Andreſ. in *Vindic. S. Laurent. c. 6. fol.* 116. vbi Epiſtolam vrbis Cæſarauguſtanæ, ad Ciuitatem Oſcenſem refert. de Anno M. CCCC. XLVI. ſcriptam, quâ promittit Cæſarauguſta lampadis lychnum argenteum coram SS. Corporibus ORENTII, & PATIENTIÆ perpetuò lucentis appendere.

Error Sauſſay.

Fallitur quoque *Andreas Sauſſayus* aſſerens *virgam Orentij filij floruiſſe*, tempore quo eligitur Epiſcopus *Auſcenſis*; nam ex Noſtrorum monimentis liquet hoc euenisſe, tempore quo *Nuntij* Principis *Galliæ pro redimenda* Cornelia *filia S. Senem anxij quærebant*, & tunc non virga filij, ſed patris.

Annus trãſitus.

QVOAD Annum tranſitus S. ORENTII, licèt adhuc calculus ſub ſilentio lateat, meâ ſententiâ ad Annum CC. LXV. euenisſe credendum eſt. Nam ſi *Laurentij* filij martyrium euenit Anno Domini CC. LXI. vt eruditè probat Baron. *in Not. ad Martyrol. Rom. die* 10. *Auguſt. lit. A.* & *in Annal. Eccleſ. tom. 2. Ann.* 261. & tunc temporis erat ORENTIVS Pater in *Valle-Lebitaniæ*, vt indicant Acta, ab *Triarte* congeſta, & poſtmodum acceſſit ad redemptionem *Corneliæ*, hinc in *Auſcenſem* vrbem, pòſt in eandem *Vallem*, & demum in *Patriam Lauretum* conceſſit, vbi aliquandiù vixit; vt quid non Quatuor annos in hiſce dabimus tranſmigrationibus? Hinc crederem inuerſum fuiſſe ab amanuenſi numerum in *Dextro*, & loco CC. LXV. repoſuêre CC. XLV. antepoſitâ literâ X. ad literam L. cùm illam poſtponere ratio poſtulet.

Reſtituitur Fl. Dexter.

OSCA. Ciuitas peruetuſta in *Celtiberia* Hiſpaniæ Citerioris, de qua Ptolem. *in Geograph. lib. 2. Tab. 2. Europ. c. 6.* Plin. *Hiſt. Natural. lib. 3. c. 3.* Strabo *in Geograph. lib. 3.* licet *Ileoſcam* vocitet; quam lectionem correxit Caſaubon. *in Not. folio* 74. Ludouic. Non. *in ſua Hiſpan. c.* 83. hodie dicitur HVESCA, in Regno *Aragoniæ* Ciuitas Epiſcopalis. Eius fundator creditur OSCVS *Betulonenſis* Dux, qui tempore Regis Romi XXII. Hiſpaniæ vixit ad Annum ante Chriſtum natum M. CCC. XXXIX. ſecundum ſupputationem *Stephani Garibaij*, vel M. CCC. L. ſecundum *Euſebij* computum. Huius fuit auctor ſententiæ Franc. Tarraph. *de Rebus Hiſpan.* quem refert Franciſc. Didac de Ainſa *Hiſt. Oſcenſ. lib. 1. c. 1.* & Ludouic. Non. *d. c.* 83. De ea alibi prolixius ſcribemus, vbi ſecundam de Fundatore opinionem aſſuemus, & ſuis locis numiſmata, & encomia delineabimus.

Topographia Vrbis.

Conditor.

E.

S. BENIGNVS Diaconus, & Martyr.] Fuit iſte ſanctiſſimus Agoniſta frater germanus *B. Vincentij Epiſcopi Meuanienſis in Hiſpania*, & eius *Diaconi*, vt probabimus infra *hoc Tom. 3. die VI. Iunij*, quo loco, ne repetam, huius veritatis indiſſolubilia proponimus aduerſus Italicarum rerum Scriptores fundamenta, quibus in poſterùm, ſi abſit pertinacia, à controuerſia recedent etiam rigidiores, & emunctæ naris Neoterici ſpectatores. De eo hoc die agit Philipp. Ferrar. *in Generali Catalog. SS. fol.* 74. & *in Catalog. SS. Ital. fol.* 235. & *in Topograph. ſacr. verb.* Meuania, *fol.*

Quis fuerit hic Martyr?

Quis de eo ſcribat?

Digitized by Google

fol. 78. qui fraternitatem inter eum, & *S. Vincentium* interceſſiſſe fatetur: ex qua confeſſione liquet, S. BENIGNVM, eo quod fuerit frater *Vincentij*, fuiſſe origine *Hiſpanum*; quia ſi *Vincentius* frater extitit *Hiſpanus*, vt infra loco citato patebit, ergo & à fortiori eius frater BENIGNVS. Vtriuſque ACTA communia ſunt, & ideo illa infra *d. die VI.* coniungemus. Pro illis hoc antiquum Octaſtichon in Codice *Auli Hali* mei deſcriptum faciat ſatis.

PRO S. BENIGNO MEVITANO, Diacono & Martyre Hiſpano, Epigramma, Kalend. Maij.

MEVIA me genuit Pœna, *eſt in nomine virtus,*
Nam mihi pro Chriſto, vltrò BENIGNVS *erat.*
Fratris Vincentis *ſemper ſub tegmine vixi;*
Cuius & eſuxi dogmata ſacra puer.
Póſtque Miniſter eram, cùm Præſul clymata pulchra
Italiæ inuiſit, quâ, fide multa tulit.
Reuerſus patriam, Chriſto cruciamina dico
Martyr & ipſe mea. Tunc & in aſtra volo.

Ex quo Octaſticho noſcitur B. BENIGNVM fuiſſe *Hiſpanum*, non *Italum*, quia *in primo* carmine MEVIA POENA, quid aliud eſt? niſi quòd vrbs illa à *Pœnis*, ſiue *Carthaginenſibus* fuerat conſtructa, vt *Carthago Spartaria*, in cuius territorio ſita eſt. Item in *Septimo* carmine aſſerit: *Reuerſus patriam*, ſi patria fuiſſet *Italia*, ad quam patriam reuertitur? ergo non erat *Italia*, cum ex ea in patriam ſe reuerſum ſignificet. *Probatur origo Hiſpana.*

S. SIGISMVNDVS Rex, & Martyr.] Huius ſanctiſſimi *Regis* pignora aliquot *Seduno* Galliæ, *Tesbiadem* Cathaloniæ Montem ab antiquo tempore fuiſſe tranſlata fatetur Luitprand. *in Aduerſ.* apud Ramireſ. *n.* 61. & apud Tamay. *n.* 56. his verbis: *Corpus Sancti* SIGISMVNDI *Regis Burgundionum, & Martyris ab vrbe Seduno ad tractum Barcinonenſem creditur delatum, & in monte* Tesbiade *depoſitum.* Aſt quod apud *Luitprandum* tunc temporis per verbum *creditur*, opinabatur, nunc apud P. F. Vincentium Domenec in *Hiſtor. SS. Cathalon. lib.* 1. *fol.* 37. & Ieronymum Puiad. *Hiſtor. Cathalon. lib.* 6. *c.* 32. *fol.* 283. ſine controuerſia dignoſces. Imò non tantùm *lypſana* poſt agonem in *Hiſpaniam* aduecta, ſed ipſe *S. Princeps* dum viueret, iſtius *Regionis* terminos habitauit, ſi fides eſt danda *Lectionibus*, & *Officio* antiqui *Breuiarij Viccenſis*, quas infra dabimus. De eo poſt fere omnia Martyrologia S. Gregor. Turonenſ. *Hiſt. Francor. lib.* 3. *c.* 5. & alij plurimi. Eius Acta ex *Breuiario Viccenſi*, Domenec, Puiades, & aliis ex Noſtris, & Exteris auſcultа. F. *Pignora in Cathaloniã allata.* *Ipſe Rex illam Regionem viuens illuſtrauit.*

ACTA S. SIGISMVNDI BVRGVNDIONVM Regis, & Martyris ex Breuiario Viccenſi, & alijs.

Lectio I. SIGISMVNDVS *patre* Gunebaldo *Burgundionum Rege ortus, à Sancto* Auito *Viennenſi Epiſcopo educatus, ab infantia in Dei timore inſtructus, & amore, ſupra ætatem ad omne virtutum ſpecimen aſſiduâ doctrina frequentiâ conſcendit. Iam meliori ætate maturus, ita in Dei obſequio flagrabat, vt quo loco Deum vehementiùs perquireret, & illi profundiùs inſeruiret, relictis parentibus, opibus, & regno inueſtigare proponeret.* *Origo.* *Educatio.*

Lectio II. HOC *autem animi deſiderio, Deo inſpirante, vt caduci Regni pondus, pro æterni commutaret fruitione, patriam reliquit, Narbonam deuenit, & emptâ* *Patriam reliquit.*

Digitized by Google

emptâ Cruce, Cathaloniam Hiſpaniæ Prouinciam perluſtrare conſtituens, ad Cinnam oppidum in Pyrenæis acceſſit, vbi ab aliquorum hominum relatu accepit, quantùs Montſynienſe *Montes, ad oppidum* Ozona, *Monachorum cœtibus incolebantur; quo audito, ad* Viccenſem *vrbem protinus lætus deſcendit, vt ſeruos Dei, quorum deſiderio flagrabat, inquireret.*

In Hiſpaniam venit.

Lectio III.

IBIDEM *à Clerico, à quo primùm peccatorum abſolutionem promeruit, de itinere ad Montium cacumina edoctus, vbi Eremitas habitare cognouerat, multiplici conſolatione leuatus, montium ſyluas incepit horridas peragrare; & magno iam tempore tranſacto, Eremitam vnum inuenit, à quo denuò imbutus ſolamine, & vitæ viam agnouit, & locum vbi tugurium erigeret, deprehendit. Diſcedente verò Eremita,* SIGISMVNDVS *adiculam extruxit exiguam, quâ à temporum rigoribus coopertus, vitam ſolitariam perageret.*

Eremita fit.

Lectio IV.

ILLINC *Deo viuens, per biennium, herbis tantùm contentus tranſegit, vbi propriis manibus aliam conſtruxit Crucem, quæ, vnà cum alterâ Narbonæ emptâ, adhuc in eius Eccleſia conſeruatur. Poſthæc Rex* Gundebaldus *pater, acceptâ coniugii facultate, vt filium perquireret, viam arripuit, & ita Numine diſponente prouenit, quòd pater Rex, filij Principis omnia proſequeretur veſtigia, & in ipſiſſimis locis, à S. Principe luſtratis, ſiſteret, quibus ab incolis de filij itinere recognouit.*

A Patre quæritur.

Lectio V.

IGITVR *eius veſtigia inſequens* Viccum *peruenit, & ab ipſo Clerico, qui S. Principem direxerat, propoſitum* SIGISMVNDI *percepit, ita vt inter illius Montis cacumina ſeceſſum eligeret; quem ſi videre cuperet, conſignatâ die, quâ omnes Eremitæ in Oratorium* S. Martialis *de more conueniunt, ad Eccleſiam illam neceſſariò conſcendere opus erat, aliàs fruſtra laboraret. Hoc vt accepit Rex, tempore deſignato, Montium ſupercilia tranſcendens, ad Baſilicam deuenit, ſed neminem inuenit eremitarum, vno excepto in oratione poſito, nam cæteri, abſoluto conuentu ad propria diſceſſerant.*

Inuenitur.

Lectio VI.

AD *orantem aſcetam* Gundebaldus *acceſſit, & filium inuenit, nec ipſum libuit agnoſcere, quia temporum ſtragis, & vitæ rigoribus fædatus, vix ſui cognitionis exhibebat ſpecimen. Ab eo pater anxius de filio inquirere cæpit, ſed filius patris angustiam reprimere non valens, lachrymarum imbre perfuſus, ab eo miſericordiam humilis expetebat.* Gundebaldus *filium amplexatus in propria reducere regna curabat, ſed* SIGISMVNDI *terrenæ cupiditatis contemptus omnia reſpuebat, donec præcepto paternalis obedientiæ captus, patris veſtigia eſt inſecutus.*

Cum eo in Regnum repedat.

Ex Gregor. Turonenſ.

IGITVR *mortuo* Gundebaldo *Regnum eius* SIGISMVNDVS *eius filius obtinuit, Monaſteriúmque Agaunienſe ſolerti curâ, cum domibus, Baſilicíſque adificauit. Qui perditâ priore coniuge, filiâ Theodorici Regis Italiæ, de qua filium habebat nomine Sigiricum, aliam duxit vxorem; quæ validè contra filium eius, ſicut nouercarum mos eſt, malignari, ac ſcandalizare cæpit. Vnde factum eſt, vt vnâ ſolemnitatum die, cùm puer ſuper eam veſtimenta Matris agnoſceret, commotus felle diceret ad eam:* Non enim eras digna, vt hæc indumenta, tua terga contegerent, quæ Dominæ tuæ, & Matris meæ fuiſſe noſcuntur. *At illa furore ſuccenſa, inſtigat verbis doloris virum ſuum, dicens:* Hic iniquus regnum tuum poſſidere deſiderat, téque interfecto id vſque Italiam dilatare diſponit, ſcilicet, vt regnum, quod auus eius *Theodoricus* Italiæ tenuit, & iſte poſſideat. Scit enim, quòd te viuente, hæc non poteſt adimplere, & niſi tu cadas, ille non ſurget. *His, & huiuſmodi ille incitatus verbis, vxoris iniquæ conſilio vtens, iniquus extitit parricida, nam ſopitum vino, dormire poſt meridiem filium iubet, cui dormienti lorum ſub collo poſitum, ac ſub mento ligatum, trahentibus ad ſe duobus pueris ſuffocatus eſt. Quo facto pater ſerò iam pœnitens, ſuper cadauer exanime ruens, flere cæpit amariſſimè. Ad quem ſenex quidam ſic dixiſſe fertur:* Te (*inquit*) plange amodò, qui per conſilium nequam factus es parricida fæuiſſimus; nam hunc, qui innocens iugulatus eſt, neceſſarium non eſt plangi. *Nihilominus ille ad Sanctos Agaunienſes abiens, per multos dies*

Filium proprium ſuffocat.

Pœnitentiã agit.

in

in fletu, & ieiunijs durans, veniam precabatur, & à Deo Sanctorum interuentu aſsiduo flagitans, vt iuſtus Iudex in hoc potiùs ſeculo, quàm in futuro puniret examine.

QVAM *petitionem clemens, & miſericors Dominus benignè admittens,* Clodomirum *Francorum Regem excitauit, vt bello eum laceſſeret. Itaque* SIGISMVNDVS *audito* Francorum *aduentu, inſtructâ manu, obuiam eis ire decreuit; ſed factum eſt, vt commiſſo iam prælio,* Burgundiones *fugæ præſidio, ſalutem quærere cogerentur.* SIGISMVNDVS *verò, cùm tutelam in ſaltu* Agaunenſi *citato expeteret curſu, à* Clodomiro *captus, atque intra terminum* Aurelianenſis *vrbis productus, cum vxore, & liberis carceri eſt mancipatus. Tunc* Auitus, *qui in* Nutiacenſi *Cœnobio Abbatis fungebatur officio, roganit* Clodomirum, *ne tam excellentis nobilitatis, inſigniſque bonitatis Virum neci traderet.* Si enim (*inquiens*) eorum te ſanguine non cruentaueris, præclaram de hoſtibus victoriam obtinebis. Sin, ſpreto hoc meo conſilio, eos occideris, tu ſimiliter inimicorum tuorum confoſſus gladio, cum vxore, & liberis, turpiter occumbes. *Sed ille auſcultare deſpiciens conſilium eius, ait:* Stultum enim conſilium eſſe puto, vt inimicis domi relictis, contra reliquos eam; eiſque à tergo, hoc à fronte ſurgente, inter duos hoſtium cuneos ruam: ſatius enim, & faciliùs victoria parabitur, ſi vnus ab alio ſeparetur: quo interfecto, facilè, & alius morti poterit deſtinari. *Statímque* SIGISMVNDVM, *vnà cum coniuge, & filijs, in Villa, cui* Columba *nomen eſt, capite cæſum, in puteum proijci iuſſit; de quo poſtmodùm ſubleuatus, atque ad Baſilicam Sanctorum* Agaunienſium *deuectus, digno cum honore ſepultus eſt. Nec ea res impunè cecidit* Clodomiro, *vtpotè, qui* Gondemari, Sigiſmundi *fratris gladio interfectus, eundem vitæ exitum juxta* Auiti Nutiacenſis *Abbatis vaticinium conſequutus eſt. Porrò* SIGISMVNDVS *qui aſsiduo lachrymarum imbre parricidij crimen in vitæ delere conatus fuerat, Sanctorum conſortio poſt mortem dignus eſt habitus; quod crebra eius miracula præclarè teſtantur. Febricitantes quoque, qui ſalutare fideliter pro ſe ſacrificium offerri conſueuerint, continuò ab infirmitatis ſuæ liberantur incommodo.* S. SIGISMVNDI *mors creditur euenisſe* Kalend. Maij, *Anno Domini* D.XXVI. *Eiúſque Reliquiarum Tranſlatio ad Annum* D. CCCC. L. *vel circiter.*

A Clodomiro vincitur.

Occiditur.

In albo Sanctorum reponitur.

EN ACTA integra *S. Regis*, quæ hactenus diminuta circumferuntur, aut ignorantiâ apud Noſtros receſſus, aut incredulitate apud ſuos ſucceſſus. Illa *Cathaloniæ* traditio, vrbis *Vicenſis* officia, & Noſtratium Scriptorum aſſertio patulè produnt. Sed vt Exteris certiori faciamus notitiâ ſatis, ecphraſim de *Inuentione ſacrarum Crucis imaginum* ab ipſo ſanctiſſimo Rege in ſpelunca Montis-ſigni relictarum, & abs *Domenec* exſcriptam, ob oculos ſubijciemus.

Ecphraſis deinuentione Crucis vtriuſque.

INVENTIO SACRARVM IMAGINVM S. Crucis à S. Sigiſmundo relictarum in ſpelunca Montis-ſigni in Cathalonia, ex Domenec.

CVM *S. Princeps* SIGISMVNDVS *ex tugurio Montis-ſigni, quo vitam eremiticam agebat, cum patre* Gundebaldo *in* Burgundiam *ire conſtituit, in Oratorio, vbi pœnitentiam egerat, propè oppidum* Villadrau, *illas duas* Cruces, *aliam, quam* Narbonæ *emerat; alteram, quam proprijs manibus fabricârat, reliquit. Sed temporum reuolutione locus ille oblinioni traditus, vix eius veſtigia vetuſtas reliquerat. Aſt Dei prouidentiâ, ne tanti* Principis *apud Noſtros receſſus obliteraretur memoria, euênit, dum Paſtor quidam, qui boues cuiuſdam agricolæ, cui nomen* Gad, *per illius Montis cacumina depaſcebat, taurum in ſpelæo, quo olim* S. Princeps *occludebatur, quotidie à cæteris ſeparatum intrare, & totos illorum Montium, & Vallium circulos mugitibus adimplere, cognouit. Tantæ nouitatis ſucceſſum demirans Boarius, cùm taurum de*

Reliquit duas Cruces in Oratorio.

Taurusquotidiè illas adorat.

ſpelunca continuis eijcere ictibus contendiſſet, nec tale quid conſequi valeret, ad Rectorem oppidi de Villadrau *accedens, illi totius rei euentum confuſus nouitate recenſuit. Rector ad locum pergens, & proprijs oculis taurum genu flexum depoſitâ ferocitate conſpectans, vrbem* Viccenſem *adiuit, & Epiſcopo totius prodigij negotium, à ſe viſum, breui periodo propalauit. Qui Capituli, & Cleri interueniente conſilio, ſolemnem proceſſionem indixit, qua ad locum conſignatum accedens, taurum adhuc flexis genibus perſiſtentem inuenit. Tunc oratione ad Deum factâ, locum, in quo taurus genua flectebat, effodere iubens, protinus prafata* S. SIGISMVNDI Cruces, *intra rudera pulueris apparnêre, quibus per Epiſcopum extractis, & in altum eleuatis, extemplò taurus diſceſſit, & ad gregem conceſſit. Tum Epiſcopus adoratis* Crucibus, *illas in Eccleſia de* Villadrau, *ſolemni pompâ, & populorum intereſſentium deuotis lachrymis, collocauit. Quas cùm die ſequenti in loco depoſitionis non inueniſſet, alterâ die Parochus iterum in ſpeluncam aſcendit, & illis ibi repertis, in domum agricolæ, cui nomen* Puig, *repoſitis, ad propria receſſit. Sed Dei miniſterio ſanctæ* Cruces *ad antiquum Oratorium reuerſæ, etiamſi ad oppidum* Coldeſtano *allatæ iterum fuiſſent, haud quaquam alibi permanſerunt; donec hiſce miraculis cognitis, & probatis, Epiſcopus* S. SIGISMVNDO *in eodem loco Eccleſiam extruere conſtituit. Quam vt perfecit, ſanctas* Cruces, *cum inſignioribus lipſanis* S. Principis, *&* Martyris, *quæ ex* Gallia *acceperat, in Ara Maiori honorificè collocauit, quarum interuentu plurima Deus hominibus beneficia impartitur.*

Epiſcopus Viccēſis miraculo inſtructus illas inuenit.

In Eccleſia collocat, ſed non perſiſtunt.

Templum erigit, in quo eas reponit.

Hactenus *Domenec*, & *Puiades*, qui tempus huius inuentionis non referunt. Si ergo iam *Luitprandi* æuo tranſlata è *Gallia* pignora erant ſacra, à fortiori ad Annum DCCCC. L. vel circiter, hæc eueniſſe fateri compellimur. Quidquid ſit, fides ſtat apud *Viccenſes* de ſeceſſu S. Principis, de Inuentione vtriuſque ſanctiſſimæ Crucis, & Reliquiarum tranſlatione inſignium, non omnium, nam Caput S. Martyris in Vrbem *Pragenſem* Bohemiæ Metropolim, Carolum IV. Imperatorem tranſtuliſſe, & honorificè collocaſſe, omnium Scriptorum conſtans opinio eſt.

Caput Martyris Regis apud Pragam.

MONS-SIGNI, quem TESBIADEM vocat Luitprandus, & SERRATVM Antonius Vincent. Domenec, & Ieronymus Puiades in locis ſupracitatis, in finibus *Laletanorum* eſt: olim profanis Deorum cultibus dicatus. *Altitudo eius ardua* (vt inquit Ieronym. Paul. *de Montib. Hiſpan. verb.* Serreſus) *& quam eminentes claui, caulésque exaſperant: Nemoroſis internis ornus, fraxus, & huiuſcemodi arboribus inſignitus eſt, ſalientibúſque fontibus irriguus, medicinalium quoque herbarum feracior.* De quo ſic Iacob. Falco *lib.* 1. *Oper. Heroic. Epigram.* 26.

Topographia Montis-ſigni.

Eſt locus inſignis famâ, quem nomine Montem
Serratum *appellant: medio eſt immanis hiatus,*
Qui ſi littoreas intra ſe clauderet vndas,
Ingens portus erat, tantúmque admitteret Euros.
Ipſe ſinus pulchrum latè curuatur in arcum.
Nec ſtructura rudis, ſaxa omnia ſecta videntur,
Mirantúrque oculi formam.

SEXTO

Digitized by Google

SEXTO NONAS MAII.

DIES II.

A. ABVLÆ *vtriusque in Hiſpania, memoria* S. SECVNDI *Epiſcopi, & Martyris, qui cùm primùm* IACOBO, *cuius fuerat Oſtiarius, pòſt Paulo Apoſtolis adhæſiſſet, & illius totam ferè Hiſpaniam in Fidei propagatione pediſſequus inuiſiſſet, & iſtius Græciæ, Ieroſolymæ, & Romæ circulos, poſt Magiſtri obitum, comes inſeparabilis peragraſſet, tandem à B. Petro Apoſtolorum Principe cum alijs Sex Iacobi Diſcipulis Epiſcopus ordinatus, in Hiſpaniam reuerſus, ſic Euangelicæ doctrinæ grana ſeminauit vbique, vt fugatis hæreticorum catibus, illuſis Iudæorum fraudibus, & conſopitis Gentilium erroribus, Chriſti nomen per eum in totius Hiſpanici Orbis ambitu radicitus eluceret, quibus gloriæ victorijs exornatus, & alacer, ad palmam per agonem properauit ſtrenuus.*

B. HISPALI *in Bætica, &* TOLETI *in Carpetania Hiſpaniæ,* S. FELICIS, *iſtius Vrbis Archidiaconi; illius, Martyris; qui poſtquam canones Concilij Illiberitani, aſſiduâ aſſiſtentia feliciter digeſſiſſet, & ad propriam reuerteretur Eccleſiam, grauium poſtmodum negotiorum causâ Hiſpalim aduentans, à Daciano Præſide tentus, ibidem pro Fidei conſtantiâ collum mucroni ſuppoſuit.*

C. ROMÆ *natalis* S. COELESTINI *origine Hiſpani, Bætica Conſularis, qui cùm Chriſto nomen dediſſet, & muneris apicem magno probitatis fœnore ſublimaſſet, Iuliano Apoſtatâ imperante, Romam è Batica dimiſſo miniſterio deueniens, pro Fide captus, & capitali ſententiâ damnatus, tandem in ergaſtulo cum ſocijs fœtore correptus, pugil animam exhalauit inuictus.*

D. In Monaſterio VALLIS-VINARIÆ *Hiſpaniæ, depoſitio* S. ATHANASII *Monachi, qui virtutum ſarcinâ onuſtus, & à Numine miraculorum gloriâ cohoneſtatus, vitam ſingulari parſimoniâ, pluralique humilitate ſic tranſegiſſe dignoſcitur; quòd apud illius Cœnobij Patrum immemorabilem traditionem, pro Magno illo Alexandrino Præ-*

ſule, & acclamatus huc vſque perperam exiſtat, & habitus.

E. Prope Viccum, in VALLE-RIPOLLENSI *Comitatus* OZONÆ *in Cathalonia Hiſpaniæ, Depoſitio* SS. SIMPLICII, & AMBROSII, *Martyrum, quorum ſacra lipſana, in techis occluſa illuſtribus, honorificè ſeruantur, & annuaria feſtiuitate coluntur.*

F. Apud Hiſpanos Commemoratio S. OLIVÆ *Virginis, & Martyris, cuius feſtum hoc die celebrare conſueuit Ordo Fratrum Beatæ* MARIÆ *de Mercede, Redemptionis Captiuorum.*

G. ROMÆ *paſſio* S. THEODOLI *Martyris, cuius ſacra pignora Vrbano VIII. Pont. Max. concedente, apud Alcazarenſe Cœnobium fratrum Excalceatorum SSS. Trinitatis tranſlata, & honeſtâ capsâ recluſa, honorificè ſeruantur, & populi venerationi pateſcunt.*

NOTÆ.

A. *Quâ Vrbe Abulâ Vettonum, an Baſtetanorum Epiſcopum egerit?*

SANCTVS SECVNDVS Epiſcopus, & Martyr.] Grandis exurgit inter *Baſtitanos*, & *Abula-Carpetanos* controuerſiæ Diſquiſitio, circa verum ſitum vrbis *Abulæ*, quâ Epiſcopum, & Martyrem egit S. SECVNDVS. Nam cùm hucuſque, nullo contradicente, pro *Abula-Carpetanâ*, vbi nunc Sedes Epiſcopalis, & dicitur ABILA DEL REY, Scriptorum fides exiſteret; attamen aliorum vetuſtiſſimorum Neoterici ſubnixi ſententiis, in *Baſtitanorum* partes ingreſſi, prorſus omnia Acta præter aliquantulam prædicationem, & poſt multa ſecula tranſlationem, haud quaquam in *Abula-Carpetana* facta, ſed in *Baſtitana Abula* perfecta fatentur. Horum anteſignanus

1. Opinio. *P. Franciſcus Bilches* è Soc. Ieſu Presbyter *Hiſt. SS. Giennenſ. 1. p. c. 11. & 3. p. c. 5. 17. & 18.* (quam proprii Auctoris manuſcriptam abs *D.D. Antonio Calderon* nunquam ſatis laudando accepi) ex *Dextro*, *Luitprando*, & *Iuliano* Noſtris, contendit S. SECVNDVM Epiſcopum fuiſſe in *Abula Baſtitanorum*: Quod vt probet ſequentia

Argum. 1. producit argumenta. 1. Quia ex communi Scriptorum ſententiâ liquet, SEPTEM Sanctos Epiſcopos, inter quos, SECVNDVS; miſſos Româ in *Hiſpaniam* inſulis Epiſcopalibus indutos, à SS. Apoſtolis fuiſſe, vt fidem Catholicam excitatam fouerent, & nondum promulgatam ſpargerent. Item conſtans opinio eſt, ipſos *Hiſpanias* repedantes, ad *Accim* vrbem conceſſiſſe, vbi miraculo pontis demirato, vrbium *litoralium* ſedes elegiſſe, in quibus Euangelicæ doctrinæ grana ſeminare, fidelium cætus erigere, & functionum Epiſcopalium munera obire ſatagerent. Harum ſuppoſitionum veritas eluceſcit, primò ex *S. Iſidori* hymno ab omnibus Scribentibus cumulato, illis carminibus:

Vrbis Romuleæ iam toga candida
Septem *Pontificum deſtina promicat:*
Miſſos Heſperiæ, *quos ab Apoſtolis*
Adſignat fidei priſca relatio.

Et paulò inferiùs:

Poſt hæc Pontificum *chara ſodalitas*

Partitur

Digitized by Google

Partitur properans ſeptem *in* Vrbibus:
Vt diuiſa locis dogmata funderent,
Et ſparſis populos ignibus vrerent.

Secundò ex *Flauij Dextri* ecphraſi in *Chron. Ann.* 43. *&* 44. dicentis: *Sepulto corpore ſacratiſſimi Magiſtri, Torquatus, Theſiphons, Cæcilius, Iſcius,* SECVNDVS *Indaletius, Euphraſius, Romam petunt, & à B. Petro conſecrati* Pontifices, *ad* meridianas Hiſpaniæ *partes, ſcilicet ad* Bæticam litoralem *prædicaturi reuertuntur.* Quod ſi ad *litorales Beticæ* partes prædicatum iuêre Septem Diſcipuli, & SECVNDO obtigit *Abula Meridionalis*, in *Bæticæ litore*, quo pacto *Abulam-Carpetanam*, ſeu *Vettonicam* ſedem illi Mediterraneam, à *Bætica* tantopere ſeparatam, conſignabis?

II. Quia licèt deficeret hæc probationis inſuperabilis ratio, adeſt alia Scriptorum auctoritate fulta, quâ contendunt exprimere vetuſtiores *Chronographi*, ſedem Epiſcopalem SECVNDO fuiſſe ABVLAM in *Baſtetanis*, quæ ad partes *Meridianas*, & *litorales Bæticæ* proculdubio ſubiacet. Huius opinionis Auctores ſunt *Luitprandus*, & *Iulianus*, quorum verba in publicum proferemus, vt huius argumenti ſymbola pateſcant. Ergo ille in *Aduerſar. n.* 96. apud Ramir. *& n.* 80. apud Tamay. hæc verba ſubiungit: *Sanctus* SECVNDVS *I. Epiſcopus* ABVLÆ *in* Baſtetanis. Pòſt *n.* 99. apud Ramir. & *n.* 83. apud Tamay. proſequitur: *Sancti* Septem pontifices *prædicant primò per partes* Meridionales *Hiſpaniæ, vt Acci, Baſtæ, & Malacæ, Illiberiæ, Vrci, Vergiliæ,* ABVLÆ, *Illiturgi. Maior horum pars in* Baſtetanis *eſt, ſcilicet: Vrci, Acci, Illiberi, Vergiliæ, Illiturgi,* ABVLÆ: *in Baſtulis verò Carteiæ prope Calpem vrbem Bæticæ. Sic ſacer hymnus à S. Pontifice Toletano:* *Argum.* II.

Cultus per hos, (inquit) *Heſperiæ finibus*
Indita illuxit fidei gratia præpotens.

Per fines Heſperiæ, *intelligit partes magis* Meridionales *Hiſpaniæ.* Qui poſtmodùm in hac ipſa ABVLA, S. Epiſcopum occubuiſſe fatetur. *Iulianus* verò adſit, qui in *Aduerſar. n.* 374. *fol.* 82. hanc opinionem exaltans, proſequitur. ABVLA *in* Baſtetanis, *ſedes fuit vbi* S. SECVNDVS, *B. Iacobi Zebedæi filij Diſcipulus, prædicat.* Et *n.* 519. *fol.* 121. hanc Prædicatoris ſignificationem extendens, ait: S. SECVNDVS, *S. Iacobi Diſcipulus, Epiſcopus* Abulæ *in* Baſtetanis, *prædicat per Baſtetaniam.* Quibus auctoritatibus liquet S. Epiſcopum non in *Abula-Carpetana*, ſeu *Vettonum*, ſed in *Abula-Baſtetana* Præſulem egiſſe. Cui etiam ſententiæ videtur adhærere P. Biuar. *in Not. ad Maxim. in Addit. Com.* 1. *n.* 5. *fol.* 19.

III. Quia ex opinione Luitprandi *in Aduerſ. n.* 100. apud Ramir. *& n.* 85. apud Tamay. Vettonum ABILA nunquam fuit ſedes Epiſcopalis, niſi poſt Maurorum aduentum. Hæc ſunt *Luitprandi* verba: ABILA *dicta eſt* Luſitanorum *Ciuitas* ABVLA, *vel* ABYLA Baſtetanorum: *& hic fuit Epiſcopus Priſcillianus, in cuius deteſtationem poſt aduentum* Gothorum *deſijt eſſe Sedes, & ad alteram tranſlata eſt, ſcilicet* OBELAM, *vel* ABELAM *in* Vettonibus *in fine* Carpetaniæ, *poſt aduentum Maurorum, & recuperationem* ABILÆ, *ex deceptione nominis facta eſt Sedes Epiſcopalis.* En ex *Diacono Ticinenſi* ſententia, quâ liquet haud quaquam S. SECVNDVM fuiſſe, imò nec exiſtere potuiſſe Epiſcopum ABVLÆ-Vettonum, cùm hæc Vrbs ad Sedem non aſcenderit Epiſcopalem, niſi per errorem, & hoc, tempore Maurorum, poſt ipſius recuperationem. *Argum.* III.

His, & aliis argumentis, quorum ſeriem tranſcribere prolixum erit, ſuam ſententiam diffundere conatur *P. Franciſcus Bilches*, quam & ante eum ruminauit P. Biuar. *in Not. ad Maxim. in Addit. Braulion. Com.* 1. *n.* 5. *fol.* 19. & Nos proculdubio ſequeremur, niſi in contrarium ſtaret *Abulenſis Vettonum* Eccleſiæ traditio, & Scriptorum omnium Hiſpaniæ ſuffragium. Ideóque non obſtabunt argumenta in contrarium, quia licèt à propriâ eruditiſſimi Patris, pro patria, fuerint excogitata affectione, & abs *Luitprandi*, & *Iuliani* delibata ſententiâ; attamen, cùm illa argutiæ inuentio, & iſta Auctorum in *Aduerſarijs* confusè ſcriptitata compareant, facillimè vtriuſque præponderationis ſymbolis reſpondere conabimur. II. *Opinio.*

Reſponſio ad 1. Argumentum.

HINC primæ aſſertionis argumentatio non obſtat, nam eſto, quod *Dexter*, & *Iſidorus* ex interpretatione Luitprandi *d. Aduerſ. 99.* proferant, Sanctos Septem Diſcipulos in Hiſpaniam deueniſſe, vt Vrbes *Meridionales Hiſpaniæ*, & *litorales Bæticæ* perluſtraſſe, non ex hoc conuincitur, illos alibi Euangelij ſemina non iecisſe, quia per hoc proculdubio remaneret poteſtas, Septem Epiſcopis conceſſa à SS. Apoſtolis, intercluſa, ideò non eſt veroſimile Apoſtolum Petrum illos ad reſtrictas *Litorales Bæticæ* vrbes prædicatum dimiſiſſe, nec tale quid ex hymno patet Muzarabi, quin potiùs contrarium, cùm dicat:

Per hos Heſperiæ *finibus indita*
Illuxit fidei gratia præcox.

Nam ſi per eos *Hiſpaniæ* termini agnouêre gratiam fidei, ergo non in *Litoralibus* tantùm *Bæticæ* plagis ſteterunt. Benè verum eſt, & ego concederem, ipſos primò prædicauiſſe in illis Regionibus *Litoralibus Bæticæ*, non quia ipſi ad eas, ſpeciali Apoſtolorum decreto, fuiſſent directi, ſed quia ſoluentes ad mare illud Mediterraneũ, & ad *Accim* vrbem accedentes, miraculo pontis diſrupti allecti, ex tunc per illius oras Euangelij grana diffundere, & Chriſti nomẽ prædicare, arrepta occaſione miraculi, cœpêre. Et patet in S. SECVNDO Noſtro, quem etiam Prædicatoris munere *Carpetaniam*, ABVLAM vſque noſtram *Vettonum* perluſtraſſe fatentur ipſiſſimi *Luitprandus*, & *Iulianus*: Ille *n. 99. Aduerſar.* his verbis: *Inde* S. SECVNDVS *idem* (loquitur de Diſcipulo Iacobi) *diſcurrens per* Hiſpanias *in* Luſitania *prædicat, vrbe* ABILA, *vbi paſſi ſunt S. Vincentius, & Sorores.* Iſte in *Aduerſ. n.* 404. En (ſecundùm ipſos Scriptores) prædicatio SECVNDI extra *litorales Bæticæ* vrbes, ergo hoc argumentationis primæ ſpecimen nihil ponit in eſſe, vt ab antiqua traditione circa Epiſcopatum Noſtri Martyris apud ABVLAM *Vettonum* faciliter recedamus.

Reſponſio ad 11. Argumentum.

NEC me mouent ſecundæ argumentationis auctoritates ex *Luitprando*, & *Iuliano* Noſtris adductæ, quorum & ſi apud me, & apud eruditos ſummæ exiſtimationis habeantur, attamen illorum verba cum *epicheia* ſumenda ſunt, ita vt diſtinctionis pondere penſata, quid in opere perfecto, quid in imperfecto dixerit vnuſquiſque, prudentialiter attendatur. Nullus eorum in *Chronicis*, quæ opera ſunt perfectiſſima, verbum aliquod circa Epiſcopatum S. SECVNDI in *Baſtetania* recenſuit, quinimò *Iulianus*, qui frequentiùs in *Aduerſarijs*, opere imperfecto, vtitur hac opinione, de Epiſcopatu Noſtri ſanctiſſimi Præſulis extra ABVLAM-*Carpetanam*, in *Chron. n.* 186. *fol.* 47. agens de Sede Priſcilliani, ſubdubitat, quâ ex tribus ABVLIS *Bæticæ*, *Luſitaniæ*, aut *Vaccæorum* pedem fixerit, & addit: *Multi credunt in* Bætica, *vbi* S. SECVNDVS *primus illius Vrbis Epiſcopus* dicitur *prædicaſſe.* DICITVR, ait *Iulianus*, non ex propriâ ſententiâ, ſed ex aliorum relatione; & optimè, quia cùm probatam non haberet illorum opinationem, contra communis aſſenſus placitum, licet in *Aduerſariorum* embolio varias congereret ad memoriam notulas, haudquaquam voluit illorum dicteriis vti. Et vt perpendas, quanto circa ſitum ABVLÆ varietatis inuolucro in *Aduerſarijs* pererret, illum auſculta *n.* 374. *fol.* 82. ſic: ABVLA *in* Baſtetanis *non procul Salaria, nec Biguerra, quæ & hoc tempore Salobral, nunc Beneſeruata.* Et *n.* 375. proſequitur: *Sunt qui putent ad* Bonillum *eſſe* ABVLAM. Et *n.* 376. aſſerit: *Nec deſunt qui putent* ABVLAM *eſſe* Chinchillam. Et *n.* 338. *fol.* 75. ſcriptum reliquerat: ABVLA *in* Baſtetanis, *quæ nunc* Bilches *nominatur.* Ex his deprehendes horum *Aduerſariorum* varietates, quas *Iulianus* ruminans, omnes prorſus conſultò in Chronico reſpuit, quia in illis ſubſiſtentiam non inuenit.

FERE ſimiles in *Luitprando* perſcrutaberis errores, ſi eius *Aduerſaria* circa hoc euoluis; nam ABVLÆ ſitum etiam deſcribere ſatagens *Baſtetanorum, n.* 96. illam, vbi nunc *Villa-Gurda* iacet, ſitam refert. Et *n.* 100. ABVLAS *Luſitanorum*, & *Baſtetanorum* confundit. Et *n.* 290. non procul à *Turbula* collocat. Sed & vtriuſque Scriptoris *Aduerſaria* aduerſantia contuêre. Luitprandus *d. n.* 96. agens de martyrio Noſtri Præſulis ſubdit: *Inde Sanctus idem diſcurrens per* Hiſpanias *in* Luſitania *prædicat, vrbe* ABILA, *vbi paſſi ſunt S. Vincentius, & Sorores, ibique martyrium patitur, & eius* Corpus *mirâ Muzarabum cuſtodiâ ſeruatur in ruinis Vrbis.* Eadem duplicat

plicat *n.* 99. & 101. *Iulianus* de eadem re *n.* 374. iſta confarcinat: ABVLA *in* Baſtetanis *non procul* Biguerra, *Sedes fuit vbi* S. SECVNDVS *B. Iacobi, Zebedæi filij, Diſcipulus* Kal. Februar. *paſſus eſt, Anno* 11. *Neronis. Tranſlatum eius* Corpus *ad alteram* ABVLAM *recentiorem.* Vides in vtroque aduerſantia? Cognouiſti *Aduerſariorum* vtriuſque deliria? Specta pauliſper, & adhuc in *Iuliano* pugnantes textus deride: Is *n.* 404. de eadem paſſione agens, hæc verba ſubnectit: S. SECVNDVS *prædicat in vtraque* ABVLA *Vacceorum* (ſic in MSS. correctioribus *P. Higuera., D. D. Laurentij Ramirez Noſtri*, & aliorum) *& Baſtetanorum*; MORITVR *in altera.* Qualis altera? *Vettonum.* Nam ipſemet *Iulianus* TRES huius nominis ABVLAS enumerat in *Aduerſar. n.* 513. *fol.* 120. hac ſerie: ABILAM *in* Baſtetanis *ponit Ptolomæus*, & ABILAM *in* Vettonibus, *&* ABILAM *in fine* Vacceorum. Prout & dixerat *in Chron. n.* 186. dubitans in qua ex ABVLIS Priſcillianus Epiſcopum egerit, & proſequitur: *Dubium an in* Luſitania (eadem ac Vettonia) *an in* Vaccæis, *an in* Bætica, *hæc* ABVLA *fuerit.* Ecce locum contrarium *Iuliani* circa paſſionem SECVNDI. In primo, ſcilicet *n.* 374. refert occiſum in *Baſtetania*; hîc, id eſt *n.* 404. in *Vettonia*, ſiue *Luſitania.* Nec hîc meta. Circa *Tranſlationem* adhuc diuerſitas in ipſo. Iam legiſti ex *n.* 374. tranſlatum Corpus ex *Baſtetania*, in alteram ABVLAM recentiorem, hoc eſt *Vettonum*: auſculta nunc *d. n.* 513. *Aduerſ. fol.* 120. Archipresbyterum dubitantem: *In hac poſtrema* ABVLA, *quæ Interamnium dicta eſt, paſſi ſunt SS. Fratres Vincentius, & Sorores, quo* Tranſlatum *eſſe* CREDITVR *Corpus* S. SECVNDI *Epiſcopi, & Martyris.* Cùm primò affirmatiuè hanc *Tranſlationem* recenſuiſſet.

HISCE ergo contradictionibus, & diſſimilitudinibus *Luitprandi*, & *Iuliani* in *Aduerſarijs*, quoad hoc, implicatas auctoritates, quis prudens, & amator veritatis inſequetur Scriptor, explosâ *Abulenſis Sedis* traditione, tot ſeculis cumulatâ, & exclusâ omnium ferè Noſtrorum Scribentium ſententiâ, tot vetuſtiſſimis ſymbolis comprobatâ? Abſit ab homine doctiſſimo errantium *Aduerſariorum* ſequela, & obſequela. Rationi pareat affectio, & licet natiuitatis ſtimulus patriam illuſtrare deſideret, iſthæc fortunæ ſubiaceat euentibus; non ergo ſubſiſtat erroribus, maximè contra antiquam rei euidentiam, & communem exiſtentiæ veritatem.

MINVS in Tertia argumentationis inſtantia hæreo, quia futilis, & deſperata dilabitur. Hæc probare conatur ex auctoritate *Luitprandi* ABVLAM in finibus *Carpetanorum*, quæ eadem ac *Vettonum*, ſiue *Luſitanorum*, nunquam fuiſſe Sedem Epiſcopalem, niſi poſt Maurorum aduentum ex deceptione nominis. Cedo. Ergo Priſcillianus, & alij Antiſtites, qui Toletanis Synodis Gothorum tempore interfuêre, à Sede *Abulenſi Baſtetaniæ* deuenêre? Patet. Quia ſi nulla fuit alia Sedes *Abulenſis*, niſi *Baſtetana*, ergo illius à fortiori debuerunt eſſe Præſules. Quid in hoc dubio *Luitprandus?* Ipſe de ſe teſtimonium perhibeat, in *d. n.* 100. in argumento allegatum: ABYLA *Baſtetanorum*; *& hîc finit Epiſcopus Priſcillianus, in cuius deteſtationem poſt aduentum Gothorum deſijt eſſe Sedes, & ad alteram tranſlata eſt, ſcilicet* Obelam, *vel* Abelam *in* Vettonibus, *in fine* Carpetaniæ. En ex hoc textu in contrarium allato probatur, tempore Gothorum, *Baſtetanorum* ABVLAM ſolo æquatam, ob deteſtationem Priſcilliani, & ad aliam *Vettonum* tranſlatam Sedem, prout & dixerat Iulianus *Aduerſ. n.* 375. *fol.* 83. agens de ABVLA Baſtetanâ, hac clauſula: *Huius* ABVLÆ *fuit Epiſcopus Priſcillianus Hæreſiarcha, & errore à Gothis tranſlata eſt Sedes ad alteram* ABILAM. Ergo perperam à *Luitprando* aſſeritur fuiſſe tranſlatam Sedem poſt aduentum Maurorum, & niſi hoc tempore non accepiſſe inſulas Epiſcopales ABVLAM Vettonum. Quod ſi ſic euenit, iam *Luitprandi* ecphraſis in hac parte eneruatur, & dubia remanet; cui non erit cur impoſterum inhæreamus.

Reſponſio ad III. *Argumentum.*

HINC etiam conuincitur *Diaconi Ticinenſis* relatio, quia ſi hæc veritate niteretur, proculdubio tempore *Gothorum* nulla eſſet ABVLÆ Sedes Epiſcopalis; nam ſi in ingreſſu eorum ob Priſcilliani deteſtationem *Baſtetana* ſolo æquata eſt, nec erecta vſque ad excidium *Hiſpaniæ*, & tunc quando reparata eſt *Vettonica*, quam Sedem per errorem nominis erexêre, liquidò patet, nullam extitiſſe Sedem *Abulenſem*, nec *Baſtetanam*, quia ſolo æquatam; nec *Vettonicam*, quia nondum erat

Digitized by Google

tempore *Gothorum*. Hoc eſt falſum, vt patet ex *Concilijs Hiſpaniæ*, quibus ab Anno DC. X. ad Annum DC. XCIII. Epiſcopi *Abulenſes* interfuere; ergo & illud.

ITEM quia ſi verum eſt quod inquit P. Biuar. *in Not. ad M. Maxim. in Addit. n. 5. fol.* 20. quod ABVLA *Vettonum* fuit Sedes ab exordio naſcentis Eccleſiæ, *Emeritenſi* Metropoli ſuffraganea, vt ex diuiſione ſub *Conſtantino* facta, & ab *Vvambane* Rege reſtituta liquet, per hæc verba: ABVLA *teneat de Petra, vſque ad Villam; de Viaſto vſque Terrere*; & hæc loca ex interpretatione Iuliani *in Aduerſ. n.* 225. *fol.* 50. ſint intra terminos ABVLÆ *Vettonum*, & non Baſtetanorum, ergo aſſerere compellimur ex relatâ diuiſione *Conſtantini*, & *Vvambanis*, ABVLAM Sede Epiſcopali decoratam, non *Baſtetanam* fuiſſe, ſed *Vettonicam*: cùm contra rationis morem eſſet, quod Eccleſiæ Sedes in *Batica* exiſteret, & diœceſis termini in *Vettonia*, tot milliaribus paſſuum, & aliis diœceſibus interpoſitis, ſeparati. Et conuincitur, quia in vtraque diuiſione ſemper ABVLA ſubſit *Emeritenſi* Metropoli, & in eius relatione Sedium, ABVLA iuxta *Cauriam* deſcribitur, longè à *Baſtetanorum* finibus diſſitam: ergo perperam *Luitprandi Aduerſariorum* atteſtatione allectus doctiſſimus Vir Sedem hanc S. SECVNDI ex verâ *Vettonum* ABVLA, ad ſuam, *Baſtetanorum*que tranſmutare, conatur eruere.

Alia aduerſantium inſtantia.

NEC me mouet inſtantia *P. Bilches*, & *P. Biuarij d. fol.* 19. & aliorum, quâ contendunt, & perperam, ABVLENSEM Sedem fuiſſe apud *Baſtetanos*, hoc argumento. Priſcillianus erat Epiſcopus *Abulenſis*, iſte corrupit *Inſtantium*, & *Saluianum* Epiſcopos prope *Cordubam* agentes, nam *è vicino*, illorum perfidiam agnouit *Hyginius Cordubenſis* Epiſcopus, vt fatetur Seuerus Sulpitius *lib.* 2. *Hiſtor. Sacr.* ergo ABVLA, quâ Epiſcopum agebat Priſcillianus, iuxta diœceſes Sedium *Inſtantij*, & *Saluiani* erat, quos omnes *Hyginius* Cordubenſis detexit, ſi ergo erat, igitur in *Batica*. Hæc ſumma argumenti eſt. Sed proculdubio falluntur, nam tempore quo Priſcillianus Inſtantium, & Saluianum hæreſi maculauit, nondum ad Præſulatus apicem aduenerat, vt ex ipſo *Seuero* pateſcit, cùm aſſerat, poſt damnationem hæreticorum in Cæſarauguſtana Synodo factam: *Interim* Inſtantius, & Saluianus, *damnati iudicio Sacerdotum* Priſcillianum *etiam* laïcum, *ſed principem malorum omnium, vnà ſecum Cæſarauguſtanâ Synodo notatum, ad confirmandas vires ſuas*, Epiſcopum *in* Abilenſi *oppido conſtituunt*. Si ergo ex ipſo *Seuero* à damnatis Epiſcopis poſt propalationem *Hyginij*, & Synodi damnationem, conſtitutus fuit Priſcillianus Epiſcopus *Abilenſis*; igitur fallit ratio argumentationis, cùm ſuper aſſignatione Sedis nondum adeptæ, conſiſtat.

Reſpondetur 1.

Reſpondetur 11.

MINVS probatur inſtantia, ex *vicinitate*, quâ *Hyginius* cognouit Inſtantij, Saluiani, & Priſcilliani nequitiam, quia eo quod illorum cauſam ad *Idatium Emeritenſem* Epiſcopum dimiſit, dubio procul cognouit, illos ſub *Emeritenſis* Metropolitæ ferula plectendos, cùm ſuæ eſſe iuriſdictionis comperiret. Contra ius enim eſſet alienæ iuriſdictionis reos, ad tribunal extraneum dimittere, proprio iudice deſpecto: Imò & contra Canonum decreta, *Emeritenſem* Metropolitam alienos ſuffraganeos punire, vt & fecit *Idatius*, licèt præpoſterè, non ſine iuriſdictione. *Seuerum* iterum audiamus: *Iámque paulatim perfidiæ iſtius tabes pleraque* Hiſpaniæ *peruaſerat, inter quos* Inſtantius, & Saluianus *Priſcillianum non ſolùm conſenſione, ſed ſub quadam etiam coniuratione, ſuſceperant. Quo* Hyginius *Epiſcopus* Cordubenſis, *ex vicino agens, comperto, ad* Idatium Emeritæ *Ciuitatis Sacerdotem refert. Is verò ſine modo, & vltra quam oportuit*, Inſtantium, *ſociósque eius laceſſens, facem quandam naſcenti incendio ſubdidit; vt exaſperauerit malos potiùs quàm compreſſerit.* Ecce hæreticos ad ſuum metropolitam *Emeritenſem* remiſſos, & ab eo punitos, ergo potiùs ex hoc iuriſdictionis exercitio, Epiſcopi *Luſitaniæ*, ſeu *Vettoniæ* cenſendi erunt, quàm ex ſola cognitione ex *Hyginij Cordubenſis* vicinitate *Batici*; nam cum iam per *Hiſpaniæ* pleraque loca peruaſerat tabes, quid prohibet, vt *Cordubam* vſque non pertingeret, & à criminis reis coniurationem, & auctores ediſceret?

Priſcillianus fuit Pſeudo-Epiſcopus Abulenſis.

NEC ABVLÆ noſtræ officit, Priſcilliani perfida hæreſis, tum quia nubecula Solis lucem maculare non valet, tùm quia infulas Sedis canonicè non recepit, vt innuit *Sulpitius*; ideò nequaquam *Abulenſis* erit nominandus Antiſtes. Quibus diſcuſſis, & *Abulâ* Noſtra ab his contrariis opinationibus vindicatâ, & in ſuam

Sedem

Digitized by Google

Sedem reſtitutâ, venio ad ACTA quæ ex variis Scriptoribus colligemus.

ACTA S. SECVNDI ABVLENSIS Epiſcopi & Martyris ex Lectionibus, Dextro, & alijs Scriptor.

SECVNDVS, *quem alij* Hiſpanum *origine, alij* Græcum *conſtituunt, fuit primò* S. IACOBI *Hiſpaniarum Apoſtoli Diſcipulus, cuius veſtigia* Oſtiarij *ordine cumulatus inſequens, vnus ex Duodecim Occidentis circulos inuiſit, eius vrbes peragrauit, & demùm iterum cum Apoſtolo Ieroſolymam repedauit, quâ neci Magiſtri interfuit, & cum ſocijs eius ſanctiſſimum Corpus noctu Dei diſpenſatione ſurripiens, in Ioppem Angeli miniſterio perducens, in naui collocans, ſine remige in* Hiſpaniam *ad* Iriæ-Flauiæ *portum cum felici ſarcinâ ſoluens, aduentauit. Extractis quippe è cymba ſacris pignoribus, locum ſepulturæ quærens, & abs* Luparia *territorij Dominâ ſæpiùs illuſus, ſed Dei prouidentiâ, periculis deuictis, tandem & irata fœmina duritiem molliuit, & locum tumulo ſplendidum adinuenit, quo, adſtantibus Diſcipulis Apoſtoli omnibus, ſacra ipſius condita ſunt. His ſic peractis, & Apoſtolico cadauere tumulato, Diſcipuli, qui Sedem in* Hiſpaniis *habebant, ad ſuas paſcendas oues digreſſi,* SECVNDVS, *& alij* Sex Diſcipuli, *nondum infulâ Epiſcopali inſigniti, Romam petunt, qui Petro Apoſtolorum Principi quidquid in* Hiſpania *euenerat, retulerunt. Ab eo etenim ordinati Pontifices, & iterum ad* Hiſpaniæ *prouincias dimiſſi, proſperam nauigationem, fauente Deo, perhabentes,* Accim Bæticæ *vrbem appulêre. Cúmque ipſorum aliqui feſſi ex itinere, propè vrbis mœnia quieſcerent, alij vrbem ad emendum cibum ingreſſi ſunt: Sed eos multitudo infidelium, qui feſtum Deorum ſuorum diem peragebant, extra vrbem eiecit, factóque impetu, ad fluuium vſque perſecuta eſt: in flumine erat pons miræ magnitudinis, & firmitatis, qui infidelium caternis occupatus, Dei nutu, præceps cum Ethnicis inſidiantibus corruens, illis ruinam, alijs remedium feliciter maturauit. Nam miraculo perterriti cæteri, imitati* Lupariam *alterius* Gallæcianæ *filiam, Senatricem, & magnæ auctoritatis fœminam, quæ diuino inſtinctu, Sanctos Dei benignè exceperat, & adiculam extruxerat, idola reſpuentes, in Chriſtum credidêre felices. Tunc diuiſis* Hiſpaniæ *plagis,* SECVNDO, *poſt prædicationem in illis partibus litoralibus, obtigit* ABVLA Vettonum, *quâ multos vitæ exemplo, & prædicatione per Euangelium Deo genuit.*

Origo.

Diſcipulus S. Iacobi.

Corpus Apoſtoli in Hiſpaniam defert.

Romam cõtendit.

Epiſcopus ordinatus Hiſpaniam repedat.

Miraculũ pontis Acci.

Illi comigit Abula, vbi prædicat, & alibi.

CVM *igitur S. Pontifex per aliquot annos* Abulenſem *rexiſſet Eccleſiam, Dei inſpiratione commotus,* Orientem, *commiſſis Vicario fideliſſimo ouibus, transfretare conſtituit, vt* Paulo *Gentium Prædicatori in miſſionibus Apoſtolicis deſeruiret. Tandem cum* Theſſalonicam *Macedoniæ vrbem, quam B. Apoſtolus perluſtrabat, accederet, ab eo benignè exceptus, fuit inter ſuos commilitones in Euangelio protinus deſignatus. Poſt Apoſtoli veſtigia ſequens, Athenas, Corinthum, Epheſum, Cæſariam, Antiochiam, Galatiam, & Phœniciam perluſtrauit, & licet de* SECVNDO *nominatim nihil apud* Lucam, *veriſimile eſt, noſtrum Antiſtitem, eoſdem ferè labores ſuſtuliſſe, ac Apoſtolum, tanquam ipſius comitem indiuiduum. Hinc credi ſine ſcrupulo poterit,* SECVNDVM *magnam in conuerſione Dionyſij Areopagitæ, & aliorum apud Athenas, partem habuiſſe. Hinc Iudæorum inuidiam, Paganorum moleſtiam, & aliorum peruerſorum hominum perſecutiones pertuliſſe credendum eſt. Sed cùm tunc temporis ad* Pauli *Apoſtoli peruenijſſet auditum, ſerpentem in* Hiſpaniæ *circulis aduerſus Chriſti membra Neronis Imperatoris ſæuitiam, quâ radicitùs vrbes accolis orbatæ fidelibus, vltimam depopulationem expectabant: Apoſtolus illam ſuâ præſentiâ confouere decernens, viæ aditum incipere deſtinauit, cùm Ieroſolymis carcere præpeditus, ne hactenus differretur ſubuentio,* SECVNDVM, *vt ſuo nomine* Hiſpaniæ *Eccleſias inuiſeret, datis literis, prout Presbyteris Epheſij, feſtinâ celeritate direxit. Ergo Vale dicto, Magiſtro, S. Pontifex in* Hiſpanias *veniens, propriam Eccleſiam viſitans, oues roborans, plurimos ad fidem conuertens,*

Multa patitur in Oriente.

Pauli commiſſione in Hiſpanias reuertitur.

Digitized by Google

uertens, cognitâ perſecutionis procellâ apud Bæticos, quos, martyrio Teſiphontis, Euphraſij, & Cæcilij, in periculo reſipiſcentiæ conſtitutos agnouit, illuc accedere, fideles verbo, & opere ſolidare diſponens, totius Bæticæ plagam aſſiduis laboribus exantlauit. Quatuor annos fere in huius miſſionis itinere exegit, quibus B. Præſul ſeſe ad totius perſecutionis anguſtias exhibens, fidei cauſam ſolidauit intrepidus, martyres ad palmas roborauit inuictus, debiles ad coronam excitauit indulgens, & cruciatuum timore deficientes eloquens reuocabat ad brauium.

Catholicam fidem tuetur.

Pauli aduentum agnoſcit.

POST *hæc, tranſactis aliquot annis,* Paulus *è carcere liber, in* Hiſpanias, *vt promiſſionem diù decantatam expleret, valido fidelium proficiſcitur comitatu, cuius aduentum* SECVNDVS, *eius vices gerens, agnoſcens, protinus mirâ ſpiritus alacritate ad Magiſtri occurſum perrexit; cui de toto Chriſtianæ Religionis negotio rationem reddidit, & minutatim perſecutionũ anguſtias; Gentilium ſæuitias; Iudæorum rabies; & fidelium conſtantias fideliter enarrauit. His Apoſtolus monitis edoctus, ducem pro itinere* SECVNDVM *eligens, totius* Hiſpaniæ *Eccleſias perluſtrauit, inuiſit, & fouit; & itinere expleto, in Orientem reuerſus, S. Præſulem in* Hiſpania, *vt propryis ouibus ſalutaria dogmata, & populo Chriſtiano aſſidua in fide porrigeret auxilia, perhumaniter dereliquit. Tunc* SECVNDVS *iterum* Hiſpaniæ *Eccleſias viſitare decernens,* Iulium *eius* Coëpiſcopum *in propria Sede relinquens, vt pro eo muneri ſatisfaceret, iter aggreſſus, totius regionis vrbes inuiſit, doctrinis firmauit, & verbo, & opere roborauit. Tot S. Præſulis trophæa ſerpentis antiqui profundiùs excitarunt inuidiam, qui vt B. Virum à cæpto itinere reuocaret, intra ſuæ diœceſis limina, improborum hominum inſolentiam, ſic funditùs excitauit, vt plenè lapſum* Iulium *Coëpiſcopum, eorum machinatione, teneret. De his* SECVNDVS *certior factus diabolicis technis, illicò, dimiſſo viſitationis itinere, propriam repedauit Eccleſiam, quam ſuâ præſentiâ recreauit, &* Iulium *Coëpiſcopum nequiſſimorum hominum corruptelis vacillantem, in fidei robore firmauit, & totius diœceſis accolas ad Euangelicæ veritatis, expulſis erroribus, confeſſionem attraxit. Quo opere perfecto, cùm virus illius deceptionis, non ſolùm oues ſuas, ſed Toletanæ diœceſis accolas, vnà cum eius Epiſcopo* Iuliano *infeliciter maculaſſe cognoſceret,* Carpetaniam *ingrediens, & illius regionis populos edocens, omnes, & eius Præſulem ad antiquæ religionis Catholicæ profeſſionem reduxit. Quos ergo in hoc pertulerit labores non liquet: credibile eſt, duriores ſuſtinuiſſe, prout in relatis itinerum ambagibus; nam ille ex primis fuit* IACOBI *Noſtri Diſcipulis, & vltimus in paſſione. Ille Eccleſiæ exordia tot reuolutionibus, & calamitatibus expoſita colluſtrauit. Ille Neronis, Domitiani, & Trajani perſecutionum ſtrages inuiſit. Ille Othonis, Galbæ, & Vitellij imperia tot tumultibus obuoluta conſpexit. Ille Iudæorum nequitiam, hæreticorum inſidias, & Gentilium ferociam, per ferè ſæculum, quo cum illis viriliter eſt congreſſus, eluſit. Ille in peregrinationum anfractibus, in prædicationum periculis, in fidelium ſubuentionibus, & in fratrum admonitionibus proculdubio pondus diei, & æſtus ſuſtulit; nam Sexaginta & Quatuor annos in Chriſti obſequio conſumpſit, Octo in Ordinum minorum exercitio, Quinquaginta ſex in Sacerdotio, & munere Epiſcopali. Huius temporis maior pars intra ſuæ diœceſis limites cum grege proprio exacta eſt. Demum cùm iam centeſimum ætatis annum attingeret, coronam à Domino percipere promeruit; & ideò dum in eius Eccleſia* Abulenſi, *quietâ ſenectute, diſſolui cuperet, & eſſe cum Chriſto, Trajanicæ perſecutionis procellâ tentus, & carceri mancipatus, per varios cruciatus in gloriam repromiſſionis centenâ coronâ redimitus intrauit die* 11. Maij, *Anno Domini* C. *Imperante* Trajano, *& Sedem Petri moderante* Clemente. *Eius ſacrum* Corpus *à fidelibus tumulatum, diù delituit, donec Anno Domini* M. D. XIX. *repertum eſt, imperante* Carolo V. *Hiſpaniarum Rege Catholico, & non ſine Dei prouidentiâ factum, quia ſi tempore* Trajani *Imperatoris Hiſpani* SECVNDVS *patiebatur in Vrbe; ſæculo* Caroli *Imperatoris Hiſpani Pontifex Vrbis exaltaretur in Orbe.*

Illi de Hiſpana Eccleſiarationem reddit.

Iuliũ Coëpiſcopũ nominat.

Illum in fide vacillantem roborat.

Carpetanos itidẽ ab errore reuocat.

Vltimus Diſcipulorum Iacobi Martyr.

Pro fide capitur.

Coronatur.

Inuẽtio eius pignorum.

Hactenus ACTA, quorum probationem ſubijcere in votis eſt. Sed vt methodo & regulâ procedamus, operæ pretium erit, illas ſuis numeris coagulemus. PRIMVS

qui

Digitized by Google

qui in qualitate Discipulatus S. Iacobi consistit, licèt trita probatio sit, *Dextri*, & aliorum verba subscribere non grauabor. Ait ille in *Chron. Ann.* 37. agens de Hispaniarum Apostolo: *Multos etiam Discipulos, præcipuos autem numero Duodecim, more Apostolico in* Hispaniam *secum portat*; *scilicet Episcopos Basilium, Pium, Athanasium. Maximum, Chrysogonum Presbyteros. Theodorum, Cæcilium, Thesiphontem, Iscium, Calocerum Lectores. Torquatum Exorcistam. Et* Secvndvm, *Indaletium, Euphrasium Ostiarios.* Quem secutus *Aulus Halus* meus, de Aduent. S. Iacob. *vers.* 43. *fol.* 10. ait: *Discipulatus Iacobi, & Ostiarij ordo probatur.*

Moreque Apostolico Duodeno cingitur almo
Concomitum choro; quos planè mystice sacrat
Ecclesia Officijs, &c.
Euphrasio, Indaletio nunc, simul atque Secvndo
Ecclesiæ commendat amans tunc tempore claues.

De quo videndi quotquot de S. Iacobo Nostro scripsêre, apud quos ad manum Auctores.

Secvndvs, qui ad relationem reditus Ierosolymam, vsque ad sepulturam Apostoli, conducit: Videndi Dexter *in Chron. Ann.* 42. vbi P. Biu. *n.* 1. *fol.* 87. & alij ab eo relati. *Eius aduentus in Hispaniam cum Corpore Magistri.*

Tertivs, qui in profectione Romam ad *Petrum*, vt de fidei negotiis, & sepultura Apostoli rationem redderet, vsque ad miraculum pontis *Accitani*, & sociorum dispersionem ad fidem prædicandam; Audi *S. Isidorum* Nostrum in hymno *Muzarabi*. *Eius ab Apostolis in Episcopum consecratio.*

Vrbis Romuleæ iam toga candida
Septem *Pontificum destina præmicat:*
Missos Hesperiæ, *quos ab Apostolis*
Adsignat fidei prisca relatio.
Hi sunt perspicui luminis indices,
Torquatus, Thesiphons, atquoque Iscius,
Hinc Indaletius, siue Cæcilius,
Iuncti Euphrasio, Secvndóque *sunt.*

Pòst sequitur Pontis ruina, cuius carmina *infra die XV. huius Mensis* dabimus. Interim videsis Moralium, Truxillo, Marietam, Marianam, Villegam, & alios à Biuar. *ad Dextr. Ann.* 43. *n.* 1. *fol.* 92. & *Ann.* 44. *n.* 1. *fol.* 44. relatos.

Qvartvs, qui ad transitum ab *Hispaniâ in Græciam*, vbi adhæret *Paulo Apostolo*, spectat: Iulianum in *Aduersar. n.* 519. *fol.* 121. ausculta: *Inde* (S. Secvndvs) *petit* Græciam, *sequitur*, *post* S. Iacobvm, *S. Paulum*, *ad* Hispaniam *euntem.* P. Biuar. *ad Dextr. Ann.* 52. *n.* 1. *fol.* 106. dubius de prædicatione Secvndi, causam quærit, cur eius non meminerit *Flau. Dexter*, & ait: *Quòd his annis* S. Secvndvs *erat absens ab* Hispania, *vtpotè* S. Paulo *comes factus suarum peregrinationum*; *nam* Actor. c. 20. *inter alios Discipulos, qui* Paulum *comitantur per totam* Græciam, *& vsque* Ierosolymas, & Romam, *recensetur* Secvndvs. Ecce *Biuarij* coniectatio per *Iuliani* relationem probata, quam primò dixerat Ariz Hist. *Abul.* 1. *p. c.* 1. §. 8. *fol.* 18. *Ipsius ex Hispania in Græciam profectio.*

Qvintvs, qui in reditu ex *Oriente in Hispanias* iussu *Pauli* consistit: Luitprandum in *Aduersar. n.* 98. apud Ramir. *& n.* 82. apud Tamay. audi: *Relicto Ierosolymis alligato Paulo*, eius iussu, S. Secvndvs *Episcopus Abulensis ad Hispanias rediens vtramque inuisit Abulam.*

Cætera communia sunt, nam quatenus ad *Annum martyrij*, illum consignat Dexter *Ann.* 100. imperante Trajano, de *Die*, Martyrolog. Roman. sic: Abvlæ *in Hispania* S. Secvndi *Episcopi*, *de quo infra* Idibus Maij *cum alijs*, *agitur.* De *Vrbe* quâ martyrio coronatur, Luitprandus *Aduersar. n.* 96. ista præloquitur: *Inde* *Quo die, & Anno martyrium expleuit.*

Sanctus

Digitized by Google

Sanctus idem diſcurrens per Hiſpanias, *in* Luſitania *prædicat in vrbe* ABVLA, *vbi paſſi ſunt* S. Vincentius *& Sorores: IBIque martyrium patitur, & eius Corpus mira*

Qua in Vrbe? *Muzarabum cuſtodia ſeruatur in ruinis vrbis.* Nunc nota epitaphium eius ſarcophago appoſitum.

Præſulis hic tumulus ſacri tenet oſſa SECVNDI,
Vrbi qui proſper nomine, réque fuit.
Miſſus ad Heſperios *natorum munere Chriſti,*
Noſtræ Vrbis primus paſcere cœpit oues.
Semina nec petris timuit mandare SECVNDVS,
Vocéque perdomuit ferrea corda patrum.
Præmia retribuit tanto Deus apta labori,
Plebs quoque feſtinat reddere grata vicem.
Nam quia de ſaxis virtutis germina prompſit,
De hoc morbis ſaxo nunc medicina fluit.
Marmore præterea tegitur, qui marmora vicit,
Æternúmque ABVLA *Paſtor habebit opus.*

Circa *Iulij* Coëpiſcopi S. SECVNDI & *Iuliani* Epiſcopi Carpetaniæ vacillationem, videnda ſuperius dicta *Tom. 1. die VII. Ianuar. fol.* 95. & P. Franc. Bilch. *Hiſtor. SS. Giennenſ. d. 1. p. c.* 11.

ABVLA. Ciuitas antiqua Epiſcopalis, de qua ſupra *Tom. 1. die XX. Febr. fol.* 196. & 197. egimus, vbi primum eius conditorem *Herculem* diximus ex Noſtratium Scriptorum auctoritate. Aſt & aliorum opinatione nunc dicimus, primum eius fundatorem non *Herculem*, ſed *Hiſpanum* antiquiſſimum Hiſpaniæ Regem, *Herculis* nepotem, qui Hiſpaniæ nomen indixit, fuiſſe, eo tempore, quo & *Segobiam* condidit, vt ex *Generali Hiſtoria* Alphonſi Sapientis ſuſpicatur Cianca *Hiſtoria S. Secund. lib. 1. c. 28. fol.* 65. Huius opinionis aſſertioni dare fidem, nulla veritatis vmbra ſuadet.

11. Opinio de conditore ABVLÆ

B. S. FELIX *Diaconus, & Martyr.*] Præclara apud *Hiſpanos*, imò potiùs ſingulariter apud *Hiſpalenſes*, & *Toletanos* huius ſanctiſſimi Archidiaconi, & Martyris memoria perſeuerat. *Illorum*, ob agonis ſymbolum, quod in eorum ciuitate compleuit. *Istorum*, ob natiuitatis originem, & ordinem, quæ in eorum ciuitate tulit, & exercuit. Apud Maiores tantùm nominis tinnitum inuenimus, ita vt dixerit Marieta *in Hiſt. SS. Hiſpan. lib. 2. c. 99.* nullibi de eius actionibus quidquam inuenire potuiſſe. Omnia ergo quæ tunc defecerant ſuppleuit Flau. Dext. *in Chron. Ann.* 300. & S. M. Maxim. *in Chron. Ann.* 612. Eorum elogia referre compellimur; audi Præfectum: FELIX *Diaconus* Toletanus, *qui collegit, digeſſitque canones Concilij Illiberitani cum S. Hoſio Cordubenſi, mire floret.* Auſculta Pontificem Cæſarauguſtanum clariùs loquentem: *floret memoria* S. FELICIS *Hiſpali*, Toletani *Diaconi, qui cùm à S. Melanthio, cuius Archidiaconus erat*, Hiſpalim *mitteretur ad S. Sabinum Hiſpalenſem Epiſcopum*, 11. Maij, *Hiſpali patitur.* Vtrobique Biuar. *ad Dextr. Ann.* 300. *Com. 1. n.* 12. *fol.* 325. Ad Max. *An n.* 12. *n.* 20. *fol.* 718. Idem Flau. Dext. *in Chron. Ann.* 390. martyrium hiſce verbis conſignat: *Toleti, & Hiſpali* S. FELICIS, *Diaconi* Toletani, Hiſpali *ſub Daciano Præſide totius Hiſpaniæ crudeliſſimo.* Cuius etiam clauſulam illuſtrant idem P. Biuar. *Com. 3. n. 11 fol.* 336. Roder. Caro. *fol.* 107. *lit. Z.* De eo Martyrolog. Roman. *h. d.* hac ſerie: *Hiſpali* S. FELICIS *Diaconi, & Martyris; Cui* conueniunt *Caſtellanum* P. Vazq. *Luſitanum* P. Lupi, & *Hiſpanum MS.* P. Higuera. Philip. Ferrar. *in Topograph. SS. verb. Hiſpalis, fol.* 61. Garibay. *Compend. Hiſtorial. lib.* 7. *c.* 43. Padilla *Hiſt. Eccleſ. Hiſpan. Cent.* 4. *c.* 22. Marieta *d. lib. 2. c. 99.* P. Antonius Quintana-Dueñ. *Hiſtor. SS. Hiſpalenſ. fol.* 96. & Hiſtor. *SS. Toletan. Secul.* 4. §. 1. *fol.* 211. Ex quibus hanc ACTORVM ecphraſim ſubijcimus.

Memoria celebris: ſed Acta confuſa.

Deus illa patefecit.

Martyrologia.

Scriptores.

ACTA

ACTA S. FELICIS ARCHIDIACONI Toletani, Martyris Hiſpalenſis, ex Dextro, Iſidoro, Maximo, & alijs.

S. FELIX *natione* Hiſpanus, *vrbe* Toleto *oriundus, in ea primas literas adeptus, ita profeciſſe dignoſcitur, vt omnium animos, inſigni virtutum indole, demulceret. Sedem Toletanæ Eccleſiæ tunc, meritis inſtantibus, occupabat Sanctiſſimus Pontifex* Melanthius, *qui Athenis* Toletum *aduentans, vnà cum* Hoſio Cordubenſi, *& alijs ad illius faſtigij apicem aſcenderat. Qui vt cognouit* FELICIS *ingenium, pietatem, & mores ſanctiſſimos, nullâ interueniente humanitatis meditatione, illum in ſui* Archidiaconi *titulum adſciuit, & ordinem, quo poſſet Paſtoralis munus officij maiori propenſione dirigere. Cùm verò per hoc tempus* Illiberitanæ *Synodi diuulgaretur indictio, quam* Melanthij *auctoritas congregabat, vt ad illam talem conducere Virum, quo ſuæ Eccleſiæ, & totius* Hiſpaniæ *opinio noſceretur,* FELICEM *ſocium elegit. Illo comite peruenit* Illiberim, *qui cum alijs Præſulibus, & Presbyteris decreta Synodi conſtituêre; quorum oracula, vt in formam ſcripturæ redigerentur, & omnibus fidelibus nota eſſent, ea Patres Diaconi diſpoſitioni vnanimiter dirigenda commisêre. Qui ſic canones Concilij eruditione compoſuit, vt Conciliares mirabilem de* FELICE *conciperent opinionem. Finitâ Synodo, Epiſcopus, eiúſque miniſter* Toletum *reuertentes, quilibet in ſuo munere florebat. Poſt hæc interueniente fidei negotio,* Melanthius, *Sabinum Epiſcopum* Hiſpalenſem *per* FELICEM *interpellare propoſuit, quatenus quid circa illud conſtitui comperiſſet, protinùs propriâ deliberatione reſcriberet.* Hiſpalim FELIX *cum literis* Melanthij *ad* Sabinum *proficiſcitur, apud quem diuerſatus, de cauſa ſibi commiſſa agere cæpit; cùm* Dacianus *immaniſſimus* Hiſpaniæ *Præſes, & Imperatorum Diocletiani, & Maximiani crudeliſſimus miniſter, totius vrbis circulos, vt Chriſti aſcetas perquireret, colluſtrabat. Quod vt accepit* FELIX, *fidei zelo vniuerſos fideles in Religione roborabat aſſiduè, ita vt ad coronam ſedulâ exhortatione prouocaret vbique, quouſque Diaconi ſolertia ad Daciani peruenit auditum, &* FELICIS *ſanctiſſimi continuata monitio, ideò à ſatellitibus comprehenſus, & carceri mancipatus eſt. Illum Dacianus, & vt ſacras ederet ſcripturas, & vt fidem dimitteret Chriſtianam blanditijs, & rigoribus conuincere ſatagebat. At illusâ Præſidis nequitiâ,* FELIX *per verbera ſtrenuus Agoniſta ad æterni Verbi conſpectum coronandus aſcendit, die* II. Maij *circa annum Domini* CCC. V.

Origo.

Fit Archidiaconus Toletanus.

Canones Synodi Illiberitanæ diſponit.

Hiſpalim ad Sabinũ mittitur.

Comprehenditur.

Coronatur.

Omnes qui de hoc *S. Archidiacono* ſcribunt, de *Breuiario Muzarabi* meminerunt, vbi illius Sancti feſtum exſtare fatentur; at quia, quatenus ad hiſtoriam attinet, nihil de *Martyris* agone deprehendêre, eius *Breuiarij* ecphraſim omisêre. Ego in tanti *Martyris* gloriam, ſequentia inſerere propoſui.

IN FESTO S. FELICIS MARTYRIS Hiſpalenſis & Diaconi, ex Breuiario Gothico S. Iſidori Hiſpalenſis Epiſcopi.

CAPITVLA.

FELIX Martyr *tuus Domine, & nomine probatus, & munere conſecratus, dum eum ex nomine vocas, & munere conſecras, vt eum, & nuncupares præſcitum, & glorificares electum. Confeſſionis ergo huius nos participes effice, & beatitudinis compotes redde, vt te annuente infelices eruat de ergaſtulis inferorum; cùm ipſe felix permanet in æternum.*

BENEDICTIO.

CHRISTVS *Dominus, qui Beatiſſimum hunc* Martyrem, *& merito* Felicem *fecit eſſe, & nomine, ab omni vos infelicitatis labe expurget. Amen.*

VT *qui per illum feliciter temporales infelicium infelicitates deuicit, felicitati vos æternæ iubeat numerari. Amen.*
VT *qui per hunc* Martyrem *indultæ felicitatis priuilegio gaudet, in æterna vos felicitate ſine fine lætabundos oblectet. Amen.*

ORATIO.

FELIX *eſt, Domine, quem ita tuo munere facis eſſe felicem, vt tranſgreſſionis neſciat voluptates, vt cum poſſit tranſgredi, tranſgreſſum ſe eſſe non nouerit; nec male facere, cum vtique poſſit à rectis ſemitis deuiare: qui ergo non ſuo, ſed tuo munere felicitatis huius promeruit donum, noſtræ infelicitatis ſuis precibus detergat opprobrium, quo tanti* Martyris *ducatu in ſeculo gubernati, & voluntatem peccandi neſciamus habere, & tranſgreßionis culpas ignoremus perficere. Per Dominum, &c.*

ORATIO.

DEVS *Auctor felicitatis æternæ, qui in tantum feciſti* Felicem Martyrem *tuum eſſe felicem, vt nec poſt aurum abiret, nec in theſauros, & pecunias ſperaret, cum ſine auaritiæ contagio, margaritas fulgens prædicando ſeminaret in populo: da nobis, vt totius auaritiæ retinacula perhorrentes, iuſtitiæ verbum ore portemus, quo legem, & miſericordiam in lingua habentes, infelicitatem ſeculi,* Felicis *tui merito ſuperemus, & felicitatem vitæ æternæ feliciori eius ſuffragio capiamus. Per Dominum, &c.*

Officialis, ſeu Vicarius Tolet.

Alias illinc *Orationes*, & *Benedictiones* reperies, ſed in hunc ferè ſenſum omnes. P. Quintana-Dueñas *d. fol.* 211. in *Hiſtor. SS. Toletan.* tempus terit in probatione, quòd *S. Martyr*, eo quòd fuit *Archidiaconus Toletanus*, videtur fuiſſe vrbis *Prouiſor*, ſeù Officialis ad cognitionem cauſarum, quod & probo, nam hæc eſt communis ſententia Scriptorũ. De eo hoc inuiſitur Epitaphium in meo *Codice MS. Carminum.*

Toleti *genitus* FELIX *vrbiſque Magiſter,*
Leuita, & primus, hìc fide colla dedit.
Hiſpalis *ô felix,* FELICE! *ô térque beata,*
Martyris inuicti, quæ ſacra membra capis!

Quatenus ad Topographiam celeberrimarum Vrbium *Toleti*, & *Hiſpalis* ſæpiùs diximus.

C. S. COELESTINVS Martyr.] Romæ fuiſſe martyrio cum aliis ſociis coronatum indicant non ſolùm *Beda*, *Vſuardus*, *Ado*, & alij recentiores; ſed & *Martyrologium Romanum* hiſce verbis: *Romæ Sanctorum Martyrum Saturnini, Neopoli, Germani, &* Cœleſtini, *qui multa paſſi, in carcerem demum coniecti, ibi in Domino quieuerunt*; à quo *Martyrol. Caſtellan.* P. Dionyſ. Vazq. *Luſitanum* S. I. & alia: provt etiam Philipp. Ferrar. *in Catal. SS. Ital. fol.* 238. Fuiſſe *Hiſpanum*, & *Conſulem Beticæ* demonſtrat Flau. Dexter. *in Chron. Ann.* 356. vbi de Olympio Epiſcopo Toletano agens, eiúſque virtutes, & ſcripta enumerans, proſequitur: *Libroſque edidit, quos inſcripſit ad* COELESTINVM *Conſulem Beticæ, qui poſtea Martyr fuit.* Cuius locum, ne ſub ſilentio martyrij dies remaneret, P. Biuar. *Ad Ann.* 356. *n.* 2. *fol.* 385. ſic explicat: *De* Cœleſtino *Conſulari Beticæ Prouinciæ mentio fit in Codice Theodoſiano, ex quo Morales in Hiſt. Hiſpan. ad Ann.* 356. *lib.* 10. *Fuit verò martyrio coronatus Anno* 362. *Romæ ſub Iuliano Apoſtata die* 2. *Maij, qua feſtum eius, cum alijs ſocijs in Romano Martyrologio commendatur.* Et licèt hic *P. Biuar.* nullum pro ſe teſtimonium adducat, irrefragabile en tibi ex *Iuliano* Archipresbytero Toletano in *Aduerſ. n.* 5. vnum ſubijcio: *In Hiſpaniis* (inquit) *memoria celebris eſt* S. COELESTINI *Martyris, qui paſſus eſt Romæ in perſecutione Iuliani Apoſtatæ: Vir Conſularis ex Conſulari Bætica* Hiſpanus, *cum alijs, tempore quo Ioannes, & Paulus comprehenſi ſunt. Obijt in carcere, die ſecunda Maij Martyr.* De eo agit Ambr. Moral. *lib.* 10. *c.* 38. qui refert ad illum ſcripſiſſe *Conſtantium* Imperatorem epiſtolam, quam in *Codice Theodoſiano*

Vbi fuit martyrio coronatus.

An Hiſpanus?

Scriptores de origine.

Ad eum ſcripſit Cõſtãtius Imp. Epiſtolam.

ad

ad manum reperies. Eius acta nemo coniunxit, ideò Nos breuiter, prout antiqua suppeditabunt monimenta, eorum ecphrasim describemus.

ACTA S. COELESTINI MARtyris Hispani, ex Flauio Dextro, & Iuliano Archipresbytero.

COELESTINVS *ex Batica* Hispanus, *temporibus* Constantij *Imperatoris post innumeros pro addiscendis literis exantlatos labores Clarissimatus* Consularis *Baticæ Prouinciæ apices, virtutibus præeuntibus, Augusta liberalitate promeruit. Muneris ergo excellentiam tanto probitatis fœnore exercuit, vt nulliter illi fuerit acceptum, quod legibus probaretur iniquum; nam ea diligebat, quæ æquitatis iura commendare cognouerat. Eius nomen actionibus comprobabat, & vt omnia æquali moderatione pensaret, pecunias non quærere instituit, & ideò copiosa sibi venire munera cognoscebat. Continuis exercitationum siquidem studijs didicerat, hanc conditionem humanis actibus Numina posuisse, vt ille magis possit ditescere, qui lucra turpia nescit optare. Hisce, & aliis virtutum cumulis vniuersos* Bæticæ *ditionis accolas ad sui dilectionem attraxit; ex quo euenit, vt* B. Olympius *Toletanæ vrbis eximius Præsul nonnullos suorum operum libros* Cœlestino *Consuli dedicaret. Ipsique* Constantius *Imperator epistolam super regimine Prouinciæ grata commendatione rescriberet. Quo demum Imperatore è viuis sublato, in eius locum* Iulianus, *iam antea Cæsar à Constantio electus, à militibus designatur Augustus, qui in apostasiam dilapsus, Christicolas exosus, & omnibus terribilis, Christianæ religionis lampadem extinguere contendebat. Ab hoc edictum emanauit iniquum, vt qui sacrificare idolis nollent, in palatium non intrarent, & tam collegio, quam foro excluderentur, nullâque deinceps dignitate, qualibetve communione potirentur. Plurimi ab eius commercio Christiani separati sunt. Aliqui dignitatibus exuti, Christum inter propriæ conscientiæ secessum humiliter quæritantes perfidi Imperatoris fauoris auram respuebant. Istis se* Cœlestinus *adiunxit, & relicto munere Consulari Romam deuenit, vbi cùm ipse, & Saturninus, Neopolus, & Germanus, omnes Clarissimatûs titulis sublimati, & quod potiùs est Christianitatis nomine insigniti, idola adorare neglexerint, in carcerem coniecti sunt, & ad vltimum supplicium damnati; cùm autem ipsi, & alij ducerentur ad mortem, sequente populo, & mirante virtutem eorum condemnationem tam constanti animo propietate susceptam, ad locum, quo rei puniri solent, deuenêre. Cùm ergo omnes genua flexissent in terra, & gladium speculator euaginasset, venit repente nuntius eorum clamore prohibens necem. At in carcerem reducti,* Cœlestinus *cum tribus socijs inedia constrictus, & fœtore laceratus occumbens, ad martyrij gloriam in ipso ergastulo strenua confessione conscendit,* VI. Nonas Maij *Anno Domini* CCCLXII.

Origo.

Consularis Batica.

Eius in munere mores.

Illi Olympius Toletanus Antistes libros dedicat.

l. 3. tit. 42. lib. 9. Cod. Theodosiani.

Iuliani Apostata edictum.

Martyr se à munere exuit.

Comprehenditur.

Coronatur.

De S. *Cœlestini* origine Hispana iam in præludio diximus. Circa edicti *à Iuliano* Apostata exhibiti formam, videndus Eutropius *lib.* 11. *Rer. Roman.* in Iuliano. Qui etiam de nuntio prohibente necem Sanctorum Martyrum agit. Nunc ad *Consulatus* officium deueniamus. Alij ergo dicebantur *Consules*, de quibus Nos hîc nihil. Alij Consulares, qui ad *Præsidum* similitudinem certas quasdam Regiones administrabant, *l.* 1. *C. vt omn. iudic.* Adrianus Imp. primus quatuor illos per omnem Italiam *Consulares* constituit, de quibus Spartianus *in Hadrian.* Bætica ergo & Lusitania itidem per *Consulares* moderabantur, vt inquit Alex. ab Alexandr. *libro* 2. *Genial. c.* 27. Horum auctoritas refertur à Cassiod. *lib.* 6. *Var. c.* 20. videndus Iacob. Guther. de offic. Dom. August. *lib.* 1. *c.* 6.

Consulares qui?

D.

An S. Athanasius Alexandriæ Episcopus in Hispania secesserit?

S. ATHANASIVS Monachus.] Apud antiquum cœnobium, quod vulgo dicitur *Vallis-Venarum*, in termino *Calagurritanæ* diœcesis, hodie *Valuanera*, vbi B. MARIÆ Virginis admiranda conspicitur effigies, inconcussa traditio est, quod ibidem Magnus ille ATHANASIVS Alexandrinæ Ecclesiæ Episcopus, dùm furorem Arianorum effugeret, diuersatus, illius vallis speluncas habitaret, ideóque in eius

Digitized by Google

cœnobio ſingularis vt Patroni deuotio conſeruatur. Audi pie Lector P. F. Gregorium Brauo de Sotomayor in *Hiſt. Vallis-Venar. 1. p. c. 8. fol.* 40. ſic loquentem:

1. *Opinio ex traditione Aſcetarũ Vallis Venaria.* *Inter multa mirabilia, quibus Deus Sanctuarium hoc honorare dignatus eſt, non inferiorem obtinet partem, quod in illud adducere dignaretur, tanquam Patrem, & Patronum, glorioſum* ATHANASIVM, *cognomento* MAGNVM, *Alexandrinæ Sedis Epiſcopum, & vnum ex Eccleſiæ Doctoribus inſignem, qui illam ſcriptis illuſtriorem reddidit, & qui maiora propter Dei gloriam ſuſtinuit pericula. Eſt igitur antiqua traditio, de qua hactenus in hac non eſt dubitatum domo, quod cùm mortuo Conſtante Imperatore (qui cauſam* S. Athanaſij *contra hæreticos Arianos defenſauit, cuius intuitu, & interueniente decreto Conſilij Ieroſolymitani, & Iulij I. Pont. Max. Athanaſium in ſuam Eccleſiam reſtitutum fuiſſe dignoſcitur.) hæretici nouis commentis Doctorem conſtantiſſimum perſequerentur, in hunc locum, vbi poſtea cœnobium fuit extructum deuenit. Quod colligitur ex certis, & penè euidentiſſimis teſtimonijs,*

Probatur 1. Primum, *quia ab immemorabili tempore* Athanaſium, *tanquam Patrem, & Patronum accepiſſe, & confiteri apud antiquos cœnobitas in vſu fuiſſe, núncque comprobare Noſtros, nemo ſit qui dubitet. Cui traditioni accedit auctoritas peruetuſti* Kalendarij *Sanctorum abhinc CCC. annis ſcripti, quo hac die ſequentia leguntur:* VI. Nonas Maij. Natalis S. P. N. Athanaſij, Alexandrinæ vrbis Epiſcopi, & Confeſſoris. In huius perſecutione vniuerſus penè coniurauit orbis. *Ex quibus verbis colligitur antiquos huius cœnobij Patres, & omnes anteceſſores hoc pro certo habuiſſe; ideóque tanquam Patrem, & Patronum, & huius domus* Religioſum *coluiſſe, & de eo omnibus tertijs feriis non impeditis officium recitaſſe.*

Probatur II. Secundum, *quod ferè in omnibus priuilegijs, gratijs, & indulgentijs, quibus hanc domum ſunt locupletati Summi Pontifices, aſſeritur, illa eos concedere in honorem Beatæ MARIÆ, &* Athanaſij *Doct. Magni, qui in illa habitauit domo. Et Innoc. III. Pont. Max. qui Eccleſiam ad annum M.C. XCVII. gubernauit, &* Athanaſij *vitam ſcripſit, conceſſit huic domui magnas indulgentias, contemplatione S. Doctoris, referens habitaculum in ea.*

Probatur III. Tertium, *quia ex opinione D. Ieronymi conſtat* S. Athanaſium *fuiſſe primum Religioſum in Italiam deuenientem ex Oriente propter Arianorum perſecutionem, quem Pontifex Romanus recepit, honorauit, & remuneranit. A quo plures reliquias Sanctorum accepit, quas in hanc domum tranſtulit, inter quas inuiſitur Rota, in qua depicta eſt Ciuitas Oſtia, cum columba deaurata, aqua, & ſanguine pretioſo ex Chriſti pectore profuſo, inſignita, extracto ex vrceolis S. Ioannis Lateranenſis. Item pars Menſæ, in qua D. N. Ieſus Chr. cœnauit, & ſacroſanctum eius corporis Sacramentũ inſtituit. Item Lac & Capilli B. V. MARIÆ. Item Capilli B. Mariæ Magdalenæ. Item pars Columnæ vbi Chriſtus fuit flagellatus. Item pars Sepulchri. Item pars Arundinis, & Spongiæ, & aliæ plurimæ conſeruantur reliquiæ, quas idem S. Doctor adduxiſſe conſtans fama eſt, & ex antiquis Cœnobij Scripturis manifeſtè colligitur,*

Probatur IV. Quartum, *quòd, hac ti aditione inſtante; à quodam Summo Pontifice antiqui Patres huius cœnobij adepti ſunt caſulam* S. Athanaſij, *& Caput cum Lingua, quæ honorificè adſeruantur, inter alias reliquias in Maiori Aræ.*

Probatur V. Quintum, *quia cùm hoc cœnobium ſit ex vetuſtiſſimis Hiſpaniæ, ſemper in eius Eccleſia extitit Altare* S. Athanaſio *Magno dedicatum, & mirabilibus indulgentijs ditatum, ex quo in eius feſti die, & in ipſius Ara canitur Miſſa conuentualis.*

Probatur VI. Sextum, *& quod plus conuincit, quoniam omnia hæc cum eius legenda conueniunt; nam omnes qui eam ſcripſêre, referunt,* S. Athanaſium *in Pyraneis montibus delituiſſe: & cùm hæc montium Vallis-Venarum cacumina pars ſint Diſtertij montũ, & hic ramus Pyreneorum, & demum huius eremitorij extructio ad annum CCC. LXII. quo S. Doctor florebat, euenerat, quid mirum ſi in eo deliteſceret eremita.*

Probatur VII. Septimum, & vltimum, *ex celebri miraculo coquinæ ſanctæ, quod adhuc dignoſcitur, cuius talis eſt origo: In iſto cœnobio eſt antiquiſſima coquina, & in eius medio magnum fumarium, quo edulia pro hoſpitibus condiebantur. Hìc (fama eſt)* S. Athanaſium *deſeruiſſe comperitur; ſed creſcente copia peregrinorum creſcebat lignorum in ignem immiſſio, & tanta erat cineris abundantia, quod omnibus faſtidium generaret: expetijt* Athanaſius *à Deo, vt de remedio prouideret. Qui Patris precibus, taliter labori eius ſubuenit, vt diſponeret, quod licet magna lignorum ſtrues igni in illa coquina applicaretur, tantum*

remaneret

Digitized by Google

remaneret ex cinere, quantum ſatis eſſet, vt ignis cooperiretur. Cuius miraculi frequentia experimento quotidiano, & abſque ceſſatione cognoſcitur.

Hactenus *P. Brauo*; quod & notauit mordicus Ambroſ. de Moral, *in Itinerar. Sacr. M S. apud me*, & P. F. Anton. de Yep. *in Chron. Bened.* 3. *p.* At P. F. Ioan. Mariet. *Hiſt. SS. Hiſpan. lib* 18. *c.* 14. & in *Catal. SS. Regi Catholico Philippo II.* oblato, hæc vt veriora ſcripſit: *Cœnobium B. Virginis de* Valvaneda, *Ordinis S. Benedicti, in Calagurritana diœceſi, ſupra vrbem Najara colit ſanctum Monachum, nomine* Athanaſium; *ibidem adhuc inuiſitur miraculum in fumario monaſterij, vbi multiplicatis lignis, & igni expoſitis, nunquam cinis augetur. Dicitur*, S. Monachum *fuiſſe cœnobij coquum, & propter eximium laborem, quo premebatur in colligendo cinere, à Deo adeptus eſt* Athanaſius, *vt illum haud multiplicaret. Ab aliquibus creditur, illum fuiſſe Magnum* Athanaſium *Epiſcopum, & Eccleſiæ Græcæ Doctorem, qui in perſecutionibus, quas tunc pertulit pro Eccleſia, exul factus, in Hiſpaniam deuenit, & vitam eremiticam ibidem egit. Sed hoc certum eſt, quod ille* S. Athanaſius *fuit* Monachus Benedictinus, *& in illo cœnobio vixit, & demum miraculis clarus obdormiuit in Domino.* Aliter ſenſit P. Biuar. *in Not. ad Max. Comment. fin. n. 26. folio* 730. de quo nos infra *die XX Maij.* Quidquid fuerit, ego pro hac opinione ſto, quia & veriſimilior, & minus contradictionibus implicata. Vnuſquiſque quippe in ſuo ſenſu abundet, nec detraho, nec affirmo.

II. *Opinio verior, ex Marieta*

III. *Opinio Biuarij remiſſiuè.*

SS. SIMPLICIVS, & AMBROSIVS Martyres.] Qui fuerint, quóue tempore vixerint, aut ſub quorum perſecutione ſint martyrio coronati, me latet. Eorum meminit Philippus Ferrarius *in Gener. Catal. SS. hac die fol.* 177. his verbis: *In Hiſpania in territorio Vicenſi SS. Martyrum* Simplicij, & Ambroſij. Et in notula, neſcio à quo accepit, *paſſos fuiſſe ſub Mauris, anno* 887. Nam *P. F. Anton. Vincent. Domenec* cuius hiſtoriam allegat, haud tale quid dixit. Ab eo *in SS. Cathalon. folio* 40. *col.* 3. hæc pro actis leguntur. E.

Error Ferrarij.

ANNO *Domini* DCCC. LXXXVII. *dominante in Cathalonia* Vvifredo *Barcinonenſium Comite, cognomento* Piloſo, *D. Vvifredus, & D. Guinidilla eius vxor Comites Biſoldunenſes, cùm edificaſſent Monaſterium* S. Ioannis de Abbatiſis *in Comitatu* Ozanenſi *in Valle* Ripollenſi, *fecerunt, quod D. Gothmarus Epiſcopus* Ozonenſis, *hodie* Vicenſis *conſecraret Eccleſiam dicti cœnobij. Cui, pòſt*, Emonem *eius filiam, vt ibidem Deo ſeruiret in habitu religionis, obtulerunt, & aliqua Caſtella, Eccleſias, Domos, agros, nemora, & multas opes, præcipuè in oppido* Ripollenſi, & Scanarenſi, *in quibus etiam domos, hortos, & agros dedêre. Nec minus in* Congoſto *Comitatu Bergenſi, & Empuritano, ex quo Monaſterium inter ditiſſima illius Prouincia numerabatur. Quibus oblatis diuitijs nec contenti Comites, etiam in ſeruitium ſanctimonialium dederunt ſeruos, & ſeruas, necnon & Epiſcopus* Gothmarus *conceſſit S. Ioanni decimas aliquorum populorum ſui diſtrictus. Poſtmodùm quia Moniales deſeruerunt prædictum Cœnobium, in earum locum ſucceſſêre Canonici Regulares S. Auguſtini. In hoc igitur Monaſterium tranſlata ſunt reliquiæ SS. Martyrum* SIMPLICII, & AMBROSII, *quorum feſtiuitas colitur* VI. Nonas Maij, *ſub officio Duplici, in quo hæc recitatur Collecta.*

Monaſterij S. Ioãnis de Abbatiſis antiquitas.

Canonici Regulares in locũ Monialiũ ſucceſſere.

Tranſlatio ſacrorum pignorum.

DEVS, qui nos annua Sanctorum Martyrum tuorum SIMPLICII, & AMBROSII ſolemnitate lætificas; concede propitius, vt quorum gaudemus meritis, accendamur exemplis. Per Dominum noſtrum, &c.

Pro illius Eccleſiæ Patronis illos conſignat Cœnobium; de quibus agitur in ſuo Martyrologio. Eorum ſacra Exuuiæ reconduntur in duabus capſulis ſeparatis, in quarum vna adeſt hæc Inſcriptio.

Inſcriptiones.

HOC EST SCRINIVM S. SIMPLICII M.
IN QVO EIVS CORPVS EST CONDITVM.

Digitized by Google

In altera Capſula etiam inuiſitur ſequens Inſcriptio:

HOC EST SCRINIVM S. AMBROSII MART.
IN QVO EIVS CORPVS EST CONDITVM.

Hucuſque Domenec, qui circa illorum tempora, & acta ſcribere non audet quidquam; nec Nos: nam eius relatione contenti ad vlteriora pergemus.

F. S. OLIVA Virgo, & Martyr.] Philippus Ferrarius in *Generali Catal. SS. hac die fol.* 177. hæc ſubijcit verba: *In Hiſpania* S. OLIVÆ *Virginis, & Martyris.* At in Notula addit: *Ex Kalendario, & Breuiario Ordinis S. Mariæ de Mercede.* Quod verum eſt, nam in *Kalendario* antiqui Breuiarij notatur hoc die S. OLIVA Virgo, & Martyr. At quæ fuerit, vel quo loco eius ſacra pignora requieſcant, nec *Breuiarium* illud conſignat, nec à quibus poſſim elicere, acta reperio. Hoc loco iſta ſcribere curaui, vt eius memoria perſeueret, & fortè Deus aliquo tempore ſuæ ſanctiſſimæ Sponſæ certamen manifeſtare dignabitur.

Eius dicta perire.

G. S. THEODOLVS Martyr.] Filius fuit *SS. Exuperij*, & *Zoës* illuſtriſſimorum coniugum, & frater *S. Cyriaci Martyris*, qui vnà pro fidei confeſſione martyrij coronas perceperunt inſignes, vt fatentur Græci in *Menolog.* h. d. his verbis: *Eodem die SS. Martyrum* Exuperij, Zoës *coniugis*; Cyriaci, & Theodoli *filiorum, ſub Adriano Imperatore.* Conueniunt Martyrolog. Romanum, & *Caſtellanum* P. Vazq. necnon *Luſitanum* P. Lupi, & Italum *Conſtantij Felic.* in Græcia paſſos credidit *Galeſinius*, ſed perperam, cùm Româ in Hiſpaniam tranſlata pignora ſacra S. THEODOLI fuiſſe conſtet ex traditionis auctographo. Quod ne repetamus, quære Diploma *tom.* 1. *die XIV. Februar. fol.* 131. & loco *Valentini*, repone *Theodoli* Martyris.

Galeſinij error.

QVINTO NONAS MAII.

DIES III.

A. IEROSOLYMIS *inuentio viuificæ* CRVCIS *Domini, inſtante* S. HELENÆ *Imperatoris Conſtantini Magni Matris deuotionis affectu. Cuius celebris feſtiuitas apud Hiſpanos ſolemni recolitur applauſu, & propter vniuerſalem Eccleſiæ ritum, & propter admirabilem apparitionem* SS. CRVCIS *ad arcem* Carauaccenſem Hiſpaniæ, *cuius effigies Angelicis manibus è cœlis aſportata, innumerabilium miraculorum frequentiâ, totius Orbis* Hiſpani *debitâ veneratione honoratur.*

B. OLCADIBVS *in Carpetania Hiſpaniæ*, SS. ALEXANDRI, *&* ANTONINÆ *Martyrum, qui ex Conſtantinopolitana vrbe oriundi, in Hiſpanias aduentantes, pro fide comprehenſi, variis cruciatibus torti, ad palæſtram attracti, demùm intrepidi pugiles coronam receperunt æternam.*

C. VLMETI *in Hiſpania* B. PASCHASII *cognomento* ARNVGO, *qui cùm Toleto oriundus, Hiſpaniæ celebres*

bres deuotionis ſacras peragraſſet domos, Ieroſolymam contendit, vbi viſitatis noſtræ Redemptionis locis, noſtras repedauit, & SS. CRVCI oratorium exſtruens, poſtquam eius ſalutifero Signo multa fuiſſet operatus miracula, ſanctiſſimè in Domino quieuit.

D. *In Monaſterio* S. Mariæ à Cruce *iuxta* Madridium *in agro* Toletano Hiſpaniæ *Natalis Glorioſæ Virginis* IOANNÆ *cognomento* DE LA CRVZ, *quæ miraculis clara, inter Dominicæ Paſſionis lectionem, & contemplationem, ab Angelo vocata, ad Sponſum euolauit inſignis.*

NOTÆ.

A. INVENTIO SS. CRVCIS. Necnon APPARITIO *eius effigiei in Arce* Carauaccenſi.] Duplex hoc die in *Hiſpania* feſtiuitas, altera vniuerſalis, ex Eccleſiæ præcepto; altera ſingularis, ex miraculoſa SS. CRVCIS effigiei apud *Carauaccenſes* apparitione. De vnaquaque verba contexere decreuimus. De PRIMA, provt vniuerſali; de SECVNDA, provt ſpeciali; & licèt vtraque promiſcuè *Hiſpanis* meis fuit à multis ſeculis admirabilis, cùm primi in Orbe Hiſpani CRVCIS Signum venerarentur; tamen nunc diuidunt feſtiuitatem, & vt Eccleſiæ ritum Catholici proſequantur, & vt cœleſtis fauoris ſpecimen gratulabundi ſectentur. DIXI primos in Orbe HISPANOS meos Signum CRVCIS adorauiſſe; & optimè dixi. Quod vt pateat, breui aliqua perſtringam, quibus huius propoſitionis apicem manifeſtem. Ergo apud *Hiſpanos*, ante D. N. IESV-CHRISTI victoriam in CRVCE perfectam, iamiam fuerat in ſumma, & ſingulari honoris acclamatione. Quis CANTABRI vexillum, ab antiquis Patribus memoratum, & apud *Hiſpanos Cantabros* inuentum, Signóque CRVCIS notatum, fuiſſe ſuperuenientis viuificæ CRVCIS venerationis ignorat ænigma? Nemo mehercle Eccleſiaſticæ eruditionis indagator. Sed ſi quis fortè ſit huius aſſertionis peregrinus viator, ſciat, HISPANIAM primam fuiſſe Prouinciam, quam debellare cœpit in Orbe toto Romana cupiditas, & quam nouiſſimam eius ſubiugauit ambitio, teſte Paterculo *lib.* 2. *c.* 38. ſequenti periodo: *Nam* in Hiſpanias *primi omnium duxere exercitus Gn. & Pub. Scipiones, initio ſecundi belli Punici, ab hinc annos C C. L. inde variè poſſeſſa, & ſæpe amiſſa partibus; vniuerſa, ductu Auguſti, facta ſtipendiaria eſt.* Quo ergo pacto ſub Auguſto facta eſt ſub tributo? Flori Noſtri *lib.* 4. *c.* 12. clauſulam auſculta: *Sub Occaſu pacata ferè omnis* Hiſpania, *niſi quam Pyrenæi deſinentis ſcopulis inhærentem, citerior alluebat Oceanus. Hîc duæ crudeliſſimæ gentes,* CANTABRI *&* Aſtures, *immunes imperij agitabant. In hos igitur, quia vehementiùs agere nuntiabantur, non mandata* (ab Auguſto) *expeditio, ſed ſumpta eſt. Ipſe venit* Segiſamum: *caſtra poſuit: inde partito exercitu, totam in diem amplexus* Cantabriam, *efferam gentem, ritu ferarum, quaſi indagine debellabat. Ipſe præſens, hos deduxit montibus: hos obſidibus adſtrinxit: hos ſub corona, iure belli, venundedit. Hic finis* Auguſto *bellicorum certaminum fuit; idem rebellandi finis Hiſpaniæ.* Quis ex hac pacata Prouinciâ Cæſari triumphus? Nullus. Quia licèt digna res Lauro, digna curru Senatui viſa fuiſſet, attamen cùm iam *Auguſtus* tantus eſſet, triumphum contempſit, & tantum CANTABRORVM vexilla, in tantæ victoriæ monimentum, Romanas inter Legiones conſeruare conſtituit. Quod & factum, & deinceps hæc ſigna, ſeu inſignia Legionis CANTABRA, & Signiferi, ſeu Vexillarij, CANTABRARII vocati

Crucis Signum Hiſpani primi ſunt venerati.

Cantabri in militaribus ſignis Crucem geſtabant.

Cantabrorum vexilla inter Romana ſigna ab Auguſto admixta.

cati fuêre. De iſtis expreſſa eſt conſtitutio Imperialis *in l. 2. tit. 14. libro 6. Cod. Theodoſian.* De illis, ex *Tertulliano*, & *Minutio Felice*, Cardinalis Cæſar Baronius *Annal. Eccleſ. tom. 3. Ann. 312. n. 33.* hæc verba profatur: *Quamobrem* CANTABRA *à* Cantabris *in* Hiſpania *populis, quos tandem magnis laboribus, multóque fuſo Romano ſanguine*, Auguſtus *debellauit, eſſe dicta putamus.* Mutuari namque ſolitos eſſe Romanos, imitaríque ſigna hoſtium, quos ſubiugaſſent: de DRACONIBVS ſignis manifeſtum exemplum eſt, qui non antea eſſe cœperunt in vexillis Romanorum inſignia, quàm Trajanus Dacos viciſſet, qui ſignis huiuſmodi vtebantur in bello. En CANTABRVM vexillum militare apud *Hiſpanos.* En illud inter Romana vſurpatum, & commixtum vexilla: ſed quid cum CRVCE commune illud habuiſſe, dubiâ animaduerſione perpendes? Attende myſterium; ſymbolum auſculta modeſtè.

Hinc illa vexilla Cãtabra dicta.

Crucis apud Gentiles horror.

GENTILIVM talis fuit aduerſus horridum CRVCIS ſignaculum auerſatio, vt paſſim apud illorum Scriptores, *infelicis*, & *infamis* epithetis compellaretur, vt videſis apud Lipſ. *de Cruce lib. 1. c. 1.* Iſthæc igitur auerſionis apprehenſio, ſic illorum viſcera obſtinata tenebat, quòd licèt eueniente Apoſtolorum in Orbẽ ſonitu, prorſus eorum reſpuit veritatem, quia in CRVCIS ſignaculo adorationem Apoſtolica reponebat oratio. His ſeſe *B. Iuſtinus* Martyr oppoſuit ignorationibus, & ideò ad *Antoninum Pium* Imperatorem Apologiam ſcribens, vt horrorem ſemel aſſumptum ex Gentilium extraheret præcordiis, probat ipſos Romanos CRVCIS adorare ſignacula, in ipſis eleuata vexillis: *Quin* (inquit) *& ſigna veſtra figura huius* (CRVCIS) *vim præſeferunt, & declarant: Vexillorum ſigna dico, aliorúmque inſignium, & trophæorum, quæ per progreſſus à vobis in publicum quouis locorum fiunt, Imperij, & Poteſtatis indicia in his oſtendentibus, licèt non intelligentes faciatis.* En in Romanorum vexillis CRVX. En eorum licèt ignorantium adoratio. Sed quæ hæc vexilla, quibus CRVX eminebat? CANTABRA fuiſſe nullus dubitabit.

Illum enerware curat B. Iuſtinus M.

Vſus Labari non erat tẽpore Antonini Pij.

Quia LABARI vexillum tempore *Antonini* non erat in vſu apud Romanos, nec tempore Tertulliani, & Minutij Felicis, apud quos quotieſcunque de vexillis CRVCE ſignatis mentio eſt, CANTABRORVM titulus aſſignatur. Tertullianum auſculta *in Apologet. c. 16.* loquentem: *Sypara illa vexillorum, & CANTABRORVM, ſtolæ CRVCVM ſunt, laudo diligentiam, noluiſtis nudas, & incultas CRVCES conſecrare.* Et in *Lib. ad Nationes*, ex editione *Rigaltij, Ann. 1647.* repetentem: *Sed & illi imaginum ſuggeſtus, & totius auri cultus, monilia CRVCVM ſunt. Sic etiam in CANTABRIS, atque vexillis, quæ nec minore ſanctitate militia cuſtodit. Sypara illa veſtis CRVCVM ſunt, erubeſcitis, opinor, incultas, & nudas CRVCES colere.* Audi nunc Minutium Felicem *in Octau. fol. 86.* ex recenſione *Vvouveri Ann. 1603.* dicentem: *Nam & ſigna ipſa, & CANTABRA, & vexilla caſtrorum, quid aliud, quàm inaurata CRVCES ſunt, & ornata? Trophæa veſtra victricia non tantum ſimplicis CRVCIS faciem, verum, & affixi hominis imitantur.* Ergo Iuſtinum etiam Martyrem de CANTABRIS vexillis, non de LABARIS locutum. Quod ſi ſic: expreſsè noſtra probatur intentio, ſcilicet: Quòd apud *Hiſpanos* Noſtros *Cantabros*, ante Chriſti aduentum, CRVCIS ſignaculum adoratum in CANTABRIS vexillis: Quorum inſignia poſtmodum ab Auguſto inter Romana vexilla, myſterij ignoratione, adunata, ipſos Romanos CRVCIS adorationem docuere, ſic vt dixerit Tertullian. *in Apologet. d. c. 16.* agens de hiſce CANTABRIS: *Religio tota Caſtrenſis hæc ſigna veneratur; hæc ſigna iurat, & hæc ſigna omnibus Dijs præponit.* Ergo optimo iure contendimus, primos in Orbe *Hiſpanos* (etiam quando CRVCIS ſignaculum erat Gentibus horribile, infelix, & infame) CRVCIS ſignum in vexillis veneratos fuiſſe, illúdque præ omnibus Diis, licèt myſterij ignoratione, coluiſſe. Ergo & irrefragabili ratione probamus Romanos à *Cantabris* Noſtris CRVCIS cultum veraciter ſuxiſſe.

Milites ſigna Caſtrenſia colebant.

Diuerſitas inter Cantabrum, & Labarum.

AST quia nonnulli ex Scriptoribus CANTABRI originem, aut non intelligentes, aut reſpuentes, in locis *Tertulliani*, & *Minutij* ſupra recenſitis, loco vocis CANTABRI, vocem LABARI perperam repoſuere, vt & fecit dubius Adrian. Turneb. *Aduerſar. lib. 15. c. 16.* à quo abſque diſtinctione, ſequentes; hîc diuerſitatem inter vtriuſque vexilli formam, & vſum in caſtris Romanorum deſcribere aggredimur.

Digitized by Google

gredimur. Nam hac distinctione præmissâ illorum Scriptorum incuria propala- I.
bitur. Quòd ergo nomen LABARI non fuisset antiquum, ex eo probat Isaacus Grangæus *in Not. ad Prudent. aduers. Symmach. n.* 488. *fol.* 124. quod *Modestus*, & *Vegetius*, qui de nominibus rei militaris scripserunt, illius non meminerint; quapropter eius origo ad tempora *Constantini* referenda est: CANTABRA verò à tempore *Augusti* inter Romanas Legiones inuecta fuêre: ergo hæc antiquiora vexilla, & illa recentiora censenda sunt. II. Quia vt idem *Grangæus* ibidem refert: LA- II.
BARVM, *&* CANTABRVM *quidam existimant idem esse, sed differunt: Nam in exercitu multa* CANTABRA, *ad vnicum* LABARVM. In forma etiam, III. differentia fuit; III.
audi Baronium *d. tom.* 3. *Ann.* 312. *n.* 34. de vtroque vexillo loquentem. *Quòd velum illud transuersæ hastulæ in* CANTABRIS *alligatum erat, vt rugas aliquas, ni contractione admitteret.* Huius en forma ex nummis:

Quod verò LABARO *inhærebat velum* (prosequitur Purpuratus) *sic erat expansum, atque extensum, vt nullum prorsus sinum contraheret, & omni ex parte planum, depictas in se imagines demonstraret.* Et prosequitur Grangæus *d. n.* 488. vexillum hoc delineans: *Et huic* LABARO *Nomen* Christi *superpositum fuisse, ex hac figura cognosces:*

Hinc duo colliges: Aliud, quòd perperam *Turnebus*, & eius sequaces de CAN- *Turnebi, &*
TABRI voce, mysterio, & vsu dubitantes, *Tertulliani* lectionem verissimam immu- *aliorum la-*
tarunt. Aliud, quòd inter hæc CANTABRI, & LABARI vexilla, in antiquitate, in *psum.*
vsu, & in forma differentia explicita extiterit, licèt in vtroque explicitè CRVX sedulò coleretur. Sed iam ad festum Ecclesiæ accedo.

INVENTIO SS. CRVCIS Ierosolymis ab *Helena* Constantini Magni Matre peracta est, vt tam antiqui, quam recentiores *Chronographi, Martyrologi*, & *Scrip-* *Festum In-*
tores Ecclesiastici profitentur, necnon speciali commemoratione omnia vetusta *uentionis S.*
Breuiaria Hispaniæ. Huius rei historia communis est, illam ex Ieronymo Ramiro *Crucis.*
Nostro Guardiensi *Histor. Passion. Martyr. Innocentis lib.* 4. *fol.* 33. dabimus:

ACTA INVENTIONIS SS. CRVCIS
Domini ex Ieronymo Ramiro Guardiensi Hispano.

QVAM grauis arbor erat, rigidísque asperrima nodis
Quæ tenuit Christi tam duro stipite membra?

Florigerâ

Digitized by Google

Florigerâ non fronde virens, ſed ſpreta tot annos,
Atque æſtus, cœlíque imbres perpeſſa cadentes
Aruerat diuulſa ſolo: poſtquam illa cruore
Tincta Dei maduit corpus complexa ſacratum,
Floruit, & Stygias radices egit in oras,
Aſtráque & occluſum reſerauit vertice cœlum,
Complectens ramis, & inundans frondibus orbem.
Salue, téque genu ſupplex, & thure Sabæo
Inſidus veneretur Arabs, & ad oſcula pronos
Submittat vultus, meritóſque indicat honores.
CRVX *ô ſancta Dei, ſylua decus: en pauet ingens*
Cerberus, & vanum premit ad tua nomina murmur:
Et trepidi toto latitant Acheronte Ceraſtæ.
Illa olim æthereo Paradiſi conſita in horto
Arbor opaca, ferax, quæ dulci tempora guſtu
Inconſumpta dabat vitámque, annóſque perennes,
Signabat virtute CRVCEM, *quæ contulit Orbi*
Morte triumphatâ, mortis contemnere vires,
Iure igitur CRVX *alma pio tibi fumat odore*
Ignis, & excelſo te magni in vertice Reges
Sublimem geſtare ſolent, auróque nitentem.
Dat pulchras tibi terra roſas, tibi concinit æther
Eximias laudes, vates tibi carmina fundunt.
SPIRABAT *tumidas animo* Maxentius *iras,*
Danubiíque amplas compleuerat agmine ripas,
Affectans terras, ac æthera more Gigantum:
Mille acies ductabat ouans, currúſque ſuperbos,
Et vix armatas capiebant rura phalanges.
Vicini circum populi, totúſque tremebat
Orbis, & immani curuabat ſceptra tyranno.
Conſtantinus opes tanti dùm penſitat hoſtis,
Séque videns equitum turmis ad bella minorem,
Nec tàm præſtantes ſub ſignis ferre cohortes,
Mœſtus erat, curáque animum perculſus edaci
Non poterat dulci committere lumina ſomno,
Cernere, nec vultu cœli conuexa ſereno.
Voluebat tacitus ſecum quibus artibus hoſtem
Luderet, aut ſæua poſſet ſe opponere pugnæ.
Deplorata quidem cernebat cuncta, nec vllum
Suppetere auxilium, quo regna cadentia firmet,
Ni Deus ipſe polo tribuat miſeratus ab alto.

Euictus

Euictus tandem curis, preßúſque ſopore
Non plumis lecto extructo regalia membra
Committit, nec fulcra premit ſubſtrata tapetis:
Sed ſolio innitens ſomnum vix tradit ocellis.
Alta regebat equos iam Luna, atque vltimus ignis
In cineres reſolutus erat, gallíque priores
Ediderant cantus, thalamóque Aurora cubabat.
Cùm ſubitò igniferis deſcendens Nuntius aſtris
Alloquitur Regem: Vanum depone timorem,
Suſpice & in cœlum placido Dux inclyte vultu.
Ille graues oculos cœlo defigit in alto;
Inuictaque CRVCIS *cernit mirabile Signum,*
Cui circum titulus nitido fulgebat in auro:
Victor in hoc Signo referes ex hoſte triumphos.
Confeſtim Princeps detergit pollice ſomnum,
Séque leuat, magníſque replet clamoribus aulam,
Arma petens, clypeúmque ſibi fulgore micantem,
Poſcit equum, tamiámque cupit dare frena volanti
Per medias acies, hoſtémque inuadere ferro.
Aſt vbi Phœbeâ luſtrata eſt lampade tellus,
Fugerúntque atræ diſcuſſa vmbracula noctis,
Decreuit campo ſe Conſtantinus *aperto*
Fundere, & ad pugnam ſenſim prodire cruentam.
Prauia ſigna gerit ſacro circumlita Signo,
Quod clauſis oculis vidit ſub nocte ſilenti.
Buccina rauca ſonat, Martémque accendit ad arma.
Hinc turmas ferus ille ſuas Maxentius *vrget*
Ad belli feralis opus, ſtimulátque fremendo:
Illinc oppoſitæ procedunt ordine gentes
Portantes Fidei vexilla ſalubria noſtræ.
Fit cædes vtrinque, quatit cœlum vndique clamor:
Iam trepidat, pedibúſque labat Maxentius *egris,*
Corripiente metu, CRVCIS *impenetrabile robur*
Tunc primùm ſenſit, cùm vinci poſſe negabat,
Ergo cùm damon Ligni ſimulacra verendi
Aſpiceret iam thure coli, votíſque piorum,
Eius vt effigiem penitus deleret in Orbe,
Iudæis dedit hanc mentem, vt ſub viſcera terræ
Ima, CRVCEM *Chriſti infoderent, ſimul atque latronum.*
Gemma nitens, mundíque ſalus immerſa latebat
Ignota tellure diu, & quò fallere poſſent

Lumina

Lumina quarentum, Veneris de marmore facta
Impoſuêre ſuper ſimulachrum ignobile gentes.
NON *tulit Omnipotens Genitor qui proſpicit alto*
Cuncta polo, abſtruſis terræ latitare ſub vmbris
Pondera ſancta CRVCIS *Scapulis admota beatis.*
Admonet in ſomnis Helenam, *cui tempus vtrumque*
Cingebat diadema potens, vt præpete curſu
Quæſitura CRVCEM *Solymas properaret ad arces.*
Illa volat montes tranſmittens, flumina, valles,
Deuênítque locum, quo CRVX *deſpecta iacebat.*
Foſſores agitare iubet Regina lacertos,
Ac tàm præſtantem manibus iuuat ipſa laborem.
Nunc verſat nitidos, turba ſpectante, ligones,
Egerit & terram, cophiníſque capacibus effert.
Nunc quoque ceſſantes opera ad præclara laceßit
Promptâ manu, validóſque cupit ſuperare colonos.
Tres animoſa CRVCES *inuênit Fœmina tandem,*
Altius effoßâ terrâ, nec ſcire valebat
De tribus appenſi quæ CRVX *fuit inclyta Chriſti:*
Quandoquidem titulus trunco diuulſus ab ipſo
Non poterat planè rem definire latentem.
Macharius *Præſul diuino Numine plenus,*
Qui Solymas *paſcebat oues, verbóque ſalubri*
Reddebat pingues, dubijs fert lumina rebus.
Nam ſpectare placet, quænam de pluribus arbor
Vna foret Chriſti quondam perfuſa cruore.
Fœmina iampridem morbo cruciata iacebat,
Et deſperatâ plorabat mœſta ſalute.
Nil huic profuerat medicis Epidaürus herbis,
Vitáque iam tenui pendebat languida filo.
Egregius Paſtor fuerant quæ ligna latronum
Admouet ægrotæ; ſed fracto in corpore nullam
Sentit opem, pedibúſque grauis velut antè vacillat.
Aſt poſtquam Domini tetigit CRVX *alta iacentem,*
Redditus eſt membris vigor, & vis priſtina cordi:
Pallor ab ore fugit, macies iam pulſa recedit.
Tunc Helena, *vt lignum vidit cæleſte repertum,*
Inflectit genua, & palmas ad ſydera tendit,
Grata ſalutifero defigens oſcula trunco.
Inque loco, theſaurus vbi latitauerat ingens,
Erexit Regina potens memorabile templum,

Atque

Erexit Regina potens memorabile Templum,
Atque Aras centum niueas, & lumina centum
Victuris semper posuit lucentia flammis.
Ex illo Cæsar, Christi iam sacra professus,
Edicto vetuit ne CRVX *sit pœna nocentum.*

Huius etenim relationis compaginem Poëta Catholicus ex Sozomen. *Hist. Eccl. lib. 2. c. 1.* S. Paulin. *Epist. 11. ad Seuer.* Paulo Diacon. *lib. 11.* Nicephor. *libro 8. c. 29.* Seuero Sulpitio, *Hist. Sacr. lib. 2.* & Nostro P. F. Alphonso Ciacon. *de Cruce, c. 32. fol. 107.* qui ad longum eruditè hanc INVENTIONEM recenset, contexuit. De ea in *Breuiario*, & *Missali Muzarabi*, & in cæteris *Hispaniæ.*

QVÆRI solet: *Quo Anno* CRVX *Domini fuerit inuenta?* Cui quæsitui audi Ciaconium Nostrum Biacensem *d. c. 32.* dicentem: *Sordibus igitur solo egestis, praclarissima illa* CRVX, *cum alijs duabus* latronum, *& titulo* CRVCIS *Hebraicè, Græcè, & Latinè à Pilato Præside scripto, 111. die* Maij, *Anno Christi labente* CCC.XX IX. *à tempore* CRVCIS *sepultæ* CC.XCV I. *comparuit, maximo cum gaudio* Helenæ Augustæ, *& fidelium, qui tunc magno numero conuenerant.* Eadem Petrus Ordonius de Zeuallos Noster Gienensis *Hist. Cruc. Triumph. 6. fol. 31.* *Quo anno Crux inuẽta fuit?*

APPARITIO SS. CRVCIS *in Arce Carauaccensi Hispaniæ.*] Hæc secunda Nostratum festiuitas hoc die est, quæ apud *Carauaccam* tanto spiritualis iubilationis affectu percolitur, vt penè circumstantium accolarum oppida ciuibus denudata conspectentur. De huius APPARITIONIS solemnitate scripsère Ciaconius *d. Cruc. c. 35.* Zeuallos *Triumph. 34. fol. 216.* P. Ioann. Ludouic. de la Cerda *de Angel. Custod.* *Festum Apparitionis S. Crucis in arce Carauaccensi.*

ACTA APPARITIONIS SS. CRVCIS Domini apud Arcem Carauaccensem Hispaniæ, ex Ciaconio.

SVCCVRRIT *opportunè hoc loco, maximè admiranda, & celeberrima, decantatissimáque per vniuersã Hispaniam* CARAVACCENSIS CRVX, *ante* CCCC. *annos* CARAVACCÆ *nobilis vrbis Prouinciæ Carthaginensis, quæ hodie populariùs Regnum* MVRCIÆ *appellatur, magnâ religione asseruata; non vllo humano, sed Angelico duntaxat artificio confecta: Ligneæ illa quidem, sed cuius peculiaris arboris materia, ignotum: nisi ex querneâ, vel aliâ paradisiacâ constet. Eius formam, imagine hîc subiectâ, exactè expressimus.* *Caravacca situs.*

Est autem CARAVACCA *ciuitas mediterranea, aspero, & montuoso iugo incumbens, quæ militibus* S. IACOBI Ensigeri *subest, arcem habens munitissimam, præsidio, & armis satis instructam, & subtus multas specus, & latibula continens saxo ipso excauata. Quæ olim, cum Agarenorum imperio pareret, ergastula erant tuta, continendis captiuis Christianis, quos in prædam continuè abducebant. Hanc Agarenus Rex aliquando ingressus, arcem inuisit, & captiuos iussit Christianos proferri, qui intra ergastula tenebantur. Quos vt macie confectos, & pallido eos esse vultu conspexit, sortem hominum, & conditionem seruilem miseratus, ne deinceps ergastulis restringerentur, edixit: ac singulos benignè de patria, parentibus, & arte, quam nossent, percontatus, eos dimittẽdos constituit, vt in Reipublicæ cõmodum liberiùs atque hilariùs suo*

Digitized by Google

quiſque muneri vacaret. Oblatus eſt inter alios Presbyter. Hunc Rex quam artem profiteretur, ſciſcitatus; Sacerdotem ſe eſſe Chriſtianorum reſpondit, & omnes artes, & Regum quamcumque potentiam ſuum miniſterium ſuperare. Rex ſe intueri velle iſtiuſmodi myſterium, ac miniſterium, & vt illud in ſuo conſpectu celebraret, mandauit. Sacerdos contrà reſpondit, deſtitui ſe veſtibus ſacris, & cæteris neceſſarijs ad ſacram rem peragendam, quæ apud Chriſtianos in promptu eſſe ſolerent. Rex continuò iubet, vt è proximo Chriſtianorum oppido omnia peterentur, quæ ad ſacroſanctum Myſterium celebrandum opportuna eſſe videbantur. ARA *intra arcem erigitur. Lapis ſacratus illi ſuperponitur, veſtibus ſacris Presbyter amicitur: calix aderat, panis & vinum conſecranda; &* QVINTO *tunc* NON. MAII *illuxerat, quo ſolemnis* S. CRVCIS INVENTIONIS *feſtiuitas agebatur. Orſurus Miſſam, Sacerdos conſtitit. Cauſam cunctationis Rex ſciſcitatus:* CRVCEM *deeſſe dixit, quæ conſueſſet huiuſmodi miniſterio, & ritibus illo die præſertim, adhiberi. Vix hæc fuerat effatus; cùm, fornice, qui Altari imminebat, dehiſcente, magnus ſplendor effulſit: & per illum hiatum Duo Angeli de cælo illapſi* CRVCEM *Ligneam bipalmarem deferentes, ſuper Altare paratum depoſuerunt. Stupet Rex Agarenus cum ſuis Aulicis, tanto miraculo conſpecto, & Chriſtianis, qui aderant, lachryma obortæ, & ſingultus imo pectore eruperunt, & gemitus: pectus tundunt, clamorem attollunt, & gratias de tanto beneficio vix poterant Deo præ gaudio admirabundi, intonare. Rex cum ſuis Aulicis Chriſtianam fidem complexus, Chriſtianos libertate donauit, & ſacello intra arcem conſtructo, & dicato, Angelicam illam* CRVCEM *intra pretioſam arcam aſſeruandam reponunt, tribus hodie ſeris, & totidem clauibus obſignatam: quarum vnam arcis Præfectus; ſecundam Templi Maximi Primarius Sacerdos; Tertiam Senatus Caranaccenſis habent. Singulis quibuſque annis, die* III. Maij, *quo* CRVCIS Inuentio *colitur, & illa* CRVX *ab Angelis fuit deportata, inſigni pompâ, publicis ſupplicationibus ex arce ad fontem copioſiſſimum, lacum ſuis fluentis efficientem, ferreis clatris obſeptum, deducitur; & ter intra illas vndas ſubmergitur, eiúſque ſacro contactu illa ſanctificantur, ita vt multis morbis, & ægritudinibus deguſtantium ſubueniant, & multis alijs rebus euadant ſalutares. Ad hoc ſpectaculum innumeræ gentes, & populi ex omni vndique* Hiſpania *confluunt* S. CRVCIS *Lignum illud adoraturi. Tantum theſaurum Ordo Sacerdotum primoris Eccleſiæ illius vrbis voluerunt ſibi vendicare, in Templum ſuum inferentes: ſed eum locum* CRVX *dedignata, in proprium arcis Sacellum concedebat: ideo non niſi iureiurando interpoſito, Clero, Senatuique Caranàccenſi concreditur: qui peractis de more ſupplicationibus, continuò ſe reſtituturos arcis Præfecto pollicentur. Mirandum profectò eſt,* CCCC. *& eo amplius annos viguiſſe illud* Lignum, *citra cariem & teredinem, aut vllum vitium, illæſum perduraſſe. Infeſtatur maximè* CARAVACCA *tempeſtatibus frequentibus, tonitruis, & fulminibus, grandine, & lapidibus, quibus pluit, atque his cæli iniurijs arcendis, & auertendis, datum illi ſingulare illud præſidium* CRVCIS. *Quæ mox vt è ſua theca extrahitur, & hiatum illum contigit, per quem fuit primùm ab Angelis tranſmiſſa, continuò omnia conquieſcunt, & tempeſtas ſedata, tranquillitas, & ſerenitas ſubſecuta.*

Hactenus *Ciaconius.* Qui cùm de Regis nomine, vel quo ſeculo hæc euenêre nihil recenſeat, neceſſarium duximus (vt omnia clarè pateſcant) antiquorum Scriptorum, & aliorum recentiorum hiſtorias percurrere, è quibus ſequentia dubia radicitus abſoluamus.

Quo tempore, & ſub quo Rege Agarenorũ hæc facta apparitio eſt?

PRIMVM dubium; Quo tempore, quóue Rege Agarenorum hæc S. CRVCIS Apparitio perfecta eſt? Cui facit ſatis Ioannes de Robles Corualan *de Hiſt. Caranaccenſ. lib. 1. c. 7.* qui ex Ægidio Zamorenſi in *Aduerſar. Hiſtorial. ad Chronic. Iuliani Archipresbyteri,* hoc eueniſſe contendit ad Annum Domini M. CC. XXX I. Quod & probat ex epigraphe literis Arabicis exaratâ circumſcriptis ad oram circuli feneſtræ, quæ lucem Capellæ S. CRVCIS præbet, hac formâ.

Cuius



Cuius epigraphes ſenſum, Latinum fecit *Michaël de Luna* Medicinæ Licentiatus, Regius Linguarum Interpres, & in Arabica inſignis, hac ſerie: *Anno* D. XCIV. *Arabum: Tempore Mahomet:* Abuzeyt *Rex potentiſſimus, & XXX. homines in hoc habitaculo conuerſi fuerunt ad ſaluamenti veram legem, & hoc Dei gratiâ,* CRVCE Duplicata *mediante, quam* Angeli *Dei attulerunt, & alij multi eos comitantes, & adiuuantes ad celebrationem, ad quorum memoriam hæ literæ fuerunt celatæ.* Hinc liquet qualis Rex Agarenus fuerit, cui iſta euenêre, qui fidem Catholicam eſt profeſſus, non ſolùm ipſe, ſed & vxor eius Regina *Hayla*, & duo filij, vt liquet ex alia deſcriptione Arabica, quæ adhuc in pariete prædictæ Capellæ, iuxta feneſtram ſuperius delineatam, viſitur hoc ordine:

Verba Arabica Latina facta nomē Regis offēdunt.

Quæ verba, vt illa explicauit *Michaël de Luna*, ſic conſtrue: *Ego Regina* Hayla (*nunc* Helena) *Regis* Abuzeyt *coniux vnà cum duobus filijs meis, Dei gratiâ ad fidem conuerſa fui, in cuius rei memoriam, hic inſculpta conſpector.* Alibi etiam aliæ Arabicæ inſcriptiones conſpiciuntur, quarum epigraphes breuitatis cauſa relinquimus. Ad rem deuenio; Iſte equidem Rex *Abuzeyt* Valentiæ, Murciæ, & Carauaccæ illo tempore ſceptra tenebat, quorum Regnorum accolæ ſuſpicati de deſertione ſectæ Mahometanæ in Rege, protinus illum de regno rebelles denudarunt, & in Valentia *Zahen* proclamarunt Regem, & in Murcia *Abenhuc* Principem conſtituêre. Ex quo *Abuzeyt* Iacobum Aragoniæ Regem apud *Bilbilim* interpellauit, vt ipſi à Regno tyrannicè expulſo, ob fidem Catholicam amplexatam, opem ferret. Sic Micdes *Hiſtor. Arag. lib.* 5. *c.* 8. à quo Robles *Hiſt. Carauaccenſ. lib.* 1. *c.* 15. Cætera quæ ad huius ſanctiſſimæ CRVCIS Hiſtoriam attinent Lector eruditus adeat *Ioannem de Robles*, qui eruditè breue Opuſculum compilauit, in quo omnia ſuperiùs propoſita dubia prudenti animaduerſione excitat, & antiquorum Scriptorum monimentis, & auctographorum vetuſtorum auctoritatibus, illa, plenis manibus, diluit; & denique inſigniora huius SS. CRVCIS miracula refert.

Alia nominis Regina vxoris.

Quis de hiſtoria huius Crucis ſcripſerit?

SS. ALEXANDER, & ANTONINA Martyres.] Vterque ex *Conſtantinopolitana* vrbe oriundus ex antiquis Eccleſiæ Tabulis dignoſcitur; at non eos ibidem paſſos abſque controuerſia comperies. *Menologium* Græcorum, à quo & Math. Rader. *in Viridar. SS.* 1. *p. fol.* 267. nullo certè modo eorum apud *Conſtantinopolim* ſcribunt agonem, ſed ſolummodo cultum, vt ex ipſis vtriuſque verbis apparet. Audi Menolog. *Eorum* Natalis *celebratur* Conſtantinopoli, *vbi ſanctæ, & pretioſæ illorum reliquiæ reconditæ ſunt, ex quibus multorum morborum curationes ſcaturiunt.* Clariùs Mat. Rader.

B.

Eorũ cultus apud Conſtantinopolim, non paſſio.

Rader. *Illorum* celebritas *agitur* Conſtantinopoli *in Cœnobio Maximini, vbi Sancti illorum cineres repoſiti ſeruantur: vnde agri multi ſalutem velut è fontibus hauriunt.* En ex Græcis, non paſſionem apud *Conſtantinopolim* celebratam, ſed cultum, ob ſanctorum Martyrum cineres ibidem aſſeruatos. Sícque intelligẽdum venit verbum *Natalis* in *Menologio*, quod *Radrus* accuratè vertit in dictionem *Celebritas*, vt errorem effugeret, & ne errandi aliis anſam præberet. Ex quibus, & illud elicies, quia in *Menologio*, & *Radero*, non hac die, *Conſtantinopolitana* refertur feſtiuitas, ſed vterque diuerſis diebus. Menologium Die VIII Raderus Die X. Iunij: ergo non de die Paſſionis Sanctorum, ſed de *Tranſlatione* pignorum egêre. Hoc etiam tetigit P. Biuar. *in Chron. Dextr. Ann.* 100. *Comment.* 2. *n.* 4. *fol.* 203. licèt non ſic digeſtum, & tantum præſumptione fundatum. Ideóque in Martyrologiis Latinis, vbi *Conſtantinopolis* nomen innuitur, non de martyrio intelligas, ſed de cultu Scriptores fuiſſe locutos. Equidem his cognitis ad verum agonis ſitum deueniamus.

Paſſionis locus probatur.

Dextrum auſculta: *Olcadibus in Carpetania Hiſpaniæ Tarraconenſis, non procul à Valentia tranſlati ſunt (vt quidam volunt) & ibidem paſſi* Alexander *Miles, &* Antonina *Virgo III. Idus Aprilis, qui Conſtantinopoli huc venerant, & coluntur Conſtantinopoli, vt Ciues, licèt alibi paſſi ſint illuſtre martyrium, quorum acta paſſim habentur.* Idem *Ann.* 285. tanquam de antiquis Martyribus, ſic: *Olcadibus Hiſpaniæ* Alexander, *&* Antonina *Virgo, paſſi celebrantur.* Poſt relatos, eius Acta ſcribunt *Surius, Cornelius, Graſſis, San Millan, Sanctorus, Vega, Ribadeneyra, Villegas,* & alij Florum-Sanctorum Compilatores. Ea ex antiquis monumentis exſcribemus ſic:

ACTA SS. ALEXANDRI, & Antoninæ Martyrum Conſtantinopolitanorum Olcadibus in Hiſpania paſſorum; ex Metaphraſte, & Dextri ecphraſi.

Origo.

SS. ALEXANDER, & ANTONINA *ex vrbe* Bizantio *Thraciæ orti, ille Miles, hæc Virgo nomen Chriſto dederunt, & illi intrepidè adhæſerunt Catholici. Sed obortа in illis partibus perſecutionis contra Chriſti aſſeclas procella, in* Hiſpaniam *aduentantes, & mediterranea loca perquirentes, ad* Carpetaniæ Olcades *peruenerunt, vbi Deo ſeruientes, & fidem obſeruantes, vitæ curſum, virtutum floſculos colligentes, peragebant. At cùm cœpiſſet temporibus illis ingens perſecutio; inter alios oblata eſt* Feſto *Præſidi* Hiſpaniæ, *homini omnis miſericordiæ experti, ſanctiſſima Virgo* Antonina, *quæ in perferendis pro pietate certaminibus, admirandam fortitudinis, & conſtantiæ ſignificationem dedit. Nam* Feſtus, *vt eam in ſuam ſententiam impelleret, & donis, & muneribus ampliſſimis, & minis horribilibus expugnare perfidè conabatur. At Virgo eius non modo munera reiecit, minaſque contempſit, ſed etiam conſtanter Deos eius; damones eſſe dixit. Quo verbo commotus Præſes, primò maxillas eius alapis cædi, deinde in carcerem, à quatuor militibus abduci, iuſſit. Illa autem lato animo, & hilari vultu, in carcerem abijt, ac ſtatim poſitis humi genibus, nocte, & die precibus Deum ſibi in auxilium popoſcit. Cùm verò tres dies in eo pietatis ſtudio conſtanter egiſſet, repente horribili de cælo tonitru, clauſtra ipſius carceris perfracta ſunt, & ingens lumen obſcuros carceris angulos illuſtrauit, Virginémque vox de cælo cibum, potúmque ſumere hortata eſt, vt inuicto animo, cum Tyranno altera die congredi poſſet. Fecit illa, vt cælitus monita erat, ac placidè ſe ſomno tradidit.*

In Hiſpaniã pergunt.

Antonina comprehenditur.

Cæditur.

In carcere recluditur.

Ab Angelo confortatur.

Inſequenti luce Præſes pro Tribunali ſedens, eam adduci iuſſit, Illa autem protinus adducta, ſublatis cum intima pietate in cælum oculis, iterum Chriſtum innocauit: cúmque Feſtum *in tribunali ſuo ſuperbientem cerneret, leniter ſubriſit:* Tùm Feſtus: Ecquæ (*inquit*) tibi ridendi cauſa eſt? *Cui Virgo:* Dicam equidem: Præuideo iſtud tuum ſolium euertendum, ideóque inanem tuam gloriam riſi. *Senſit Præſes Virginis contumeliam, iuſſítque illam flagellis verberari. Quæ iterum oculis ad cælum ſublatis:* Gratias tibi (*inquit*)

Virgo ad Præſidem.

Digitized by Google

(*inquit*) ago Domine Deus meus, quòd me miseram, & peccatricem famulam tuam, Sanctorum tuorum honore dignatus sis.

His auditis, Præses magis turbatus, cùm se contumelijs peti existimaret, iussit eam ad lupanar abduci, vt omnium exposita libidini vexaretur. Sed Deus, qui suorum cura paterna prouidentia gerit, per Angelum suum, Alexandrum *Commilitonem, & Consocium, annos natum tres & viginti, excitauit, vt Virgini in tantis periculis constitutæ, maturè opem ferret. Is in eam cellam, in qua Virgo erat, ingressus, se ad eius pedes abiecit, & quomodo per Angelum admonitus eò venisset, exposuit. Dum hæc fierent, repente lux magna vtrumque circumfulsit, & vox cœlitùs dimissa;* Antoninæ (*quæ insidias suspicabatur*) *metum omnem ademit, ex quo cognito* Alexandro *Conciue, ipsa ipsius induta chlamyde, vultu in terram demisso, istinc egressa est, & tanquam damula quædam è laqueis liberata, corporis pollutionem euasit.*

In lupanar abducitur.

Ab Alexãdro Conciue liberatur.

Præses missis quatuor militibus, eam è lupanari adduci iussit, vt quibuscunque posset ignominijs afficeret. At milites cùm locum ingressi Alexandrum *inuenirent, vehementer perculsi, manu apprehensum ad Præsidem duxerunt. Quo viso, Præses maiore oppressus admiratione*: Video (*inquit*) quid sit. Tu nefariam illam, à te vitiatam, chlamyde tua contectam dimisisti, quam te vxorem ducturum promisisti; sed meas nequaquam manus effugies. *Sic conuersus ad milites, iussit eum suspendi, & flagellis acriter verberari. Cúmque tormentis fatigaretur, neque tamen vocem vllam, vrgente nequicquam Præside, ederet; ecce* Antonina *diuinitus mota, forti, virilique animo ad Præsidem rediit, qua visa* Festus *mente confusa, ac perturbata, militibus, vt eam quæstionibus subijcerent, imperauit. Ardebat enim scire Præses, nùm ab* Alexandro *vitium passa esset. Cúmque multis eam cruciatibus vrgerent, vt quid cum* Alexandro *egisset, proderet; tandem ait*, Scelerate, & crudelissime Præses, nos neque tuæ crudelitatis, neque libidinis participes sumus, nam Deus ipse cui seruimus, me sua misericordia incorruptam seruauit.

Comprehẽditur Alexander.

Torquetur.

Antonina succurrit.

Festus *hoc responsum admiratus, cùm nullo modo eos, vt Dijs sacrificarent, impellere posset, amborum manus abscindi iussit. Illi verò, prolata sententia, mox manus extendentes, amputandas obtulerunt: Eo affecti supplicio, cùm generosi Christi milites eandem animi fortitudinem, constantiámque reseruarent*, Festus *in furorem conuersus, ingentem in quadam fouea pyram excitari iussit, inque eorum arida pice vehementer flagrantem, Martyres conijci; ne vlla ipsorum memoria, ossibus eorum in cinerem redactis, deinceps staret. Cúmque hæc omnia ex animi sui sententia perfeciisset, Martyres succensi ad coronam peruenerunt æternam* v. Non. Maij *Anno IC. Domini*, Imperante Domitiano. *Sanctorum cineres postea in Constantinopolim translati fuere de quo festum concelebrauit die X. Iunij.*

Vtrius manus amputantur.

Flagellãtur.

Coronãtur.

Hactenus Acta; quæ pleniora retulimus, vt Sanctorum Martyrum originem agnoscas, & ipsorum locum agonis non ignores. Ex *Constantinopolitana* vrbe oriundos diximus, vt *Menologij*, & *Raderij* ex Græcis inconstantiam suppleremus. Illud ex *Castello Cardemo*; Iste ex *Dardamo vico* natos contendit; & quia vtriusque aut castelli, aut vici vicinia *Constantinopolitanæ* ditionis fuit, ideò ab vrbe ortos fatemur.

Quo loco oriundi?

Quantum *Dextri* opinioni deferat *Festi* Præsidis *Hispaniæ* commemoratio, ipso illo tempore, quo agonem Martyres impleuêre, ex Inscriptione *Pontis Alcantare*, vbi Decreto Senatus Domitiani nomen deletum est, auscultа:

Festi Præsidis memoria in Hispania.

IMP. CÆS. VESPASIANO AVG. PONT. MAX.
TRIB. POT. X. IMP. XX. PP. COSS. IX.

.....

.....

CALPETANO RANTIO QVIRINALI
VALERIO FESTO LEG. AVG. PR. PR.

De qua inscriptione, & tempore erectionis videndi Ambros. Moral. *lib. 9. c. 25.*

Digitized by Google

P. Biuar. *ad Dextr. in Chron. Ann.* 100. *n.* 4. *fol.* 293. *Comment.* 2. Aliam ſimilem Inſcriptionem apud *Gallaciam*, refert Gruter. *fol.* 350.

Quo Anno paſſi? Quatenus ad paſſionis annum, *Martyrologium Romanum*, neſcio à quo deſumpſit, imperante *Maximiano*, illos martyrio coronatos ſcribit; quando nec acta ipſiſſima à *Metaphraſte* concinnata, à *Lippomano* exſcripta, & à *Surio* relata tale quid dixerint, imò nec *Menologium*, nec *Raderus*, nec *Alexander de Peregrinis*, nec *Felicius Conſtantius* in ſuis Martyrologiis. Ergo ſignum eſt, olim ignoratum fuiſſe agonis tempus; quod procul dubio ad annum XCVIII. aut IC. acçidiſſe ex *Dextro* fatendum eſt, vtinquit P. Biuar. *vbi ſupra.*

Quo loco? De Paſſione apud *Olcades Carpetaniæ* iam ex *Dextro*, eiúſque Commentatoribus probauimus; nunc ex *Auli Hali* codice MS. meo peruetuſtum Epigramma ſubiicimus, in quo poëſeos rationem non ſpectes.

PRO SS MARTYRIBVS CONSTANTINOP. Alexandro, & Antonina apud Olcades Hiſpaniæ paſſis.

Patria communes dimiſit Martyres Olca,
Vnus Alexander, *Altera &* Antonia.
Olcadibus *dedit almos* Carpetania *Diuos*;
Bizanti quamuis quilibet ortus erat.
Demum martyrio lubens coronatur vterque,
Ille redempta hæra, Illa reducto viro.

Topographia. OLCA, ſeu OLCADES, Antiquiſſima *Hiſpaniæ* vrbs in *Carpetaniæ* agro, condita (vt creditur) ab Hebræis, quos Nabuchodonoſor in exilium miſit, & ad *Hiſpanias* aduexit Nabu-zardam eius Dux. Poſtmodùm verò illius vrbis ſitum occupauere *Hiſpani* vetuſtiſſimi, quos OLCADES dixêre, à quibus nomen inditum vrbi, vt fatentur Roder. Mendez in *Populat. Hiſp. fol.* 40. & P. Quintana-Dueñ. *Hiſtor. SS. Toletan. fol.* 414. Eius meminit Polybius *lib.* 3. *Hiſt.* vbi refert quod mortuo Amilcare Carthaginenſium Duce, eius loco Annibal ſuffectus eſt, qui *accepto imperio nihil cunctandum ratus, exercitum in* OLCADVM *fines, velut ad ſubuertendum eos, duxit.* Ferè eadem T. Liu. *lib.* 21. vbi de hiſce Populis frequens mentio eſt. De qua videndus Ludouic. Non. *in Hiſpan. c.* 47. qui ex auctoritate *P. Marianæ* illam hodie OCAÑA vocat.

Conditor.

C. B. PASCHASIVS ARNVGVS Eremita.] Iſtius ſanctiſſimi Confeſſoris memoria adhuc inter Eccleſiaſticas tabulas licèt ſcripta non fuerit, ex quo in Martyrologiis eius non inuenitur nomen, nihilominus apud Noſtros in pretio fuit, & eſt, propter miram ipſius ſanctitudinem, & frequentem miraculorum operationem. De ipſo Iulian. Petri *in ſuis Carminibus fol.* 156. hoc conſarcinat elogium: *Contemporaneus meus* PASCHASIVS *Ciuis Toletanus, Vlmeti domum habens, vita, ſigniſque mirabilis claruit in vita, & in morte. Peregrinatus eſt in terram ſanctam Ieruſalem; inde rediens ædificauit domum in laudem* S. Crucis, *quam ipſe dilexit, paupérque fuit; in cuius ego laudem verſus feci, qui incipiunt:*

Scriptores de B. Paſchaſio.

Sub Cruce, ſub Chriſto, dùm corpore vixit in iſto.

Quia ſigno Crucis multa fecit mirabilia. Obyt ibi die noto S. Crucis Maij, Era. M. C. L. XXIII. Vir ſanctus fuit. Hucuſque Iulianus D. D. Prudent. de Sandoual Epiſcopus Pampilonenſis. Regius Chronographus *in Vit. Imperatoris Alphonſi VII. folio* 200. agens de aduentu ad Hiſpanias Almohadium Sarracenorum, refert plurimos ſanctiſſimos Viros Muzarabes à ſuis vrbibus diſceſſiſſe propter huiuſmodi Agarenorum ſæuitiam, inter quos enumerat *Clementem* Archiepiſcopum Hiſpalenſem, qui relictâ Sede, apud *Eluoram* Carpetaniæ, hodie *Talauera*, diem clauſit ſanctus

Digitized by Google

ſanctus Vir, & lingua Arabica inſignis, indéque ſic proſequitur: *Alter ex exulibus fuit* ARNVGVS *Sanctus Eremita, qui ad* Vlmetum *acceſſit, & iuxta vrbis mœnia in montis cacumine ad Septentrionem extruxit Eccleſiam ſub titulo* S. Crucis, *quæ nunc Monialibus Commendatarijs S. Ioannis Maltenſis, vrbis Zamoræ, paret. Vitam, & ſanctitatis famam indigitant antiquæ literæ in marmore inciſæ, quæ ſancti Viri acta recenſent, huiuſmodi.*

Sub Cruce, ſub Chriſto, dum corpore vixit in iſto.

Marmor eſt ſimile alabaſtro, literæ in circulo integro inuiſuntur, in cuius medio gryphi imago reſpicitur: in altera obali ſuperficie, Solis; in altera Lunæ deficientis, in medio Stellæ characteres conſpiciuntur. Hæc Sandoualius. Acta à nemine ſcripta, ſic extendere opus erit.

ACTA B. PASCHASII ARNVGI Preſbyteri Toletani, & Eremitæ Vlmetenſis, ex Varijs.

PASCHASIVS ARNVGVS *genere fuit* Hiſpanus, *& origine* Toletanus, *ex antiquis illius vrbis nobilibus Gothis, quos Sarracenorum* Hiſpanias *inuadentium, inter ipſos vitam agere, & fidem Chriſti conſeruare, titulo* Muzarabum, *aut inuaſionis pactio, aut neceſſitatis conuentio permiſit. Illinc cum cæteris Catholicis* PASCHASIVS *populi, & regni captiuitatem lachrymabiliter deplorabat, & à Deo antiquam regionis, & religionis libertatem depoſcebat. Hanc demum accepit vrbs Regia, opera, & ſtrenuitate* Aldephonſi VI. *Catholici Caſtellæ, & Legionis Regis, qui vrbem recepit die Dominico,* XXV. Maij. *S. Vrbano Pontifici, & Martyri dicato, Era* M. C. XXIII. *Anno verò Chriſti* M. LXXXV. *Quanto hoc acciderit Chriſti aſcetarum gaudio, & tripudijs, ipſa Hiſtoriarum ſeries manifeſtat. Igitur optata hæc cùm euenijſſent, S. Vir* PASCHASIVS, *iam factus Presbyter, aut voti vinculo, aut pietatis affectu, ſancta vrbis Ieroſolymitanæ loca, vbi noſtræ fuit redemptionis palæſtra, viſitare diſpoſuit. Hoc ergo animi deſiderio* Toletum *relinquens, periculoſum, inter tot quæ illo tempore pullulabant in Oriente bella, eſt iter aggreſſus. Qui luſtratis illis ſacratis locis in* Hiſpaniam *repedauit, & apud* Hiſpalim *vela ſoluens, ibidem, pro tunc, ſedem fixit, vbi charitatis officia miniſtrans, & Chriſtianorum neceſſitatibus occurrens, coram Deo, & hominibus acceptus mirabiliter euaſit. In hiſce virtutum diſtentus ſtudijs, mirificè florebat, quando effera Almohadum Agarenorum ſecta in Mauritaniæ angulis pullulare, & Arabum animos depaſcere cœpit, tanta illorum populorum ſtrage, vt ſubuerſis antiquorum rituum perfidi Pſeudopropheta vinculis, & Almoranidum viribus, ad vſque Regni ſceptrum conſcendere fuerit auſa. Igitur Marrochiorum imperium Abdelmon filius figuli, occiſo Albohali illorum Principe, gubernandum per tyrannidem, cùm ſuſciperet,* Hiſpanias *aggredi, eiúſque vrbes euertere, Chriſtianum nomen extinguere, & omnia Catholicam religionem redolentia delere, Almohadio, eius hæreſis auctore, curante, & ſuadente, immenſo milite, decreuit. Hùc appulſus, Bæticæ omnes ferè vrbes abſque controuerſia recepit, in quibus Chriſtianos Muzarabes, quos aliorum Regum munificentia permiſerat, aut gladius abſumpſit, aut error Sarracenorum vitiauit, aut fuga ſaluos à diſcrimine ſeruauit. Inter hos* B. Clemens *Hiſpalenſis Archiepiſcopus diſceſſione furorem fefellit, qui* Eluoram *Carpetaniæ adiens, ibidem inſigni ſanctitatis odore vitam exuit. Itidem ex profugis* PASCHASIVS *numeratur Noſter, qui relicta* Hiſpali, *non in patriam, vt meliori, Deo deſeruiret, fruge, ſed* Vlmetum *Vacceorum vrbem properauit. Ibidem relictis mundi illecebris, Oratorium extruxit, vbi ſimulachrum* Crucis Viuificæ, *cui erat intenſa deuotione addictus, erexit. Ibidem in paupertate concupita, licèt diuite, ſigno* Crucis, *miraculorum gaza, Presbyter Eremita vitæ perfecit laudabilis excurſum, quouſque ad meliora domicilia, cùm ſe ad ea ornatu aptaret*

Origo.

Presbyter fit.

Ieroſolymã pergit.

Hiſpalim reuertitur.

Aduerſus Muzarabes perſecutio.

Clemens Hiſpalenſis Epiſcopus vrbem deſerit.

Paſchaſius Vlmetum deuenit.

Eccleſiam S. Cruci dicat.

taret virtutum, viaticúmque myſticum corrogaret, fronte compoſita, non vt eiectus, ſed vt emiſſus, migrauit v. Non. Maij *Anno Domini* M. C. XXXV.

Moritur. *Ad cuius ſancti Conciuis, & contemporanei ſarcophagum, hoc* Iulianus Petri *Archipresbyter Toletanus diſpoſuit, & poſuit carmen ſepulchrale:*

Sub Cruce, ſub Chriſto, dùm corpore vixit in iſto,
Cœlica facta dedit, quem lapis iſte tegit:
Ordine tam pulchro ſancto dominante ſepulchrò,
Pauperiem voluit ſemper, & hanc docuit.
Cœlitus adiutus, pacis anxius, indéque tutus
Hoc ſibi fecit onus, quod tenet iſta domus,
Hanc ſublimauit viuens, moriénſque beauit;
Auctam diuitijs, moribus atque pijs.
Preſbyter inſignis, fulgens vt ſtella, vel ignis:
Hic fuit abſque dolo, regnat & ipſe polo.
Mille trahunt centum, ſeptuageſima, ARNVGO.

Eius Epitaphium.

Et addit meus MS. Codex:

Cum tribus Eram ſi numeres Hiſpaniæ.

Mortis Annus.

Sandoualij lapſus. Hinc eſt notandum PASCHASIVM Noſtrum non *Monachum*, vt innuit *Sandoualius*, ſed Presbyterum fuiſſe ſecularem; & licèt eremiticam vitam duxerit S. iſte Vir, non ex hoc *Monachus* cenſendus eſt. Nec minus monaſterium exſtruxiſſe, ex verbis epigrammatis elicitur, ideóque ecphraſi *Iuliani*, qui PASCHASII ſynchronos fuit, adhæreo; in qua nulla de *monachatu*, nec de erectione cœnobij mentio colligitur.

Topographia. VLMETVM vrbs Vacceorum antiqua, vt ex Florian. de Ocampo *lib.* 3. *Hiſt. Hiſpan. c.* 40. liquet. Hodie OLMEDO, villa in Epiſcopatu *Abulenſi*; De qua agunt plures, quos refert Roderic. Mendez in *Populat. Hiſpan. fol.* 36. Medina *de Magnitud. Hiſpan. lib.* 2. *c.* 115.

D. Venerabilis IOANNA cognomento *de la Cruz* Virgo.] Licet nondùm ſit inter Sanctos relata, eius memoriam recolunt Arturius à Monaſterio in *Martyrol. Franciſcan. h. d. fol.* 173. huiuſmodi elogio: *In Territorio* Toletano *iuxta* CVBAM *Pagum* B. IOANNÆ à Cruce, *Virginis Tertiariæ, quæ ob miras eius virtutes Abbatiſſa electa, oratione, patientia, paupertate, ac vitæ auſteritate maximè floruit: quam Dominus ſpiritu prophetico; dono linguarum, & gratiâ miraculorum, in vitâ & poſt obitum, copioſiſſimè exornauit.* Auguſtin. Vvichmans in *Diar. Eccleſ. fol.* 20. huiuſmodi: *In Monaſterio* S. Mariæ de la Cruz, *in* Hiſpania, *Natalis glorioſæ Virginis* IOANNÆ de la Cruz, *quæ poſtquam miraculoſas indulgentias, etiam contra peſtem, è cœlo impetraſſet, ab Angelo vocata, inter paſſionis Dominicæ lectionem, ad Sponſum euolauit.* Idem in *Apothec. ſpiritual. Pharmacor. c.* 54. *fol.* 259. plura de ea differit *Gonzag. Hiſt. Ordin. Minor.* 1. *p. in BB. Fœmin.* 2. *&* 3. *Ordin.* Barez *in Chron. Minor. lib.* 2 *cap.* 23. *vſque ad* 36. Galter. *in Coſmograph. ſæcul.* 16. *fol.* 546. Algezir. *in Arbor. Epilog. Poyraus Triplicat. Coron. Virg. tractat.* 3. *c.* 4. §. 4. *n.* 7. Mariet. *Hiſtor. SS. Hiſpan. lib.* 19. *c.* 20. *&* 21. Marian. *libro* 5. *cap.* 11. Elzear. *in ſacr. Mont. Oliuet. libro* 3. *cap.* 4. Valerianus *de SS. Fœmin. Ordin. Minor. lib.* 4. *à c.* 20. *vſque ad* 27. & alij ab Arturio relati *fol.* 174. §. 6. Eius Acta ſcripſêre nonnulli ex Noſtris patrio idiomate; ſed Latino ſermone *P. Cornelius Thielmans.* Aſt quia nondum à Sede Apoſtolica eſt Beatis adiecta, eius vitæ epilogum ex *Arturio* per tranſennam dabimus, ſic:

Scriptores.

Acta per ſynopſin. *Naſcitur Anno* M. CCCC. LXXX I. *in Diœceſi* Toletana, *ex parentibus honeſtis, ac Chriſtianis. A iuuẽtute eximia pulchritudine decorata eſt: ſed virtute venuſtior erat; nam pueritia fugiens ætatis, Chriſto Sponſo iam placere ſatagebat. Annos ſeptem nata, matre orbata eſt: túneque ipſa cœpit pœnitentiæ operibus operam dare: abſtinentia erat non vulgaris: ſemel tantum in die comedebat: in pane, & aqua ieiunia obſeruabat: imò duobus, aut*

Digitized by Google

aut tribus diebus etiam à cibo omnino abſtinebat. Cilicium deferebat ad carnem: diſciplinis vſque ad ſanguinis effuſionem, corpuſculum edomabat, ſummè cupiens monaſticam vitam profiteri. Cùm igitur Decimumquintum annum attigiſſet, ad Monaſterium Tertiariarum S. Mariæ de Cruce *D. Paſſ. à Pago* Cuba, *Toletanæ diœceſis ſitum (illi enim Sacra Deipara ſuaſerat, vt ſe illuc Deo in poſterum famulatura conferret) profecta eſt; ſororéſque cum lachrymis rogare cœpit, vt ſe in earum conſortium admittere vellent. Quæ tandem ab illis recepta, totius ſanctitatis forma omnibus facta eſt; adeóque in omnium virtutum genere profecit, vt facillimè ſuæ vocationis auctricem prodiderit. Mira fuit eius paupertas, vitaque auſteritas, ac pœnitentia: orationi maximè addicta erat, ſed Crucis, ac Paſſionis Chriſti myſteriis ſupra modum delectabatur; ita vt ſæpe in eceſtaſim raperetur: quo tempore ſecreta diuina pandebat, & abſcondita cordium reſerabat: linguiſque diuerſis loquebatur, hinc miraculis ingentibus à Domino illuſtrabatur. Ea propter ad regendam Abbatiam eligitur; quo munere accepto, ſororibus ex tempore ſuaſit, vt totius rei domeſticæ cogitatum in Domino iactantes, ſéque omnino illi credentes, egrediendi libertate, quâ gaudebant, ex ſolemni voto renuntiarent, quatenus diuinorum contemplationi myſteriorum plenius vacare poſſent. Cuius denique operâ factum eſt, vt ab eo tempore, Quartum quoque Votum huius loci Religioſæ emiſerint, inuiolabilis ſcilicet clauſuræ. Tunc nomen huius ſanctiſſimæ Virginis per vniuerſam* Hiſpaniam *celeberrimum euaſit, quam ob rem ex diuerſis partibus, Nobiliſſimi quoque Viri ad eam confluebant, ſéque, atque eorum grauiſſima negotia, ab ea Omnipotenti Deo commendari maximè exoptabant. Multa etiam patientiſſimè tulit aduerſa: multas æquo animo ſuſtinuit calumnias: ſæpè etiam à dæmonibus vexata, & pugnis laceſſita, in patientia victoriam reportabat. Quid de magnis, acerbiſque illius infirmitatibus? Ea omnia pro Chriſto libentiſſimè tolerabat. Tandem omnibus Sacramentis debitè ſuſceptis feliciter obdormiuit in Domino* v. Non. Maij, *Anno* M. D. XXXIV. *ætatis ſuæ* LIII. *Dominica die, hora* VI. *pomeridiana. Cuius ſacrum Corpus, diebus Quinque manſit inſepultum, ob concurſum populorum, illud deuotè viſitantium, quibus expletis, tumulatum eſt in Clauſtro Monialium. Verùm creſcente piâ fidelium deuotione, exinde tranſlatum eſt in chorum Eccleſiæ Abbatialis, propè ſummum Altare, à cornu Euangelij, & in honorificentiori ſepulchro collocatum, vbi maxima veneratione colitur; ob præclara, quæ Deus illic operatur, miracula.*

Moritur.

Tumulatur.

De *Granis Roſarijs* per interceſſionem huius S. Virginis, Angelo Cuſtode mediante, à Deo ipſo benedictis, multiſque gratiis decoratis, plura apud Noſtros, aliqua apud Vvichmans *d. c.* 54. vbi indulgentias à Domino conceſſas, à Romanis PP. Gregorio XIII. & Paulo V. fuiſſe confirmatas refert.

Grana Roſarij à Domino benedicuntur in cœlo.

QVARTO NON. MAII.

DIES IV.

A. S. Licinianvs *Carthaginis Spartariæ, in Hiſpania Epiſcopus, &* Securæ *natus, fuit doctrinis & in Scripturis doctiſſimus, qui cum* Conſtantinopoli *exularet, veneno occubuit; ſed iuſtus quacumque morte præoccupatus fuerit, anima eius in refrigerio erit.*

B. Cordubæ V. Alvarvs, *vt quidam credunt* S. Eulogij *Martyris, & Epiſcopi Toletani electi, frater, eiúſque amicitiâ, & fide coniunctiſſimus, fuit nobiliſſimo Gotho-*

rum

Digitized by Google

rum genere procreatus; ſed doctrinâ, pietate, & aliis virtutum cumulis nobilior, ſanctiſſimè moritur.

NOTÆ.

A. *Scriptores Eccleſiaſtici.*

SANCTVS LICINIANVS Epiſcopus.] Acerrimus fuit fidei Catholicæ defenſor, & Arianæ hæreſis perſecutor; de quo S. Iſidor. de Scriptor. Eccleſ. iſtud adnectit elogium: LICINIANVS *Carthaginis Spartariæ Epiſcopus, in ſacris Scripturis doctus, cuius quidem nonnullas Epiſtolas legimus: De Sacramento Baptiſmatis vnam, & ad Eutropium Abbatem, poſtea Valentiæ Epiſcopum, plurimas. Reliqua induſtriæ, & laboris eius ad noſtram notitiam minimè peruenerunt. Claruit temporibus Mauritij Auguſti. Occubuit* Conſtantinopoli *veneno, vt ferunt, extinctus ab æmulis. Sed, vt ſcriptum eſt, Iuſtus quacumque morte præoccupatus fuerit, anima eius in refrigerio erit.* S. Marc. Maxim. *in Chron. Ann.* 585. agens de Porcellorum Hiſpana familia, proſequitur: S. LICINIANVS *Carthaginis Spartariæ Epiſcopus, & S. Pontius Porcanus Abbas Lirinenſis, ex hac gente fuerunt; maximi in Hiſpania, Gallidque Fidei defenſores.* Et *Ann.* 588. mortem ipſius indigitans, ait: *Conſtantinopoli moritur, non ſine vehementi ſuſpicione veneni,* LICINIANVS *Carthaginis Spartariæ Metropolitanus.* Iulian. Petr. *in Aduerſ. n.* 463. *fol.* 130. licèt in excuſis nomen vitiatum, ſic: S. LICINIANVS *EPISCOPVS Carthaginenſis ſecuræ (vt quidam volunt) natus, præceſſit in Sede Dominicum, & Fulgentium bis Epiſcopum Carthaginis.* Et n. 464. proſequitur: S. LICINIANVS *Archiepiſcopus Carthaginis Spartariæ tempore Mauritij veneno perimitur, ab aduerſarijs hæreticis; hoc eſt anno D. LXXXV. Quarta die Maij. Vt Sanctus habetur à BB. Iſidoro, & Ildephonſo.* Sic legendum ex antiquis MSS. de eo ſcripſerunt præter relatos, P. Ioannes Marquez *de origin. Eremit. S. Auguſtin. pag.* 15. Gordon. *in Chronol. Ann.* 584. *fol.* 197. Trithem. *de Scriptor. Eccleſ. fol.* 244. Moral. *Hiſt. Hiſp. lib.* 11. *c.* 70. Padill. *Hiſt. Eccl. Hiſp. tom.* 2. *Cent.* 6. *c.* 50. Vaſſ. *in Chron. Ann.* 591. P. Martin. de Roa *Hiſt. Malacit. c.* 12. *fol.* 38. P. F. Alphonſ. de Varg. *Hiſt. B. M. Hortanæ. c.* 1. *fol.* 13. Caſcales *Hiſt. Carthag. Diſcurſ. fin. fol.* 426. Roder. Caro *in Not. ad Maxim. in Chron. Ann.* 585. *fol.* 203. *lit. E.* R. P. F. Thom. de Herrer. *in Alphabet. Auguſtinian. lit. L. fol.* 2. M. Ægid. Conſ. Dauil. *Hiſt. Carthagin. fol.* 305. Biuar. *in Not. ad Max. fol.* 632. & 665. Ex quibus huiuſmodi acta compagino.

Hiſtoriographi.

ACTA S. LICINIANI EPISCOPI Carthaginis Spartariæ Hiſpaniæ ex M. Maximo, & aliis.

Origo.

Natiuitas, & educatio.

Fit Epiſcopus.

LICINIANVS *ex Nobiliſſima Romanorum familia, quæ* Porcellorum *in* Hiſpania Tarraconenſi, *vrbe* Bigaſtro, *dicitur, originem traxit. Hic* Securæ *natus, & in* Seruitano *cœnobio, à* S. Donato *exſtructo, nutritus, liberalibus ſtudijs edoctus, & virtutibus ornatus, ad Sedem* Carthaginis Spartariæ *Metropoliticam, Cleri, & Populi ſuffragijs, diuinâque diſpoſitione deuenit. In huiuſce oneris, & honoris culmine plurimis ab hæreticis eſt perſecutionibus impetitus, ſed à Deo cuius cauſam gerebat liberatus, duplicatis viribus illorum errores ſic arguebat, vt nullus ipſius veritatis fulmini reſiſtere poſſet. Per idem tempus* Vincentius *Cæſaraugustanæ Eccleſiæ Epiſcopus,* Leouigildi *Regis blanditijs, doniſque à fide Orthodoxa deſciuerat, & impietatem Arianæ perfidiæ, non abſque totius orbis Hiſpanici ſcandalo, induerat, ex quo* LICINIANVS *Noſter, &* Seuerus *Malacitanæ Eccleſiæ Epiſcopus, iunctim libellum aduerſus apoſtatam Epiſcopum ſcripſêre. Cuius apologiæ ſtylus cùm ad Regis perueniret auditum, aduersùs ſanctiſſimos Præſules indignationis arma conuertens,*

Redarguit Vincentium.

conuertens, LICINIANVM *è medio tollere, & ex* Hiſpania *aliò exulare curauit. Tunc apud* Ebuſum *Inſulam ſub Carthaginenſi Epiſcopatu comprehenſam, quidam* Vincentius *Vir illiteratus, & parùm cautus, tanquam ſubditus conſuluit* LICINIANVM *circa quaſdam Epiſtolas, quæ credebantur de cœlo cecidiſſe Romæ, in memoriam S. Petri. Cuius conſultationi hæc reſpondiſſe legitur.* *Relegatur.*

INTER varias tribulationum anguſtias Nos non piguit, cogente charitate Chriſti, hæc qualiacunque ſint ad Sanctitatem veſtram, verba dirigere, inſinuantes accepiſſe Nos literas veſtras, & de veſtræ ſoſpitatis bono gauiſos: ſed in eo non minimè conſtricti ſumus, quòd literas cuiuſdam, quas ad Nos direxiſti, ſicut tuæ indicant literæ, ſuſceperis, & de Tribunali eas populo feceris annuntiari. Ego verò mox à te tranſmiſſas accepi, in præſentia ipſius perlatoris; exordium ipſarum literarum legens, & non patienter ferens, nec dignum ducens, nænias ipſas perlegere, ſtatim ſcidi; & in terram proieci, admirans, quòd iis credulus fueris, & poſt Prophetarum vaticinia, Chriſti Euangelia, Apoſtolorúmque Epiſtolas, neſcio cuius hominis literas, ſub nomine Chriſti factas, eius eſſe credideris, vbi nec ſermo elegans, nec doctrina ſana poterat reperiri. In principio ipſius Epiſtolæ legimus: Vt dies Dominicus tollatur. Quis enim Chriſtianus, non propter ipſum diem, ſed propter Reſurrectionem D. N. Ieſu Chriſti, eò quòd à mortuis in ipſo reſurrexit, reuerendiſſimum non habeat? Sed, quantum ſentio, nouus ipſe prædicator hoc dicit, vt Nos iudaïzare compellat, vt nullus ſibi in eodem die neceſſaria victus præparet, aut viam ambulet. Sed hoc quàm peſſimum ſit S. T. perpenda. Vtinam Populus Chriſtianus, ſi die ipſo ad Eccleſiam non frequentat, quid operis faceret, & non ſaltaret? meliúſque erat viro hortum facere, aut iter agere; mulieri colum tenere, & non (vt dicitur) ballare, ſaltare, & membra Deo benedicta ſaltando malè traijcere, & torquere, &. ‡ excitandam libidinem nugantibus cantionibus reboare. Abſit ergo à S. T. credere, vt Epiſtolæ nunc nobis mittantur à Chriſto: ſufficiat ergo, quòd locutus eſt in Prophetis, & per ſe ipſum, & per ſuos Apoſtolos: nam & iis non litteras mittebat de cœlo, ſed Spiritu ſancto eorum corda replebat. Exceptis enim decem præceptis, quæ in Tabulis lapideis viſibiliter Moyſi data ſunt, ad nullum Prophetarum, vel Apoſtolorum Epiſtolæ miſſæ ſunt de cœlo. Non igitur credas, quæ nunquam facta leguntur: quod ſi & facta eſſent poſt prædicationem Euangelij, iam neceſſaria non ſunt: & ſi fortè ipſum nimis nouum te delectauit, quia ipſa Epiſtola, ſicut Lator ſcripſit, de cœlo deſcendit ſuper Altare Chriſti, in memoriam S. Petri Apoſtoli, Diabolicum noueris eſſe figmentum: & omnem Scripturam diuinam, Epiſtolam, aut Epiſtolas eſſe cœleſtes, & ad nos de cœlo eſſe tranſmiſſas. Emendet ergo, quod temerè credidit S. V. & in præſentia Populi, ſi penes te eſt ipſa Epiſtola, reconde; & hoc te pœniteat, quod de tribunali eam feceris recitari. B. Apoſtoli ſequens doctrinam, quid inter cætera ad Galatas ſcripſit: Si quis euangelizauerit vobis, præter id quod accepiſtis, anathema ſit. Et illud Euangelij: Omnis lex, & Prophetæ vſque ad Ioannem prophetauerunt. Deinceps ſi qua noua, vel inuſitata diuulgata fuerint, omnino abiicienda, & deteſtanda S. T. nouerit. Ora pro me Domine ſancte, & in Chriſto chariſſime frater. *Scribit ad Vincentium Epiſcopũ.* *Gal. c. 1.* *Matth. 11.*

ITIDEM *eidem* Vincentio Ebuſitano *dubitanti cuius ne fuerit Epiſtola Canonica, quæ* IACOBI *nomine circumfertur, an Maioris, an Minoris? reſcripſit, contendens fuiſſe* S. IACOBI Zebedæi, *vt opinio apud Hiſpanos vulgatiſſima fatebatur, cuius Epiſtola ſtylus talis eſt.* *Iterum eidem Epiſcopo reſcribit.*

DOMINO

Digitized by Google

DOMINO SANCTO, AC CHARISSIMO Fratri Coëpiſcopo, Licinianus *Carthaginis Spartariæ Metropolitanus, ſalutem in Chriſto.*

LECTIS litteris S. T. miratus ſum, cur dubitaueris in re, quæ per Hiſpanias vulgatiſſima eſt, cuiuſnam ſit Epiſtola Iacobi Canonica, , an Iacobi fratris Domini, an IACOBI Maioris filij Zebedæi. Omnes in Hiſpania pro comperto tenemus, ſcriptam à S. Apoſtolo, mox vbi ex Hiſpania reuerſus eſt Ieroſolymam : & ſic eſt prima, & antiquiſſima Scriptura Noui Teſtamenti, quam ſcripſit Chriſtianis ex Iudaiſmo conuerſis, qui in Hiſpania tunc erant. Nam ex Scripturis antiquiſſimis conſtat, Hebræos partim ex ipſa Ieroſolyma, partim ex Babylone veniſſe in Hiſpanias ex duodecim Tribubus, quæ erant per Hiſpanias diſperſæ; nec poteſt dari alia ſolemnis diſperſio, præter Babylonicam iſtam. Et decuit, vt quibus S. Apoſtolus in Hiſpania prædicauerat, his Epiſtolam mitteret. Nam Iacobus Minor ſemper verſatus eſt Ieroſolymis, nec aliquò prædicationis gratiâ profectus eſt, vbi poſſet duodecim tribubus prædicare. Nam ideò ab Apoſtolis S. Iacobus Minor creatus eſt Epiſcopus Ieroſolymitanus, vt illi populo rebelli præeſſet, nec queri poſſet meritò, deſertum fuiſſe ab omnibus Apoſtolis. Nec te moueat aliter ſenſiſſe Euſebium Cæſarienſem, quia cùm ille Græcus eſſet, & valde remotus ab Hiſpanis, eorum res non potuit exactè ſcire, nec euentus noſſe. Hæc eſt traditio Hiſpaniæ, ſic in Miſſa S. IACOBI legimus; ſic docet tota Hiſpania, & Gallia Narbonenſis: & credo Maiores noſtros, cùm in hanc prouinciam deſcenderent, ab indigenis eam etiam conſeruaſſe. Hæc doce, & propone populo tuo, quod ab omni ſpecie erroris expers eſt. Ora pro me Sancte, & Venerabilis Frater.

Alia eius ſcripta.

SCRIPSIT *etiam* S. LICINIANVS *plurimas alias Epiſtolas, vt inquit* S. Iſidorus, *& præcipuè vnam de ſacramento Baptiſmatis, & ad* Eutropium *Abbatem Seruitanum, pòſt, Epiſcopum Valentinum, plurimas*; & S. Gregorio Magno *aliam, quæ inter libros Moralium inuenitur. Hiſce quippe Paſtoris vigilantiſſimi ſtudijs inuolutus, continuò contra hæreticorum errores arma fidei Catholicæ capulo tenebat, ex quo cùm iam* Leouigildo, *& ſequacibus Aulicis Arianis infeſtiſſimus haberetur, ex Hiſpania* Conſtantinopolim *perfidus Rex ſanctiſſimum Præſulem exilio dedit, vbi ab hæreticis, ne tanti Pontificis lumine, eorum deliria detegerentur, ſuffocatus occubuit* IV. Nonas Maij *Ann.* D. LXXXV.

In exilium mittitur Cõſtantinopolim, vbi ab hæreticis occiditur.

Non fuit Epiſcopus Malacitanus, cõtra P. Roa.

Hactenus Acta: Hic Epiſcopatum *Malacitanum* non appoſuimus, quem adeptum fuiſſe S. LICINIANVM, poſt *Carthaginenſem* ſcribunt *Vaſſeus*, & *Roa*; quia nulla ratione hæc opinio fulcitur. Cauſalem, & inductiuam ſi apud *Roa* perpendis, facilè ab eius perſuaſione diſcedes: Audi Reuerendiſſimum Patrem: *Tertius Epiſcopus de quo notitiam habemus, eſt* LICINIANVS, *Seueri ſucceſſor, quem, ex eo S. Iſidorus in Viris Illuſtribus vocitat* S. LICINIANI *Collegam, nempe quia ambo, vnam, eandémque Sedem habuerunt.* Quis tale quid dixit? *Collega* enim, ſiue *Collega* in rigore grammaticali, ſi ipſius Iſidori *lib.* 11. *origin.* ſignificationem perpendimus, *à colligatione ſocietatis*, & *complexu amicitiæ*, verbum dictum fuiſſe fatebimur. At vt notat Paſſerat. *in Lexicon*, verb. *Collega*: dicuntur *duo, vel plures in dignitate, & honore ſocij*, ergo non ſucceſſores. Sic Prætores olim in P.R. *Collegæ* dicebantur Conſulum apud Meſalam *de Minor. Magiſtr.* de quo A. Gellius *lib.* 13. *c.* 14. Quia cùm munus Conſulare obirent, eodémque vtrique auſpicio creabantur; hincque *Collegæ* Conſulum haberi, & dici cœperunt, vt inquit Petr. Fab. *de orig. Iur.* Si enim *Collegæ* nomine, æqualis, & in officio, aut dignitate ſocius accipitur, quo

Collega *verbũ quid ſignificet?*

enim

enim pacto ſucceſſor deceſſoris Præſulis ſocietatem inibit, ſi iſte è vita diſceſſit,& ille adhuc in viuis agat? Abſit ab homine erudito tale commentum. Quod verius credo; LICINIANVM, & *Seuerum* amicitia coniunctos, & officiis, hoc eſt Præſulatibus pares contra *Vincentium* Cæſarauguſtanum Apoſtatam ſcripſiſſe, eadem *S. Iſidori* verba manifeſtant.

Auctores de Epiſtolis Liciniani.

Circa Epiſtolam *Vincentio Ebuſitano* reſcriptam, hæc in Scholiis conſarcinat Iulianus: *Hic* LICINIANVS *Carthaginis Metropolitanus fuit in Hiſpania; Vir apprimè doctus, & ſanctus, cui ſubiectæ erant Inſula Ebuſus, Maiorica, Minorica, & Sardinia, & alij Epiſcopatus, Valentia, Setabis, Dianium, & Bigaſtrum, id eſt Murcia. Reprehendit hunc Vincentium, virum illiteratum, ac parùm cautum, tanquam ſubditum, & ipſe confugit ad eundem, tanquam Metropolitanum.*

Epiſtolæ II. ratio.

Quatenus ad opinionem circa ſecundam Epiſtolam, de Auctore Epiſtolæ Canonicæ, vulgo *Iacobo Minori* attributæ, hæc Iulianus in Scholio: *Certum eſt ex officio Gothico* S. IACOBI, *Zebedæi filij, vt prædicaſſe Hiſpanis, ſic illis* Canonicam Epiſtolam *ſcripſiſſe; quod & teſtatum ſuis libris docet* S. Iſidorus Doctor *celeberrimus Hiſpaniarum, & quotidie prædicamus. Quin, & Noſter Archiepiſcopus* Audentius, *quoties citat huius teſtimonium* Epiſtolæ, *vocat eam* IACOBI *filij Zebedæi. Similiter, &* S. Olympius, *Toletanus etiam Pontifex, illo antiquior, ſic in quodam hymno Gothico, qui recitatur à nobis.*

S. Iacobus Zebedæus ſcripſit Epiſtolam Canonicam.

IACOBE *fulgentiſſime,*
Noſtræ gentis Apoſtole,
Quos tu verbo promoueras,
Rurſus mones Epiſtola.
Tu primus Euangelicus,
Scriptor, & ſacratiſſimus,
Tuos Hiſpanos recreans
Cultu, ſermone, & litteris.

Plura in huiuſce ſententiæ comprobationem adduxere P. Biuar. *in Chron. Dextr. Ann.* 37. *Comment.* 1. *n.* 6. D. Thom. Tamayo de Varg. *in Defenſion. Dextr. Nouit.* 8. P. Didacus Deza *in Prolegom.* 1. *in hanc Epiſtol.* & P. Nicol. Serrar. *in Prolegom. Biblicis, proleg.* 3: D. Laurent. Ram. de Prad. *in Nota ad Epiſtol.* Liciniani *poſt Aduerſ. Luitprandi fol.* 531. P. Gaſp. Sanch. *de Aduent. S. Iacobi. c.* 7. *& ſeq.* Apud quos innumera deprehendes teſtimonia.

Alia Epiſtola Liciniani circa corporalitatem Angelorum.

S. M. Maxim. *in Chron. Ann.* 579. aſſerit, Quòd exorto errore, quòd nulli eſſent omninò ſpiritus, *Euphemius* S. E. T. Præſul ſcripſit ad LICINIANVM Epiſcopum *Carthaginis Spartariæ*, & ad *Seuerum* Malacitanum Epiſcopum, Viros doctiſſimos; ipſique *Seuerus*,& LICINIANVS reſponderunt *Euphemio.* At qualis iſta fuerit Epiſtola nondum ſe didiciſſe fatetur Biuar. *in Not. ad Maximum d. Ann.* 579. *n.* 5. §. 60. *fol.* 580. licet ex Loayſæ *Not. ad Iſidorian. Catalog. de Vir. Illuſtrib.* hauſerit, *Garſiam* habuiſſe hanc *Epiſtolam* LICINIANI & *Seueri* MS. eámque ad *Epiphanium Diaconum* ſcriptam fuiſſe; ſed an hæc naufragium fecerit morte *Loayſæ*, ignorat. Nos illam inter Codices MSS. quos ex ipſius *Loayſæ* bibliotheca *Placentiæ* emptos *Madridium* attulimus, inuenimus; cuius ſeries provt ſcripta eſt cum aliquot Notulis ipſius *Garſiæ* doctiſſimis, ſic ſe habet.

EPISTOLA LICINIANI CARTHAGINIS Spartariæ Epiſcopi, & Seueri *Malacitani eius Collegæ, ad Epiphanium Diaconum, de Incorporabilitate Angelorum.*

DOMINO ſanctiſſ. Fratri *Epiphanio* Diacono LICINIANVS, & *Seuerus* Epiſcopi, ſalutem in Chriſto. Cùm variè de Incorporabilitate Angelorum, futuris,

turis, & noſtro ſeculo diſceptetur, & ſententiarum aduerſantium anguſtiis vix locus detur veritati, S. V. precibus inclinati, vt noſtri ſenſus ſuper hac controuerſiâ vobis patefacere dignaremur arcana, ideò Chriſti charitate compuncti, illa vobis propalare cenſuimus, vt exploſis alienæ oppoſitionis inuolucris ad veram credulitatis regulam accedatis. Sed vt hæc omnia contrariorum, radicitus cultellemus, & ad incitam deueniamus victores, illorum ſententias propatulè referre compellimur, quibus eliminatis, noſtrum & aliorum ſymbolum ſubijciemus.

Cultellare, Idē ac radicitus reſecare, vel quaſi cultello decidere. *Ex Frontino.*

Incita, Idē ac fines, ſeu termini, quos amplius promouere non licebat. *Ex Varr. de LL.6.*

Angelos eſſe corporeos, vel ſaltem tenui corpore præditos, ſcilicet aëreo, ſiue igneo, non infimæ auctoritatis Patres dixēre; moti ex illo Pſalmiſtæ: *Qui facit* Angelos *ſuos* ſpiritus, *& miniſtros ſuos* ignem *vrentem*. Et ex illo Apoſtolico verbo: *Et miniſtros ſuos* flammam *ignis*. Ita vt per *Spiritum Aërem* intelligant, quaſi Angelos *Aereum*, ſiue *igneum* corpus ſubtile geſtare putarent. De hoc Maſſilienſis Presbyter dicere non erubuit: *Licet pronunciemus nonnullas eſſe ſpirituales naturas, vt ſunt* Angeli, *tamen* incorporeæ *nullatenus æſtimandæ ſunt: habent enim ſecundum ſe* corpus, *quo ſubſiſtunt in naturæ, quia ſecundum Apoſtolum ſunt Corpora cœleſtia, & corpora terreſtria.* Sed cum hæc ex *Tertulliano*, & *Origene*, aliiſque prompſerit, apud quos paſſim *corporeos Angelos* eſſe patefcit, non eſt cur eorum opinamentis adhæreamus, ſed veris limpidiſſimorum fontium laticibus frui felici hauſtu properemus. Nam cùm Angelorum *purioris* naturæ contemplamur originem, hoc eſt *incorporeæ*, illam non exiſtimemus (ex Areopagita) multis pedibus, multiſque eſſe faciebus, quia Spiritus formis carent. *Sanctæ* (inquit) *cœleſtium Spirituum diſtinctiones, cùm ſe ad imitandum Deum ſpiritualiter, intelligibiliterque componant, atque diuinam ſimilitudinem, vltra* humanum morem, *intuentes, ad eam intellectualem ſpeciem ſuam effingere cupiant, meritò vberiore illius participatione beatæ ſunt.* Hinc *Caſſiani* dictum nec S.V. deterreat, eo quòd *Paulus* cœleſtia, & terreſtria corpora diſtinguat, quaſi voluerit Apoſtolus corpora in ſpiritibus Angelicis conſtituere, eáque cœleſtia vocare: quia Apoſtolica verba, nihil aliud ſonant, quàm dicere cœlos incorruptibiles, & corpora corruptibilia; ita vt terreſtria ſint hominum corpora; cœleſtia, quæ in gloria poſtmodùm reſurgent; vt inferiùs innuit: *Seminatur corpus animale, reſurget autem ſpirituale.* Hoc eſt, qualitate, non ſubſtantiâ. Nec expoſitiones ex *Pſalmiſta* S.V. commoueant; nam licèt ſpiritus, & ignis Angelus appelletur, non ſic intelligendum eſt, vt illum eſſe corporeum, hoc eſt, aëreum, ſeu igneum credamus; illud, quia intellectuali naturâ eſt præditus; hoc, quia purgandis animis noſtris adhibetur: primaria enim eſſentia illa iiſdem nominibus in Scriptura ſacra nuncupatur. Audiat nunc S.V. eundem Apoſtolum ſuperbi Angeli typum deſcribentem: *Non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem, & ſanguinem, ſed aduerſus* ſpiritualia *nequitiæ* in cœleſtibus. Quid *ſpiritualia*, niſi incorporea? Quid *in cœleſtibus* niſi in aëre? Hac etiam phraſi Apoſtolica etiam veritas alibi vtitur dicens: *Et vos cum eſſetis mortui delictis, & peccatis veſtris, in quibus aliquando fuiſtis ſecundum ſeculum mundi huius, ſecundum* principem poteſtatis aëris *huius*, Spiritus, *qui nunc operatur in filios diffidentiæ.* Quid ergo per *Spiritum, poteſtatem aëris huius*, in Apoſtolica hac relatione intelligere poterit S. V. niſi Angelum illum Satanæ, qui de cœlo deiectus operatur in filios diffidentiæ? Hæc, Sanctiſſime Frater, vobis edicere decreuimus, vt veſtræ charitatis compleremus affectum. Nunc pro nobis orate.

Ad Epheſ. 2.

De cœleſt. Hierarch. c. 2. & c. 4.

Pſal. 103. Ad Hebr. 1. Caſſian. collat. 7. c. 13.

Hactenus Epiſtola in MS. Loayſæ, cuius nunc eſt Codex apud me, vt diximus, eiſdemmet marginalibus notis auctorata & propriâ ipſius manu exarata, vt ex aliis eius MSS. opuſculis elicere potuimus. Cætera quæ de S. Licinano deſiderantur circa probationem Actorvm, iam in *Prolegomeno* probata vidiſti.

Circa

Circa nomen S. Præſulis notandum eſt, quantâ Romanorum tempore viguiſſe memoriâ Licinianorum nomen; nam Ambroſ. Moral. *in Antiquitat. Hiſpan. verb.* Beturia. *fol.* 98. apud Mirobrigenſes fuiſſe LICINIVM quendam LICINIANVM Municipem, cui commiſſa fuit per DVVMVIROS Mirobrigenſeis erectio baſis, & ſtatuæ Ælij Veri Cæſaris, Adriani Imperatoris filij. *Licinianorum familia in Hiſpania frequens.*

VENERABILIS ALVARVS Cordubenſis.] Ne tanti Ciuis, & de Sanctorum Martyrum veneratione optimè meriti memoria deperiret, in hiſce Sanctorum Tabulis eius nomen conſcribere decreuimus. Illum titulo SANCTI vocitat Luitprandus *in Chron. n.* 290. apud D. D. *Laurent. Ram.* qui eius opera quæ extant MSS. ex Archiuo S. E. Cordubenſis extracta, in lucem emittere promittit. Sed audi Ticinenſem Diaconum: SANCTVS ALVARVS, *ſocius* S. Eulogij, *mirificè floret Corduba.* Iulian. Archipresbyter Toletan. *in Chron. n.* 433. illius ſine titulo *Sanctitatis* meminit: ALVARVS *ex Regio ſemine Gothorum, amicus & collega ſtudiorum* S. Eulogij, *literis, & ſanctitatis opinione floret Corduba.* Cæterùm quæ de ipſo ACTA retexere valemus, ſequentia ſunt. B. *Sancti titulo vocitatur.*

ACTA VENERABILIS ALVARI Cordubenſis, ſocij S. Eulogij Martyris, & Chronographi.

ALVARVS *ex Regio ſemine Gothorum oriundus* Cordubæ *naſcitur ex patribus Muzarabibus, eo ſeculo, quo ciuitas illa* Patricia *ſub Sarracenorum iugo infeliciter premebatur. Abs eius educationis exordio fidei rudimenta complexus, ſic tenaci comprehenſione retinuit, vt illa ab eo diuellere, nec verba, nec verbera valerent; ideo adhuc iuuenis fidei tuendæ causâ* Cordubâ Boioariam *exulat, vbi ſub* Ludouici *ipſius Regionis Principis tutela protectus, aliquantulùm delituit. Magiſtrum in eruditionis, & doctrinæ ſacræ documentis habuit* Spera-in Deum *Abbatem, Virum illo ſeculo celebrem; in cuius contubernio primò* B. Eulogium *agnouit, in cuius amicitia ſic perſeuerare conſtituit, vt perpetuâ illi connexione hæreret. De huius igitur ſanctæ vtriuſque familiaritate* ALVARVS *ipſe proloquitur profusè in vita Eulogij dicens:* Eram namque iam dicti Illuſtriſſimi Viri (*Spera-in Deum*) auditor, & dum frequentius eius limina tererem, incultúmque ingenium acuerem, tandem reſpectione diuinâ, huius tanti Viri (*Eulogij*) ſocietate coniungor. Et catenatim inſolubili nexu non innector tantùm, ſed vnior: factíque ſumus auditores Viri, inquiſitores veri, & amatores noſtri. In tantum, vt illa ætas indocta ſibi non conceſſa præſumeret. Agebamus vtrique ſcripturam delectabilem, luſum, & ſcalmum in lacu neſcientes regere, Euxini Maris credebamur fragori. Nam pueriles contentiones quibus diuidebamur, non odiosè, ſed delectabiliter epiſtolatim in inuicem egimus, & rithmicis verſibus nos laudibus mulcebamus, & hoc erat exercitium nobis melle ſuauius, fauis iucundius, & in ante Nos quotidie extendentes multa inadibilia tentare in Scripturis puerilitas, & immatura docibilitas egit. Ita vt volumina conderemus, quæ poſtea ætas multa abolenda (ne in poſteros remanerent) decreuit. *Origo.* *Educatio.* *Cum S. Eulogio amicitia.*

POSTMODVM *cùm iam* ALVARVS *ad maturiorem pertingeret ætatem, ob fidei defenſionem, vt creditur, è patria cum* Iſidoro *fratre exire compulſus, in vlteriores Galliæ Togatæ partes deuenit, vbi à* Ludouico *Boioariæ Rege exceptus, vt diximus, apud eum per aliquod temporis ſpatium delituit relegatus. Cuius causâ* B. Eulogius *innumera ſubire compulſus eſt itinera, & pericula. Sed ab illis vterque liber, & in patriam reuocatus, excitatâ per Sarracenos,* Cordubam *poſſidentes, perſecutione, ad Sanctorum, carceribus propter fidem mancipatorum ſubuentionem, animos, & ſtudia intrepidè* *Cordubâ exulat in Galliam.* *In Patriam reuertitur.*

Digitized by Google

trepidè applicuit. Hinc fit, vt detentis in ergaſtulo Flora, *&* Maria *Virginibus, Eulogius* Documentum Martyriale *tradidit legendum eiſdem, cum primùm* ALVARO *illud emitteret, vt cenſuram præberet eidem, hac Epiſtola præeunte.*

CHARISSIMO FRATRI MEO ALVARO, *EVLOGIVS.*

SEMPER, mi Frater, recordatione peccatorum meorum compunctus, luctum non omitto quotidianum: quoniam ex frequenti vſu, non deeſt à me peccandi affectus. Super his quoque vehementi carceris mœrore confectis, non minus ex improuiſo tædium mihi occurrit ex eo die, quo me Serenitas veſtra præmonuit, ne à glorificatione Militum Chriſti deſiſterem, ne primam de eis ſententiam meam irritam facerem. Quia propterea, quod illi viriliter inimico iuſtitiæ reſtiterunt, crudelitas nos tyranni carceralibus mancipauit ærumnis, noſtris deputando hortamentis, quod in eos diuinitus inſpiratum eſt. Quaſi futura foret hæc nobis occaſio facilis vituperandi (quod abſit) quos olim laudaueram, laudandóſque verbo, & ſtylo extuleram. Qua de re coactus ſum huius Opuſculi laborem aggredi, quod fortè & noſtræ credulitatis de victoria eorum, futuris generationibus redderet teſtimonium, & iſtis virginibus propter veritatis profeſſionem, nobiſcum deuinctis, ſpei certandi præberet adminiculum. Quod & Ego pro arbitrio meo *Documentum Martyrij* credidi appellandum. Tuum eſt autem, Frater chariſſime, huic Volumini auctoritatem donare, quia priuſquam earundem Virginum adiret obtutus, tuo iudicio elimari eum volui: ne forte errore neſcientiæ in aliquibus repugnaret Catholico dogmati. Aue in Domino Ieſu Chriſto Frater chariſſime.

Eulogio reſcribit.

Quâ acceptâ ALVARVS *Epiſtolâ, & Documenti Martyrialis opuſculo diſcuſſo, ſequenti cenſione illud extollit, licet iudicium de illo facere tùm modeſtiæ causâ, tùm operis præſtantiâ detrectet.*

ALVARVS AD EVLOGIVM.

LVMINOSVM veſtri Operis DOCVMENTVM ex illis Orientalibus, de quibus legitur, pomis valde bonis eleganter collectum, atque ex vitalibus ſuccis, & ex quadrifido fonte virtutum, operoſâ arte confectum, iuxta congenitum literarum ſtudium, mihi perlegi, & non diſcutiendo, ſed admirando, textum totius Opuſculi laudabilis percurri. Et quod ex theſauro ſapientiæ Dei à docto Scriba, nouâ & veteri conditione prolatum eſt, altè, profundéque totum volui rimari, nihílque dignum, quod tanto rependerem operi, in tenuiſſimo pectore pauperis tui inueni. Verè ad inſtar illius Ioſeph reconditum triticum tempore neceſſitatis diſpenſas, & fame laborantibus veræ alimoniæ victum impertiris, atque adipe ſpiritali arida corda pingueſcis. Quidquid enim de ſanctis Scripturæ fontibus à quoquam potuit vnquam hauriri, à te aſſumptum, diſcuſſum eſt, atque digeſtum. Et planè nobis omnibus aliquid mutire volentibus, ſilentium deinceps manet impoſitum. Eloquenter namque, atque ſplendidè Oratorum more, imò ſcholaſticâ eruditione Opus totum digeſtum, & humanâ pariter, ac diuinâ inſtructione perfectum, non diſcuſſione indiget, ſed potius laudari inquirit. Nec egeſtate laborantibus ſcientiæ ſeipſum diſcutiendum committit, ſed in corda infularum præconiis digna, & virtutum laude cothurnata alto ſe extollendum boatu infundit. Quod verò meo, quod ſæpè probaſti, ſcien-

tia

tia egeno iudicio tantum fulgorem committis, licèt humilitati vobis congenitæ hoc notum sit assignari: tamen cauendum est, ne fulgor materiæ, & Auctoris splendor fusco inficiatur horrore. Præsertim quia tenebræ discutiuntur à luce, & horrida semper caligo splendore fugatur nubium, quas densas grassedine aureum iubar serenat. Nec compertum est, vt vice contrariâ discutiant tenebræ lucem, aut densus aër suo subdat iudicio Solem. Ego verò, mi Domine, Opusculum Dei Ecclesiâ dignum, & Christo opifici, & coronatori Martyrum, in primordio sui votiuâ cordis oblatione sacratum, non humano audeo subdere iudicio, quod certum noui inspiratione diuinâ ex arcano pectoris vestri prolatum. Et ideo sicut per vos Spiritus sanctus locutus est, ita & nomen, quod ipse Auctor bonorum consensione, imò electione vestrâ imposuit ei, vt perenniter hæreat, & perpetuâ memoriâ vigeat, nostra quam consulis pusillitas videt. Raptim, cursímque ipsum Opusculum legi, sed ad rescribendum illud retinere dubitaui, ne forte culpabilis vestro fuissem amori. Peto autem vt in alio quaternione apertiori manu illis sororibus ad me pro rescribendo denuo reuertatur.

DENIQVE *Sanctarum Virginum prædictarum* Eulogius *aliâ Epistola martyrium* ALVARO *scripsit; & postmodùm* Memoriale Martyrum *ad ipsum emittit, à quo censuram, & limam eius exposcit: cui* ALVARVS *respondit: Opus magnopere laudans. Sed in carcerem detruso* Eulogio, *illi semper adstitit, vsque ad vltimum Martyris halitum; cuius vitam veraciter scripsit, & mortem. Tandem post vitam celibem gloriosissimè actam è viuis discessit* IV. Non. Maij, *circa Annum* DCCC. LXXI. *Ad cuius sepulchrum deuotio hocce adnectit Hexastichon:* *Moritur.*

ALVARE *Muzarabum decus, & quem Corduba iactat*
Emeritum, sacrâ cingere fronde caput.
Te pietas, te cana fides, studiúmque sciendi
Eulogio & sociat fœdus amicitiæ.
Hoc dixisse sat est; nam cætera sustulit ætas;
Quem canet admirans inuida posteritas. *Epitaphiũ.*

P. Ieronymus Roman de la Higuera *in Not. ad Luitprand. in Chron. n.* 290. *fol.* 426. asserit ALVARVM Nostrum vitam exuisse *hoc die*, póstque *Eulogij* martyrium *Anno XII.* plus minúsve: illúmque dignum reputat, quod Sanctorum Catalogo adscriberetur. Et Ego credo olim adscriptum fuisse; nam eius nomen plurimi in Hispania vsurpant, & vocantur ALVARI.

CIRCA Venerabilis Viri exilium; videndi ipse S. Eulogius *in Epistol. ad VVilicsind. Episcop. Pampilonen. in princip.* Luitprand. *in Chron. num.* 286. apud Ramiref. *fol.* 425. & apud D. Thom. Tamayo. *folio* 189. Iulian. Petr. *in Chron. num.* 430. hac serie: ALVARVS, *&* Isidorus *fratres* S. Eulogij *Presbyteri, & Doctoris Cordubensis, electi pòst Toletani Pontificis, & Martyris inuictissimi*, Boioariam *apud Regem* Ludouicum *exulauit*. Vnum notabis: Quòd licèt *fratres* vocentur B. Eulogij ALVARVS, & Isidorus, non carnis nexu, sed contubernij vinculo fuêre. *Cur frater S. Eulogij vocatur.*

Digitized by Google

TERTIO NON. MAII.

DIES V.

A. SEGVNTIÆ *in Celtiberia Hiſpaniæ Citerioris* S. SACERDOTIS *ipſius vrbis Epiſcopi: Qui cum apud Lugdunum Galliæ Præſulis munere fungeretur, à Childeberto ſeniore Galliarum Rege ad Athanagildum Gothorum Principem in Hiſpaniam Oratoris titulo mitteretur, Noſtras per tempora demoratus, & Seguntinæ Sedis Pontifex electus, ibidem maximum de ſe poſteris reliquit ſpecimen. Pòſt Lugdunum reuerſus, Aurelianenſi interfuit Concilio; demúmque apud Pariſios ſiſtens, virtutibus clarus animam Deo reddidit coronandam. Eius ſacrum* CAPVT *Seguntiam delatum, in Eccleſiæ Matricis ſacrario cultu debito honorificè veneratur.*

NOTÆ.

A. *Fuit Epiſcopus Seguntinus.*

SANCTVS SACERDOS Epiſcopus.] A multis retrò ſeculis Eccleſia *Seguntina* huius ſanctiſſimi Præſulis repetit memoriam,& ob infulam in Sede illa indutam, & ob ipſius Antiſtitis ſacrum in eius ſacrario CAPVT aſſeruatum. Et licèt illius Eccleſiæ Tabulæ Eccleſiaſticæ recentiores, eius Præſulatus reiiciant anamneſin; hoc eueniſſe credimus,quia prorſus illarum exſtructores de hac SACERDOTIS infula hiſtoriam authenticam ignorarunt. Illam ſi ex *Iuliano* ſuxiſſent, nequaquam tanti Antiſtitis baculum amandaſſent. Archipresbyteri *in Chron. Ann.*557. *n.* 299. hæc ſunt verba formalia: *Venit S.Pontifex* SACERDOS *Lugdunenſis ad Regem Athanagildum, miſſus à Regibus Gallis,& factus eſt* SEGVNTINVS *ab eodem Rege. Vir ſanctus obiit* III. die Septembris *Anno Domini* D. LXX. (repone D. LXI:) *Cuius* CAPVT *aſſeruatur in eadem Sede: Corpus verò Lugduni.* Poſtmodum verò *Ann.*770.*n.*400. proſequitur: *Floret memoria* S. SACERDOTIS, *Epiſcopi* SEGVNTINI. Nec *Iulianus* ſolus in hoc itinere peregrinus; nam in Codicis mei, inter *Auli Hali* poëmata, auctographo MS. hoc inſpicitur Hexaſtichon.

Probatur I. ex antiquis Scriptoribus.

IN TVMVLO S. SACERDOTIS, Confeſſoris, Epiſcopi Lugdunenſis, & Seguntini,

EPITAPHIVM.

GALLIA Lugduni *tibi iam venerande* SACERDOS
Munus Apoſtolicum obtulit vltrò fide.
Pòſt tibi SEGVNTI *Baculúmque* HISPANIA *lubens,*
Vt regeres populos, Rege iubente, dedit.

Illa

Digitized by Google

Illa tibi en tumulus ſacrati CORPORIS *extat:*
Extat & hæc ſacri CAPITIS *vrna valens.*

Titulo etiam Epiſcopi SEGVNTINI eius memoriam repetit Eccleſia Catholica in Romano Martyrologio h. d. hac ſerie: *Eadem die* S. SACERDOTIS *Epiſcopi* SEGVNTINI. Cui conueniunt Martyrologia Luſitanum *P. Lupi*, Caſtellanum *P. Vazquez*, & Hiſpanum *P. Higuera*; & ferè omnes *Flor. SS. Scriptores Hiſpaniæ*. Hinc non poſſum non mirari, vt quid amicus eruditus D. Didacus Sanctius Portocarrero Eques Iacobæus *in Nouo Catalog. Epiſcop. Seguntin. n.* 1. *fol.* 8. de hoc S. Confeſſoris Epiſcopatu *Seguntino* mordicùs dubitauerit? Nónne omnia hæc monumenta, cùm illum texuit Catalogum, inuiſit? Proculdubio. Quid ergo obtutu hæret defixus in vno? Quia in *antiquo* Eccleſiæ Seguntinæ *Breuiario*, nihil de hac inſula perſcrutaretur, imò nec inueniret SACERDOTIS. Apagè mi *Didace*; multa ſunt in antiquis Eccleſiarum Breuiariis prorſus turbata, & ſine ratione hiſtorica, incluſa, & alia ob rerum geſtarum ignorationem omiſſa, quæ temporum reuolutione, aut emendantur, aut ſupplentur, quouſque ad veritatis apicem accedat Scribentium anxietas. Hinc elicies quòd ea, quæ tempus extructori Lectionum Noſtri Præſulis occuluit, iam nobis hoc ſæculo propalauit, in ipſius S. Confeſſoris honorem, in ſuæ inclytæ Sedis ſpecimen, & noſtræ imbecillitatis inſtructionem. Deus enim, vt temporum motor, & ſucceſſuum arbiter, ſuo ſemper nutu occulta reſerat, propalanda benigniter manifeſtat. Reſeruauit ad hoc ſeculum, quod in præcedenti extitit implicatum, vt ſuperiorum temporum memorabilis ſuſcitaretur traditio, & veritatis roboraretur memoria. Ideo non eſt cur in poſterum dubitet eruditio, nec quòd tergiuerſetur deuotio; SACERDOTEM fuiſſe Epiſcopum SEGVNTINVM proclamant vetuſtiſſimi ſuperiùs relati Scriptores, imò ex recentioribus P. F. Ioann. Mariet. *Hiſt. SS. Hiſpan. lib.* 5. *c.* 87. M. Ægid. Gonzal. Dauila Reg. Chronograph. *in Theatr. Eccleſ. Caſtell. tom.* 1. *c.* 8. *fol.* 144. D. D. Franc. Fernand. Dux Ixarenſ. *in Catal. MSS. SS. Hiſpan. Tabul. II. Confeſſ. n.* 55. Eius memoriam recolunt ex Gallis S. Gregor. Turonenſ. *in vit. Patr. c.* 8. Theophil. Raynaud. *in Indicul. SS. Lugdunenſ. lit. S. n.* 1. *fol.* 356. Andreas Sauſſay. *in Martyrolog. Gallic. die XII. Septembr. tom.* 1. *fol.* 614. Robert. *in Gall. Chriſtian. tit. de Epiſcop. Lugdunenſ.* Ex Noſtris præter relatos Chryſoſt. Enrriquez *in Menolog. Ciſtercienſ. h. d. lit. B. fol.* 10. D. F. Angel. Manrrique Epiſcop. Pacenſ. *in vit. S. Martini c.* 17. P. Biuar. *in Not. ad Maxim. Ann.* 562. *n.* 13. §. 87. *fol.* 491. Aubert. Myræus *in orig. Monaſt. lib.* 5. & in Catal. *SS. Ciſtercienſ.* D. Didac. Portocarrer. *in d. Catalog. Epiſcopor. Seguntinor. n.* 1. *fol.* 8. Balthaſ. Porreño *Hiſt. S. Liberatæ V. & Martyr. c.* 6. *fol.* 57. licèt perperam Sanctum Noſtrum cum Lemouicenſi confundat. ACTA eius ſanctiſſimi Præſulis ſic attexere curauimus:

Probatur II. ex Martyrologijs Romano, & alijs.

Probatur III. ex Chronographis recentioribus.

ACTA S. SACERDOTIS, CONFESSORIS, Epiſcopi Lugdunenſis, & Seguntini; ex varijs Scriptoribus.

Origo.

SACERDOS *ex* Gallia *oriundus*, S. Nicetij *patruus, ab exordio natiuitatis plurimos in Catholicæ religionis multiplicatione, literis, virtutibus, & exemplis habuit profectus. Hinc mortuo* Leontio *Lugdunenſis Eccleſiæ Antiſtite, cùm pietatis, & doctrinæ floreret apicibus, Cleri ſuffragijs, populi votis, & Regis nutu, in deceſſoris locum Pontifex, non ſine ipſius repugnantiâ, renuntiatus, onus paſtorale ſuſcepit.* Lugdunenſem *igitur Eccleſiam tantâ puritate, integritate, modeſtiâ, pietate, patientiâ per multos rexit annos, tantâ quoque pauperum curâ, tanta mandatorum diuinorum obſeruatione, vt etiam magnificos & præſtantes Domini Sacerdotes, vnus omni virtutum gratiâ anteiret* SACERDOS. *Regna igitur illo ſeculo Galliæ* Childebertus, *Hiſpaniæ* Athanagildus *feliciter poſſidebant; & licèt apud Rhemenſes* Sigebertus, *& apud Sueſſonenſes* Chilpericus *partem imperij* Gallici *tenerent, illam tamen* Childeberti *retinebant aſſenſu. Conuenit ergo, vt* Sigebertus, *&* Chilpericus

Fit Epiſcopus Lugdunenſis in Gallia.

ricus *filias* Athanagildi *Brunichildem, & Geleſuintham vxores ducerent, cuius matrimonij fœdera, vt feliciùs exequerentur, à tribus hiſce Francorum Regibus* SACERDOS *Lugdunenſis dimiſſus Orator eſt. Qui vt primùm* Toletum *peruenit, &* Athanagildo *Regi ſui reddidit rationem muneris, à Rege honorificè ſuſceptus, & circa matrimonij negotium, & circa alia ad illud feliciter nectendum,* Toleti *diuerſari coactus, ibidem non modicas temporis moras traxit. Fuit quippè* SACERDOS, *ob eius prudentiam, & ſanctitudinem Regi charus, ita vt Eccleſiæ* Seguntinæ *tunc Paſtoris ſolatio deſtituta, Regiâ liberalitate, præficeretur Antiſtes: Cuius Sedis tantùm electione ſic munus accepit, vt pro tempore poſſet illius diœceſis ſubditos Catholicos in fidei veritate ſuſtinere, & alios ad religionis confeſſionem attrahere; ideò vniuerſos aſſiduis ad pietatem monitis, & mirabilibus virtutum exemplis demulcere curauit. Aſt cùm vtriuſque matrimonij fœdera executa conſpiceret, vnà cum* Petro Benigno, *pòſt* Toletano *Præſule* Galliam *repedauit, vt Regibus pacta ab* Athanagildo *admiſſa ad literam patefaceret. Quo ſiquidem expleto,* Lugdunum *aduentauit exultus, & Regum curas, & curias diffugiens, iterum manum ad aratrum extendens, propriæ diœceſis campos excolens, inſignia in Eccleſiæ horrea frumenti grana perduxit. Eccleſiaſticam diſciplinam penè collapſam, ſtrenuâ vindicatione reſtituit. Sacrorum murorum dirutas reparauit moles. Ædes etiam ſacras, inſignis gloriæ Dei cupidus amplificator, nempè* S. Pauli *Baſilicam, &* S. Eulaliæ *Eccleſiam, quæ poſtea* S. Georgij *dicta eſt, magnificis fabricis conſtruxit. Demùm cùm poſtmodùm* Aurelianenſi VI. *interfuiſſet Concilio, quo dogmata Eutychetis, & Neſtorij hæreticorum fucre damnata, imminere ſibi vitæ metam præſentiens,* Lutetiam *perrexit, deprecaturus* Childebertum *Regem, vt* Nicetium *ſacerdotem, charismatibus diuinis plenum, quem ſucceſſorem, potiùs ob meritum, quàm ſanguinis nexum, optabat, Regio cum beneplacito acciperet. A quo Principe dum interim extremum in morbum incidiſſet, benignè viſitatus, etiam voti compos redditus, in magna ſpiritus pace. Vir benè actorum conſcius, iuſtitiæque meritis inſignis, animam Superis ſociandam emiſit,* die III. Septembris, *Anno* D. LXI. *Cuius corpus honorifico ſepultum tumulo, poſtmodum* CAPVT *in memoriam ſui Prælatus* Segontiam *delatum, vtrobique magnâ cum veneratione ſeruantur; apud Gallos etenim diei cultus Pridie Idus Septembris, apud Hiſpanos Tertio Non.* Maij *hoc diſcrimine conſignatur.*

In Hiſpaniam Legatus Regis venit.

Epiſcopus Seguntinus in Hiſpania eligitur.

Galliam repedat.

Sacras ædes amplificat.

Aurelianenſi VI. Concilio interfuit.

Moritur.

Caput Segontiæ defertur.

Iſthæc ACTA genuina, in quorum contextura, & quæ in *Noſtris*, & quæ in *Gallicis* defuit Scriptoribus, ad vnguem coagulauimus. Vnaquæque etenim Natio de ſuorum actionibus fidelis teſtis exiſtit, & ideò quælibet geſtas ſuorum res faciliùs enarrat. Hinc euenit, vt pro conſtruendis actibus alicuius Viri ſanctitate, aut vbilibet inſignis, qui in variis prouinciis vitam tranſegit, ſemper quæ in illis geſſerit acta ſunt exquirenda, vt integram actionum molem Scriptor prudens adnectat: ideò non eſt cur nos deterreat Scriptorum *Gallicorum* altum ſilentium, circa S. SACERDOTIS in *Hiſpaniam* aduentum, & Præſulatus *Seguntini* electionem, quia cùm ſint res in noſtra prouincia geſtæ, quid mirum ſi *Gallicos* Scriptores latuerint? Igitur de aduentu in Hiſpanias S. Præſulis teſtes ſunt *Iulianus*, & cæteri à me ſuprà citati; quorum ecphraſi, tanquam à prouincialibus Scriptoribus emanatæ, omnino ſtare compellimur; quidquid aliter apud Gallicos Scriptores, aut ignoratione ſucceſſus, aut ſilentio antiquorum comperiatur; cùm in hac re Noſtris adhærendum erit.

Cur Scriptores Gallicos latet de Epiſcopatu Seguntino S. Viri?

CIRCA tempus, quo hæc Legatio, & S. Præſulis obitus potuit accidere, diſquiſitio eſt. In hoc facilis erit exquiſitio, ſi Regum annales euoluimus. Nulli dubium eſt, *Childebertum* Seniorem, apud Pariſios regnantem ab Anno D. XIII. ad D. LXII. imperij ſceptrum tenuiſſe, vt ex Aymoino, & Papirio Maſſono probat Baron. *Annal. Eccleſ. tom. 7. Ann. 562. n. 1.* Item omnibus liquet *Athanagildum* Hiſpaniæ Regem, ab Anno D. LIV. ad D. LXVII. Gothorum regna moderaſſe, vt ex Iſidoro, Tudenſi, & aliis probat idem Baron. *d. tom. 7. Ann. 567.* Quòd verò Sigebertus, & Chilpericus coniuges filiarum Athanagildi, viuente Childeberto, ipſóque

Quo anno hæc Legatio euenit?

Digitized by Google

ipſóque Athanagildo, matrimonium duxiſſent, luce clarior ſententia eſt, tàm ex Noſtris, quàm & Gallicis Chronicis; ergo neceſſariò hæc coniugia ab Anno D. LIV. quo Athanagildus Regni ſceptrum accepit, ad Annum D. LXII. quo Childebertus vitam finiuit, iſthæc legationis profectio ſignanda eſt; cum intra hoſce octo annos tantum, omnes iſtos Reges in viuis extitiſſe pateſcat. Hinc crediderim SACERDOTEM circa annum D. LVI. munus Legationis obiiſſe; maximè ſi illo tempore vſum attendamus, quo Epiſcopi ſæpius ad ſimilia à Regibus eligebantur peragenda negotia, vt paſſim exempla perleges apud Turonenſ. *Hiſt. Franc. lib. 6. c. 3.* Flodoard. *Hiſtor. Rhemenſ. lib. 2. c. 2.* & alios. Non me latet Aymoinum *lib. 3. c. 4. de Geſt. Franc.* ſcriptum reliquiſſe, Sigebertum, *Gogonem Legatum* in *Hiſpaniam* ad *Athanagildum* miſiſſe petitum *Brunichildem*: nam hæc legatio, non pro ineundo coniugio, ſed pro deferenda Regina, peracta eſt, vt indicant eiuſdem *Manochi* in fine capituli verba dicentis: *Strenuus in gerendo principatu* Gogo, *eò vſque eſt habitus, donec* Brunichildem *de* Hiſpania *accerſere eſt iuſſus.* Vbi *accerſere* hîc, idem eſt, quod *attrahere, deferre,* & *reuocare,* Hiſpaniâ in Galliam. *Aymoino reſpondetur.*

NVNC ad tempus obitus S. SACERDOTIS calamum conuertamus. In huius exquiſitionis, & computationis animaduerſione, inter Noſtros, & Gallos ingens differentia eſt; nam *Iulianus* S. Viri mortem (provt in editis inſpicitur) ad Annum D. LXX. *Theophilus Raynaudus* ad Annum D. LVIII. reiecêre: quorum ſententiæ omninò corruunt; eáſque vnico argumento chronologico deſtruemus. *Iuliani* quidem ſupputatio (ſi editæ impreſſioni ſtamus) prorſus omni temporum rationi contradicit; nam ſi *Childebertus* eius ægritudini, quâ è viuis ſublatus eſt S. Præſul, apud *Pariſios* interfuit, à fortiori ante Annum D. LXII. quo Rex è vita diſceſſit, euènit, ergo ad Annum D. LXI. B. Vir ægrotabat *Pariſiis*, & mortem obiuit. Si hæc ita; ergo mendum in Codicis editi *Iuliani* numero dubio procul irrepſit: quod vt reſtituas loco D. LXX. repone D. LXI. ita vt numerus, ſiue litera X, conuertatur in I, in quarum mutatione facilis tranſitus inuenitur. *Raynaudi* ſupputatio item corruit, quia Anno D. LVIII. quo S. SACERDOTEM expiraſſe contendit, *Childebertum* haudquaquam apud *Pariſios* demorari, Galliarum referunt antiqua monimenta. *Annus obitus.*

NEC his obſtat Scriptorum Ciſtercienſium perſuaſio, quâ contendere nituntur, quòd CAPVT in Sacrario *Seguntinæ* Eccleſiæ, nomine S. SACERDOTIS, ipſius Præſulis aſſeruatum, non *Lugdunenſis* Epiſcopi eſſe, ſed *B. Martini Abbatis Hortani*, pòſt, Epiſcopi *Seguntini*, quod Angelus, ſeu iuuenis formâ pulcher, Epiſcopo, & Canonicis tradidit, dicens: CAPVT *eſſe cuiuſdam Magni* Sacerdotis, *illius Ciuitatis Epiſcopi.* Quo dicto, & relicto CAPITE euanuit, vt referunt Chryſoſtom. Enrriq. *in Menolog. Ciſtercienſ. h. d. lit. B.* Manrriq. *vbi ſuprà c. 17.* Myræus *d. lib. 5. orig. Monaſt.* Biuar. *ad Max. d. Ann. 562. n. 13. §. 87. fol. 491.* Quia quantâ hæc opinio nouitate laboret, ipſe annorum calculus perſuadet, imò ipſa ſucceſſus relatio manifeſtat. Ad calculum venio. *Martinus* Seguntinus Epiſcopus (cuius eſſe caput in ſacrario Seguntino reconditum aſſerunt Ciſtercienſes) diem clauſit extremum Anno Domini M. CC. X. vt ex *Myræo*, & *Manrriquio* probat Enrriquez *in Menolog. lit. B. fol. 150.* in fin. Iulianus Archipresbyter Toletanus, qui Chronicon ſcripſit, Annum M. C. LX. non exceſſit, & iam ſuo tempore *Caput* hocce S. SACERDOTIS erat in Sacrario *Seguntino*; ergo inſpecto annorum calculo, haudquaquam illud Cranium *S. Martini, Abbatis Hortani*, & Epiſcopi *Seguntini* potuit venerari ſeculo *Iuliani.* Venio ad ſucceſſus relationem. Si Angelus fuit, qui Caput *S. Martini* Epiſcopo, & Canonicis tradidit, quare cauſam miraculi non reuelauit eiſdem? Quare cuius erat Caput ſubticuit? Si omnia hæc ad maiorem ſui famuli venerationem Deus fortaſsè permiſit; vt quid nomen Angelo patefacere denegauit? Abſint hæc ergo nouata ab Eccleſiaſticis Tabulis, maximè cùm nec annorum ſupputationi conueniant, nec vllus eſt auctographi pervetuſtus codex intra, vel extra Eccleſiæ Seguntinæ monimenta, tale quid enumerans, vel recenſens; quinimò contrarium, vt ex antiquo Breuiario *Lect. 3.* liquet, hac ſerie: *Sepultus eſt* (S. SACERDOS) *in Eccleſia Lemouicenſi* (corrige Lugdunenſi) *ſed tractu temporis poſtea in* Hiſpaniam *in hanc Eccleſiam* SEGVNTINAM (*vbi* *Scriptorum Ciſtercienſium lapſus.*

Conuincitur I. ex annorum calculo.

Conuincitur II. ex relatione ſucceſſus.

Digitized by Google

(*vbi hoc die veneratur*) CAPVT *eius tranſlatum eſt.* Si hæc fatetur *Eccleſia Segun-tina*, quo fundamine Ciſtercienſium Scriptores ſupra relatam Angeli apparitionem defendere conantur, contra ipſius Eccleſiæ venerabile traditionis placitum?

Topographia. SEGVNTIA, aliàs SEGONTIA. Vrbs perantiqua, & nobilis, Epiſcopali Sede condecorata, quam hodie SIGVENZA dicimus. Eius meminêre Ptolem. *in Geograph. lib. 2. Tab. 2. Europ. c. 6.* licet SEGOBRIGAM nominet. Plin. *lib. 3. c. 1.* SEGVNTIAM. Antonin. *in Itinerar.* apud Zuritam *fol. 98.* & *in Not. fol. 589.* SEGONTIAM appellitent. Huius vrbis conditor, ſi Floriano *lib. 2. Hiſtor. Hiſpan. c. 2.* credimus, fuit gens Græca ex Suecicis partibus in Hiſpaniam aduentans, quam Noſtri ALMOZVDES, ſiue ALMONIDES dixere, qui portum Brigantinum fraude occupantes, & Phari ſpeculum infringentes, totius prouinciæ terminos detinentes, Vrbem hanc pro tutamine condiderunt. Hæc Florianus: alibi huius opinionis compaginem diſſoluemus.

Conditor.

PRIDIE NON. MAII.

DIES VI.

A. GERVNDÆ *in Hiſpania Tarraconenſi* S. IOANNIS *cognomento* Gothi, *Monachi Benedictini, Abbatis Viclarenſis, & Gerundenſis Epiſcopi, qui pro fidei Catholicæ defenſione à Leouigildo Gothorum Rege Ariano apud Barcinonem exulans, Vallem-Claram incoluit, ibidémque celebre Cœnobium erexit, in quo multorum aſcetarum pater, & magiſter effectus, regulam ipſis profuturam ſcripſit. Demum pace Catholicis reſtitutâ, ad Gerundenſis Epiſcopatus infulas peruenit Antiſtes, qui, poſtquam aliquibus Hiſpanis interfuiſſet Conciliis, doctrinâ clarus, pietate inſignis, & ſanctitate conſpicuus, ad Dominum Confeſſor properauit illuſtris.*

NOTÆ.

A. Scriptores. SANCTVS IOANNES GOTHVS, Epiſcopus.] Celebris fuit ſuo ſeculo Vir, cuius eruditionem, & ſtudia *S. Iſidorus* Noſter compendioſo deſcripſit elogio; cuius & *S. M. Maximus* Cæſarauguſtanus Antiſtes inſignia facinora ſuis chronicis numeris inſeruit. Eius, inter illuſtrium Benedictinorum Patrum memorias, anamneſim in Tabulis Eccleſiaſticis contexere Martyrologia Monaſtica, VVionis hac ſerie: GERVNDÆ *in* Hiſpania, *depoſitio* S. IOANNIS GOTHI, *eius ciuitatis Epiſcopi, admirabilis ſanctitatis, & ſummæ doctrinæ Viri, qui pro zelo Catholicæ fidei, multas ab Arianis iniurias paſſus eſt.* Eadem Hugo Menardus *in Martyrol. Monaſt. h. d.* Philipp.

Digitized by Google

Philip.Ferrar. *in General.Catalog.SS. fol.* 184. Et poſtea *in Topograph. ſacr. SS.* verb. *Gerunda. fol.* 57. *col.* 2. De eo S.Iſidor. *de Vir.Illuſtrib. c.* 31. S.Marcus Maxim. *in Chron. Ann.* 566. vbi Roder.Caro *fol.* 191. *lit.T.* & Biuar. *fol.* 495. *n.* 1. Et *Ann.* 579. vbi Roder.Car. *fol.* 199. *lit.F.* & Biuar. *fol.* 582. *num.* 6. §. 63. Et *Ann.* 593. vbi Roder. Caro *fol.* 210. *lit.L.* & Biuar. *fol.* 688. §. 4. Trithem. *de Vir.Illuſtr. S.Bened. lib.* 4. *c.* 10. Ambroſ.Moral. *Hiſt.Hiſp. lib.* 12. *c.* 18. Vaſſ. *in Chron. Ann.* 630. P.Marian. *Hiſt.Hiſp. lib.* 5. *c.* 13. *&* 15. Andr.Scoth. *in Bibliothec.Hiſp. fol.* 479. Hartman.Sched. *in Chron. Ann.* 599. Michaël Carbonell. *Hiſtor.Cathalon. in Reccaredo fol.* 15. Tarraph. *de Regib.Hiſp. fol.* 105. Platin. *in vit.Bonifacij PP. fol.* 342. Sabellic. *Hiſtor.Ænead.* 2. *lib.* 6. Stephan. Garibay. *in Compend.Hiſtor. lib.* 8. *c.* 14. Baron. *tom.* 7. *Ann.* 584. Anton.Vincent. Domen. *Hiſt.SS.Cathalon. lib.* 2. *fol.* 4. Ieronym.Pujad. *Hiſt.Cathalon. lib.* 6. *c.* 62. P.F.Franc. Diago *Hiſtor.Barcinon. lib.* 1. *c.* 15. *& lib.* 2. *c.* 21. Ioann.Mariet. *Hiſtor.SS.Hiſpan. lib.* 5. *c.* 37. P. F. Anton.de Yepes *Chron.Benedict. tom.* 1. *cent.* 2. *Ann.* 599. *c.* 2. Padill. *Hiſtor. Eccleſ.Hiſpan tom.* 2. *cent.* 6. *c.* 70. P.Anton.Vaſconcell. *deſcript.Luſitan. fol.* 521. *n.* 5. D.Roderic. de Acuña *Hiſtor. Vlyſſippon.* 1. *p. c.* 21. *fol.* 46. qui, vt aſſolet, apparentiâ pietatis adtractus, in fœdiſſimum prolapſus errorem, de Noſtro IOANNE locutum Luitprandum *in Chron. Ann.* 621. *n.* 33. vbi D.Thom.Tamayo *in Not. fol.* 40. contendat, quaſi *Ioannes* ille *Magnus*, diſcipulus *S.Galli* de quo ibidem *Luitprandus*, vnus, & idem eſſet, ac *Ioannes Gerundenſis*, cuius hodie memoriam colimus: quia nullibi de hoc *Scalabitano* ſcriptum inuenies fuiſſe diſcipulum *S. Galli*, nec potuiſſe, quia IOANNES Noſter antiquior Gallo fuit, non ſolum literaturâ, & monachatu, ſed etiam Abbatiatu & morte, vt ex vtriuſque Actis liquidò deprehenditur. Nam Noſter Anno D. LXVI. iam erat *Monachus Agalienſis*, quo anno Conſtantinopolim transfretauit, vt inquit S. M. Maxim. *eod. Ann.* his verbis: IOANNES *Scalabitanus ex Luſitania, Monachus Agalienſis*, Toleto *ſtudiorum causâ proficiſcitur Conſtantinopolim.* Et Anno D. XCIII. Sedis *Gerundenſis* infulas acceperat Antiſtes, vt ex ipſo Maximo *in Chron. d. Ann.* 593. comprehenditur, dicente: IOANNES *ex Abbate Biclarenſi* (idem eſt, ac Val-Clarenſi) *Monachus Benedictinus, ſuccedit* Alapio *Pontifici in Sede S. E Gerundenſis.* Et Anno DC. XXXI. obiit, vt infrà dicemus. Aſt *S.Gallus* florere cœpit Anno DC. XXII. vt fatetur Sigebert.Gemblacenſ. *in Chron. Ann.* 622. his verbis: GALLVS *diſcipulus Columbani in Alemania claret.* Et Anno DC. XXX. Monaſterium primum conſtruere deſtinauit, vt inquit Hermann. Contract. *in Chron. Ann.* 630. Quo iam IOANNES Noſter, per XXXVII. Annos Gerundenſis Epiſcopatus Baculum rexiſſet. Tandem Gallus Anno DC. XL. obiit, cùm IOANNES Noſter ante IX. annos præiret. Ex quibus rationibus elicies, *Acuñam* perperam S.Noſtrum ex *Luitprando* diſcipulum fuiſſe *S.Galli* ſomniaſſe.

Acuñæ error detegitur, & conuincitur.

SIMILITER non eſt audiendus D.Martin. Carrill. *in Annal. Eccleſ. Ann.* 566. *fol.* 134 & eius Συνοψιας F.Fernandus Camarg. *in Epitom.Hiſtor. Ann.* 585. *fol.* 130. *col.* 2. verſ. *Tanbien.* qui IOANNEM Noſtrum, & cognominatum LICINIANVM, & fuiſſe *Monachum Auguſtinianum*, & infulas S.E. *Carthaginis Spartariæ* induiſſe, & *martyrio* coronatum affirmant Quorum errores, ipſi ſe produnt. Nam quis tam caudex, & ab Eccleſiaſticâ Hiſtoriâ *Hiſpaniæ* alienus erit, qui ignoret, *Abbatem Montaragonenſem*, & *Camargum* confudiſſe LICINIANVM Martyrem, Epiſcopum *Carthaginenſem*, apud *Conſtantinopolim* veneno necatum, cuius memoria *die IV. huius Menſis*, de quo nos ibidem ad amuſſim agimus, cum IOANNE Noſtro, qui nec cognomento *Licinianus*, nec *Monachus Ordinis S. Auguſtini*, nec Epiſcopus *Carthaginenſis*, nec denique *Martyr*, ſed *Confeſſor*, apud *Iſidorum* coæuum, inuenitur?

Carrillo, & Camargo lapſus.

MINVS veniunt probandi F.Ieronym. Roman. *in Hiſt.Eccleſ. Hiſpan. lib.* 3. *c.* 10. à quo F.Bernard.Brit. *in Monarch.Luſitan. lib.* 6. *c.* 17. & D.Roder.de Acuña *in Hiſtor. Vlyſſippon.* 1. *p. c.* 21. *n.* 1. contendentes S. IOANNEM Noſtrum fuiſſe *S.Fructuoſi* Dumienſis Monaſterij Abbatis, & Epiſcopi diſcipulum, ex eo moti, quòd in Lectionibus *S.Fructuoſi* Breuiariorum Eccleſiarum *Braccarenſis*, & *Eborenſis* die XVI. Aprilis, inter alios S.Viri diſcipulos repetatur: *Quorum ex numero memorare non pigeat* IOANNEM *Monachum, pòſtea* Gerundenſem *Epiſcopum, Virum ſuo tempore Maximis comparandum.* Quia, vt inquit Ambroſ. Moral. *d. lib.* 12. *c.* 35. prorſus hæc vera eſſe

Roman, & aliorum deceptio excutitur.

non

non poſſe, nam temporum vtriuſque Epiſcopi diuerſitas, manifeſtè *Breuiariorum* ecphraſim contradicunt: cùm ferè ante centum annos à *Fructuoſi* obitu, iam *Abbas Val-Clarenſis* Monachum egerat, *Conſtantinopolim* aduentauerat, *Toletum* repedauerat,& *Leouigildi* furorem,exul, fuerat expertus. Et patet, nam *Fructuoſus* tempore *Receſuinthi* Regis Gothorum florere incœpit, ab Anno DC. LIII. vt patet ex Luitprand.*in Chron. Ann.*653. *n.* 80. & tunc iam ante XXII. annos IOANNES Noſter à vinculis erat corporis abſolutus.

Scolani opinatio corruit.

NEC *Gaſparis Scolani*, aliàs Viri doctiſſimi, *Hiſtor. Valent. 1. p. lib. 2. c. 11. n. 6.* ſuſtineri poterit opinatio, quâ probare nititur IOANNEM Noſtrum fuiſſe Magiſtrum *S. Hermenegildi* Principis, Leouigildi Regis Gothorum, Primogeniti,& ſucceſſoris; quia cùm hæc ſententia nullis Scriptoribus,ſiue vetuſtioribus,ſiue recentioribus probetur,nec ille vllum ad probationem,auctographum exhibeat,non eſt cur eum de impoſtura liberemus. EIVS Acta ex *SS. Iſidoro*, & *Maximo*, aliiſque Noſtris Chronographis,vt credimus,delibata;ſic in Codice MSS. *Garſiæ de Loayſa*, ſcripta comperimus, quæ eruditis offerimus.

ACTA S. IOANNIS SCALABITANI, Abbatis Vallis-Claræ, & Epiſcopi Gerundenſis, ex MS. Codice.

Origo, & patria.

IOANNES *natione, & cognomento* GOTHVS, *Prouinciæ Luſitaniæ* Scalabitanus, *ex nobiliſſimis parentibus Palatinis ortus,à primo adoleſcentiæ flore,in Vrbem Regiam, addiſcendi deſiderio, & merendi cupiditate pellectus, patriâ, parentibus, & fratribus relictis, ſolo proprio eruditionis adipiſcendæ amore imbutus,diues Agoniſta perrexit. Regiam equidem ingreſſus,& Regum pompam, procerum fauſtum,& Curialium demiratus illecebras,intra ſui cordis viſcera recluſus, omnium illius ſeculi ſtatuum deplorabat errores: & cùm per aliquod temporis ſpatium in ſtudio Latinitatis vitam tranſegiſſet, vt ſeculi mores diffugeret,& Arianorum corruptelas vitaret,* Agaliense *Monaſterium ingreſſus,diù deſideratam,& ſummis precibus expetitam cucullam induit. Cuius ingenij vt Abbas agnouit acumen,vt* IOANNES *perfectiori methodo concupita perdiſceret,* Conſtantinopolim, *tunc ſcientiarum,maximè Græcarum, magiſtram, Monachum adhuc adoleſcentem dimiſit, vbi Latinâ, & Græcâ eruditione nutritus, ſeptimo pòſt anno,eſt in* Hiſpaniam, *magnâ ſcientiæ opinione reuerſus. Gothorum populos tunc temporis* Leouigildus *regebat, cuius ſuffragijs, per totius* Hiſpaniæ *circulos, Ariana feruebat inſania, quam vt effugeret* IOANNES, *terrarum, & temporum intercapedinem interponere cupiens, Patriam repedauit, vbi conuerſis ad fidem Catholicam fratribus, & iactis orthodoxæ doctrinæ fundamentis, cùm ardens lucerna ſub modio elucere non valeret,* Toletum *reuertitur, vbi tantæ eruditionis oppreſſum lumen cæpit protinus renidere, ita vt Arianorum caterua, inopinatâ oppoſitione, confuſa, paulatim deficere viſa fuerit.* IOANNIS *doctrinæ ſpecimen,& conſtantiæ robur ad Regis perfidi, Arianis auctoribus, peruenit auditum, qui in Catholicum Monachum repentino furore commotus, illum coram ſuis placatus, vt illum lucraretur,obtutibus comperendinare coëgit;quem cùm nec blanditijs,nec minis ſeducere, nec ad nefariam ſectam deducere valuiſſet,* Barcinonem, *Toleto relegatum,exulare præcepit, vbi per decennium plurimas inſidias, & perſecutiones ab hæreticis S. Vir perpeſſus, exilij incommoda, æquo animo, & conſtanti ſpiritu ſtrenuus agoniſta ſuſtinuit. Contra quorum deliria, vt ſecuriùs arma moueret, inſigne fidelium aſcetarum ad* Vallem-Claram *propugnaculum extruxit, quod exinde* Biclarenſe *Monaſterium vocatum eſt,vbi congregatâ Monachorum ſocietate, Regulam ſcripſit, ipſi Monaſterio profuturam, ſed & cunctis Deum timentibus ſatis neceſſariam.*

Toletum pergit, vbi educatur.

Monachus Agalienſis.

Conſtantinopolim ſtudiorũ causâ perrexit.

In Patriam reuertitur.

A Leouigildo Rege relegatur.

Conſtruit Cœnobium Val Clarenſe.

ABBAS *igitur intra cœnobij cancellos vitam angelicam tranſigebat, cùm ecce* Leouigildus *Rex ad vltimum vitæ terminum per ægritudinis periculoſæ,*

&

& lethalis contractionem, deueniens, vt in infirmitatis minantis tempore, quotquot in vita, Arianâ proteruitate, deliria contraxerat, ablueret, aut pœnitentiâ ductus, aut furoris oblitus, omnes Præsules, quos Arianorum delatione proscripserat, suis sedibus, Reccaredo *filio, & hæredi, restituendos fore decreuit. Qui, mortuo Rege, ad propria reuersi,* Reccaredum *Principem fidei Catholicæ regulis imbuentes, Optimum, Maximum, & Catholicum Regem, in Concilio Toletano III. feliciter præsentarunt, vbi Noster* IOANNES *tanquam Abbas interfuit. Cuius Rex doctrinam, fidem, constantiam, & virtutes agnoscens,* Gerundensis *Ecclesiæ illum protinus destinauit Antistitem, qui mox in Dominico agro, virtutibus, eloquijs, exemplis, & scriptis, vbique, & continuò laborans, ferè totam illorum montium regionem ab insania hæreticâ liberauit. Concilijs pòst Cæsaraugustano II. duplici Barcinonensi, Gundemari decreto, & Egarensi Synodo, Pontifex iam interfuit, & subscripsit. Scripsit pòst regulam Monachorum plura volumina, inter quæ, illud, quod addidit in Libro Chronicorum ab Anno I. Iustini Iunioris principatus, vsque ad Annum VIII. Mauritij Principis Romanorum, & IV. Reccaredi Regis Annum, historico, compositóque sermone; valde vtilem Historiam continet, quæ præ manibus habetur, cùm cætera desiderentur. Tandem eruditione clarus, sanctitate insignis, & mirabilium gloriâ conspicuus, in pace quieuit,* Pridie Nonas Maij, *Anno Domini* DC. XXXI. *vltimo* Suinthilani *Regis, in cuius tumulo hoc aut cultus, aut deuotio incidi curauit Epigramma,* in quo poëseos regulis ignoscas.

A Reccaredo Rege reuocatur, & restituitur.

Episcopus Gerundensis eligitur.

Interfuit aliquot Concilijs.

Multa scripsit.

Moritur.

Epitaphium.

PIgnora sacra tegit sub marmore, Sancte IOANNES,
Hic tua, terra; leuis sed tibi terra fuit.
Tu Patriæ, tu Legis amor, tu decor Iberi,
Viuere sic satagis, quod fide corda dabis.
Scalabis *ex* Lusis *genuit te Gothicis Orbi;*
Munia Toletum *pòst tibi magna dedit.*
Limpida suprema pollens sua dogmata Græca
Constantinopolis præbuit arte tibi.
Ad propriámque domum repedas, pòst, plenus amore
Gentis Gothorum, quos fidei redigis.
At Leouigildus cùm te ad conamina secta
Damnata haud posset ducere, nec trahere:
Ad Barcinonem *relegauit, & infidus anxit*
Te; qui perplura perpetere inde mala.
Hic Biclarense *mox construis omnibus almum,*
Inclyte, Cœnobium fratribus, & populis.
Redditur at cultus Gothis: tu culmina Sedis
Sancta Gerundensis *suscipis, vngis oues.*
Denique doctrinâ clarus, pietate verendus,
Mortem si gustas, mors fuit ipsa lucrum.

Hactenus MS. *Loaysæ* Codex, in cuius ecphrasi cùm fere omnia communia sint, & à Nostris sæpiùs repetita, non est quid in eis ex instituto elucidare possimus; nisi illud, quod in ACTIS dicitur, scilicet: S. IOANNEM pòst aduentum in Hispanias ex Constantinopoli, *Scalabim* patriam concessisse; ibidémque fratres cum familia, & aliis ex Arianâ secta, ad Catholicam veritatem traduxisse. Quæ sententia etiam apud Ieronym. Pujades *Hist. Cathalon. d. lib. 6. c. 62.* inuenitur.

ITEM circa annum obitus S. Præsulis exquirendum est; nam in *Actis MSS. à Loaysa,* *Quo Anno obierit?*

Loayſa, mortis annus DC. XXXI. conſignatur; & optimè meo iudicio, quia omnium communis opinio ſit, Noſtrum Antiſtitem ad tempora *Suinthilani* peruenisſe, vt inquit Aubert. Myræus *in Not. ad Iſidor. de Vir. Illuſtr. c.* 31. *fol.* 99. & iſte regnare cœpit anno DC. XXI. & regnauit Decem annos, optimè in Actis dicitur, *Vltimo Suinthilani Regis*. Et probatur ex S. Ildephonſ. *de Vir. Illuſtrib. c.* 10. vbi *Nonnitum Gerundenſem* immediatum ſucceſſorem IOANNI *Viclarenſi* conſtituit, & hoc temporibus *Suinthilani*, qui viuere deſiit dicto Anno DC. XXXI. vt notauit Lucas Tudenſ. *in Chron. lib.* 3. *in princip.*

Quo loco Monaſterium fuerit Viclarenſe?

MONASTERIVM BICLARENSE. Circa ſitum huius famigerati Cœnobij anceps inter Scriptores diſſenſio eſt. Apud omnes conuenit illud fuiſſe conſtructum in agro *Barcinonenſi*, ſed quo loco nullus ex Scriptoribus diuinat. P. Diagus *in Hiſtor. Comit. Barcinon. lib.* 2. *c.* 21. *fol.* 80. ſuſpicatur fuiſſe illud, quod in campo *Iſaunenſi*, hodie *Guiſona*, S. Vincentio dicatum eſt. Sed hæc coniectatio non arridet Ieronymo Pujades *d. c.* 62. *fol.* 306. quia fundamentum coniectationis, quod deſumitur ob exiſtentiam, ad illum locum, cuiuſdam riuuli, qui hodie FONS-CLARA dicitur, fallit; eo quòd diuerſa nomenclatura eſt FONS-CLARA, à VALLE-CLARA. Hinc ipſe *Pujades* deſiderio addiſcendi ſitum, quo olim hoc inſigne Cœnobium fuit, omnem lapidem mouens, vt veritatem erueret, tandem à quodam Abbate *Lauixenſi* Ordinis Ciſtercienſis edoctus, ſitum agnouit, ad oppidum, quod adhuc VALL-CLARA dicitur, & ad radices Montis *de Pradas*, viſitur, VIII. M. P. ab oppido *Mont-Blanch*, iuxta Regale Monaſterium *Populenſe*, hodie *Poblet*, Ordinis Ciſtercienſis, cuius Abbati ſubeſt. Et addit, quod ſupra Oppidum *Vall-Clarenſe* in vertice Monticuli adeſt Caſtrum, cuius Baſilica (vt dicitur ab Oppidanis) fuit pars illius *Biclarenſis* Cœnobij inſignis. Cui & ego adhæreo ſententiæ, ob Scriptoris auctoritatem.

NONIS MAII.

DIES VII.

A. CORDVBÆ *in Bætica, & alibi in Hiſpania, feſtum* S. RAPHAELIS *Archangeli magno ciuium plauſu, anniuerſario cultu ſolemniter celebratur, ob liberatos Regionis populos à fœda epidemia peſte ferociter deſæuientis.*

B. NICOMEDIÆ *in Aſia minori* SS. FLAVII *cognomento Antiocheni, Viri Conſularis, & Epiſcopi Illiberitani in Bætica Hiſpaniæ*, AVGVSTI, AVGVSTINI, MARCELLINI, MACROBII, & EVTYCHII *eius fratrum; qui cùm grauium negotiorum causâ cum fratribus ex Hiſpaniâ in Aſiam transfretaret, apud Nicomediam fidei confeſſione delatus, & in carcerem coniectus, per cruciatuum agones, Diocletiano iubente, vnà cum fratrum corona, martyrij coronam intrepidus agoniſta percepit.*

C. *Apud* GERVNDAM *in Eccleſia Oppidi* CELRANENSIS *in Cathalonia Hiſpaniæ, depoſitio* SS. EOVALDI, & SIXTI

Martyrum,

Digitized by Google

Martyrum, qui ſub Daciano Præſide Hiſpaniarum, imperante Diocletiano ad martyrij palmam validi pugiles ob fidei defenſionem feliciter cucurrêre.

D. COMPOSTELLÆ *in Gallæcia Hiſpaniæ, feſtiuitas* CONSECRATIONIS *Baſilicæ* S. IACOBI *Apoſtoli & Vnici Hiſpaniarum Patroni, ex Ioannis VIII. Pontificis Maximi decreto, inſtante Adefonſo Rege Catholico, quæ celebri repetitur iubilo, & ſacra pompa ſolemniter iteratur.*

E. VALENTIÆ *in Edetanis Hiſpaniæ, feſtum* DEDICATIONIS *ipſius Eccleſiæ Cathedralis, quod honorifico colitur apparatu, & de voto concelebratur cultu.*

F. Apud SEGOBRIGAM *Celtiberiæ in Hiſpania, ſolemnitas* CONSECRATIONIS *ipſius Vrbis Cathedralis Baſilicæ, quæ anniuerſariâ repetitione iteratur, & celebri pompâ recolitur.*

NOTÆ.

A. *Cultus SS. Angelis Michaëli, & Gabrieli exhibitus.*

FESTVM S. RAPHAELIS Archangeli.] Cùm hucvſque multum ſubſidij, & fauoris ab Angelicâ natura ſuſcipiat humana, ita vt notam ingratitudinis incurrere videri poſſit, niſi quam vicem poteſt rependere ſtudeat, maximè illis Spiritibus, qui nobis ſingularia ſubſidia præbent; ideò in Eccleſia Dei SS. Archangelorum *Michaëlis*, & *Gabrielis* introductus eſt cultus; necnon & S. RAPHAELIS, qui, provt *Medicina Dei*, ſæpe ſæpiùs ægrotantibus medelam impartiri conſueuit. Et licèt in Eccleſia Vniuerſali adhuc officium de tanto Archangelo non recitetur; attamen apud plurimas Orbis Eccleſias illud cum Miſſa iamiam ab antiquis temporibus agnoſcimus introductum. Imò in *Miſſali Romano* apud me *Venetijs* impreſſo, impenſis Bernardini Stagnini Anno M. D. XI. & in alio *Miſſali Romano* apud Nicol. Serar. *in Comment. ad Tob. cap. 3. queſt. 2.* Pariſiis excuſo Anno M. D. XX. & in *Miſſali S. E. Placentinæ* in Hiſpania Anno M. D. XLVII. edito, & in Miſſali alio *Romano*, quo vtebatur *S. E. Zamorenſis* Venetiis apud Iuntas Anno Domini M. D. LVIII. quæ in mea ſunt Bibliotheca, adeſt Miſſa S. RAPHAELIS hoc ordine.

Item S. Raphaëli antiquitus.

MISSA S. RAPHAELIS ARCHANGELI, ex Miſſali Romano antiquo, & alijs Hiſpaniæ.

INTROITVS.

EGo ſum Azarias, Ananiæ magni filius. Ego ſum RAPHAEL *Archangelus, vnus ex ſeptem, qui adſtamus ante conſpectum Domini. Pax vobis, nolite timere. Dominus exaudiuit preces veſtras, & miſit me ad vos, vt curem vos, Alleluia.* Pſalm. *Benedicite Dominum omnes electi eius, agite diem lætitiæ, & confitemini illi.* Verſ. *Gloria Patri.*

ORATIO.

DEVS, *qui* B. RAPHAELEM *Archangelum, Tobiæ famulo tuo properanti, præuium direxiſti, & inter huius viæ, ac vitæ varietates, atque diſcrimina donaſti cuſtodem; da quæſumus, vt eiuſdem protegamur auxilio, quatenus, & vitæ præſentis vitemus pericula, & ad gaudia valeamus peruenire cœleſtia.* Per D. N.

Epiſtola ſumitur ex *Libro Tobiæ cap.* 12. à verſ. *Dixit Angelus* Raphaël *ad Tobiam: Etenim ſacramentum,* vſque ad Verſicul. *Vos autem benedicite Dominum, & narrate omnia mirabilia eius.*

Graduale.

Angelus RAPHAEL *apprehendit, & ligauit dæmonem.* Verſ. *Magnus Dominus noſter, & magna virtus eius, Allel.* Verſ. *Miſſus eſt* RAPHAEL *Angelus à Deo ad Tobiam, & ſalutauit eum; & dixit ei, gaudium ſit tibi ſemper, Alleluia.* Verſ. *Angelus Domini deſcendit de cœlo, & accedens reuoluit lapidem, & ſedebat ſuper eum.*

Euangelium ſumatur ex *Ioann. c.* 5. quod require Feria ſexta poſt Dominicam I. Quadrageſimæ.

Offertorium.

In honore S. RAPHAELIS *pſallat militans Eccleſia, qui virtute Dei Patris, ligauit dæmonia, & Tobiæ viſum reddidit, quo priuatus fuerat, Alleluia.*

Secreta.

MITTE *Deus Archangelum tuum* RAPHAELEM *cum medicamine opificem, qui ſanitatem mentis reportet, & corporis; miſericordiæque cœleſtis donum infundat, & quæ in nobis ſunt aduerſa deponat, vt qui noſtrâ iniquitate tabeſcimus, de ſuâ, quam non meremur, pietate lætari concedas.* Per D. N.

Communio.

IVBILVS *ſummæ laudis reſonet in ore omnium ad laudem Beati* RAPHAELIS *Archangeli, vt ipſe, cuius memoria agitur in terris, ad Deum pro nobis intercedat in cælis, Alleluia.*

Poſt Commun. Oratio.

DIRIGERE *dignare Domine Deus in adiutorium noſtrum* RAPHAELEM *Archangelum, & quem tuæ maieſtati ſemper aſſiſtere credimus, tibi noſtras exiguas preces benedicendas aſſignet.* Per D. N.

Non ſolùm olim *Miſſæ*, ſed etiam *Officia* de Noſtro S. Archangelo recitabantur, vt videre eſt in *Breuiario* antiquo Ordinis B. MARIÆ de Mercede Redemptionis captiuo

captiuorum, vbi *die XVIII. Septembris* eius Officium inuenitur *fol. mihi* 374. *col.* 4. in excuſo Ann. 1560. Et licèt Petrus Dias de Ribas *in libell. de S. Raphaël. Pecul. Cordubenſ. Cuſtod. c.* 2. *fol.* 6. cauſam huius Officij apud Fratres huius Ordinis referat ex *Rubrica* huius Officij, & illam in *Breuiario* meo non inuenerim, tamen ſub eius fide, illam latinitate donatam ſubiiciemus, hac ſerie: *Mos erat in aliquibus Cœnobijs huius Ordinis, vt* S. RAPHAELIS *Archangeli celebraretur feſtiuitas, eo quòd Anno* M. CCC. XLVII. *cùm per totum orbem ſæua peſtis diffunderetur, & præcipuè per Regni* Valentini *angulos, quidam Religioſus nomine* F. Stephanus Petri à Penna *ſacramenta ægrotantibus miniſtrabat, qui febre correptus, deficientibus iam Presbyteris, qui ſacramenta epidemicis miniſtrarent, repentè iuuenis facie decorus apparuit, Ordinis inſulis indutus, qui ſe à Superioribus miſſum, vt ægrotantibus opem ferret, dictitauit. Ab eo* F. Stephanus *Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ Sacramenta recipiens, è viuis ſublatus eſt, Anno* M. CCC. XLVII. *Poſt illius igitur obitum, Frater ille qui mortuo Sacramenta porrexerat, omnes alios febricitantes viſitauit, qui protinus fuere ſanitati reſtituti. Poſt triduum etenim iuuenis monachus diſparuit, ita vt in poſterum à nemine videretur. Quo euentu, inter omnes conuenit, iuuenem illum fuiſſe Dei* Angelum, *qui meritis Venerabilis* F. Stephani *fuit è cælo dilapſus: & quia die* XVIII. Septembris *hoc euenerat, quo in aliquibus* S. RAPHAELIS *feſtiuitas Ordinis Monaſterijs peragebatur ſolemniter; poſt varios conſultationum anfractus, re benè perſpectâ, inter omnes perſuaſionis ſcintilla remanſit, iuuenem illum, ordinis habitu decoratum,* S. RAPHAELEM *Archangelum fuiſſe. Ideoque in Capitulo Generali apud* Barcinonem *celebrato, vt in totius Ordinis domibus die* XVIII. Septembris *anniuerſarium hoc feſtum celebraretur, decretum eſt.* Hactenus *Ribas.* Tanti igitur Archangeli feſtiuitas apud varias Eccleſias, diuerſis colitur diebus, ideo Petr. Equilin. *in Catalog. SS. lib.* 4. *c.* 141. illam ad diem VIII. Maij refert. Ioann. Molan. *in Addition. ad Vſuard. die XX. Nouembris,* quo etiam die Philipp. Ferrar. *in Catal. Gen. SS. fol.* 452. Apud *Venetos* die X. Maij, apud *Veronenſes* die XXX. Decembris, apud *Cæſenates* die III. Maij. Nunc apud *Cordubenſes* hoc die feſtiuitas colitur, & Apoſtolicâ authoritate in poſterum celebrari ſancitur. Quid in cauſa? Audi Ribas *vbi ſupr. c.* 4.

Cauſa Officij Eccleſiaſtici S. Raphaëli exhibiti.

Ob peſtem ſedandam.

Feſtiuitatis dies varius apud varias Nationes.

Qualis apud Cordubenſes, & quare?

RELATIO FESTIVITATIS S. RAPHAELIS Archangeli apud Cordubenſes ex L. Petro Diaz de Ribas.

TEMPORE *quo Alphonſus ſapiens, & eius filius Sanctius Hiſpaniæ Reges ſceptrum feliciter obtinuere,* F. Simon de Souſa, *origine* Luſitanus, *in Cœnobio Aſtenſi habitum Ordinis B.* MARIÆ *de Mercede Redemptionis Captiuorum aſſumpſit: & licèt in Ordine, nulla, extra Cordubenſis Monaſterij officium Commendatarij, miniſteria exercuiſſet, tamen meritis abundans, Sancij IV. & Alphonſi XI. Regum Caſtellæ factus Eccleſiaſtes, poſtmodum* Pacenſis, & Tudenſis *Eccleſiarum, vltimo diſponente, Baculum eſt adeptus. Igitur cum in Conuentu* Cordubenſi, *qui ex prouinciâ Caſtellæ antiquior inſpicitur, nam S. Rex Ferdinandus, extemplò quòd Cordubam è Maurorum faucibus eripuit, Cœnobij fundamenta iecit, illúdque* S. Petrus Nolaſcus *perfecit, Commendatorem ageret, & S. E. Cordubenſis Venerabilis Paſchalis Sedem teneret, euênit, quòd morbus peſtilens vrbis ciues ſæua, & breui contagione depaſceret, ita vt Ciuitas famoſa ferè ſine populo iam conſpectaretur deſerta. Epidemicæ infirmitatis progreſſu, & furioſi aſſiduitate contagij, breui Clericorum, & miniſtrorum copia defecit, partim ægritudinis ſerpentis ferociâ, partim quia proprijs relictis laribus, in locis immunibus ſalutem quærebant. Tunc temporis Cordubæ Quinque tantùm inſpectabantur Conuentus, in quibus Fratrum tenuis numerus erat, aut contagij continuatione, aut cauſâ recentioris fundationis eorum. Graueſcente igitur periculo, in Epiſcopali Palatio,* Paſchali *Antiſtite diſponente, celebris Prælatorum Cœnobitarum congregatio coadunata eſt, vt remedia, quibus faueretur ægrotis, omnium deliberatione,*

tione, requirerentur, inter quos conuenit, vt vnuſquiſque cum ſuis proximorum ſaluti ad animæ vſque deliquium, intenderet. Huius enim reſolutionis apicem primus F. Simon, *intrepidâ charitate pertingens, cæteros ad huiuſmodi deliberationem attraxit, ita vt protinùs omnium Fratrum feruor in medendis ægrotis, & in ſepeliendis cadaueribus mortuorum, intrepidus noſceretur. Talis equidem fuit in* Simone *cum ſuis Fratribus aſſiſtentia, vt tandem ille, & cæteri ſodales contagij rigore contacti ferè in mortis faucibus periacerent, ſed Dei miſericordiâ à periculo liberati ſunt. Hoc quippè conualeſcentiæ tempore,* F. Simon *cùm in choro Monaſterij aliquando humilis orationi vacaret, & Deo, propter ſui, & ſuorum ſalutem, gratias contrito corde referret, ab eo petens, vt populi afflicti miſereretur, & ſuæ indignationis iram ab eo placatus auerteret; & vt iſta ſecuriùs adipiſceretur à Numine, Beatiſſimam Virginem* MARIAM *afflictorum matrem, & Archangelum* RAPHAELEM, *Medicinam Dei, Aduocatos interpellabat; cùm in profundo contemplationis ſubmerſus,* Archangelum *vidit, cuius aſpectu fulgentiſſimo, in ecſtaſim raptus hæc ab eo verba concepta percepit:* Vade, & dic Epiſcopo *Paſchali*, quòd eius cura, & vigilantia maximè Deo placet, ita vt omnem eius deſiderij expectationem expleuerit, ideò ipſius, & aliorum orationibus, necnon Matris Virginis interuentu, huius eſt populi miſertus: Quòd imaginem meam in Eccleſiæ Cathedralis pinnaculo ponat, & fideles exhortetur, quatenus mei deuotionem aſſumant, & quotannis feſtum meo nomini conſecratum concelebrent; quæ ſi perficere ſatagunt, prorſus contagij procella ſedabitur. *Quo dicto, Paranymphus euanuit; &* Simon, *vt Angeli præcepta compleret, omnia, vt euenerant, Epiſcopo renuntiauit. Qui ſine cunctatione obediens, iconem* S. RAPHAELIS *Archangeli ſupra Eccleſiæ turris verticem collocans, tali formâ, vt videretur aërem ſaluti contrarium minitare; pòſt, oues ad S. Archangeli deuotionem ſuadens, & diem, quo eius feſtiuitas coleretur, aſſignans, breui ſalutem ciuibus impetrauit.*

Hactenus *Petrus Diaz de Ribas*, qui vt rem probet F. Marc. Salmeron. *in ſuis Recordation. ſecul. 1. Recordat. 15. §. 4. n. 8.* Iacob. Ioann. Viues *in Viridar. Mercenar. tit. de Epiſcop.* Georg. Cardoſ. *in Martyrolog. Luſitan. die XXV. Martij*, cuius nec adhuc codicem vidimus, refert.

NON ſolùm in hac relatione includitur Vrbis *Cordubenſis* deuotio ad S. RAPHAELEM Archangelum, quia idem Petrus Diaz de Ribas *vbi ſupr. d c. 2. §. fin.* aſſerit: *Ciuitas* Cordubenſis *in præſenti optat, quòd feſtum Archangeli celebretur die VII. Maij, quia eâ ipsâ die Venerabilis Seruus Dei* ANDREAS DE LAS ROELAS *vltimam, & famoſiorem apparitionem conſpexit, in qua,* S. RAPHAELEM *Archangelum agnouit, ab eoque ſeſe eſſe* Cordubenſis *Vrbis* Tutelarem, *audiuit.* Fuit hic Venerabilis ANDREAS Presbyter, *Corduba* natus ex nobilibus parentibus Anno M. D. XXV. & Anno M. D. LXXXVII. obiit, qui Anno M. D. LXXVIII. aliquas reuelationes ſcripſit, quas primò probauit Concilium Toletanum Prouinciale, & Ordinarius Cordubenſis, pòſt, eaſdem extollit P. Martin. de Roa *de Angel. Cuſtod. lib. 3. c. 8.* & in *Flor. SS. Cordubenſ. die XXI. Nouembr. fol. 166.* & alij à *Ribas* citati.

S. Raphaël Cordubenſis vrbis Tutelaris.

Ægrotantibus eſt Medicina.

EXTRA ſupra citata auxilia, quæ ægrotantibus Archangelus, vt *Medicina Dei*, efficaciter impartitur, ex quo de eo in hymno dicitur apud Anton. Ducam *fol. 22.*

Hinc inualidi ſanantur,
Et vigore confortantur,
A RAPHAELE *Medico.*

Viatoribus ſubſidia præbet.

Etiam iter agentibus ſubſidia inuocatus adducit; maximè peregrinantibus ad S. IACOBVM in Compoſtella, vt refert Petrus Equilin. *in Catalog. SS. lib. 4. c. 141.* vbi in huius rei probationem ſequens exemplum annectit: *Dum enim quidam Aurelianenſis ad* S. IACOBVM *peregrinaretur, Angelo* RAPHAELI, *quem in deuotione habebat, & quem ducem, & cuſtodem viatorum illius itineris audierat, ſe ſpecialiter commendauit. Cum autem in via erraſſet, & appropinquans ſylvæ, prædones ſuperuenientes conſpiceret,*

Exemplum pro peregrino S. Iacobũ adeunte.

Digitized by Google

conſpiceret, feſtinare cæpit iter, vt eos euaderet. Et cùm aliquantulum proceſſiſſet, quidam, quaſi comitem viæ ſe ſibi coniunxit, & cauſam tantæ feſtinationis quæſiuit. Cui cùm cauſam expoſuiſſet, & hoſtes ſe inſequentes oſtendiſſet, ille eum hortari cæpit, ne timeret, quia ipſum ſine læſione ad rectam viam reduceret; & cùm hoc loquerentur, deuenerunt ad fluuium. Cúmque ille, nec pontem, nec nauem ad tranſeundum conſpiceret, nec viam transvadandi ſciret, adhuc magis timuit, & ſe à comite deceptum putauit. Et ecce cùm prædonibus irruentibus, ille omni auxilio deſtitutus, ſe Angelo RAPHAELI *commendaſſet, ſubitò ex alia parte fluminis cum ſocio ſe tranſlatum vidit, & hoſtes circa flumen mirantes dimiſit; ſubitóque & comes ille diſparuit; ſícque viam ſuam proſecutus eſt. Cùm autem iterum rediens, ad locum illum appropinquans, in eoſdem hoſtes irruere dubitaret, graui ſopore ſubitò depreſſus, ſub arbore dormitauit. Cui in ſomnis comes ille, qui eum trans flumen euexerat, apparuit, ſéque eſſe* RAPHAELEM *Archangelum, cui ſe commendauerat, aſſeruit, qui eum in via cuſtodierat, & vſque ad domum ſaluum ducere intendebat. Euigilans ille ſe ad vnam dietam, propè ciuitatem ſuam reperit, & ſaluus rediens, Beato Archangelo gratias egit.* Hinc elicies quanta cura RAPHAELI Archangelo *inſit ſubueniendi* peregrinantibus *Compoſtellam.* Sed & ægrotis, quos ſecum deferebat *B. Ioannes Dei* ad Xenodochium, in omnibus rebus miniſtrabat tantus cœleſtis Paranymphus, vt teſtes ſunt *Ioannes Euſebius Nierembergius*, amicus, toto obſequio nominandus, & Ioann. Ludouic. de la Cerda *de Angel. Cuſtod. c.* 30. *n.* 9. Anton. Gouea *Hiſt. S. Ioan. Dei, c.* 20. *fol.* 37. & Nos ſuprà *Tom.* 2. *die VIII. Martij.* Ideo optimè apud omnes *Eccleſias Hiſpaniæ* hæc hodie feſtiuitas ſuſcitatur.

B. Ioanni de Deo, familiaris amicus.

S. FLAVIVS Antiochenus Epiſcopus, & Socij Martyres.] Omnium memoriam apud *Nicomediam* meminere Beda, Vſuard. Ado, Conſtant. Felicius, Alexand. de Peregrin. & cæteri recentiores, à quibus *Martyrolog. Roman.* h. d. his verbis: *Nicomediæ SS. Martyrum,* FLAVII, AVGVSTI, *&* AVGVSTINI *fratrum.* Quæ verba ſuis idiomatibus repetunt P. Dionyſ. Vazq. *in Martyrolog. Caſtellan.* P. Lupus *in Luſitano*, & P. Higuer. *in Hiſpano MS.* qui pleniori cognitione illos *Hiſpanos*, ex Luitprando *Aduerſar. num.* 17. hac ſerie: *Nicomediæ paſſus eſt in perſecutione Diocletiani* S. FLAVIVS *Antiochenus, Vir Conſularis, & Epiſcopus* Illiberitanus, *qui Concilio interfuit Illiberitano, habito Anno* CCXCIX. *vel circiter: Qui negotiorum grauium cauſâ, Nicomediam delatus cum fratribus* AVGVSTO, *&* AVGVSTINO, *die* VII. Maij *martyrium paſſus eſt*; conſignat. Nullus ergo ex relatis Martyrologiorum Scriptoribus de S. FLAVII meminit Præſulatu, ſed ſolo nomine Martyris contenti, ad agonem deueniunt. Hinc de impoſtura *Luitprandum* incuſant nonnulli Morologi, qui propriâ ſenſus ruminatione contenti, vnius tantùm codicis apprehenſione ſubnixi, cætera ab illo aliena deſpectant. Quorum, vt occurramus ineptiis, Rabanus Maurus *in ſuo Martyrolog. h. d.* titulum ſubminiſtret, ſic: *In Nicomedia natalis* FLAVII EPISCOPI. Veritatis neruos ſtringat, & Martyrum addat numerum B. Notker. *h. d. fol.* 825. hac clauſulâ: *Apud Nicomediam paſſio SS. Martyrum* FLAVII, *&* AVGVSTINI, *& Trium fratrum* MARCELLINI, MACROBII, *&* EVTYCHII. Vnde colliges non ſolùm AVGVSTVM & AVGVSTINVM fuiſſe fratres S. FLAVII Epiſcopi, ſed etiam MARCELLINVM, MACROBIVM, & EVTYCHIVM. Quod non agnouit M. Rus-Puerta *Hiſtor. Giennenſ. tom.* 1. *ſecul.* 4. *c.* 3. *n.* 4. Nec R. P. F. Petrus à S. Cæcilio *in Memor. SS. Illiberit. MS.* cuius diſſertationem pro ACTIS ſubiicere propoſuimus.

B. *Martyrologia.*

An Epiſcopus?

DISSERTATIO

Pro SS. FLAVIO *Epiſcopo Illiberitano,* AVGVSTO, *&* AVGVSTINO *fratribus, Martyribus apud Nicomediam. Ex Memoriali SS. MS. R. P. F. Petri à S. Cacilio.*

QVALIS *fuerit* S. FLAVII ANTIOCHENI *patria, adhuc ſub ſilentio eſt. Nonnulli ex cognominis ſonitu, illum fuiſſe* Antiochiâ *oriundum ſuſpicantur. Sed meo videri, S. Antiſtitem potius* Hiſpanum *fuiſſe, coniector,*

Fuit Hiſpanus origine.

quia cognomen potius à proſapia, quàm à patria deduxiſſe credendum eſt.

Nobilis genere.

Genus verò abſque dubio ingenuum, & nobile, & iuuentutis ſtudia (ſi honoribus, illo ſeculo, eſt danda fides) non inutilia, imò homini patricio aptiora fuêre. Hinc ad Romanum Conſulatum deuenit, quem vnà cum Furio Orſito, Anno Domini C C. L X X I. imperantibus Claudio, pòſt Quintilio, & demùm Domitio Valerio Aureliano cumulatiſſimè adminiſtrauit, Vtrum illo tempore nomen Chriſto dederat, haud ſcitur, nec eius actiones ad Annum vſque Dominicum C C. X C. *quo, vacante Sede* Illiberitanâ, *per vita, vt credo, diſceſſum* Iſidori *Epiſcopi, ad illius apicem, ob virtutum merita, aut Romani Pontificis auctoritate, aut Cleri* Illiberitani *ſuffragijs, adſcitus eſt.*

Conſulatum geſſit.

Epiſcopus Illiberitanus.

Anno igitur C C C. *quo Concilium* Illiberitanum *coactum fuit, iam* Flavius *illius erat vrbis Epiſcopus, nam inter vndeviginti Præſules, qui ex diuerſis Hiſpaniæ Sedibus, in eadem fuere congregati, Quarto-decimo loco Noſtri Antiſtitis adeſt ſubſcriptio; ex quo colligitur, quanta fuerat illius antiquitas conſecrationis, ſiquidem Quinque præcedebat Antiſtites. Huius indictionis Concilij cauſas, vt communes omitto. Locum Concilij apud* Illiberim Bæticam, *ideo electum coniectamur, aut quia idoneum, ob libertatem Municipalem; aut quia neceſſarium, ob diffuſam fidelium plebem; quâ adſtante (vt inquiunt verba Synodi) congregatio perfecta fuit: quod nec eueniret, ſi maior pars vrbis Gentilitatis fætore erigeretur oppleta. Publicatis quippè Concilij Canonibus, illicò* S. Flavius *ad extirpandam idololatriam, manum conuertit; cuius conſilio, & operâ, ferè omnia* Illiberitanæ *vrbis Idolorum ſimulachra corruêre, & in cinerem redacta, horroris vmbras, quæ ſub pretioſis materiâ iconibus latuêre, conciuibus demonſtrarunt. Pro quo Canonis decretum interpellabat huiuſmodi: Admonere placuit fideles, vt quantum poſſunt, prohibeant, ne ſerui idola in ſuis domibus habeant. Si verò vim metuunt ſeruorum, vel ſeipſos puros conſeruent: ſi non fecerint, alieni ab Eccleſia habeantur. Ex quo liquidò apparet, illo æuo, in eadem vrbe ſolos ſeruos, tanquam aduentitios, profugos, & infames idolis thura litaſſe. Ij fortè fuere, qui (à Dominis compulſi) tunc nonnulla ſimulachra Idolorum terræ viſceribus commendarunt, quæ hodie varijs in partibus inuenta cognoſcimus, quorum Quatuor imagines, adhuc in Regio* Granatenſi *Palatio, quòd* Alhambra *dicitur, viſuntur. Igitur* S. Flavius *poſtquam vrbem à ſuperſtitione Idolorum redemiſſet, & à face Gentilici erroris expurgaſſet, vt cognouit, quanto perſecutio Diocletiani, & Maximiani per totos Orbis ambitus extenderetur furore, tunc ſacras Scripturas colligere, & oues in fide inſtruere efficaciùs incæpit. Aduenientе igitur* Illiberim *iudicum perſequentium cateruâ, B. Pontifex cum alijs fuit carceri mancipatus, & variè tortus, ob codicum ſacrorum exhibitionem, provt & ſanctiſſimæ ſorores Agappes, Chiona, & Irenes, quæ ex eadem cauſa comprehenſæ ſæuitiam ſatellitum deguſtarunt. At* Flavius *è carcere ſolutus,* Nicomediam *peragrauit, grauium negotiorum cauſâ: quæ iſta fuerit, ignoratur. Neceſſariam, & impulſiuam fuiſſe credere compellimur, nam propriam Eccleſiam relinquere, & oues, æuo tantis perſecutionibus obuoluto, deſerere, niſi interuenientibus, & interpellantibus fidei maximis neceſſitudinibus, in homine ſanctiſſimo, vix ſuſpicari poſſet. Præſumptio aliquorum eſt, illum exulaſſe; aliorum, vt alicui Synodo interfuiſſet: quicquid ſit, S. Præſul* Nicomediæ *ad cælos martyrio coronatus aſcendit, die* Nonis Maij *cum fratribus* Avgvsto, & Avgvstino, *Diocletiani Imperatoris decreto; quo agonis genere, ignotum. Iſtos non fratres germanos naturâ, ſed Ordine, tanquam Presbyteros Eccleſiæ* Illiberitanæ *fuiſſe coniector, ex receptâ Vniuerſalis Eccleſiæ conſuetudine, & decreto Lucij Papæ, (qui vt refert Damaſus) ordinauit, quòd duo Presbyteri, & Tres Diaconi in omni loco comitarentur Epiſcopum, propter teſtimonium Eccleſiarum.*

Illius decreta obſeruare conatur.

Sacras Scripturas colligit.

Comprehenditur ob earum exhibitionem.

Abſolutus Nicomediâ cum fratribus pergit.

Coronatur.

Tres item Martyres adiungimus ex Notkero.

Hactenus *P. F. Petrus à S. Cæcilio* in ſua Dissertatione, cui pro S. E *Illiberitanæ* gloriâ, tres itidem ſanctiſſimos Martyres, S. Flavii, aut naturâ fratres, aut Ordine germanos, ſeu ipſius Baſilicæ Miniſtros addere ex *Notkeri* placito, compelli

compellimur; illos MARCELLINVM, MACROBIVM, & EVTYCHIVM nominauit antiquitas; fortè hi fuêre *Diaconi*, vt Lucij decretum compleretur. Hinc coniectatio *P. à S. Cæcilio* ſtabilitur, ita vt AVGVSTVS, & AVGVSTINVS Presbyteri; MARCELLINVS, MACROBIVS, & EVTYCHIVS Diaconi, FLAVIVM Epiſcopum *Nicomediam* vſque ex eodem decreto comitati, ibidem quoque martyrij comites fuerunt: omnéſque Fratres appellati ſunt.

CIRCA Noſtri S. Antiſtitis *Conſulatum*, videndi Baron. *Annal. Eccleſ. tom. 2. Ann.* 271. Cuſpinian. *de Conſul. Ann.* 273. Bermudez de Pedraz. *Hiſtor. Granat. 2. p. c.* 10. *fol.* 56. Et quia *Cuſpinianus* ibidem meminit alterius FLAVII Antiocheni, Vrbis Præfecti; in ſuſpicionem rapior, ne fortè iſte Præfectus fuerit, de quo Luitprand. *d. Adverſ. n.* 17. & à quo *P. à S. Cæcilio* diſſertationem texuit, & *Bermudez* Acta concinnauit. Ad huius ſuſpicionis incentiuum duo me mouent: I. Quia in *Illiberitani* Concilij ſubſcriptionibus, tantùm nomen FLAVII, quod in *Antiochiano*, ſeu *Antiocheno* apud Trebellium Pollionem, Cuſpinianum, Panuinium, & Baronium deſideratur. Quòd ſi Conſul iſte *Antiochenus*, illo appellaretur nomine, vt quid illum *Trebellius*, & cæteri eo exuerent? II. Quia, & in nominibus appellatiuis diſſentiunt. In Præfecto autem, & Nomen, & Cognomen cum noſtri Epiſcopi Nomine, & Cognomine conueniunt; ergo potius pro iſto coniectandum eſt. Nec obſtabit *Luitprandi* auctoritas dicentis FLAVIVM Antiochenum fuiſſe VIRVM CONSVLAREM, quod in Præfecto non inuenitur; quia facilis eſt reſponſio: Nam potuit inter *Conſules* numerari *Suffectos*, quorum Nomina in Conſularibus non ſcribebantur Tabulis. Si ergo Conſul fuit, licet Suffectus, vt quid non Vir Conſularis à *Luitprando* vocabitur?

De Anno Conſulatus Flauij.

An Præfectus? I. Ratio.

II. Ratio.

Luitprando fit ſatis.

ILLIBERIS. Vrbs in *Hiſpania Batica*, de qua ſupra non pauca diximus, nunc vt eius antiquitatem agnoſcas, en ex Bermudez *Hiſt. Granat. 1. p. c. 7. fol.* 11. inſcriptionem adhuc extantem:

ILLIB. VESP. IN. HON.
HIEROS. BELLI. DE
LIT. GEN. HVMAN.

Inſcriptio pro Illiberi.

Hinc amicus eruditus deducit argumentum contra eos qui ſcripsêre *Illiberim* ab Hebræis conditam; *quia* (inquit) *non eſt veriſimile vrbem gratulaturam Imperatori de victoria ſuorum.* Sed exilis iſthæc eſt ratio, vt alibi dicemus.

SS. EOVALDVS, & SIXTVS Martyres.] Ipſos fuiſſe *Hiſpanos*, eorum Acta, quæ inferiùs dabimus, apertiſſimè manifeſtant. Eorum nomina adhuc in Eccleſiaſticis Tabulis deſcribere deuotio diſtulit, quia ignorata, donec Philipp. Ferrar. *in Catal. Gener. SS. h. d. fol.* 186. illa primus inſeruit, his verbis: *Apud* Gerundam *in Hiſpania SS. Martyrum* EOVALDI, & SIXTI *ſub Daciano*. Eorum Acta ex MS. Codice Antiquo exſcripſit P. F. Anton. Vincent. Domenec *Hiſtor. SS. Cathalon. lib. 1. fol.* 43. Quorum tranſumptum ex originali accepi, & eſt huiuſmodi:

C. *Scriptores.*

ACTA SS. EOVALDI, ET SIXTI, Martyrum, apud Gerundam Hiſpaniæ, ex MS. Codice pervetuſto.

INCIPIT *in Nomine Domini, & Seruatoris Noſtri Ieſu-Chriſti Legenda* INVENTIONIS *Corporum* SS. EOVALDI, *&* SIXTI *Martyrum* Hiſpanorum, *qui paſſi ſunt ſub Daciano Præſide, vt ab antiquis temporibus ſcripta eſt, quam in honorem Dei, & gloriam Sanctorum, in hunc Codicem tranſtulimus, ex antiquo Gothico, ne memoria excideret, & in futuris ſeculis, quod de veneratione illorum, & miraculis accepimus, agnoſcatur.*

TEMPORE, *quo* Dacianus *crudeliter fideles in* Hiſpania *perſequebatur, & diris cruciatibus illorum vitas perdebat, multa Sanctorum Corpora Martyrum, in locis abditis à Chriſtianis ſepulta ſunt, vt vix de eorum exuuijs aliquid ſciretur, niſi Deus illas ad ſui gloriam, & fidei exaltationem, paulatim mirabiliter propalaſſet. Quod etiam euênit in* INVENTIONE *Corporum*

Martyres Hiſpani.

porum SS. EOVALDI, *&* SIXTI *Martyrum* Hiſpanorum, *quæ hoc ordine detegere dignatus eſt.*

Agricola cognouit in ſomno locum ſepultura Martyrum.

ERAT *igitur in Oppido* CELRAN *quidam honoratus* Agricola, *iuſtus, & timens Deum, qui inter alia virtutum inſignia, quotidie Miſſam deuotè audiebat. Euenit ſiquidem, quòd quadam nocte in ſomnis illi* Angelus *apparuit, & ei nominatim dixit :* Serue Dei, accede ad vineam, quam in *Valletorta*, iuxta Eccleſiam B. Virginis, & Martyris *Teclæ* habes, & ibidem duo Corpora inuenies Sanctorum, qui martyrium paſſi ſunt pro Ieſu-Chriſti fide, quæ propter *Daciani* tyrannidem illic fideles condiderunt. *Hu vocibus ſeruus Dei ſtupefactus, & à ſomno excitatus, primo diluculo è lecto ſurgens, vt viſionem nocturnam examinaret, ad Eccleſiam properatò deuênit, ſicut illi mos erat, &* B.V. MARIÆ *Miſſam celebrari poſtulauit, vt Deus precibus ſuæ Sanctiſſimæ Matris, de inſomnij antecedentis veritate illum illuminaret.*

Agricola ad locum accedit.

NOCTE *ſuperueniente, ad vineam acceſſit* Agricola, *vbi orationi intendens, cùm in illa per aliquantùm temporis perſeueraſſet, in vno ex vineæ angulis, ſuper cumulum veprium, & ruborum tantum luminis fulgorem vidit coruſcantis, vt conuicinos agros, & populos lux repleret cæleſtis. Quâ viſione lætatus, gratias Deo egit, eo quòd tale meruit proſpicere lumen. Alterâ die, mane facto, vt profuſiùs reuelationem exploraret, iterum ad Eccleſiam deuenit, & auditâ de Spiritu-ſancto Miſſâ, itidem de nocte in vineam repedauit, vbi ſecundò lumen intuitus, gratijs Deo actis, in domum ſe recepit. Demum tertio, antelucano tempore Eccleſiam ingreditur, & peracto per Presbyterum de Sanctiſſimâ Trinitate ſacrificio, ad vineam nocte repedans, eadem lumina oculatus inuenit, & redditis iterum Deo laudibus, in domum properauit, & ligone, cum alijs ferramentis ad opus neceſſarijs, accepto, ad vineam deuenit, & combuſtis vepribus, & rubis, aggerem lapidum occupantibus, fodere (oratione præuente) incepit, & non poſt multùm temporis, incidit in capſam ligneam, tali artificio, & opere clauſam, vt nulla ſciſſura noſceretur.*

Capſa ligneæ cognoſcitur, & detegitur.

QVA *extractâ, & cum lacrymis, & veneratione in plano vineæ poſitâ, iterum foueam aperire ſtudebat, quod & zelo deuotionis accenſus fecit, donec aliam ſimilem capſam detexit. Quo theſauro inuento, Clerico Sacriſtæ Oppidi de* Celran, *omnia prout euenerant patefecit. Qui ad Epiſcopum Gerundenſem accedens, eadem, vt ab* Agricola *acceperat, pro Sanctorum eidem manifeſtauit honore. Epiſcopus relata prudenter penſans, ad omnium inquiſitionem deuenit : quâ factâ, ad locum* INVENTIONIS *Capſarum cum ſuæ Eccleſiæ Capitulo, Clero, & Populo feſtinatus acceſſit, & acceptis reuerenter capſis, illas cum hymnorum canticis, & iubilationibus ad* Gerundam *remeare conſtituit.*

In Eccleſiâ defertur.

Miraculũ.

AT *cùm ad riuulum (qui Parochias Oppidorum de* CELRAN *&* Campdota *diſterminat) Corpora Sanctorum tetigiſſent, ſic ſunt immobilia facta, vt nequaquam eminus pergere viſa ſint. Hoc viſo miraculo Epiſcopus, quia Dei voluntatem agnouit, Reliquias in Eccleſia* Celranenſi *depoſuit. Quo facto præcepit, vt omnes tàm Eccleſiaſtici, quàm ſeculares à Deo expeterent, vt illis ſuorum nomina manifeſtaret Sanctorum. Oratione ergo perfectâ, vnaquæque Capſa per ſe aperta eſt, ita vt Populus videret Corpora SS. Martyrum, in quarum vna,* S. EOVALDVS Martyr. *In alia,* S. SIXTVS Martyr *legebatur. Quibus perlectis, protinus per ſe, vt priùs capſæ ſunt clauſæ. Epiſcopus exſtrui duas præcepit aras, & in vnaquaque Corpus vniuſcuiuſque Martyris, deuotione mirabili collocauit.*

Aperitur.

Nomina Sanctorum leguntur.

SS. Inuentio per populos conuicinos diuulgatur.

HORVM Inuentio *Sanctorum Corporum ſtatim per circumvicinos populos diuulgata fuit ; & ex tunc quotannis, tàm ingens incolarum concurſus, ad locum iſtum, quo capſæ cum Reliquijs Sanctorum Martyrum depoſitæ ſunt, fieri ſolet, vt vix tantam capiat Eccleſiæ ambitus* Celranenſis *peregrinorum cateruam. Innumera ſunt quæ quotidie Deus Sanctorum Martyrum ſuorum interuentu dignatur operari miracula, præcipuè* S. EOVALDI *meritis, cuius impetratio*

Digitized by Google

impetratio valde pro ſurditatis agritudinibus, & aurium doloribus valet, vt prabent Tabulæ iuxta ſarcophagum pendentes veridica teſtimonia. Quorum præcipuè fuere ſequentia.

Miraculũ. QVIDAM *Agricola, & eius vxor in die feſto* S. EOVALDI *ad aream terere triticum properarunt, & licèt totam conſumpſiſſent diem terendo, nulla penitus grana extrahere potuerunt, quin potius ſurdi facti, nihil audiebant. Sed voto facto ad S. Martyrem, & donis ad eius ſepulchrum miſsis, protinus receperunt auditum.*

Aliud. ANNO *ſequenti iſte Agricola cum bobus arare eodem incapit feſto, & illicò vnus ex bobus in terram, tanquam exanimis, proſilijt. Quo viſo, Agricola de obſeruatione feſtiuitatis* S. EOVALDI *votum emiſit, & bouem ſanum recepit.*

Aliud. FRESCA *mulier ſexagenaria ex vrbe* Gerunda, *auditum amiſerat, & inſtante alia deuota Matrona,* S. EOVALDO *promiſit, ſe ſuam feſtiuitatem celebraturam, & ad eius ſepulchrum cum donis ituram. Quod vt fecit, & iuxta Martyris aram pernoctaret, media nocte, ſonitu clauium Eccleſiæ excitata, auditum accepit.*

Aliud. QVIDAM *Pater-familias ex oppido de* Villatenin *filiam bimam, ſurdam habebat, quam* S. EOVALDO *obtulit, & voto facto, in eius Eccleſia pernoctare, & munera offerre promiſit. Quod adimpleuit, & illa nocte puerula galli cantum audiuit, & patri manifeſtauit, ex quo liberata diſceſſit.*

Aliud. AGRICOLÆ *Oppidi* S. Columbæ *de* Fernes, *cùm tempeſtatem grandinum, meſſium ruinam minitantem inſpicerent; vouerunt* S. EOVALDO, *quòd ſi à periculo liberati, meſſium grana, eius interuentu, ſeruarentur, ſe ad ſuæ Eccleſiæ ædificationem quotannis donarium oblaturos. Quo dicto tempeſtas euanuit, & Agricolæ ſua munera Deo, & Martyri Sanctiſſimo reddiderunt.*

Hactenus Acta. Cathalani linguâ maternâ S. EOVALDVM vocitant SAN-HOV. Feſtum S. SIXTI ab aliquibus hac die, & S. EOVALDI die XVII. Iulij colitur, vt inquit *Domenec.* Cætera, quæ ad eius comprobationem ſpectant, apud ipſum videbis.

FESTVM CONSECRATIONIS S. Eccleſiæ Compoſtellanæ.] Hîc non de *prima* à Sanctiſſimis B. IACOBI Apoſtoli Hiſpaniarum Diſcipulis conſecratione facta agimus; ſed de *Secunda* tempore *Adefonſi*, cognomento *Magni*, perfecta, ex Ioannis VIII. Pontificis Maximi licentiâ, vt inquiunt Sampirus Aſturicenſ. Epiſcop. *in Chron. fol.* 59. Ambroſ. Moral. *lib.* 15. *c.* 10. D. D. Prudent. Sandoual Epiſcopus Pampilon. *Hiſt. Adephonſi Magni fol.* 245. D. Maur. Caſtella *Hiſtor. S. Iacob lib.* 4. *c.* 19. *fol.* 460. licet in die *Conſecrationis* à relatis deuiet. Acta ergo huiuſce CONSECRATIONIS ſic à Sampiro Aſturicenſi mutuabimus. E.

ACTA CONSECRATIONIS S. & Apoſtolicæ Eccleſiæ Compoſtellanæ à Sampiro Aſturicenſi Epiſcopo, & Priuilegijs Adefonſi Magni Regis Gallecia conſcripta.

ADEFONSVS *cognomento* MAGNVS *deuictis Agarenis, & cum ipſis per triennium firmatâ pace, lætatus eſt nimis, & velociter Presbyteros ſuos* Seuerum, & Sinderedum, *Romam, ad Papam* Ioannem, *cum literis ſuis miſit, & reuerſi à Domino Papa, vna cum* Raynaldo *Gerulo ſuo, & cum ſubſcriptis Epiſtolis, licentiam obtinuerunt* CONSECRANDI *Eccleſiam* B. IACOBI *Apoſtoli, & Concilium celebrandi cum Hiſpanis Epiſcopis, cuius talis eſt tenor.*

IOANNES Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei. Dilecto filio *Adefonſo, Glorioſo Regi Galliciarum*, literas deuotionis veſtræ ſuſcipientes, quia deuotum vos eſſe cognouimus erga noſtram ſanctam Eccleſiam, gratias

vobis

vobis multiplices referimus, Dominum exorantes, vt vigor Regni veſtri abundet; & de inimicis veſtris victoriam vobis concedat. Nam Nos, fili chariſſime, ſicut petiiſtis, ſedulas preces Domino fundimus, vt Regnum veſtrum gubernet, vos ſaluos faciat, cuſtodiat, & protegat, & ſuper omnes inimicos erigat. ECCLESIAM autem B. IACOBI Apoſtoli ab *Hiſpanis Epiſcopis* conſecrari facite; & cum eis CONCILIVM celebrate; & Nos quidem, *Glorioſe Rex*, ſicuti Vos, à Paganis iam conſtringimur, & die, ac nocte, cum illis bella committimus. Sed Omnipotens Deus donat nobis de illis triumphum. Huius rei gratiâ rogamus dilectionem veſtram, & animum deprecamur, vt quia (vt diximus) valdè à Paganis opprimimur, aliquantos vtiles, & optimos *Mauritos* cum armis, quos Hiſpani *Caballos Alfarazes* vocant, ad Nos dirigere non omittatis; qualiter Nos recipientes, Dominum collaudemus, Vobis gratias referamus, & per eorum portatorem de Benedictionibus S. Petri Vos remuneremus. Benè Vale dilectiſſime Fili, & clariſſime Rex.

VISIS *itaque Rex Epiſtolis, magno gaudio gauiſus eſt. Tunc conſtituit diem* Conſecrationis *iam dictæ* Eccleſiæ, *ſiue &* Concilij *celebrandi apud* Ouetum, *cum omnibus Epiſcopis, qui in illius erant Regno. Ij ſunt:* Ioannes *Oceenſis*, Vincentius *Legionenſis*, Gomerus *Aſturicenſis*, Hermenegildus *Ouetenſis*, Dulcidius *Salmanticenſis*, Iacobus *Caurienſis*, Nauſtus *Conimbricenſis*, Argimirus *Lamecenſis*, Theodomirus *Veſenſis*, Gumadus *Portugallenſis*, Argemirus *Braccarenſis*, Didacus *Tudenſis*, Egila *Aurienſis*, Siſnandus *Irienſis*, Recharedus *Lucenſis*, Theodeſindus *Brittonenſis*, & Elecca *Caſarauguſtenſis Epiſcopus ibi interfuit. Igitur auxiliante Domino, venit Rex ad ſtatutum diem, cum vxore ſua, & filijs, & cum prædictis Epiſcopis, & cum vniuerſis Poteſtatibus, ſiue, & cum ſubſcriptis Comitibus ſuis prænominatis*, Aluarus *Egunenſis Comes*, Veremundus *Legionenſis Comes*, Sarracinus *Aſturicæ*, *& Bertzo Comes*, Veremundus *Torrenſis Comes*, Betutus *in Deza Comes*, Hermenegildus *Tudæ*, *& Portugallæ Comes*, Arias *filius eius in Minio Comes*, Pelagius *Brigantiæ Comes*, Ordarius *Caſtellæ*, *& Auſeæ Comes*, Sylus *Prutij Comes*, Erus *in Lugo Comes*, *& cum iſtis omnibus, Omnis Plebs Catholica, vbi facta eſt turba immodica ad videndum, ſiue ad audiendum verbum Domini, in prima die, quod erat* NONAS MAII, *Anno Incarnationis Domini* ÆRA DCCC.LXXIX. *Secunda feria, deducebat annum ad Lunæ curſum* IV. *Lunæ* XI. *conſecratum eſt iam dictum Templum à prædictis Pontificibus, hoc ordine ſubſcripto.*

INPRIMIS *conſecrauerunt* Altare *in honorem Seruatoris Noſtri* IESV-CHRISTI, *& ad dextram prædicti* Altaris *conſecrauerunt* Altare *in honorem Apoſtolorum* Petri, & Pauli, *& ad læuam dicti* Altaris *conſecrauerunt Altare in honorem* S. Ioannis Apoſtoli, & Euangeliſtæ. *In Altari quoque, quod eſt ſupra Corpus* B. IACOBI, *quod conſecratum fuerat à* ſeptem Diſcipulis *eius, quorum nomina ſunt hæc:* Calocerus, Baſilius, Pius, Chryſogonus, Theodorus, Athanaſius, Maximus, *nemo ex dictis Epiſcopis auſus fuit aliquid in eo agere, niſi tantum orationem, Miſſámque cantare. Peracta dies* Conſecrationis *prædicti Pontifices iuſſu Regis ſecus flumen* Vliam, *montémque, qui ab antiquis vocatur* Ilianarius *conſecrauerunt Eccleſiam, in honorem* S. Sebaſtiani Martyris, *& ab illa die vſque hodie, vocatum eſt nomen eius* Mons-Sacratus. *His peractis abierunt omnes.*

Hactenus *Sampirus*. De huiuſmodi *Conſecratione* adeſt Priuilegium eiuſdem Regis *Adefonſi Magni*, quod literis Gothicis exaratum adhuc in S. Ouetenſi adſeruatur Eccleſia, cuius forma talis eſt.

IN NOMINE *Domini Noſtri Ieſu-Chriſti, ædificatum eſt Templum S. Saluatoris, &* S. IACOBI *Apoſtoli in loco Arcis Marmoricæ, territorio* Gallæciæ, *per inſtitutionem Glorioſiſſimi Principis* Adefonſi III. *cum coniuge* Scemena, *ſub Pontifice loci eiuſdem* Siſnando *Epiſcopo:*

Supplex egregij, eximijque Principis Ordonij *proles*, EGO Adephonſus *Princeps*

Princeps cum prædicto Antiſtite ſtatuimus ædificare domum Domini, & reſtaurare Templum *ad tumulum Sepulchri Apoſtoli, quod antiquitus conſtruxerat diuæ memoriæ Dominus* Adefonſus Magnus, *ex petra, & luto, opere paruo. Nos quidem inſpiratione diuina adlati, cum ſubditis, ac familia noſtra, adduximus in Sanctum locum ex* Hiſpania *inter agmina Maurorum, quæ eiecimus de ciuitate Eabeca* * *petras marmoreas, quas Aui noſtri ratibus per Pontum tranſuexerunt, & ex eis pulchras domos ædificauerũt, quæ ab inimicis deſtructæ manebant. Vnde quoque oſtium principale Occidentalis partis ex ipſis marmoribus eſt appoſitum: ſupercilia verò liminaris ſedu inuenimus, ſicut antiqua ſeßio fuerat, miro opere ſculpta. Oſtium de ſiniſtro iuxta oraculum Baptiſtæ, & Martyris* Ioannis, *quod ſimili modo fundauimus, & de puris lapidibus conſtruximus columnas ſex, cum vaſibus totidem poſuimus, vbi abbobuta tribunalis eſt conſtructa, & alias columnas ſculptas, ſupra quas porticus imminet, de Oppido Portucalenſi ratibus deportatas, adduximus quadras, & calcem vnde ſunt ædificatæ columnæ XVIII. cum aliis columnellis marmoreis, ſimili modo, nauigio. Igitur anno ſecundo, Menſe decimo, poſtquam Deo auxiliante, & merito Apoſtoli ædificatũ eſt, & completũ, venimus in Sanctum locum, cum prole noſtra, & de Sede vnaquaque Epiſcopi, & de Regno noſtro omnes Magnates, cũ plebe Catholica, vbi facta eſt turba non modica. Ideóque* Nonas Maij *Anno Incarnationis Domini* DCCC.LXXIX. *Secunda feria, deducebat annum ad Lunæ curſum IV. Luna XI. Conſecratum eſt* Templum *hoc à Pontificibus XVII. id eſt:* Ioannes *Occenſis,* Vincentius *Legionenſis,* Gomelus * *Aſturicenſis,* Hermenegildus *Ouetenſis,* Dulcidius *Salmanticenſis,* Nauſtus *Conimbricenſis,* Argimirus *Lamecenſis,* Theodomirus *Veſenſis,* Gumaëdus, *Portucalenſis,* Iacobus *Caurienſis,* Argimirus *Braccarenſis,* Didacus *Tudenſis,* Egila *Aurienſis,* Siſnandus *Irienſis,* Reccaredus *Lucenſis,* Theodeſindus *Britonienſis,* Eleca *Cæſarauguſtanenſis, in quo Reliquiæ Sanctæ conditæ fuerunt à Pontificibus in Altaria Sancta, ninquide, & calce conſepta, quæ vrnas aureas habent, ſepulchra balſamum, & incenſum redolent fragrantia. In Altare S. Saluatoris ſunt Terſenæ Reliquiæ, ſubtractâ vnâ.* De *Sepulchro Domini.* De *veſtimento Domini*, quando Crucifixus eſt. Item de *Tunica Saluatoris.* De *Terra vbi Dominus ſtetit.* De *Ligno S. Crucis* De *Pane Domini.* De *Lacte* S. Mariæ. De *Reliquijs S. Iacobi* Apoſtoli. *S. Thomæ* Apoſtoli. *S. Martini* Epiſcopi. *S. Vincentij* Leuitæ, *S. Chriſtophori,* & *S. Bauduli.* SS. *Iuliani, & Baſiliſſæ, S. Leocadiæ* Conf. De *cinere, & ſanguine S. Eulaliæ* Emeritenſis, & *S. Marinæ.*

* *Anca.*

* *Gennadius.*

In *Altare quoque dextro, in quo eſt vocabulum* S. Petri, *ſunt Reliquiæ, id eſt,* SS. Petri & Pauli *Apoſtolorum.* De *Sepulchro Domini.* S. *Andreæ* Apoſtoli. *S. Fructuoſis* Epiſcopi. *SS. Lucia, & Ruffinæ,* & *S. Lucretiæ* Martyris.

In *Altare II.* S. Ioannis Apoſtoli, & Euangeliſtæ, *quod eſt ad Læuam eiuſdem S. Ioannis.* De *Sepulchro Domini.* De *reliquijs S. Bartholomæi* Apoſtoli. *S. Laurentij* Archidiaconi. *S. Bauduli,* & *S. Leocadiæ* Confeſſ.

In *tumulo Altaris* S. Ioannis, *quod eſt ſub tectu, & conſtructu : : : : : latere ſiniſtro ad Aquilonem repoſitæ ſunt ſeptenæ dignæ Reliquiæ* S. Ioannis Baptiſtæ. De *Sepulchro Domini.* De *cruore Domini.* S. Mariæ *Virginis. : : : : : : : : : Domini. SS. Iuliani,* & *Baſiliſſæ, S. Lucretiæ* Martyris, & S. Eulaliæ *Emeritenſis. Hæc omnia quoque digniſſimè manent tumulata in ligneis tabulis imputribilibus quadris, cera marmori mixta ſaxea implet foramina parua, duredine coacta ſignant ſigilla diuiſa. Deſuper quoque reſtant marmoreæ gypſa cum regula quadra. Super corpore quoque Beneuoli* Apoſtoli *patet altare ſacrum in quo patet antiqua es : : : : : : : Martyrum tecta, quam à SS. Patribus ſcimus conditam eſſe: Nemo ex nobis auſus fuit tollere ſaxa. Poſt Dominum te Patrone oro, cum coniuge, & prole, vt digneris me habere famulum, & cum agnis vellere induar, nec : : e : : : : : : ſancte ſubtractus cum hædis nocens inueniar. Tu quoque meus* Siſnandus *Sedis Apoſtolicæ Pontifex preces iubeas fundere Chriſto, vt poſt corpus depoſitum concedat mihi veniam, &*

requiem aternam, Amen. Completum hoc eſt, Era congruit eſſe Nouies Centena, Sexies ſena, addito tempore vno erectum in Regno Anno DCCCC. IV. *tempore multo omiſimus fabricare* Templum, *nunc ordinem credimus impletum voluens Triceſimum Tertium.*

Hanc Priuilegij ſeriem refert D. Maur. Caſtell. *Hiſt. Compoſtell. lib. 4. c. 19. fol. 460.* Qui poſtmodum *fol. 466. col. 2.* aliud Priuilegium eiuſdem *Adefonſi* Regis, ipſo eodem die *Conſecrationis* expeditum ſubiicit, quo plurima donaria Eccleſiæ Apoſtolicæ deuotus Princeps concedit; cuius hic tenor:

PRIVILEGIVM DONATIONIS ADEFONSI Regis, Eccleſia Apoſtolica S. Iacobi *factum.*

Cælicolo *glorioſo Domino, ac Patrono noſtro* S. Iacobo Apoſtolo, *cuius venerabile Sepulchrum eſt ſub arcis marmoricis in Prouincia* Gallæciæ. Nos *Adefonſus Rex, & Exemena Regina, vnà cum Patre noſtro* Siſnando *Epiſcopo, cuius inſtinctu ſtuduimus Aulam tumuli tui inſtaurare, & ampliare: Et in Chriſti amore, & in tuo perpetuali honore, offerimus itaque, & voluntariè donamus Sancto Altario veſtro Eccleſiæ, id eſt, S. Chriſtophorum in ripa Miniy, cum villa Nugaria, & eiuſdem ſaltum Magnimiri vocatum: Eccleſiam S. Eulaliæ in Montenigro, quam obtinuit Theodomirus Epiſcopus cum vniuerſis præſtationibus ſuis. Item Eccleſiam S. Mariæ in Arenoſo iuxta fluuium Thena cum cunctis præſtationibus ſuis. Item offerimus pro luminaribus accendendis, pro ſacris odoribus adolendis, ac ſacrificijs immolandis, pro victu Clericorum, vel ſuſtentatione pauperum, Villas, id eſt, Villam Petri piſtoris, quæ eſt in Montenigro cum omnibus terminis, & adiacentijs ſuis, & fuit ipſe Petrus Irienſis ſeruus, & habitauit in Villa Dominica. Villam Nubolis in ripa Vllæ cum omnibus terminis ſuis, & Eccleſiam S. Clementis, & aliam villam Vitalliam cum terminis ſuis: villam Vallaga, quæ eſt iuxta Sedem Irienſem cum terminis, & adiacentijs ſuis, villam quæ eſt iuxta fluuium Aleſte, territorio Braccarenſi, vbi Eccleſia S. Victoris eſt fundata cum vicis ſuis: item Efigies Murgoros, planitiem, & per terminos de Lamacares quam nuper Pelagius filius Petri per noſtram ordinationem lite prehendit, & Nos illam ex eo per commutationem accepimus, & dedimus ei alias villas Cellaria, & Pandion, & modò eam vobis ſimul cum ipſo loco S. Victoris concedimus per habendam. Villam quam dicunt de Molendinis, quæ eſt inter S. Victoris domum, & Braccaram iuxta fluuium Aleſta cum omnibus terminis ſuis. Omnes has Villas cum omnibus mancipijs noſtris habitantibus in eis, intus, & foris: Necnon, & familiam S. Eulaliæ Irienſis Sedis, Monaſterium S. Fructuoſi Epiſcopi, in locum Monteſelios iuxta Bragam, & Dumium cum terminis, & adiacentijs ſuis. Villam Carcaciam integram cum Eccleſia S. Petri ibi fundatam: Inſulam Aones cum Eccleſia S. Martini: Inſulam Arauca cum Eccleſia S. Emilliani ibi fundata: Item Inſulam Saltare cum Eccleſia ibi ſita; & Eccleſiam S. Vincentij in Inſula Ocobre cum dextris ſuis. Adiecimus etiam Villas, quæ ſunt in Varma, quas diuiſimus cum filijs Suarij, vnde Nos prehendimus medietatem, & illi medietatem; illam noſtram portionem integram veſtro Sancto loco offerimus. Concedimus etiam in Vallecacere, villas, id eſt, paratam cum Eccleſiis, & vineis; Limitoſum cum Eccleſia, & vineis; Villarem decimam cum ſuis terminis, quidquid in ſupradictis villis filij Sarraceni, & Sendina habuerunt, & noſtro iuri legaliter ſunt ſubdita, propter eorum inſolentiam erga Nos, & erga Eccleſiam Dei. Omnes has villas cum cunctis præſtationibus, vel edificijs ſuis: Eccleſiam S. Mariæ, imò S. Romani in ſuburbio Legionenſi, in Villa Geroncana cum ſua Senyra, & ſuo exitu ab integro. Item in territorio Aſturicenſi in commiſſo de Tinegio in locum Baures, villas duas vocatas Caſtellum, & villam Liermigildi, & Eccleſiam S. Ioannis in Caſtello, ſiue, & Villam collinas, & Cerritum, cum Eccleſijs S. Mariæ, & S. Iacobi cum omnibus terminis ſuis, & Eccleſiam*

S. Mariæ

XLIV. D. Martinvs huius nominis III. cognomento *Terrer*, Epiſcopus Albarrazinenſis XLIV. ex Canonico Cæſarauguſtano,& Regni Aragoniæ Cancellario; pòſt ad Teruelenſem Sedem tranſlatus Anno M. D. XCVI. pòſt ad Turiaſonenſem. 1596.

XLV. D. Petrvs huius nominis IV. cognomento *Iayme*, Epiſcopus Albarrazinenſis XLV. ex Epiſcopo Viccenſi, obiit Anno M. DC. I. 1601.

XLVI. D. F. Andreas huius nominis I. cognomento *Valaguer*, Epiſcopus Albarrazinenſis XLVI. ex Ordine Prædicatorum, obiit Anno M. DC. IV. 1604.

XLVII. D. Vincentivs huius nominis I. cognomento *Rocca*, Epiſcopus Albarrazinenſis XLVII. ex Canonico Valentino, & Archidiacono Setauitano, obiit Anno M. DC. VIII. 1608.

XLVIII. D. F. Isidorvs huius nominis I. cognomento *de Aliaga*, Epiſcopus Albarrazinenſis XLVIII. ex Prædicatorum Ordine; pòſt ad Sedem Dertoſanam tranſlatus Anno M. DC. XI. & demum ad Valentinam, obiit Anno M. DC. XLVIII. 1611.

XLIX. D. Lvcas huius nominis I. cognomento *Duran*, Epiſcopus Albarrazinenſis XLIX. ex Ordine S. Iacobi de Spata, Epiſcopus Chiapenſis in Noua Hiſpania, pòſt ad hanc Sedem tranſlatus, obiit Anno M. DC. XVI. 1616.

D. Ga.

Digitized by Google

L. D. GABRIEL huius nominis I. cognomento *de Sora*, Epiſcopus Albarrazinenſis L. obiit Anno M. DC. XXII. 1622.

LI. D. F. IERONYMVS huius nominis I. cognomento *Baptiſta de la Nuza*, Epiſcopus Albarrazinenſis LI. diffuſum Heſperiæ lumen, ex Dominicano Ordine alumnus, ad Dominicum Eccleſiæ agrum, ægrè diſcinditur, vt Eccleſiam Barbaſtrenſem moderator ſedulus regendo clarificet, & colluſtrando gubernet; poſt duplicem in Prouincia præfectionem, poſt multiplicem in Celtiberia, & Iberia mirabilem perfectionem, Vir ſanè Eccleſiaſticâ eruditione profundus, imò eruditus, Venerabiliſque profuſione ſermonis Eccleſiaſtes: Fide inexhauſtus, Spe indeficiens, & Charitate ſuccenſus; quibus, & aliis virtutibus infixus, ſic admirabili compoſitione Ordinem erexit, Oues infatigabili diſpoſitione direxit, Clerum auctorauit, populum pacauit, vt æternum in vniuſcuiuſque erexerit corde mnemoſynon, & iam perennia in omnium linguis tanti Præſulis mirabilium monimenta reſpirent. Clarus ergo virtutibus fortè & miraculis, ad illam, quam ardenti anhelabat ſpiritu, vitam ſine fine, præuiſo iſtius miſerabilis fine, emiſſo placatâ ſpiritu dormitione, peruenit, XVIII. Kal. Ianuar. Anno Domini M. DC. XXIV. Eius vitam ſcripſit *M. F. Ieronymus Fuſer* eius Confeſſarius ex ipſo Ordine Prædicatorum, patrio, ſed erudito ſermone, quam typis dari curauit *D. Michaël Baptiſta de La Nuza* eiuſdem Epiſcopi Nepos, Ordinis Iacobæi, nunc Aragoniæ Proto-Notarius. 1624.

Cæterorum Prælatorum Catalogum Albarrazinenſium adhuc adipiſci non valui; ideò hic eorum nomina ſub ſilentio erunt, placeat Deo, vt in Libro Vitæ adſcripta perenniter perſeuerent.

OCTAVO IDVS MAII.

DIES VIII.

A. TOLETI *& alibi in Hiſpania celebris fuit feſtiuitas Apparitionis* S. MICHAELIS *Archangeli hoc die, in quo inſtantibus* SS. Leandri, Muſſonæ, *& aliorum Præſulum aſſiduis exhortationibus, Sereniſſimus Rex* Reccaredus, *cognomento* Catholicus, *& vniuerſi Gothi, eius dominio, tàm in* Hiſpania, *quàm in* Gallia *ſubditi Fidem Catholicam amplexantes, perfidiam Arianam radicitus abiurarunt.*

B. ABVLÆ, *& alibi, præcipuè* CONCHÆ *in* Hiſpania, *Depoſitio Reliquiarum* S. ACATHII *Centurionis, & Martyris; qui ſub Diocletiano, & Maximiano Byzantij martyrio coronatus eſt. Cuius ſacra pignora primùm ad Scyllacium littus delata, pòſt* Abulam, *& Concham adueĉta, ibidem adſeruantur, & coluntur.*

NOTÆ.

A. *Cultus huius feſti, quo anno incepit?*

FESTVM Apparitionis S. MICHAELIS Archangeli.] Illud per vniuerſalem Eccleſiam fuiſſe cultum ab Anno CCCC. XCIII. quo, *Gelaſio I. Pont. Max.* Sedem Apoſtolicam gubernante, Sanctiſſimus Archangelus *in Monte Gargano Apuliæ* miraculis intercedentibus apparuit. *Hiſpaniæ* Eccleſia Orthodoxam ſecuta, etiam adhuc tempore *Gothorum* illum venerabilem morem obſeruabat, vt ex *Breuiario Gothico* liquet, in quo *Hymni*, Orationes, & deprecationes inueniuntur, inter quas Hymni duo, alius ad *Veſperas*, alius ad *Matutinum*, quos fideliter damus.

Quo in Hiſpania?

PRO S. MICHAELE ARCHANGELO HYMNVS.

O *Cœlorum alme Princeps*
Michaël *potiſſime,*
Summi Regis Chriſti ſummus
Portitórque rutilus.
Agius nuncupatus Michaël,
Quis vt Dominus?
Tu polorum aulæ baſis,
Tu Thronorum ciuis es:
Dominationum arce tu
Virtutúmque præminens;
Principatum, Poteſtatum
Lux coruſcans cœlitus.
Cherubim deinde ſacro
Tu cluis igne choro.
Seraphim deinde pollens
Conto nixus Auguſto.
Arcem vehens Legionum
Primus ritè ſenior.
Tu quaterno ſeniorum
Ordine, curſu viges.
Tu bis duo Senatorum
Globo quarto flamen es.
Conditoris throno ſitus
Ritè miſſus adſtans.
Tu ter terno ſacro vultus
Angelorum ordine,
Mille centies vrbano
Legionum compage:
Iuge carmen Trinitatis
Concrepans Ter Agie.
Tu perennis Dei ſummi
Vultum, pedéſque tegis:
Inuicem tribúſque illis
Innuens aſpectubus.
Vriëlo, Gabrielo,
Raphaëlo ſocius.
Hincque flantes flauos flammis
Bis ternis volantibus,
Scilicet tegentes ſummâ
Ante mundi exordia:
Immane peracto fine,
Quæque ſunt neceſſaria.
Tu creatus, Creatoris
Obſequens officio;
Humilem prælatus axem
Non linquis faſtigio:
Ille dum refuga plectitur
Inſolens in tartaro.
Inde tibi ſumma virtus
Pollet vigor inclyte.
Tenebroſis dominare
Turbis damoniacis,
Iudicato cenſor ſuis
Zabulum cum angelis.

Tu

Digitized by Google

Tu plebis Iudea ſalus
Cœlo miſſus lator es.
Almo vati iubar ferens
Danieli oraculo:
Fortem, inquit, te bellare
Pro fideli populo.
Inde Nos quæſumus alme,
Miles victor inclyte:
Exhibe cunctis renatis
Nunc demùm baptiſmate;
Quæ præſtabas olim pie
Veteri ænigmati.
Tu remoue tela lapſa,
Sontes iras dæmonum:
Pelle vlcus, arce morbum,
Aufer omne ſcandalum:
Pax, ſalus, fidéſque feruens
Omnem tegat animum.
Ecce cuncti conglobati
Reuoluto temporis
Anno, Alleluia aulæ tuæ
Dedicatum ſoluimus,
Sit ratum vt Regi Chriſto
Tu faue, dum viuimus.
Præbe nobis mente cæcis,
Eſſe mundo corpore,
Ne cadamus cœno molli
Saucij libidine:
Quo ſurgamus ad ſalutem
Tu clementer ſubleua.
Tempora face tranquilla,
Auge pacis fœdera;
Enſis vrbis noſtræ fines
Hoſtilis non diſſecet.
Labes vllum, plagæ vllum,
Te duce, non trucident.
Diſcat ſexus, omnis ætas
Caſſa mundi linquere:
Verum Chriſti callem cliues
Diſcamus concurrere:
Quo queamus cœli portãm
Poſt tranſitum petere.
Vltimo die, cùm ille
Reſurgendo fulſerit,
Non reorum ſorte vincti
Mancipemur tartaro;
Sed vrbano lucis luco
Deputemur liberi.
Duplex tunc honor, dum Sanctis
Digna merces redditur;
Non indigna mala nobis
Obligent, quæ geſſimus;
Sed mutandi transferamur
Ex fide ſyderibus.
Quo tibi peccantes alme
Michaël *fortiſſime,*
Ieruſalem glorioſe
Sint enixi carmine;
Vt immenſo perfruamur
Ritè lucis lumine.
Laudem ſoli Trino fantes
Numini multimodam,
Spiritus, Patris, & Agni
Mox adepti dexteram,
Gaudeamus, exultemus
Affatim per ſecula. Amen.

AD MATVTINVM HYMNVS.

PRompta cuncta Catholica
Plebs alumna gloria,
Vota ſimul exhibete,
Et crimina pandite,
Vt cunctorum Auctor clemens
Cunctis præſtita præſtet.
Michaël *etenim ille*
Sublimatus nomine

Aulæ

Aula cæli, conſpicuus
Amore ſummi Dei,
Princeps Angelorum factus,
Vocabulóque celſus.
Cuius nomen ex virtute,
Et opus ex munere.
Ab Omnipotentis manu
Obtinuit ſeruandum,
Vt in Deo glorietur
Cum ſocijs conſortibus.
Summus Domini eſt iſte
Magnus factus Nuntius,
Qui tetrum illum horribilem,
Refugúmque Angelum,
Debellando præcipitem
Demerſit in erebo.
Iſte ſemper eſt protector,
Et defenſor omnium:
Vt cunctorum poſtulata
Regi Deo offerat;
Et ab illo deſtinatam
Plebi præſtet gratiam.
Magna ſiquidem eſt illa
Diei feſtiuitas,
Huius almi Archangeli
Michaëlis *Nuntij;*
Quam Hiſpani *celebrarunt,*
Suſcepêreque deuoti:
Vt ex eo impetratu
Mereamur omnium
Obtinere apud Deum
Veniam peccaminum:
Et beatæ vitæ regno
Perfrui poſt tranſitum.
Laus tibi per omne tempus
Trinitas indifferens
Vnà Patri, Filióque
Inclyto Paracleto,
Cuius laus, & poteſtas
Per æterna ſæcula. Amen.

Iam ex hoc vltimo hymno colliges feſtiuitatem hanc S. Archangeli MICHAELIS tempore Gothorum in *Hiſpania* ſuſceptam fuiſſe, dicente carmine:

Celebritas in Hiſpania.

Huius almi Archangeli
Michaëlis *Nuntij,*
Quam (feſtiuitatem) *Hiſpani celebrarunt,*
Suſcepêreque deuoti.

Hinc que agnoſces à plurimis ſeculis iam apud Noſtros cultum S. Archangelo exhibitum, & eius nomen ſummis laudibus, & ſolemni pompa, cordiúmque deuotione commendatum; hácque fortaſſis de cauſa apud *Toletanos* magno honore habitum, intérque eorum *Tutelares*, & *Patronos* deſcriptum, vt indicat S. M. Maxim. *in Chron. Ann.* 590. agens de *Synodo Toleti* contracta, pro abiuratione Arianæ perfidiæ, his verbis: *Octauo Idus Maij, ipſo die* Apparitionis S. MICHAELIS *Archangeli*, Toletanorúmque vetuſti Tutelaris, *magna Synodus* LXXII. *Epiſcoporum, Hiſpaniæ, & Galliæ Narbonenſis* Toleti *contrahitur, in Templo Maximo, in Secretario dicto Ieruſalem.* Et poſt nomina Metropolitanorum, Regum, Abbatum, Diaconorum, Palatinorum, & Comitum proſequitur: *Habita eſt Synodus ſecundâ feriâ, qui dies annis ſequentibus, Gothis* celeberrimus fuit. *Et poſt Euangelium, hæreſim Arianam, quam priuatim Gothi abiurauerant, ex conſenſu Regis, Reginæ, Cleri, Plebiúmque nonnulli ſimul abiurant.* En etiam ex hac clauſula, qualiter *Gothis erat celeberrimus iſte dies.* En cuius occaſione *Toletanorum vetuſtus* appelletur *Tutelaris* Archangelus MICHAEL. Quapropter etiam in *Breuiario Iſidoriano*, ſeu *Muzarabi* legitur hæc in Miſſa Oratio: *Communi voto, & affectu connexi ſupernum fratres chariſſimi imploremus aſpectum, cuius magnitudinis eminentiam humana non queit promere lingua; quia & ipſa cordis receptacula penſantur ad agnoſcenda ſuperna Maieſtatis iudicia. Hoc ſolùm noſtro conceditur deſiderio, vt ad ſolemne officium ardenti concurramus ex voto: & ſubnixo genu cordis, petamus*

Michaël Toletanorũ tutelaris.

Oratio ex Breuiario Muzarabi.

Digitized by Google

petamus auxilium noſtræ ſalutis, quia auſum nobis præbent ſuffragia ſummi Nuntij Salvatoris. MICHAELIS *enim* Archangeli, *hodierni diei ſolemne dedicamus, & excipimus feſtum, quem deuotus populus per miniſterium* Alumnum *obtinet immenſi Regis, perfruendo aſpectu. Huius nos ſuffragatione quæſumus Deus ſumme facito tibi placere, cuius famulatum tuo efficis indefeſſo obſequio permanere. Vt quem elegiſti* Principem *militiæ Angelorum, digneris prælargiri* PATRONVM *ad noſtrorum tuendas animas populorum.* His probata remanet aſſertio *S. M. Maximi*, qui *Toletanorum Tutelarem*, S. Archangelum nominauit. De eo plura congeſſit Michaël Naueus *in Chron. Apparition. & Geſtor. S. Michaëlis*, Duaci edito Anno 1632. & D. D. Ioannes Baptiſta Valenzuela in Libello propriâ manu exarato apud me, cui titulus, *Diſcurſus Angelicalis, & Apoſtolicus*, quem prælo paratum habebat; ſed morte præuentus, *Salmanticæ*, cuius erat *Præſul*, ineditum reliquit, qui *in num.* 30. hæc verba recenſet, referens plurimas S. Archangeli apparitiones. *Alia ſimilis facta eſt in Epiſcopatu Ciuitatis* Conchenſis, *ſupra oppidum, ſeu vicum, qui dicitur* Palomera, *& diſtat à Ciuitate per Milliaria Quinque, vbi crypta vulgariter dicta* S. MIGVEL *de* Hortalen; *ad quam cryptam non facilè adſcenditur, ob aliquas rupes decliues. Ibidémque eſt* Altare *cum imagine ſatis antiqua* S. MICHAELIS, *ſculptili opere; cuius inuentionis, aut collocationis, non adeſt hominum memoria, quam Nos partim deuotionis, & curioſitatis causâ, aliquando in tenera conſtituti ætate inuiſimus*, die VIII. Maij, *quo proceſſionaliter, ad ſimilitudinem Litaniarum, vicatim concurrunt, non ſolum incolæ dicti Oppidi, ſed & Oppidi* Mohorte, *& aliorum conuicinorum, & viciſſim Miſſæ celebrantur à Parochis, & Sacerdotibus in dicto Altari; & prandio refecti in valle amaniſſima, quæ eſt iuxta cryptam, aliiſque locis opportunis, omnes, qui conuenerant, reuertuntur, Ciues ad ciuitatem, & Oppidani ad eorum Oppida.* Hactenus Epiſcopus. *Apparitiones in Hiſpania.*

SED & *VVambano* Gothorum Regi *Hiſpano* ſubſidium attuliſſe S. MICHAELEM cum aliis Angelorum agminibus, cùm Catholicus Princeps aduerſus *Paulum*, & alios Tyrannos, qui *Galliam Narbonenſem*, & alia Regni *Hiſpanici* loca occupauerant, bello ſuſcepto, deuicit, profligauit, & exauctorauit, vt poſt Baron. *Annal. Eccleſ. tom.* 8. *Ann.* 674. fatetur Michaël Naueus *in Chron. lib.* 4. *c.* 25. *fol.* 293. *Auxilia defert VVãbano.*

NECNON & Regi *Ramiro* Hiſpaniæ infatigabilis Tutelaris fuit Beatiſſimus Archangelus: ideóque QVATVOR illi TEMPLA Auguſtiſſima erexit; I. in vrbe Legione. II. iuxta flumen Ceam. III. in Durij ripa. IV. in valle Ornæ, vt ex Bozio refert idem Mich. Naueus *lib.* 4. *c.* 19. *fol.* 278. Hinc & in Eccleſiarum Miſſalibus antiquis Hiſpaniæ conſueuit legi iſthæc PROSA. *Et Ramiro, qui Quatuor Archangelo erigit Templa.*

DE S. MICHAELE.

LAus erumpat ex affectu,
Pſallat chorus in conſpectu
Supernorum ciuium.
Laus iucunda, laus decora,
Quando laudi concanora
Puritas eſt cordium.
Michaëlem *cuncti laudent,*
Nec ab huius ſe defraudent
Diei lætitia.
Felix dies, quâ Sanctorum
Recenſetur Angelorum
Solemnis victoria.

Draco vetus exturbatur,
Et Draconis effugatur
Inimica legio.
Exturbatus eſt turbator,
Et proiectus accuſator
A cali faſtigio.
Sub tutela Michaëlis
Pax in terra, pax in calis,
Laus, & iubilatio:
Cùm ſit potens hic virtute,
Pro communi ſtans ſalute
Triumphat in prælio.

Suggeſtor

Digitized by Google

Suggeſtor ſceleris
Pulſus à ſuperis,
Per huius aëris
Oberrat ſpatia:
Dolis inuigilat,
Virus inſibilat;
Sed hunc adnihilat
Præſens cuſtodia.
Tres diſtincta Hierarchia
Iugi vacant Theoriæ,
Iugíque pſalterio:
Nec obſiſtit Theoria,
Siue iugis armonia,
Iugi miniſterio.
O quàm mira charitatis
Eſt ſuperna ciuitatis
Ter trina diſtinctio;
Qua nos armat, & tuetur,
Vt ex nobis reſtauretur
Eius diminutio.
Sicut ſunt hominum
Diuerſa gratia:
Sic erunt ordinum
Diſtincta gloria
Iuſtis in præmio.
Solis eſt alia
Quàm Lunæ dignitas:
Stellarum varia
Relucet claritas,
Sic reſurrectio.
Vetus homo nouitati,
Se terrenus puritati
Conformet cæleſtium.
Coæqualis his futurus,
Licèt nondum plenè purus
Spe præſumat præmium.
Vt ab ipſis adiuuemur,
Hos deuotè veneremur
Inſtantes obſequio.
Deo nos conciliat,
Angelis deuotio
Sinceráque ſociat.
De ſecretis reticentes
Interim cœleſtibus:
Erigamus puras mentes
In cœlum cum manibus;
Vt ſuprema nos dignetur
Coharedes Curiæ:
Et diuina collaudetur
Ab vtriſque gratia.
Capiti ſit gloria,
Membríſque concordia, Amen.

Hanc etiam PROSAM refert, & elucidat Iodocus Clithouæus in ſuo *Elucidar. Eccleſ lib. 4. fol.* 147. Hiſtoriam huius diei metricè ſcripſit Baptiſta Mantuanus *in Faſt. Eccleſ. h. d. fol. mihi* 148. ſequenti ſerie, vbi poſt Hiſtoriam, ſpirituum cœleſtium naturam exprimit.

DE APPARITIONE S. MICHAELIS ARCHANGELI.

MICHAEL *Octauo Maias apparuit Idus,*
Quando Sipontinis in bella volentibus ire
Affuit; atque diem pugnæ monſtrauit & horam.
Campanos etenim rabies armarat, & ipſam
Parthenopen; contra populum Diomedis & vrbem.
Tunc reſidens alto Gargani in vertice montis
Suſtulit è pelago nubes, Boreámque vocauit
Montibus à Scythicis, ſeptémque Trionis ab axe,

Adÿciénſque

Digitized by Google

Adiiciénſque procella ignes, & fulgura: & imbre.
In glaciem verſo, mugire tonitrua fecit.
Mox fulmen cælo, atque freto roboante triſulcum
Soluit, & infeſtos vindex perflauit in hoſtes.
Sic igitur ventis illos, & grandine, & vnda
Præcipiti, velut attonitos, ac lumine captos
Reddidit; & fractis animis dare terga coëgit.
Poſteritas Operis tanti non immemor, iſta
Luce Sipontinos celebrat noua feſta per agros.
Iſta dies alio caſu eſt memorabilis, illo
Scilicet excelſa cùm ſtans Archangelus arce
Peſte laborantem Romam luſtrauit, & Auſtrum
Expulit, immiſſo campis Aquilone, nocentem.
Si tamen hæc vna duo ſunt miracula luce
Edita; neſcitum eſt forſan quia proxima ne tot
Feſta forent; populus traxit Romanus in vnam.
SPIRITVVM *nobis hîc eſt natura parumper*
Enarranda; ſuo dùm Ver iam munere functum
Incipit æſtati teneras concedere fruges.
Principio rerum, quando Deus omnia traxit
Ex nihilo, ſparſítque nouas per corpora formas,
Spirituum quoque progeniem, quò tempus in omne
Viueret incolumis, ſine mole, & pondere finxit,
Diuiſítque Nouem genus hoc in regna, dedítque
Iura ſuper terras, ſuper æquora, & aëra, & ignes,
Aſtráque, & æthereos Orbes, & tradidit artem,
Quâ regerent opus hoc tantum; cui nomina Mundus.
Sed pars vna ſuum nimis admirata decorem
Atque poteſtatem, renuit ſeruire Tonanti:
Tam demens Pars illa fuit. Pars altera manſit
Fida ſub imperio Patris, cœlóque rebelles
Expulit, & magno in tenebras molimine truſit.
Hi ſunt qui patriâ pulſi ſtuduêre per orbem
Inter mortales decus vſurpare Deorum.
Nunc quoque priuati priſco ſplendore latenter
Inſidias tendunt animis; qui attollere ſeſe
Altiùs attentant, & Olympica limina quærunt.
Saturnus defluxit ab his, Saturniáque omnis
Progenies. Etenim Lemures præclara ſubibant
Nomina magnorum Heroûm, quos fama canebat,
Quíque ſui memores populos fecêre merendo,

Vt genus allicerent ad ſe mortale colendos.
A priſcis hæc regna, Chori dicuntur, & vrbes
Diuiſi in varias, per tranſmundana volabant
Culmina, terreſtres vt nos peruadimus oras.
Qui ſtabiles illâ ſunt tempeſtate reperti,
Perpetuo leges obſeruauêre Paternas.
De quorum numero Michaël *(qui præfuit olim*
Gentibus Hebræis, dum res Iudæa manebat)
Eſt, & nomen habet clarum; quia ſemper agendis
Incubuit rebus, pro Maieſtate Tonantis
Magnificè: Sed præſertim cùm mutua in arma
Cœlicolas egit flagrans diſcordia Ciues.
Chriſtus cùm poſtquam populos contraxit in vnum
Præpoſuit Regno, cui nunc Eccleſia nomen.
Præfecitque animis, vt cùm mortalia membra
Deſtituêre priùs, meritorum examine viſo,
Ad lances perducat eas in idonea tecta.
Creditur, & Mundi ſupremæ in fine ſenectæ
Fortiter acturus pro libertate Piorum,
Tartaream aduerſus aciem, regémque profundi.
Qui ſupra ſauire modum conabitur illo
Tempore, & in noſtros grandi exercebitur ira.
Has ob res thoraca gerit, ferróque nitenti
Terribilis dextrâ gladium, lauáque bilancem
Suſtinet, ac Lemurem pedibus conculcat ahenis.
Ergo diem celebrate alacres ſolemniter iſtam,
Æra ſonent, vireant poſtes, Altaria fument,
Votáque Cuſtodi gentis perſoluite Noſtræ.

Circa cauſam picturæ S. MICHAELIS quam hoc carmine refert *Mantuanus*, videſis Ioannem Molanum de *Imaginib. ſacr. lib.* 3. *cap.* 39. *fol.* 150. Hinc etiam obiter notabis, quid contra *Hoſpinianum*, & cæteros Caluiniſta labe infectos hæreticos fulminauit P. Iacobus Gretſerus *de Feſtis Chriſtianor. lib.* 2. *cap.* 4. *fol.* 276. obiicientes, cultum, & dies Feſtos Angelis dicatos pugnare cum Apoſtolo *ad Coloſſ. c.* 2. Quorum meras fabulas increpat, & cum Baron. *Annal. Eccleſ. tom.* 1. *Ann.* 60. aduerſus illos inſurgens, locum explicat Apoſtoli, & Synodi Leodicenæ *c.* 35. interpretatur catholicè, ita vt amplius hæreſis quidquam gannire non habeat.

Caluiniſtarum errorireſpondetur.

B. *Martyrologia.* S. ACATHIVS Centurio Martyr.] Huius inclyti Martyris memoriam recolit Vniuerſalis Eccleſia hoc die, ſequenti elogio: *Conſtantinopoli* S. ACATHII, *Centurionis, qui in perſecutione Diocletiani, & Maximiani à Firmo Tribuno delatus, quòd Chriſtianus eſſet, & à Bibiano Iudice Perinthi ſauiſſimè tortus*, Byzantij *demum à* Flaccino *Proconſule capitis damnatus eſt: cuius Corpus ad* Scyllacium *litus diuinitus poſtea delatum, ibi honorificè aſſeruatur.* Eius ſcripſit acta *Metaphraſtes*, quæ Latina fecit Lipoman. *tom.* 7. Sur. *tom.* 3. vt refert Baron. *in Not. ad Martyrolog. Rom. h. d. lit. C.* & in *Annal. Eccleſ. tom.* 3. *Ann.* 311. *n.* 19. & *tom.* 5. *Ann.* 396. *n.* 7. & *Ann.* 407. *n.* 31. illa breuiora dedit *Zachar. Lippeloo*, à quo Cornel. Graſſ. in *Vit. Sanctor. tom.* 2 *fol.* 529. Ex quibus per ſynopſin ſequentia ſubiicimus.

Acta qui ſcripſerint.

ACTA

ACTA S. ACATHII CENTVRIONIS, Martyris Constantinopolitani, ex Varijs Scriptoribus.

ACATHIVS *genere Cappadox, conditione Miles, propositò verò & voluntate Christi Athleta, egregiâ fortitudine, & genus suum, & ordinis dignitatem exornauit. Cùm enim sub Firmo quodam Militaru ordinis Tribuno, Centurionis officio fungeretur, & Tribunus omnium Militum animos, partim assentationibus, partim minis ad idolorum cultum, ac superstitionem nefariam alliceret,* ACATHIVS *Christi amore acriter inflammatus, in medium prosiliens, constanter ac viriliter se Christianum esse confessus est; paratum etiam pro ipsius nomine quoslibet cruciatus subire. Firmus eam hominis alacritatem, & constantiam admiratus, primò quidem ingentibus promissis; mox terribilibus minis eximiam Viri fortitudinem debilitare conatus est. Sed cùm ille immobilis in confessione Christi perseueraret, Tribunus edicto regio coactus, Virum sanctum vinculis adstrictum ad Bibianum misit, qui totius exercitus imperium cum potestate summâ administrabat. Coram Bibiano sistens, nomen, originem, patriam, officium, & religionem enarrans, ad verborum, & verberum certamina ventum est, in quibus Praefectum sapius deuincens, ex ipsis flagellis, & pœnis robustior euasit. Denuo iterantur cruciatus, & maxillis eius laminarum contusione confractis, in carcerem ducitur, vbi extremâ lassitudine confectus Deum orans, meruit, voce è nube delapsâ, calitus consolari, ita vt multos ex custodibus duceret ad Christum, quos,* & ACATHIVM *Angelorum turba recreauit, & Martyrem à vinculis soluit, & cibum, potumque obtulit. Quem alterâ die praeses contuitus, eiusque vultum hilarem aspiciens, furore, rabiéque exardescens, asperis verbis in carceris custodem inuehens, illum innocentem puniuit; & Martyrem, dentium contusione damnauit; pòst virgis quernis flagellari iussit. Sed cùm illius perseuerantiam inflectere non valeret, eum ad Flaccinum Thraciæ Proconsulem misit. Qui vxorem Christianis sacris initiatam habebat, ab eáque negrauia Christi Confessoribus supplicia inferret, rogatus erat,* ACATHIVM *in liberam custodiam dedit, & Quinque pòst diebus, recitatis actis eius, capite plecti iussit. Cúmque extra Bizantium ad locum certaminis à carnificibus perductus esset, gladio percussus ad cœlos euolauit* VIII. Idus Maij, *Anno* CCC.XI. *Corpus eius fuit à Viris Religiosis in locum, qui Stautius appellatur, inductum, & funus omni honore tanto Martyre digno curatum. Deinde vero ad* Scyllacium *litus diuinitus delatum, honore debito adseruatum fuit, donec* CAPVT *ad S. E.* Conchensem *transuectum, & ad* Abulensem Hispaniæ *Aliquot pignora fuére translata, vbi debita honorificentiæ significatione coluntur.*

Origo.

Officium.

Christianus.

Comprehenditur.

Vinctus ad Bibianum mittitur.

Torquetur.

Ab Angelis recreatur.

Iterum affligitur.

Coronatur.

Sepelitur.

Caput apud Conchan Hispaniæ.

Hactenus per compendium ACTA, circa Reliquias in Ecclesia *Abulensi* in Oratorio Illustrissimi, ac Reuerendissimi *D.D. Sanctij Dauila, & Toledo* Episcopi Placentini nihil dubium, vt ex auctographo authoritate ordinariâ transumpto apud me liquet.

QVATENVS ad CAPVT in Ecclesia Conchensi, authores sunt Ioannes Paulus Martyr Rizus in *Histor. Conchens. 2. p. cap. 1. fol.* 109. vbi referens Reliquias illius Cathedralis Ecclesiæ, prosequitur: *Habet etiam* CAPVT *integrum* S. ACATHII, *in medio corpore argenteo inclusum, auro, & coloribus delineato.* M. Ægidius Gonzalez *in Theatr. Eccles. tom. 1. fol.* 442.

In vrbe Cõcha custoditur Caput.

Digitized by Google

SEPTIMO IDVS MAII.

DIES IX.

Apud LOCRONIVM *diœceſis Calagurritanæ in* Hiſpania Tarraconenſi, *celebris eſt memoria* S. GREGORII *Oſtienſis Epiſcopi, & S.R.E. Bibliothecarij, qui Legatus à* Benedicto *IX. ſummo Pontifice in* Hiſpaniam *miſſus, Noſtram Prouinciam doctrinâ, & ſanctiſſimæ vitæ exemplis, longè, latéque illuſtrauit, pòſt, eius interceſſione in omni Calagurritana diœceſi, fructus à locuſtis liberati ſunt. Demum prophetico ſpiritu pollens, & maximis coruſcans miraculis, ſenio confectus, ad æternam gloriæ beatitudinem Confeſſor inſignis tranſlatus eſt. Cuius ſacrum Corpus in ſuo Cœnobio de* Piñaua *quieſcit.*

NOTÆ.

A.

Quanta debeat Hiſpania Gregorio Oſtienſi.

SANCTVS GREGORIVS Epiſcopus.] Plurimum ſanctiſſimo huic Candidato Præſuli debuit *Hiſpania*; quia, cum apud *Iberum* amnem locuſtarum multitudo ingens (vt inquit Marin. Sicul. *lib.5. de Reb. Hiſpan.*) per multos annos fructus omnes deuaſtaret, eáſque nec precibus, votis, aut ſacrificiis, illius regionis incolæ abigere potuiſſent, interuentu huius *Eminentiſſimi Confeſſoris*, peſtem illam ab omni illo prorſus territorio abactam, & expulſam fuiſſe conſtans opinio eſt. De cuius S. Viri Aduentu ad noſtras regiones, ſcripſere Iul. Petr. *in Chron. Ann.* 1038. *numero* 534. *fol.* 119. & *Ann.* 179. *num.* 550. *fol.* 221. Marin. Siculus, P.F. Thom. Truxill. *tom.* 2. *Theſ. Concion. pag.* 1107. P. F. Ioann. Marieta *Hiſt. SS. Hiſp lib.* 5. *cap.* 68. P.F. Alphonſ. Vener. *in Enchir. Tempor.* P.F. Andreas de Salazar *in Hiſt. S. Gregorij Piñauenſ.* per totam. Conſtantin. Caëtan. *in eadem Hiſt.* Ego in *Vit. S. Epitatij cap.* 3. Ferdinand. Vghellus *in Italia Sacra, tit.* de Epiſcop. Oſtienſ. *numero* 26. *col.* 73. & alij quamplurimi. Eius acta ſcripſit idem *Caëtanus*, ſic:

Scriptores.

ACTA S. GREGORII CARDINALIS Epiſcopi Oſtienſis, & S. R. E. Bibliothecarij, atque ad Hiſpanos è latere Legati, à D. Conſtantino Caietano Abbate Caſinienſi, S. Baronti, conſcripta.

Ordo Benedictinus natus ad ſuſtinendam Dei Eccleſiam.

SACRA *Magni* Benedicti *religio, cùm omni tempore Chriſtianæ Reipublicæ præſtò eſſe conſueuit, tùm eo potiſſimum ſeculo, quod Milleſimum annum Orbis redempti ſubſecutum eſt. Ea namque tempeſtate, hæreticorum, ac Schiſmaticorum opera, vehementer afflicta, & penè iacentis Romanæ Eccleſiæ auctoritas, Benedictinorum præcipuè Patrum virtute, compluriumque ex eorum*

rum ordine Romanorum Pontificum doctrina, ac pietate erigebat ſeſe, & fulciebatur: quaſi Dei Opt. Max. prouidentiâ efficeretur, vt è clauſtrorum penetralibus defenſores euocarentur, qui vnicè dilectæ Chriſti Sponſæ tutelam fortiter capeſſerent. Ex horum numero fuit Vir ſanctiſſimus GREGORIVS, de quo noſter futurus eſt ſermo, ſub ea etiam tempora, in Italia, Reipublicæ bono, natus; præſtantiſſima etiam inſuper Cardinalatus, & Epiſcopatus dignitate conſpicuus; qui & in Hiſpaniam Sedis Apoſtolicæ Legatus, ſanctitate, & miraculorum gloriâ coruſcus, cœleſtia regna conſecutus eſt. Tanti Præſulis res geſtas, è perditis temporum illorum monimentis, ſi non plena manu, at carptim tamen in lucem edere contentus ero: neceſſitatique parens, quæ ab Hiſpaniæ Scriptoribus, & ijs, quæ penes me ſunt, antiquis quibuſdam monimentis, ad rem hanc excerpta repoſueram, ad augendam Sacri Senatus Romani dignitatem (vtcumque illa ſint) emittenda exiſtimaui.

Naſcitur Gregorius in Italia. Cardinalis, & Epiſcopus.

GREGORIVS itaquè egregiam oris dignitatem, inſigniúmque virtutum indolem ſortitus, Benedictino Ordini ſe addixit, cuius ornamentum, iubárque præclariſſimum breui euaſit. Cùm enim perfectiſſimum religionis ſpecimen ſummæ prudentiæ, conſiliique Vir, & haberetur, & eſſet: paucis pòſt annis, ob ſpectatam animi magnitudinem, fidémque, in plurimis maximi momenti negotiis, decedente Martino, magni per ea tempora nominis, Transtyberini Monaſterij SS. Coſmæ, & Damiani, ad Micam auream, Abbate, ſummo Monachorum conſenſu, ei ſubrogatur, Anno Chriſtiano circiter DCCCC.XCVIII. Gregorio V. Pont. Max. Ea dignitate auctus, quippe qui vnus eſſet ex viginti Abbatibus, ſpeciali prærogatiua Pontifici Romano ſacris ſolemniter operanti, miniſtrantibus, iam in ore omnium verſari, ipſiſque Summis Pontificibus charus eſſe GREGORIVS cæpit; quam ob rem Ioannes XVIII. anno M.IV. ſui Pontificatus I. Oſtienſi Epiſcopo viam vniuerſæ carnis ingrediente, GREGORIVM Benedictinorum Abbatem è clauſtro vltro accerſitum illi Eccleſiæ præfecit, & in ſacrum Purpuratorum collegium cooptauit. Demandatur quoque eidem Apoſtolica Bibliotheca, munus non niſi doctrina omnino refertiſſimis tribui ſolitum, quod GREGORIVS cùm ſub Ioanne, tùm Quatuor alijs proximè ſecutis Romanis Pontificibus, ſumma cum laude ſolerter exercuit: enimverò vti eiuſmodi perſonam egregiè ſuſtinuit, ſic inuitiſſimè ſibi imponi paſſus eſt, quippe cui potiores eſſent inſtitutæ iã vitæ rationes, & tranquillitas mentis, quàm viuere in hominum celebritate, & publicis curarum fluctibus agitari. Verùm pro Chriſtiana re iuuanda, qualeſcumque labores ſubeundos eſſe ſibi dictitans, impoſitum onus tandem ſuſcepit. Neque tamen illico ſe conſecrari permiſit; vigiliis enim, orationibuſque impenſius vacans ad Epiſcopalem dignitatem ineundam, animum antea præparauit; ita demum conſecratus, paſtoralibus curis, ac peruigili Eccleſiæ gubernationi totum ſe deuouit.

Monachum Benedictinum.

Abbas eligitur.

Epiſcopus Oſtienſis, & Cardinalis.

Bibliothecarius Apoſtolicus.

INTEREA cum in Hiſpania Citeriori apud Iberum amnem locuſtarum vis maxima per plures annos fruges omnes deuaſtaſſet, nec illius regionis incolæ precibus, votis, ſacrificiis, ne dum humano remedio, peſtem illam abigere valerent: tandem plurimorum hortatu, vel potius diuino monitu Benedictum IX. Pontificem conſuluêre, ſi quod ille haberet, quo tantæ cladi poſſet occurri, & ingraueſcens in dies malum propulſari. Hæc non ſine lachrymis audiens Benedictus, triduanum populo ieiunium indixit, Deum orans, vt quando ipſius diſpoſitioni cuncta ſubiacent, afflictæ tandiù Hiſpaniæ calamitatem reſpiceret, ſimúlque dignaretur rationem ſedandæ tam immanis procellæ quoquo pacto commonſtrare. Triduo elapſo Angelus Domini Pontifici, atque vni etiam ex Cardinalibus ſeſe offert, nuntiatque GREGORIVM, Oſtienſem Epiſcopum, in Hiſpaniam mitti oportere. Quocirca Pontifex GREGORIO ad ſe ſtatim accerſito, rem totam aperit; gratulatúrque, quòd ad tantam rem perficiendam diuinitus eligi meruiſſet. Et eò amplius prædicit, pleraque eum aduerſa manere, propterea{que} illuſtriori corona donatum iri. Eiuſmodi elogio dimiſſus GREGORIVS, ſuæ illius nobilis obedientiæ (quæ ſola fidei

Locuſtarum lues in Hiſpania Citeriori, nullis remediis cedit.

Pro conſequendo ſpiritualibus conſulitur Benedictus PP.

Qui Gregorium in Hiſpaniam exlegat.

Digitized by Google

poſſidet meritum) præſidio fultus, re familiari venum expoſita, collectáque vi ingenti pecuniarum, & in pauperes erogata; nonnullis Clericis, ac Monachis ſecum aſſumptis in Hiſpaniam contendit. Quò cùm peruenisſent, oppidum in primis Calagurritanum, vbi locuſtarum denſiſſima nubes campos obſederat, ingreſſus, clariſſimo vitæ exemplo, ac doctrinæ verbo ad pœnitentiam incolas permouet, & ſtatim vrgente neceſſitate leuari eos à Deo obtinet. Beatiſſimi namquè Viri præſentiam peſtis locuſtarum illa ſuſtinere non valens, tanquam fumus vento mirabiliter euanuit.

In Hiſpaniam Citeriorem aduentat.

Calagurritanos inuiſit, & ab eorũ terminis locuſtas abigit.

INDE Lucronium veniens, quod tunc temporis oppidulum erat, & à Ciuibus magnâ animi pietate, ac religione exceptus, cum hortatione inter Miſſarum ſolemnia ad illos habitâ, bonorum terrenorum, atque cæleſtium largitorem Deum, pœnitentium lachrymis, ad miſericordiam flecti, pluribus oſtendiſſet; ſic omnium animos contriuit, vt de mutandis in poſterum moribus, déque expiandis, omni ratione, delictis continuò conſilium caperent.

Poſtmodum Lucronienſes, quos ad pœnitentiam inuitat.

PER idem tempus Dominicus Eremita, Villoriæ in Cantabria natus, cui poſtea Calciatenſis cognomen fuit, in monte Bureba ſolitariam vitam ducebat; quandoquidem, neque in Valuaneræ, neque in S. Æmiliani cœnobium admiſſus fuerat, licèt id ſummopere expetiiſſet. Hunc quidèm ſuæ anachoreſis anno quinto, diuinitus admonitum ferunt, vt GREGORIVM Epiſcopum, qui Lucronij tunc degebat, conueniret, eóque Magiſtro in ſectandis Chriſti veſtigijs vteretur. Erectum verò, longè vehementius excitatum diuina viſione; conſpexiſſe in organo muſico, quod ad laudes Deo peragendas adhibebat, perſcripta ea omnia, quæ mentis oculis dormiens viderat, tametſi antehac literas ignoraſſet; idcircò alacrius cæleſti viſioni parens, è veſtigio Lucronium perrexit, vt ibi Magiſtrum vitæ à Deo ſibi deſignatum adiret. GREGORIVS benigniſſimè deuouentem ſeſe Dominicum in Diſcipulorum numero ſuſcepit. Eo in oppido vnà ſimul diebus aliquot manſére, liberaliſſimè ab Oppidanis tractati; quòd GREGORIVS veluti eorum omnium ſpei anchora extitiſſet.

S. Dominicus Calciatenſis Eremita ſub eius magiſterio vixit.

LVCRONIO igitur diſcedens, ad quoddam flumen peruenit, quod Oppidum nunc S. Dominici (ab eodem Dominico GREGORII diſcipulo, ſanctimonia poſtea celebri, ſic appellatum) alluit: cùmque à finitimis vado tranſiri non poſſe intelligeret, ideoquè iter ſibi longiori circuitu ſuſcipiendum animaduerteret; de fabricando ponte cogitare cœpit: communicato itaque cum incolis conſilio, opus aggreditur; ac vt prouinciales ad ſumptus, laboréſque animaret, ipſe vltro cum diſcipulis, propriis humeris lapides, ac reliqua operi neceſſaria, magna alacritate geſtabat. Porrò huius pontis reliquiæ, noſtro etiam tempore viſuntur, inter pontem videlicet, qui in præſens integer eſt, & S. Sebaſtiani eremum in via regia poſitam, qua ad S. IACOBVM Compoſtellanum iter eſt. Ponte extructo totam illam regionem ſeruus Dei perluſtrauit vbique Euangelium diſſeminans, ac prædicationem, magno cum audientium fructu, animarúmque lucro, miraculis confirmans. Similibus quoque exercitiis occupati eius Diſcipuli, ad locum, quem Burebam indigenæ vocitant peruenerunt. Ibi accidit quod magnopere GREGORII ſanctimoniam comprobauit. Etenim appetente cœnæ tempore, de via & laboribus iam feſſi, cùm cibo, quo reficerentur, omnino carerent, ab loci incolis victum quæritare coacti ſunt. At nemine quidquam porrigente, fortè hortum cuiuſdam militis ingreſſi fructuum nonnihil ad ſedandam famem collegerunt. Hoc ſimul atque miles reſciuit, famulum miſit, qui ablatis fructibus, ſeruos Dei expelleret. Paruit impiæ iuſſioni ſceleſtus puer, diuina tamen vltio in militem confeſtim irruit. Nam eo vſque is toto corpore inflari cœpit, vt omnes de illius ſalute prorſus deſperarent. Proinde diuinitus ſe morbo lethali correptum, ob iniuriam ſeruis Dei irrogatam, intelligens, accerſiri eos iubet, veniámque demiſsè petens, reſtitui fructus illis mandat, continuóque priſtinam valetudinem recuperatam ſenſit. Tanto accepto beneficio, miles ſe, dum viueret Gregorius,

Pons in Oppido Calciatenſi erigitur.

Totam Regionẽ perluſtrat.

Miraculũ.

illi

illi famulaturum vouit, ac post obitum corpus, vbicumque terrarum foret, oblationibus, donisque visitaturum. Quod certè votum fideliter seruauit, ac decedens, ab hæredibus seruandum mandauit. Eo prodigio animaduerso, loci incolæ, seruis Dei obsequia promptiùs præstitêre, eleémosynas largiùs erogauêre, eisdemque magno animi ardore ad hærere cœperunt.

NON *ita multo pòst ad locum sunt delati, qui* Faial, *vel* Faiola *Hispanicè appellatur, atque is esse vulgò creditur, in quo nunc Ciuitas* S. Dominici Calciatensis *sita est, vel certè, qui non ad modum distat. Porrò cùm* Dominicus GREGORII *discipulus sacram illic ædem construere decreuisset, angustóque spatio illam delineasset, ipsum* GREGORIVS *spiritu Prophetico afflatus, sic allocutus est:* Amice chariſſime, ſi me audieris, multo ampliorem aream Eccleſiæ ædificandæ deſignabis; in ea etenim corpus tuum ſepelietur, & ob tua præclara merita, Deus futuris temporibus admiranda prodigia patrabit, vnde loco magna veneratio, populique frequentia accedet. *S. Viri præsagium euentus comprobauit. Quis etenim vnquam vidit virorum, qui Deo chari sunt, vaticinia falli, aut irrita fieri? Voluit quippè Deus Opt. Max.* S. GREGORIVM *prophetiæ quoque lumine illustrem reddere.*

Prædicit Dominico locum sepulturæ.

IAM *verò quinquennium* GREGORIVS *per* Hiſpaniam *prædicationi, & animarum lucro, mortalibúsque à diaboli seruitute, ad Christi obsequium traducendis impenderat,* Lucronium *reuersus, in febrem incidit assiduam, satísque molestam, quæ quotidianis accessionibus ingraueſcens, B. Viri discipulos luctuoso dolore deplorare imminentem Magistri iacturam cogebat. Ille verò supremum vitæ tempus sibi aduenisse diuinitùs intelligens, itineri, quod in patriam tendebat, religiosissimè se accingens, blando illos sermone consolabatur vt quieſcerent, & se mortem in lucro ponere identidem dictitans: Deinde fixis in cælum oculis, inter discipulorum lachrymas ad æterna gaudia euolauit,* VII. Idus Maij, *Anno ab Orbe redempto* M. XLIV. *Benedicto* IX. *Apostolicam Sedem obtinente. Quo die in sacros fastos relato, anniuersaria* GREGORII *huius commemoratio ab Ecclesia celebratur.* Lucronij *adhuc visitur domus, in qua mortalitatem exuit, in cuius memoriam expiationes publicæ, & solemni ritu supplicationes fiunt.*

Lucronius reuersus infirmatur.

Moritur.

ILLVD *quoque memoratu dignissimum est, quòd Vir Dei, vt ostenderet se, quemadmodum à diuinæ voluntatis præscripto nunquam viuens recesserat, ita neque obeuntem recedere; sepulturam suo corpori minime curauit, Ne scilicet, vel eo ipso tempore quo omnis merendi opportunitas adempta est, præmium paupertatis spiritus amitteret, quare discipulis præcepit, vt corpus suum equo impositum, quò ferretur, abire sinerent: ac vbi tertia vice concidisset, ibi illum humarent; vel (quod longè pluribus affirmantibus veritati magis est proximum) quo loco equus constitisset. Discipuli verò S. Corpus in feretro collocantes, equo imposuerunt, qui* Lucronio *egrediens, nemine ducente, per Viam Regiam* S. IACOBI *ad eam regionem, quam ciues vulgo vocant* LASCVEBAS *ad locum de* MVES *dictum rectà perrexit, ibíque humi procubuit, vbi nunc visitur Eremus, quæ* S. MARIÆ *nomen accepit. At S. Viri discipuli, qui omnes, vno dempto* S. Dominico (*is quippè Magistri suasu ad Hospitale, quod in Castello* Faiola *ædificauerat, reuersus erat*) *illius corpus comitabantur, equum surgere compulerunt: ille verò cùm iterum, ac tertiò procubuisset, iuxta* S. GREGORII *præsagium, locum sepulturæ designauit, prope Ecclesiam, vbi illius sacræ Reliquiæ conquieſcunt, quæ* S. Saluatoris de Piñaua *dicebatur. Id Templum, eo tempore, tuebatur solitarius quidam magnæ apud homines virtutis, ac sanctitatis opinionis. Hic vnà cùm Sancti familiaribus, & Pagi incolis sacrum Corpus, multis Martyrum reliquijs adiiciens, honorificè condidit. Eò loci, multo temporis spatio remansit: latéque miraculorum fama, quæ ibi diuinum Numen fieri permisit, propagata est. Siquidem quisquis morbo grauiter correptus illuc accessisset, continuò curabatur. Omitto cæcos, claudos, mutos, paralyticos, surdos, & dæmone obsessos, qui omnes Sancti meritis quoti-*

Sepulturæ locum non quærit.

Corpus equo impositum sepulchrum quærit.

Erigitur Templum.

Digitized by Google

Miracula plura Deus ibidē agrotantibus impartitur.

die liberabãtur. Quoniam verò frequentiſſima patrabantur miracula, inde factum eſt, vt nemo illa ſingillatim perſcribere aggreſſus ſit. Quibus enim id oneris incumbebat, viſum eſt vix fieri poſſe, vt ob eorum celebritatem ex totius Hiſpaniæ *memoria vnquam intercideret.*

Hactenus Acta à *Conſtantio Caietano* conſcripta; nam quæ in ipſius ecphraſi ſequuntur, potius ad tranſlationis anamneſim, quàm ad Actorum commemorationem pertinent. Hic tantùm ſubiiciam aliquot Notationes, quas ad calcem, idem *R.P. Caietanus* ſubſcripſit, circa relationis huiuſmodi comprobationem, vt plenius iſthæc ſynopſis intelligatur. Quæ omnia *hic* breuiter exſcribam.

Quo tẽpore Hiſpanias adiit.

CIRCA *tempus Legationis ad Hiſpanos.* Hoc fuiſſe *Benedicti* IX. Pont. Max. Anno M. XXXIX. Et S. Viri migratio, Anno M. XLIV. fuit. Quod probatur (licèt inter *Hiſpanos* ſcriptores vix ſecura ad veritatis adſit ſcopum via) ineuitabili argumento, quia *S. Dominicus* Calciatenſis GREGORII diſcipulus (vt ex eius Actis conſtat) ſimul ac magiſter animam emiſit, ad Pontem, ſuo poſtea nomine celebrem, conſtruendum, animum applicuit, eóque opere poſt Quinquennium abſoluto, annos LX. ſuperuixit, vitáque functus eſt ſalutis anno M. C. IX. Anni ergo LXV. ab GREGORII obitu, ad *Dominici* vitæ finem interceſsère; quos quidem annos LXV. ab Anno M. C. IX. ſi dempſeris, iam inuenies eo ipſo, quem poſuimus, anno M. XLIV. GREGORIVM obiiſſe. Hinc propoſitionis ratio pendet; nam ſi omnes *Hiſpaniæ Eccleſiæ*, & eius vitæ ſcriptores concedunt, à S. Viri aduentu in *Hiſpaniam* ad eius mortem *Quinque* annos interfluxiſſe, & eius mortem in annum M. XLIV. incidiſſe, neceſſe eſt miſſum fuiſſe in *Hiſpaniam* anno M. XXXIX. Si ergo hoc anno, à fortiori à *Benedicto* IX. Pont. Max. miſſum fateri

Error Caietani.

compellimur. Nam iſte Pontifex ab Anno M. XXXII. ad M. XLV. in Petri Cathedra ſedit.

ALIA quæ hoc loco repetit *Caietanus*, nullam inducunt probationem maiorem. Nam in eo quod aſſerit nullum fuiſſe *Gregorium* Epiſcopum *Oſtienſem*, ante Noſtrum Legatum; ſine dubio fallitur, vt rectè probat Vghellius *in Italia ſacra, vbi ſuprà, col.* 73. Qui inter hoſce *Gregorios* Epiſcopos *Oſtienſes* ſubiicit diſcrepãtias.

S. Gregorius tutelaris pro extirpanda lue locuſtarum.

ANTIQVA fuit inter Hiſpanos *Calagurritanos*, *Nauarreos*, & *Aragonenſes* conſuetudo celebrandi diem feſtum Noſtro huic ſanctiſſimo Præſuli dicatum, idquè circo nonnullæ in pluribus Eccleſiis peruetuſtæ inueniũtur Orationes, deprecationes, & hymni, quibus à locuſtarum ruinâ liberari poſcebant, & debitas pro illius ſubuentione deuotâ grates Humilitate ſoluebant. Inter alia in *Collectaneo* ſiue *Legendario M.S. Antiquiſſimo* Vrbis *de Torrijo in Celtiberia* hocce Carminis Dimetri Iambici cacometri monumentum perlegitur, quo & deuotionis Incolarum agnoſces ſpiritum, & deprecationis Ciuium deprehendes exceſſum. En tibi do.

HYMNVS PRO S. GREGORIO OSTIENSI.

GREGORIVS *mirabilis*
Adſit nobis exulibus,
Per omnia laudabilis,
Nos ſubleuet ſyderibus.
Patris iuſſis obtemperans,
Veniſti in Hiſpaniam,
Proſpera mundi refutans,
Ob peſtem locuſtariam.
Tua prece ſanctiſſima,
Cuncta fugaſti incommoda,
Per quam illa nequiſſima,
Fugit peſtis per omnia.
De tuis ſacris oſſibus,
Præſul magne ſanctiſſime,
Salus datur languentibus,
Eos curans promptiſſimè.
Qui dum eras in ſeculo,
Corde ſeruiebas Domino,
Sancto iunctus Dominico.
Regis nitens in ſolio.
Vnde Pater ſanctiſſime,
Nos de morte perpetua
Salua, prece aſſidua,
Per ſeculorum ſecula.

In

Digitized by Google

In eodem *Legendario* inuiſitur Officium de Communi Vnius Confeſſoris Pontificis, in quo præter Lectiones adeſt Oratio, & in Miſſa, ſequentes Collectæ.

ORATIO.

DEVS, qui B. GREGORIO *Confeſſori tuo, atque Pontifici, contra locuſtarum peſtem, ſpecialem gratiam contuliſti: Concede propitius, vt qui tua beneficia deuotè poſcimus, eius meritis, & precibus, à corroſione, & conſumptione ipſarum, & quarumcumque aliarum peſtium in fructibus noſtris, & pecoribus, atque à peſte, & epidemia, & omni alia infirmitate in corporibus noſtris miſericorditer liberemur.*

In aliis duabus *Collectis* eadem continetur deprecatio, ideóque illarum ecphraſim prætermiſi, vt Quatuor Hymnos *à R. P. F. M. Andreâ de Salazar*, qui Codicem Actorum Noſtri Præſulis luculenter ſcripſit, edidítque *Pampilonæ Anno* 1624. conſcriptos ſubiicerem.

IN LAVDEM S. GREGORII DE PIÑAVA Epiſcopi Oſtienſis, Cardinalis, & Bibliothecarij S.R.E.

HYMNVS PRIMVS.

INter illuſtrem Procerum cateruam,
Quæ Poli claram trepidauit arcem,
Solis ipſius rutilas ad inſtar
Sancte Gregori.

Tu puer, necnon iuuenis, dediſti
Indolis magnum ſpecimen ſuperne,
Et iubar vitæ Monachus beatæ,
Sancte Gregori.

Splendidum propter meritum fuiſti
Archimandrita titulo vocatus,
Te cooptando chorus vniuerſus
Sancte Gregori.

Factus Antiſtes ſimul Oſtienſis,
In rogum vertit pia charitatis
Flamma te, & multùm radiare fecit
Sancte Gregori.

Vertice in ſacri poſitus ſublimi
Cardinalatus, Deus ordinauit,
Quòd refulgeres velut æther ardens
Sancte Gregori.

Latus Hiſpanas *veniens ad oras,*
Arborum fructus, ſegetúmque, dira
Perditos plaga releuaſti ab illa,
Sancte Gregori.

Pneuma Te linguis varijs, & almo
Igne donauit, paritérque donis
Omnibus, ſplendor fores ipſe vt orbi
Sancte Gregori.
Propter hoc Chriſtus voluit ſacratum
Quòd tuum Corpus propalaret ingens
Cœlicum lumen, quia nos latebat
Sancte Gregori.
Angelus vitâ, Patriarcha zelo,
Martyr excellens animo, Propheta
Mente, tu cuncti ſimul es Beati,
Sancte Gregori.
Italæ gentis decus eſſe conſtat,
Sol at Hiſpani *populi, decórque,*
Fructuum Cuſtos, patriæ medela
Sancte Gregori.
Splendidos laudum radios tuarum
Noſter obtutus queat vt videre,
Luminis cœli fer opem rogamus
Sancte Gregori.
Laus ſit immenſæ Triadi Beatæ,
Qui dedit culmen Tibi gratiarum:
Atque donorum cumulus quòd eſſes,
Sancte Gregori.

HYMNVS SECVNDVS.

HAud quaquam dubium ſanguine patria,
Hic Sanctus fuerit clarus, & inclytus;
Quòd verò nemini dixerit omnium,
Sit laus prima Gregorij.
Iam conſors Habitus, cui benedictio
Dat nomen, modico tempore cæteris
Præſtans eligitur Dux Pater, attamen
Hoc nolente Gregorio.
Summi Pontificis maxima dignitas
Tantum cum reliquis non numerabitur,
Quas ſummis meritis, maximus extulit
Vir, rexítque Gregorius.
Virtutis, meriti, quidquid in omnibus
Sanctis (martyrium dummodo dempſeris)
Totum comperies in celeberrimo
Excelsóque Gregorio.

Aßynas humilis, nomine præditus
Eiuſdem Domini, Cantaber igneus,
Paulanus vigilans, Brunus & abſtinens
Ipſe eſt atque Gregorius.
Bernardi pietas, & ſapientia,
Gualberti radius, flammaquè ſpiritus,
Et quidquid recolit Sancta Camaldula
Eſt hoc omne Gregorio.
Martini probitas, magnáque Sanctitas,
Ferunt, Chryſologi clara ſcientia,
Virtus Ambroſij, lingua Ieronymi
Sunt & plura Gregorij.
Andreæ bonitas, & tolerantia,
Et Petri fidei Zelus inæſtuans,
Pauli Chriſtiferi ſummaque charitas,
Ornant iſta Gregorium.
Huic ſi tanta dedit munera gratiæ
Chriſtus, quanta Polo præmia gloriæ
Illi præſtiterit, dicere quis poteſt,
Si non ipſe Gregorius?
Corpus delituit tempore plurimo,
Sed cœli rutilo lumine panditur;
Vt mundus coleret ſemper honoribus
Dignis oſſa Gregorij.
Deuotè venerans cœlica pignora,
His tactâ vel aquâ ſe, & ſua lauerit,
Vt cuſtos ab eis damna, pericula
Tollet cuncta Gregorius.
Laus, virtus pariter, magnáque gloria
Sit ſummo Domino, qui bona contulit
Tot magni meriti, tot quoque munera,
Et tot dona Gregorio.

HYMNVS TERTIVS.

PAngat Orbis vniverſus clara nunc magnalia
Quæ patrauit Oſtienſis *Pontifex* GREGORIVS;
Laude digna quæ canuntur omnibus fidelibus.
Vallis autem Barrueza *debet hoc præ cæteris*
Diligenter intonare cum ſonoro cantico;
Corpus eius cùm ſit ipſa, quæ ſacratum poſſidet.
Magnus eſt theſaurus illi Corpus hoc ditiſſimum,

Dines

Diues omnis ſanitatis, & bonorum copia,
Nam petenti prorſus omne præſtat illi commodum.
Eſt Patronus, Aduocatus, ante Chriſtum Iudicem,
Ne luamus digna factis: & tuetur prouidè
Nos pupillos, & clientes; dona pacis impetrans.
Rectus ipſe Prædicator veritatis extitit,
Nam remouit à reatu voce, vita, plurimos;
Languidos quoſcumque ſanans Sanctus hic ſalutifer.
Ipſe conſolatur omnes, quos labores opprimunt,
Seu dolores; & iuuamen præſtat indigentibus;
Nullus à ſe non iuuatus vult recedat hic pius,
Extat hic loquela mutis, lingua nam reſoluitur,
Morbus, aut natura, ſiue culpa, quam ligauerat:
Auris ipſis clauſa cauſis, eſt aperta protinus.
Cæcus, atque luce captus gaudet hic de lumine;
Cumque plantis roboratis ſaltat antè claudicans;
Læſus in quacumque parte ſanitati redditur.
Ipſe dæmon, hoſtis atrox non valens reſiſtere,
Viribus ſic prapotentis, qualis eſt GREGORIVS,
Tetra præceps effugatus tendit hic in tartara.
Eſt vigil defenſor atque ſanctus iſte fructuum
Omnium, quos terra nobis dat, facítque confluant
Copiosè, competenter, victibus cum cæteris.
Oſſa tantum lympha tangens huius Almi ſufficit
Ad patrandum dicta; quare quæritur ſic eminus
Quod ſit haud qua non requirat vlla pars Hiſpaniæ.
Sacroſancta Trinitati laus, poteſtas, gloria,
Qua Patrono tanta Noſtro, ſcilicet GREGORIO
Contulit: Nos iam Beatum det videre, quæſumus.

HYMNVS QVARTVS.

GAude Pater ſanctiſsime,
Gaude GREGORI *Pontifex,*
Quòd nomen aptum muneri
Sortitus es feliciter.
Gaude, quòd vt Gregorius
Vigil fuiſti diligens,
Circa Deus qua præcepit
In ſomnis erga ſubditos.
Gaude, quòd omnes prædicant
Te perbeatum, pluribus
Donis refertum, gratiis,
Nec non & excellentijs,
Gaude, quòd vt digniſsimum
Ad dignitates maximas
Te Chriſtus exaltauerit,
Et laude dignum fecerit.
Gaude, quòd vt præfulgido
Tibi Deus conceſſerit,
Per te nimis nitescerent
Omnes gradus Eccleſiæ.

Gaude,

Gaude, chori quòd cœlitum
Propter decorem proprium
Te gestierint plurimùm:
Sed te supremus possidet.
Gaude, quòd in laboribus
Hic si fuisti grandibus,
Magnis modò per secula
Lætaris illic præmijs.
Gaude, quòd in cœlestibus
Sis ante Christum sic potens,
Vt nil petatur congruum,
Per te, quod ille deneget.
Gaude, quod ad te confluant,
Deuotionis gratia,
Hispaniæ de partibus,
Et te Patronum queritant.
Gaude, tuo quòd Corpori
Cœlestis aulæ lumina
Deseruiunt, vt lampades;
Et illud Orbi propalant.
Gaude, quòd ad templum tuum
Deus patrat miracula,
Vt esse te mirabilem,
In te simul se publicet.
Gaude, quòd ipsi gloria
Te propter est in sæcula
Sit atque: nobis conferat
Et nos in illa viuere.

LOCRONIVM vrbs vetusta *Hispaniæ* in *Ruconibus*, quam alij IVLIORICAM, vt *Clusius*, & *Tarrapha* dixêre. Alij vt *Morales* apud Ortellium VARIAM esse contendunt. Et licet primæ sententiæ adhæreat P. Biuar. *in Not. ad Dextr. Ann.* 300. *Comment.* 2. *num.* 3. tamen crederem *Locronium*, neque *Iuliobricam* fuisse, neque *Variam*, ob rationes à *Moralio*, & *Garibayo* productas. Illud notissimum est, hanc vrbem fuisse & esse fidelissimam Regibus Hispaniæ Catholicis, ita vt meruerit titulum, *admodùm* NOBILIS & FIDELIS, quem illi concessit *Ioannes II. Castellæ Rex*, die XVIII. Iunij, Anno M.CCCC. XLIV. Post, ob partam aduersus *Gallos* victoriam Anno M.D.XXI. *Carolus Hispaniarum I. Rex*, & Romanorum Imperator V. à quibusdam tributis eidem vrbi immunitatem, & alia honoris & amoris indicia tribuit: de quibus videndus Ægid. Gonzal. *Theatr. Eccles. Tom.* 2. *fol.* 330.

Topographia.

Priuilegia.

SEXTO IDVS MAII.

DIES X.

Apud S. Saluatorem de Piñaua *Inuentio, & Translatio sacrarum Exuuiarum* S. Gregorij *Episcopi* Ostiensis, *S. R. E. Cardinalis, Bibliothecarij, &* Hispaniæ *Legati, ad cuius sarcophagum, eius intercedentibus meritis, innumera Deus miracula patrat.*

NOTÆ.

INVENTIO sacrarum Exuuiarum S. GREGORII Ostiensis.] Die præcedenti Acta istius sanctissimi Præsulis, *Hispaniæque* Legati à *R. P. Caietano* mutuauimus. Nunc quoque ab ipso *Inuentionis*, & *Translationis* ecphrasim expetemus. Quæ licet eodem die, quo è viuis sanctus Vir discessit, confecta sit, ne confusionem gigneret in hunc locum reiicimus, vt & Patres illius transferunt cœnobij. A. *Inuentio corporis S. Gregorij.*

ACTA INVENTIONIS SACRATI Corporis S. GREGORII *Epiſcopi Oſtienſis; ex R. P. Caietano.*

Sepulturæ locus obſcuratus.

Procedente dein tempore, quo S. GREGORII Oſtienſis *ſacratum eſt tumulatum Corpus, factum eſt, vt illud, tanquam gemma quæ in auari manus deuenerit, ſub arctiſſima cuſtodia reconditum, & in obſcuro repoſitum, adeò deliteſceret; vt nec locus ſepulturæ poſt aliquot ſecula demonſtrari poſſet. Verùm Deus, qui Sanctum de monte Pharan, in lucem clariſſimam educere decreuerat, cupiditatem eius inquirendi duobus Epiſcopis iniecit, quorum* Pampilonæ *alter* Petrus *nomine, alter* Bayonæ Sanctius *nuncupatus, tunc temporis præerant. Hi cùm religionis gratia* S. IACOBVM *Compoſtellanum adiiſſent, ac in reditu in* S. Dominici *templo itidem perlitaſſent,* S. Dominicum S. GREGORII Oſtienſis *diſcipulum cognouerunt, qui apud* Lucronium *ſpiritum Deo reddiderat. Igitur anxiè illuc perrexêre, vbi obiiſſe extremum diem* GREGORIVM *tenuis fama vulgauerat. Proinde de loco certiores facti ad villam quandam de* LOSARCOS *profecti ſunt. Ab incolis deinde ad Eccleſiam perducti, quæ antea* S. Saluatoris de Piñaua *dicebatur (id nomen ſemper monti fuit) Clerum totius finitimæ regionis ad quoddam veluti Concilium conuocantes, cum eo, de eruendo* S. GREGORII *corpore maturiùs deliberauerunt: indictóque triduano ieiunio, à Deo poſtulauerunt, vt certum ſerui ſui ſepulturæ locum, pro illius nominis cultu oſtendere dignaretur. Tertia die Epiſcopi precibus intenti, ſub auroram, radium lucidiſſimum deſcendentem à Cæli faſtigio, ad viri Dei tumulum, ingenti cum lætitia, & admiratione conſpexerunt. Eo prævio illuc accedentes, atque humum effodientes, è qua ſuaviſſimus odor exhalabat, ſacrum* CORPVS *inter innumerabilium Martyrum oſſa, reconditum inuenerunt. Tam inæſtimabili theſauro reperto, omnes, qui aderant, gratias vberrimas Deo egêre; Pſalmos, & hymnos mirâ iucunditatis decantantes, dùm corpus efferretur; quod quidèm in arcam ligneam ſatis affabrè, vt temporibus illis conueniebat, elaboratam intulerunt, in eáque, noſtra etiam ætate, præſtantiſſimus habetur honos, Deo Corporis ſancti* Inuentionem *frequentiſſimis ſignis decorante.*

Habac. 3.

A quibus inuentus?

Congregatur clerus & populus pro exquirendo S. Corpore.

Inuenitur.

Ægidius Rector Cabregenſis ſcripſit miracula.

INTER *cætera miracula (quando hominum, qui tunc temporis vixerunt, incuria, plurimorum memoria intercidit) perpauca à quodam Rectore Eccleſiæ* Cabregenſis, *cui* Ægidius *nomen fuit, commemorantur. Hic enim, quæ ſuo tempore ſigna diuinitus, ob Sancti merita, facta ſunt, obſeruare, & ſcribere orſus, diligenter examinata, ab oblitione vindicauit. Nos ea quàm ſimpliciter, breuiterque deſcripta hic referemus. Sunt quæ ſequuntur.*

Mutus, & ſurdus curatur.

ANNO *Domini* M. CC. XCVIII. *Armiger Equitis cuiuſdam Nauarri, qui* Fortunius de Almozauia *vocabatur, ſurdus, & mutus in Sanctum* GREGORIVM *valde religioſus, in eius Eccleſia vigilias egit, precibúſque impenſiore ſtudio ſe dedit, vt auditum, & loquelam recuperare poſſet: Octaua die, Cùm Clerici terræ Burrueca, & Valdega, aliorúmque locorum eòdem caterùatim veniſſent pluuiæ impetrandæ cauſa: ille Sancti meritis, & interceſſione voti compos factus eſt.*

A quâ reliquiis ſanctificatâ pluries locuſtarũ lues extincta.

ANNO *Domini* M. CCC. II. *die* III. Iunij *ad Eccleſiam in qua* S. GREGORII *Corpus conditum eſt, Vir quiſpiam de* Olite *conſcendit, Vici nomine, Quinque ſolidos offerens: Affirmabátque præteritis temporibus, loci incolas, graui peſtilentia, ac locuſtarum plaga afflictos, dictam ſummam, ad ſumptum lucernarum Sancto vouiſſe, vineiſque, & agris aquâ B. Viri reliquiis ſanctificatâ luſtratis, calamitatem omninò ceſſaſſe. Simile huic recenſebat cuſtos cœnobij* S. Franciſci de Eſtella, *coram eodem* Ægidio, *& Vicario* de Piedramillera *Petro Ioanne nuncupato, ac* Michaële Sanctio *Clerico, Vicario* S Gregorij. *Eiuſmodi generis prodigium accidit in* Falces; *Cuius Pagi incolæ illa ipſa de cauſa, quotannis Octo tritici rubeos Eccleſiæ S. Gregorij offerunt.*

ANNO

ANNO *Domini* M. CCC. X. *die* XII. Martij *in Villa de* Arellano, *cùm in aurem cuiusdam Sacerdotis* Pyrrhi *nomine, granum hordei incidisset, nullâque ratione extrahi posset; ille nunquam intermissis ad Deum precibus, liberari ab ea molestia expetebat. Nihilominus opera chirurgi vsus est, si quo modo laboranti auri remedium afferre posset; sed cùm contra, atque sperauerat, accidisset, inflammatísque auribus, præ doloris magnitudine, somnum capere non posset: se ipsum* S. GREGORIO *piè commendans, ad eius Ecclesiam, non sine incommodo, se contulit, fratre sibi comite adscito. Vigilans itaque ante Sancti altare, vouit se illi certam tritici mensuram in singulos vitæ suæ annos oblaturum, si morbum depelleret. Voto nuncupato, granum hordei statim ex aure hominis exiit, eiúsque dolor sedatus est.*

Sacerdos in cuius auricula granum hordei incidit, à molestia liberatur.

ANNO *Domini* M. CC. XII. *in loco* Vianæ, *vxor Quæstoris sancti* GREGORII, *ita obsurduit, vt per septem mensium spatium, remedium morbo inuenire nequiret. Visum idcirco diuinam implorare opem. Quare ambo multas piaculares hostias Deo offerri curauerunt, preces etiam varias, vigilias ipsi, cùm in Ecclesia* Vianæ, *tùm alibi peregerunt. Sed cùm nec eo pacto, mulieri audiendi facultas restitueretur; Vir, qui vt diximus,* S. GREGORII *Quæstor erat, vxori suasit, vt ad illius Ecclesiam se conferret, illicquè supernum remedium, ob Sancti merita, præstolaretur. Cùmque mulier marito obtemperasset, multis lachrymis, ac gemitibus Sanctum rogabat, vt vel auditum sibi impetraret, vel ex hac vita celerem discessum. At Sanctus pristinum mulieri aurium sensum restituit. Quarta etenim nocte, dum illa esset in Ecclesia, peruigilium de more habens, circa sextam horam, galli cantum auditu percepit, & paulo post Campanarum sonitum, quibus surgendi ad matutinas horas persoluendas signum dabatur. Et in hunc modum cognouit se meritis* S. GREGORII *à surditate liberam esse; gratias itaque ingentes Deo, ac Sancto ob acceptum beneficium reddidit; & domum magna cum hilaritate reuersa, annis singulis eleemosynam, pro cereis coram sacro Corpore accendendis, erogare perseueranit.*

Mulier surda auditũ recepit.

ANNO *Domini* M. CCC. XXII. *die* XIII. Martij, *Sabbatho ad hanc Ecclesiam Mulier quædam accessit, è loco* de Amescoa, *à dæmone correpta, quæ cùm ante altare* S. GREGORII *vigilasset, ea hora, qua Ecclesiæ Abbas Missæ officium celebrabat, vsque adeò à maligno spiritu torta, & conuulsa est, vt eam mortuam, qui præsentes aderant, reputarent: Verùm paulo post, mulierem dæmon reliquit, ac tantum fragorem stridoremquè edidit, vt ruere Templum videretur. Abiens tale indicium præbuit, vt murorum fracturæ etiamnum aduerti facilè possint.*

Mulier obsessa à dæmone, sana reuertitur.

ANNO *Domini* M. CCC. XXIII. *die Sabbathi, quo anniuersaria* S. Gregorij *Papæ gratulatio celebratur, quidam Villæ* Estellæ *incola,* Petrus Garsiæ *nomine, eius loci lanio, diù antè auditu carens, ad Ecclesiam Nostri* S. GREGORII *festo cum aliis intercessurus accessit: cùmque integram noctem peruigil exegisset, Sanctoque supplicasset, vt medicam manum morbo suo adhibere dignaretur, neque tamen iuuamen vllum sensisset, sceleribus suis id attribuens, domum versùs, tristitia obrutus, iter accepit. Verùm* Estellæ *Villæ finem ingressus, sonum campanarum audiit, ac planè comperiit, se quod petierat, impetrasse: Quarè Deo, & Sancto, quàmmaximas gratias agens, eleemosynam quantamcunque potuit ad Ecclesiam misit.*

Alius surdus curatur.

NEQVE *illud silentio prætermittam, ab* Hispania *vniuersa, præcipuè contra locustas, eruginem, aliáque huius generis animalcula,* S. GREGORIVM *Patronum coli inuocariquè solere, vt cuius in huiusmodi malo præstantissimum auxilium experti fuêre. Inde factum est, vt Aquâ sacrorum ossium contactu siue immersione sanctificatâ, vineæ, horti, segetésque aspergi, contra noxias bestiolas, consueuerint.*

Tutelaris in Hispania contra locustas, & eruginem.

TOT *itaque, penèque innumera in* Hispaniarum *; præcipuè* Nauarrensium *populos collata beneficia, ista potissimùm animo repetentes, ne feruor vllo vnquam tempore religiosorum hominum contepesceret, sed cultus indies magis,*

Confraternitas erigitur.

ac magis augeretur; multis abhinc annis Viri aliquot ex primaria nobilitate in vnum coeuntes, ſodalitatem ſub S. GREGORII *tutela conſtituerunt, qui certis legibus parent, & medicationibus ſpiritualibus exercentur.*

NEC *plura ſunt, quæ de* S. GREGORIO *Cardinali, Epiſcopo* Oſtienſi *ſuperfuere, vt in vnum redigi poſſent. Hæc enim ſatis pauca ex tantis S. Præſulis geſtis relicta ſunt. Ex quibus tamen haud difficile erit, illius præſtantiſſimas virtutum laudes, vt ex vngue leonem, quod aiunt, cognitas ſuſcipere.*

Quo Anno hæc fuit Inuentio facta? Hactenus *Inuentionis*, & *Tranſlationis* Acta, & *Miraculorum* ecphraſis ab *Ægidio Calabrigenſi* Rectore concinnata. Nunc ad *Annum*, quo hæc facta eſt *Tranſlatio*, deueniamus. *P. F. Andreas Salazar*, qui vitam, & miracula S. GREGORII, vt diximus, ſcripſit, de quo codicem edidit, vafrè, & pigrè huiuſmodi neceſſarium computum prætermiſit, relinquens hoc ſucceſſoribus cogitandum, *c.* 21. *fol.* 253. cui incuriæ vt ſuccurramus, fatendum eſt, hiſtoricâ veritate ſuppoſitâ, quòd Epiſcopi, qui huic *Inuentioni* interfuerunt, vnus *Pampilonenſis Petrus* nomine, alius *Baionenſis Sanctius* fuere. Qui *Baionenſis* hoc vocabulo inſignitus reperitur, fuit *Sãctius Haxius*, vel *Hachius*, qui electus anno M.CC.LVI. *Baionenſem* Eccleſiã rexit ad annum vſque M.CC. LXXV. vt patet ex Arnaldo Oihenarto *in Not. Vtriuſq. Vaſcon. lib.* 3. *c.* 13. *fol.* 546. Cũ iſto concurrit in tempore *D. Petrus Ximenius de Gazolaz*, qui anno M. CC. XLI. infulas *Pampilonenſis* Eccleſiæ induit, quas morte exuit ad Annum M. CC. LXVI. vt inquit D. Prudent. Sandou. in *Hiſt. Pampilon. c.* 36. *fol.* 93. Ex quo colligitur *Inuentionem*, & *Tranſlationem* fuiſſe factam ab Anno M.CC.LVI. quo fuit *Sanctius* Baionenſis electus, ad Annum M. CC.LXVI. quo viuere deſiit *Petrus* Pampilonenſis.

Oratio pro exterminãdis locuſtis. CIRCA deuotionem totius *Hiſpaniæ* pro impetrandâ à Deo meritis S. GREGORII *Oſtienſis* medelâ contra ruinam & excidium locuſtarum, brucorum, & aliorum animalium meſſibus infeſtorum, legendus P. Andr. Salazar, qui *cap.* 28. *fol.* 349. formulam exorciſmorum, & alias deuotas orationes congeſſit; inter quas hæc ſolemnis à Preſbytero ſuperpelliceum induto, & ſtolam, Cruce præeunte, deuotè recitatur.

Antiphona.

Aſperges me Domine hyſſopo & mundabor; lauabis me, & ſuper niuem dealbabor. Gloria Patri, & Filio, &c.

Verſ. *Ora pro nobis S. Gregori.*

Reſp. *Vt digni efficiamur*, &c.

ORATIO.

DEVS *qui* B. GREGORIO *Confeſſori tuo, atque Pontifici contra locuſtarum peſtem, ſpecialem gratiam contuliſti; concede propitius, vt qui tua beneficia deuotè poſcimus, eius meritis, & precibus, à corroſione, & conſumptione ipſarum, & quarumcunque aliarum peſtium in fructibus noſtris, & pecoribus, atque à peſte, & epidemia in corporibus noſtris miſericorditer liberemur.* Per Dominum noſtrum, &c.

Teſtimonium quo aqua ſanctificata conceditur populis. Et vt longè, latèque aqua, quâ fructus aſperguntur, deferatur; accedunt populi ad locum ſepulchri cum vrnis, & aquam per foramen *tibiæ S. Confeſſoris* introductam in vrnis includunt, & ad propria repedantes, illâ aquâ contactu Reliquiæ ſanctificatâ Preſbyterorum miniſterio, cum ſupradictis ceremoniis, & oratione vtuntur: & vt conſtet aquam illam eſſe per tibiæ foramen tranſactam, in Baſilica S. GREGORII hoc deportantibus auctographum à Miniſtro ad hoc ſpecialiter conſtituto, conceditur:

IN *Baſilica Domini* S. GREGORII *Epiſcopi* Oſtienſis *die* XI. *Menſis Maij, Anno* M. DC.XXXI. *Ego D. Sebaſtianus à S. Romano, ipſius Eccleſiæ Capellanus*

Digitized by Google

pellanus, aquam per tibiæ S. Confeſſoris foramen tranſactam Didaco Marin de Murga, ex Oppido Mues conceſſi: & vt omnibus pateat huiuſmodi auctographum propriâ manu firmatum, & ſigno ipſius Baſilicæ roboratum contuli. Factum vt ſuprà.

D. Sebaſtianus à S. Romano.

PIÑAVA, Situs, vbi celebris eſt Baſilica S. GREGORII Noſtri, quæ olim S. SALVATORI dicata erat, iacet in Regno *Nauarræ*, in Valle quam BERRVEZA dicunt. Dicitur PIÑAVA per ſyncopem, quaſi PEÑA-ALBA, quia per ambitum Baſilicæ rupes conſpiciuntur albiſſimæ, ita vt ſupercilio, in quo Baſilicæ ſtructura conſpicitur, nomen dederint ab origine. Diſtat ab *Hyraxenſi* celebri ſitus Cœnobio VIII. M. P. à *Caſtro*, quod *Monjardin* dicitur, vbi miraculoſa conſpicitur CRVX argentea, VI. M. P. à Baſilica, quam B. V. MARIÆ *de Codès* prodigiis venerabilem dictitant, VI. M. P. De quo videſis Salaz. *vbi ſuprà c.* 19. *Topographia.*

QVINTO IDVS MAII.

DIES XI.

A. In Oppido RIPOLLENSI *Cathaloniæ depoſitio* S. EVDALDI *Presbyteri, & Martyris, qui pro fidei Chriſti conſtantia à* Valamiro *Gothorum in Gallia Duce comprehenſus, plumbatis cæſus, & variè tortus, demúmque à ſatellitibus capite clauis infixo, & corde mucrone tranſuerberato, ad Dominum, cuius gloriam inhiabat, triplici martyrij palæſtra, inclitus Agoniſta peruenit. Cuius corpus ſanctiſſimum in Eccleſia ſuo Nomini dicata, honorificentiſſimâ commemoratione colitur, & eleganti ſarcophago decoratur.*

B. LEGIONE, *& alibi, feſtiuitas* TRANSLATIONIS *ſacrorum pignorum* SS. VINCENTII, SABINÆ, *&* CHRISTETES *fratrum Martyrum, quæ ex vrbe* Abula *ad Cœnobium* Arlanzenſe, *Ferdinando I. Legionis, & Caſtellæ Rege iubente, & auctorante perfecta creditur, & ibidem ſolemni anniuerſario repetitur.*

NOTÆ.

A. *Scriptores.*

SANCTVS EVDALDVS Preſbyter, & Martyr.] Iſtius Sanctiſſimi Preſbyteri, & Martyris memoria ab Eccleſiaſticis abeſt tabulis antiquioribus; ſed iam Dei prouidentia in recentioribus reſtituta, ſuum in Annalibus ſacris recipiet locum, prout apud *Ripollenſes Hiſpaniæ* conſeruata eſt. De eo ſic Philipp. Ferrar. *in Catal. General. SS.* hac die: *Aquis in Aquitania* S. EVDALDI *Martyris.* Vbi *in Notula fol.* 192. proſequitur: *Ex Tabulis Eccleſiæ* Riuipollenſis, *quæ eſt in Diœceſi Vicenſi, vbi* CORPVS *illius conditum, venerationem habet.* Stylo diffuſo & pulchro Amicus Noſter Andr. Sauſſay *in ſupplement. Martyrol. Gallic. fol.* 1117. *tom.* 2. hoc elogium adnectit: *Aquis in Aquitania natalis* S. EVDALDI *Martyris, qui natione Italus, natus in Longobardia; cùm gloriæ Dei incrementa quæreret, in Gallias tranſiens, à Barbaris irruentibus impiè trucidatus, animam in ſua innocentia effudit.* Corpus *eius deinde ſignis diuinis illuſtratum, hinc ad cœnobium* Riuipollenſe *inter Gerundam, & Vicum, in ipſa Vicenſi Diœceſi, tranſlatum eſt, vbi condigna veneratione habetur.* Eius Acta ex peruetuſti Legendarij Lectionibus deſumpſit, & Caſtellano idiomate ſcripſit P.F. Anton. Vincent. Domenec *Hiſt. SS. Cathalon. lib.* 1. *fol.* 44. Quæ latinitate donata offerimus.

ACTA S. EVDALDI PRESBYTERI, & Martyris, cuius Corpus adſeruatur in Eccleſia Riuipollenſi Cathaloniæ; ex Antiquis Lectionibus MS. Legendarij Eccleſiæ.

Origo.

EVDALDVS *natione* Italus, *in* Longobardia *natus, parentes habuit* Lyrum, & Theodoram, *ex nobiliſſimis Gentis illius originibus, nam Pater, Comitis condecorabatur titulo; qui, & coniux, Ethnicorum & Gentilium ritus, idololatræ amplectebantur. Cùm ergo* Theodora *in vtero filium* Eudaldũ *adhuc geſtaret: noctu ſibi viſa eſt videre columnam igneam, ex ipſius aluo procedentem, & cælum vſque pertingentem.*

Matris viſio pragnãtis.

Quod inſomnium demirata Gentilis, protinus coniugi viſionem tremebunda propalat, qui Auguribus adhibitis, re diſcuſſâ, & ſorte iactâ deprehendit, vxorem Virum parituram, Gentilibus inimicum, Chriſtianis fauorabilem, & tanquam columnam igneam, omnia, quæ Deorum numinibus parerent, vaſtantem. Cui vt malo obſiſteret Lyrus de illorum conſilio, puerulum in abſcondito loco occludi, vt à Chriſtianis ſepararetur, propoſuit.

Naſcitur.

Naſcitur quippe ſuo tempore infans, & illico illi TOST *nomen imponitur. Poſt quartum verò à natiuitate diem, qui ad feſtum, & congratulationem nati aduenerant pignoris Proceres, voces in cælo magnificas audientes, pauore ſubito contriſtati domum deſeruerunt. Quo oſtento Comes puerulum ad ruſticam domum in ſyluæ opaciſſimæ horrore conſtructam deferri à nutricibus imperauit, vbi ad vſque eius ætatis duodecimum diuerſatus annum, Gentilium errores, abſque fidei Catholicæ cognitione, didicit.*

In montem ducitur nutriendus.

Iuuenis venationi deditus.

Damã inſequitur, & S. Eremitã inuenit.

Ab eo fidẽ Catholicã agnoſcit, & vocatur Eudaldus.

POSTMODVM *verò, cùm iam iuuenilis* TOSTI *ferueſceret ætas, tempus in perquirendis, inſectandiſque venatu feris, abſque intermiſſione terebat. Euênit ergo, vt quadam die, cùm Damam inſequeretur, & illa veloci curſu montis cacumina pertingere feſtinaſſet, in Eremitorium peruenit, in quo* S. Pancratius *vitam Angelicam peragebat, ad cuius pedes pronolutam beſtiolam, auxilium contra iuuenis furorem pauida demonſtratione petentem, inſpexit. Acceſſit* Toſt, *& ſancti Eremitæ venerabilem intuitus conſpectum humili reuerentiâ detentus, & damulæ pepercit, & verba Sanctiſſimi audiuit Anachoretæ. Qui iuuenem in fidei Catholicæ rudimentis dimiſit inſtructum: Eo tamen pacto, vt poſt diem Octauum, in illum locum iterum adſcenderet. Paruit Sanctus adoleſcens, & die conſignato, in eremitorium rediens, à* B. Pancratio

cratio, S. ACRO *baptiſmate tinctus, ex tunc* EVDALDVS *vocitari cæpit. Quo facto ad oram maris vterque deſcendit: & reperta nauicula, quæ vela ventis ſoluere deſtinabat, in illam ambo conſcendunt, & peragratis illius maris circulis, in* Hiſpaniam *deuenerunt; & ad portum, qui hodie in Cathalonia* Port-Vendrés *dicitur, de nauicula deſiliére. Vix etenim regionis illius ſolum* EVDALDVS *calcauerat, quando pœnitudine obrutus in patriam repedare conſtituit. Hoc vt agnouit S. Magiſter, ad orationem confugiens, adhuc in illa perſiſtebat, cùm lucis radius, poſt magnum fragorem, è cælo procedens, per quaſi vnius horæ ſpatium, ſupra* S. Pancratij *caput perſeuerauit infixus. Tanto penitùs miraculo obſtupefactus* EVDALDVS, *humi prouolutus, lachrymis obortis, à Deo, & à S. Magiſtro, de concepto humiliter veniam præſtolabatur errore. Illum* B. Pancratius *amplexatur ex corde, & ne in maiorem tentationis raperetur illecebram, in illius regionis ſupercilium ipſum perduxit, vbi exiguâ conſtructâ casâ, per quatuor temporum luſtra, vterque vitæ deditus ſolitariæ, vnanimi ſpiritu omnes virtutes ardenti ſtudio colebant. Poſtmodũ Deus illis* S. Pancratij *obitum aperuit, ex quo S. Magiſter ante eius diſceſſum* S. EVDALDO *benedictionem infundens, vitæ ritè actæ penſum alacri dormitione perſoluit. Mortuo, & ſepulto nimirùm B. ſene, Domino inſpirante,* S. EVDALDVS *Toloſam adiuit Galliæ, vbi à ſanctis Raymundo, Vincentio, & Ioanne Presbytero, ſic Numine diſponente, ſuſceptus, & in propria domo receptus eſt. Hîc euênit, quòd cùm quidam nobilis, nomine Prophanus, ſanctum inuitaſſet ad prandium Anachoretam, vnà cum alijs Dei ſeruis, eius vxor, quæ in epuli miniſterio diuagabatur, in cunis filium lactentem repoſuit, quem infeſtiſſimus ſubripuit dæmon, & in feruentis aquæ lebetem proiecit, ſuffocauit, & diſcerpſit. Quod vt inuiſit mater, lachrymabunda pueruli fruſta extraxit, eáque in panno lineo inuoluens, in arcula malis plena, ſilentioſis ſingultibus ſepeliuit. Prophanus itidem re compertâ, vxoris mœſtitiam, propter conuiuarum præſentiam, prudenti conſolatione ſedauit. Protinus quæ acciderant* S. EVDALDVS *diuinâ reuelatione cognouit, & ad menſam recumbens, à ſeruo pomum ex arculâ extrahere efflagitauit. Cucurrit ad arcam ſeruus, & illâ apertâ, puerulum viuum, pomum in ſingulis manibus habentem inuenit. Tunc omnia in publicum prodidêre, infantis mors detegitur, miraculum propalatur, & omnes epulis intereſſentes gratias Deo humili ſupplicatione perſoluunt,* Toloſâ *poſtmodum* Romam, *vt SS. Petri, & Pauli Apoſtolorum limina viſitaret, cum ſocijs* Caio, Alexandro, Vincentio, & Honorio *perrexit, qui peregrinatione obitâ, ſocijs vale dicens,* Toloſam *repedantibus, VVandalorum regionem perluſtrare decreuit.*

In Hiſpaniã veniũt, & Portum-Viridem adeunt.

Ibidem vitam eremiticam agũt.

S. Pancratius moritur.

Eudaldus Toloſam adyt.

Conuiuatoris filium ſuſcitat.

Romam petit.

ARREPTO *ergo itinere, per triduum ſiti, & ſolis ardoribus penè ſuccumbens, à Deo deprecabatur humiliter, vt ab illis liberaretur angoribus, qui fontem ſic limpidiſſimæ aquæ, petram eructare permiſit, vt omnes circumvicinos perenni agros continuatione rigaret. Hoc inſpectabant Prouinciæ accolæ, qui cùm Gentiles eſſent, S. Virum ad Præſidem perduxerunt; à quo de fide interrogatus, & Chriſtianus repertus, pro iſta confeſſione in carcerem detruſus eſt. Mediâ nocte* EVDALDVS *à D. N. Ieſu Chriſto viſitari meruit, qui ſic carceris manſiones clarificauit, vt conterriti cuſtodes, domum relinquentes, omnia tremebundi quæ euenerant manifeſtárunt Tribuno; qui vt iſta percepit ad pedes* EVDALDI *prouolutus accedens, periculum, quo per triduum eius vxor in partus editione laborabat, aperuit.* EVDALDVS *in domum iuit Tribuni, & ſigno Crucis ſupra ægram fœminam facto ſtatim enixa, & à doloribus, & à morte liberata eſt. In tanti igitur beneficij recognitionem protinus Tribunus, & vxor, cæterique de familia Chriſto nomen dedêre. Quæ omnia ad Præſidis peruenerunt auditum, qui ſequenti die, illos neci tradere conſtituit. At Dei prouidentiâ ſucceſſit, quòd illâ nocte dæmon Præſidis filium ſuffocaſſet in lectulo, qui ad conſpectum* EVDALDI *perductus, illum ad vitam reſtituit, cùm primùm vox intonuiſſet de cælo dicens:* EVDALDE omnia quæ petieris accipies. *Quo viſo Ethnici confuſo murmure clamabant:* Magnus eſt

Fontem è petrâ extrahit.

Carceratur.

Tribuni carceramia vxorem in partu periclitantem liberat.

Præſidis filium à dæmone ſuffocatum ſuſcitat.

Digitized by Google

Deus EVDALDI. *Poſtea Præſes cum omni familia in Chriſtum credens, denotiſſimas erexit Eccleſias, quas* B. MARIÆ *Virgini, & SS. Petro, & Paulo Apoſtolis dedicauit. Nouæ ſobolis regatu S. Vir apud illos per menſem quieuit, quo exacto, in vrbem* Acruzenſem, *ex Dei placito, peruenit. Illius vix*

Aliò perrexit, vbi damoniacã liberauit.

damon, qui corpus cuiuſdam obſidebat virginis, aduentum agnouerat, quando confuſis vlulatibus perſtrepebat, dicens, ſe ab illo corpore illicò diſceſſurum, quia Dei ſeruus erat in vrbe. Illum ſedula incolarum commiſeratio conquiſiuit, & inuentum ad obſeſſam perducunt, quam S. EVDALDVS *à demonis non ſolum liberauit angustiis, ſed & damonem conſtrinxit, vt publicè fateretur, quòd nullus prater Chriſtum, Deus inueniretur, & eſſet; quin potiùs Apollinis, & aliorum Deorum ſimulacra, damonibus plena eſſe, inuitis ſuſurris proteſtatus eſt. Quo audito, incolæ, exciſis idolis, per baptiſmi primam tabulam ad Eccleſiæ portum è naufragio humili confeßione pertingunt.*

Vrbem aliã ingreditur, vbi animalia quotannis pueros ingulantia, necauit.

HOC *opere perfecto* S. EVDALDVS *in aliam vrbem* Faſte *nomine inſignitam, tranſcendit, prout illi Deus prædixerat. Ad quam, vt acceſſit, inuenit, quòd quædam animalia venenata, quotannis vrbem ingredientia, omnes pueros atroci ferocitate iugulabant, & tunc temporis eadem fecerant, tanta horribilitate, vt per plateas, & vrbis vias, innumera infantium occiſorum cadauera ſpectarentur. Omnia vt agnouit S. Vir, Proceribus populi dixit:* Si vultis Chriſti fidem amplecti, in æternum hæc plaga ceſſabit, & filij veſtri demortui ad vitam protinus reducentur. *Illi vnanimi deliberatione reſpondentes, dixerunt:* Si hæc facis, & Nos, quæ petis, agemus. *Tunc* EVDALDVS *congregato omni populo, fidem Euangely prædicauit mirificè, & ſermone confecto, profundâ voce exclamauit:* O vos pueri, qui ſub vmbra mortis quieſcitis, ſurgite, & Dei Chriſti mirabilia concinite. *Tunc quotquot ferarum dentibus mortui iacebant, ſteterunt, & vno concentu Deum magnificare cæperunt, cuius gloriam, & inferni pœnas fatebantur enixè. Demum S. Vir illa animalia in deſertum amandauit, quo facto, ciuitas ex tunc libera ab illo damno impoſterum miraculosè permanſit. Erat ergo tunc temporis Hunnorum Rex VVilhielmus, cui illa ciuitas parebat, qui inſtructus de* S. EVDALDI

A Rege vocatus carceræ

mirabilibus, illum cum alijs primoribus vrbis iam fide imbutis, coram ſe accerſiri inſſit, quos vt in eius ſtitit conſpectu, & quanto animo fidem Chriſti confitebantur intrepidi, omnes in carceris ergaſtulo includi præcepit. Adueniente noctis ſilentio S. EVDALDVS *à Domino cognouit, quanta in ipſum Tyrannus ille erat executurus ſupplicia, ideo ad conſtantiæ perſeuerantiam magna fuit confortatione inuitatus. Alterâ die iterum coram Rege adductus S. Presbyter, cùm à fide dimoueri non poſſet, flagellis caſus, & ferreis vngulis dilaniatus, in carcerem reductus eſt, poſtquam in eius præſentia Tres Epiſcopi, per occipitium linguis extractis, & cateri Chriſtiani capitibus abſciſſis, barbarâ immanitate plecterentur. Ergaſtuli vix horridum ſpelæum S. Martyris corpus diſſectum recepit, cùm mediâ nocte Chriſtus illi Angelicis comitatus choris apparuit, cuius ſolamine lætus, priſtinam ſanitatem recepit. Demum itaque ad Regis præſentiam iterum eſt delatus, qui cùm Agoniſtam Catholicum, valetudini tàm citò reſtitutum, in Fide firmiorem, & in periculis lætabundum inſpiceret, illum bigis diſtractum, in ignem conici imperitauit. Arripuére igitur martyrem Satellites, vt ad equorum alligarent caudas, ſed repentè equi mortui ceciderunt. At Rex proteruiâ exacuatus illum in rogum præcipitari viuum iuſſit, ſed creſcente diuinitus igne, Regem, & omnes eius miniſtros vorax flamma conſumpſit, & S. EVDALDVS liber euaſit; quo miraculo omnes Ciues ad fidem conuerſi ſunt. Rege quippe, vt diximus, mortuo, in eius locum Hunni Attilam Regis occiſi germanum ſufficiunt, qui cum ſceptro fratris, in Martyrem odium acquiſiuit. Itaque* S. EVDALDVM *plumbatis caſum, & potione æneî liquefacti (à qua ſigno crucis indemnis euaſerat) propinatum, decollari, & in ſpeluncam perduci mandauit. Quod vt fecére miniſtri, à nullis potuit fidelibus ſacrum corpus, etiamſi exquiſitè quæſitum, detegi; donec* S. Ioannes *Presbyter ſtella lumine illuſtratus, illuc deuenit, & S. Martyrem*

Cruciatur.

Miracu ũ.

Aliud.

Vti mortuus ſepelitur, ſed poſtmodum inuentus eſt viuens.

ex

ex latebroſo illo extraxit cubiculo, vbi Dei prouidentiâ ſeruatum, & viuum poſt triginta dies mirabiliter inuenit. Protinus ex Dei præcepto Toloſam *reuertentes, per aliquot dierum terminum orationi vacantes, vitam vnanimiter tranſegerunt.*

DEMVM *VValamirus Gothorum Dux, & Attila Hunnorum Rex ob famam & famem auri, & argenti* Hiſpaniæ, *illuc deſcendere decreuerunt; ideò copijs militum coadunatis, iter aggreſſi ſunt. Hoc medio tempore, Dominus apparuit* EVDALDO, *& illum de vicinâ morte, per Gothorum manus, fecit certiorem, confortauítque. Quo facto,* S. EVDALDVS *Caput* S. Saturnini *in* Hiſpaniam *ad* Vrgelenſe *territorium aduexit, vbi Eccleſiam conſtruxit, in qua ſacrum pignus honore debito collocauit. Pòſt in* Galliam *reuerſus ad vrbem* Aquenſem *VValamirum Ducem, ſeu Gothorum Regem inuenit, à quo tentus, & in carcerem coniectus, vt Arianorum hæreſim ſuſciperet, varijs eſt perſuaſionibus impetitus. At cùm illorum S. Presbyter irrideret commenta, in dolio clauis contexto, quorum cuſpides intra dolij cauum tranſeuntes punctorum innumerabilem compaginem conficiebant, incluſus eſt. Illic per Triduum in Oratione ſanctiſſimi martyrij cruciatus ſuſtinuit; ſed Dei fauore nutritus, & roboratus, vt ad maiora meriti capeſſenda libamina properaret, ſeruatus eſt. Poſthac, ſatellites è dolio ſanctum extorquentes Presbyterum, cùm adhuc viuum, præter opinionem, aſpicerent; alij illius venerabile Caput clauis configunt, alij Cerebrum mucronibus tranſverberant, & alter furoris bile deſperatus inſanâ, gladiolo Cor amoris ſaucium transfodit, cuius vulnere, ſpiritus ille, qui tot agonum ſuſtinuerat palæſtras, triplici coronâ martyrij redimitus, ad manſionem euolauit eternam,* v. Idus Maij *Anno Domini* CCCC. LII. *cùm ſolùm ad* XLVI. *annos peruenisſet ætatis, imperante Marciano. Eius ſacrum* CORPVS *pro tunc moderatè ſepultum creditur, eo quòd Vrbs* Aquenſis *in poteſtatem deuenerat Arianorum: Aſt poſtmodùm Anno* D. LXXXI. *ad Eccleſiam* S. Vincentij *honorificè tranſlatum, à fidelibus fuit magnâ in poſterum veneratione ſeruatum. Sed demum currente Anno* DCCCC. LXXVIII. *ſacra B. Presbyteri, & Martyris pignora,* D. Borrello *Barcinonis Comite, in* Ripollenſe *Cœnobium* Cathaloniæ, *per* Indiſclum *illius Monaſterij Abbatem aduecta, & honorificè collocata, innumera Deus* S. EVDALDI *interceſſione miracula patrat. Nam è ſuis ipſanis ſuauis paſſim odor eſurgit, qui linguæ ſanat contagia, dæmonia eijcit, febres expellit, ſubitaneâ morte correptos ad vitam reuocat, cæcis viſum, paralyticis greſſum, & ſurdis auditum mirabiliter impartitur; & denique ſuum ſanctiſſimum Nomen peierantibus vindictam ad oculum comminatur.*

Hiſpaniam iterũ adyt.

In Gallias repedat, vbi carceratur.

Cruciatur.

Moritur.

Pignora in Hiſpaniam transferuntur.

Frequenter miracula patrat.

En ACTA, provt illa refert *Anton. Vincent. Domenec,* licèt aliquibus eliminatis quæ ad *Tranſlationem* pignorum ſacrorum ſpectant, & ſuis locis ſubijciemus infra; videlicet *die XIV.* huius Menſis, & *Tom. IV. die IX. Auguſti.* Nunc quia aliqua in ecphraſi contenta elucidationem, & ſymbola deſiderant, vt liquido de eorum veritate pateſcat, breuiter illa explanare conabimur.

PRIMVM, quod ſe offert inueſtigandum, procedit ex relatione ACTORVM, quâ dicitur, S. EVDALDVM conceſſiſſe in vrbem FASTE nomine, cui Rex Hunnorum *VVillelmus* præerat, frater *Attilæ* poſtmodùm ſucceſſoris in Regno. Quæ omnia mera commenta ſapiunt, nam quâ Orbis parte FASTE ciuitas ſit, nondum diuinos nec quis iſte frater *Attilæ* Regis *VVillelmus*: quia ſi credimus Iornandi *lib.* I. *Rer. Geticar.* Attila patre genitus *Mundzueco* tres habuit germanos fratres *Octar, Roas,* & *Bleta. Priores duos ante* Attilam (proſequitur) *Regnum Hunnorum tenuiſſe narratur, quamuis non omnino cunctorum. Eorum ipſe poſt obitum cum* Bleta *germano Hunnorum ſucceſſit in Regnum.* En *Attilæ* fratres, quorum nullus *VVillelmus* vocitatus præſignatur; & quod plus eſt, quòd nullibi aliquid de morte iſtius fratris deceſſoris *Attilæ*, provt in Actis refertur, inuenitur. Sed licèt iſta ſic concepta ita ſe habeant, attamen, vt relationi aliquid deferamus, crederem hunc *VVillelmum*, de quo in Actis, fuiſſe *Bletam*, quia morte violentâ occubuiſſe conſtat ex eodem Iornand. *d. lib.* I. his verbis agens de *Attilæ*: Bletâ *enim fratre fraudibus perempto, qui magnam*

Qui fratres Attilæ fuerē?

Digitized by Google

magnam partem regebat Hunnorum, vniuerſum ſibi populum ſubiugauit. En *Bletæ* violenta mors; & quam *Iornandes* fraudibus executam proponit, fortè Dei vindictâ, igne rogi, quo Martyrem comburere ſatagebat, combuſtus occubuit, eandem fuiſſe credere nullus prohibet. Nec in nomine eſt cur ſcrupulis torqueari, quia illud apud varios Scriptores variè coagulatur, nam alij *Blebam*, alij *Bellam*, alij *Budam*, alij *Bledam*, vt apud Baron. *tom.6.Annal.Eccleſ. Ann.*444. *fol.*25. Hermann. Contract. *in Chron. Ann.* 440. *n.* 21. Bledlam vocitant: ideo inter tot variantes lectiones, quid mirum ſi Scriptor vetuſtiſſimus Actorum, etiam in lectione nominis variaſſet.

Quis VValamir Dux Hunnorũ?

SECVNDVM quòd in Actis illuſtrandum venit, verſatur circa Ducem illum VValamirum qui S.Presbyterum cruciauit, de quo hæc Iornand. *d.lib.*1.*Rer.Get.* agens de irruptione *Attilæ* contra Gallias: *Nam perpendens* Attila *ſagacitatem ſuam, eum, &* VValamirum *Oſtrogotharum Regem ſuper cæteros Regulos diligebat. Erat namque* VValamirus *ſecreti tenax, blandus alloquio, doli ignarus.* Iſte, vt inquit Paulus Diacon. *lib.*15. *Rer. Roman.* cum *Attila* aduerſus Viſigothos, & Romanos in Gallias tranſcendit: ex quibus liquet, quòd illo tempore S. Presbyter *Aquis* martyrio ab *VValamiro* coronaretur: ita vt Actorum ecphraſis omnibus ſuis conſtans partibus conſpiciatur.

Quis Annus agonis?

TERTIVM verſatur circa *Annum*, & cùm iſte CCCC. LII. conſignetur in Actis, nunc conuenit inueſtigare, an ita fuerit, vt hiſtoricæ adhæreamus veritati. Cui dubio crederem mendum irrepſiſſe in Actis, & Anno CCCC. LI. hoc martyrium euenisſe credendum eſt. Hoc patet, quia ferè omnes, qui de *Attilæ*, & *VValamiri* in Gallias irruptione pertractant, hanc eueniſſe ad Annum Domini CCCC. LI. quo victus in Campis Catalaunicis ab Ætio, fugâ vitam ſeruauit; ita vt in poſterum in Galliam non ingrederetur; ergo ad hunc Annum, non ad ſequentem martyrij tempus conſignandum erit: maximè cùm, vt notat Baron. *Annal. Eccleſ. tom. 6. Ann.*451. *fol.*136. hoc eodem anno *Attila* & *VValamirus* Aquitaniæ vrbes depopularentur, inter quas AQVÆ, vbi martyrium compleuiſſe dicitur; provt & *Regium* S.Proſperi Aquitanici patria; de cuius clade, illo eodem anno, ab ipſis Tyrannis factâ, ſic his verſibus agit, apud eundem Baron. *d. Ann.* 451. *fol.*136. in editione Romanâ.

Cúmque animum patriæ ſubijt fumantis imago,
Et ſtetit ante oculos quicquid vbique perit:
Frangimur, immodicis & fletibus ora rigamus:
Dúmque pios agimus, vertimur in querulos.

Hinc emendabis in Actis agonis Annum, & loco CCCC. LII. repones CCCC. LI. vt Hiſtoricæ veritati adhærens, prorſus errata deſpicias.

Ripollis Topographia.

RIPOLL. Oppidum in *Cathalonia Hiſpaniæ* diœceſis *Viccenſis*, quod olim dictum ferunt aut RECCOPOLIS, aut RIVIPOLLENS. Horum nominum etymon, his ex cauſis eliciunt Scriptores. Qui enim RECCOPOLIM vocitant, aſſerunt *Leouigildum* Gothorum in *Hiſpania* Regem, ſiue *Reccaredum* filium vrbem condidiſſe, cui nomen Principis appoſuêre, háncque fuiſſe in *Cathalonia* extructam vbi nunc RIPOLL Oppidum voce à RECOPOLI decurtatâ, quaſi *Recaredi vrbs.* Huius etymologiæ argutiam ſequuntur Petrus Anton. Beut. *Hiſtor. Hiſpan.* 1.*p.c.*17. Stephan.Garibay. *Compend.Hiſtor. lib.*8. *c.*21. & Franc. Com. *c.*9. relati à Ieronym. Pujad. *Hiſt.Cathal.lib.*6. *c.*59. *fol.*303. licet Medin. *de Vrbib.Hiſpan.* 1.*p.c.*74. Villadam. *c.*93. Moral. *lib.*11.*c.*68 & Marian. *lib.*5 *cap.*11. Situm *Reccopolis* non in *Cathalonia*, ſed in confluenti fluminum *Tagi*, & *Anæ*, vbi nunc oppidum ALMONAZID conſtituunt.

Etymon.

QVI verò RIVIPOLLEM appellitant, contendunt dictam, ob fluuiorum abundantiam, & confluentiam, quia in ſitu Oppidi huius *Ther*, & *Braſer* flumina conueniunt, & in vnum coagulantur. *Ieronymus Pujades* primæ opinioni innixus cætera reſpuit, quem videas.

Aquenſis vrbis Topographia.

AQVIS. Vrbs olim AQVÆ TARBELLICÆ cognominata, Ciuitas Epiſcopalis in

in *Aquitania Vaſconum* inter *Auſcios*,& *Boionam*. De ea Itinerar. Antonin. apud Simlerum *fol.* 198. & apud Zuritam *fol.* 103. hoc ordine *de Hiſpania in Aquitaniam, ab Aſturica Burdigalam.*

	Summo Pyrenæo.	M. P. XVIII.
	Imo Pyrenæo.	M. P. V.
	Caraſa.	M. P. XII.
†	*Aquis Tarbellicis.*	M. P. XIX.
	Moſconnum.	M. P. XVI.

Abrahamus Ortel. *in Theſaur. Geograph.* verb. TARBELLA, hanc vrbem hodie AQS vulgo vocitari contendit ex Ioſepho Scaligero auct. dam. *in Lection. Auſonian. lib.* 1. *c.* 6. vbi pulchrè de huius vrbis agit topotheſia : A quo hanc accipe Inſcriptionis Romanæ epigraphen.

NVMINI. AVGVSTI.
SACRVM.
SECVNDVS. SEMEDONIS.
FIL. NOMINE.
VICANORVM. AQVENSIVM.
ET. SVO. POSVIT.

Aubert. Myr. *in Not. Epiſcopatuum Orbis lib.* 4. *fol.* 197. & *lib.* 5. *fol.* 243. hanc vrbem AQVAS-AVGVSTAS vocat, cuius Sedem ſub Archiepiſcopo *Auſcenſi* conſtituit.

TRANSLATIO SS. VINCENTII, & Sororum Martyrum.] Anceps, licet pia contentio eſt inter aliquot *Hiſpaniæ* Eccleſias, circa verum locum, quo ſacra horum Sanctorum Martyrum ſiſpana requieſcant. PRIMA, & princeps eſt ABVLA, in cuius campo ſanctiſſimi pugiles,& pro Chriſti fide ceruices viriliter tradidêre, & corpora ibidem ſepulta ciuibus opem continuis obtulere temporibus, & adhuc feliciter impartiuntur. SECVNDA eſt vrbs LEGIO, quæ à tempore *Ferdinandi I.* cognomento *Magni*, Caſtellæ,& Legionis Regis, Sanctorum exuuias ex vrbe *Abula* aduectas, ob illius deſolationem, habere contendit. TERTIA eſt ARLANZA, cuius Cœnobij Monachi aſſerunt, quòd hæc beatiſſima Martyrum pignora poſſident, priuilegio ipſius Regis *Ferdinandi*, licet primò *Legimem* tranſlata fuiſſent. Vniuſcuiuſque Vrbis fundamenta ſubiiciemus, quibus cognitis iuſtitiam partium *Lector* eruditus agnoſcet, vt iudicium proferat monitus. B. *Opiniones circa ſepulturæ locum.* I. *Abulēſium.* II. *Legionenſium.* III. *Arlanzenſium.*

ABVLA quæ in hoc ſtadio primum locum tenet, pro ſe offert antiquiſſimam poſſeſſionem, quâ contendit, ſe, poſt illorum agonem, tumulaſſe Corpora Sanctorum huiuſmodi, in Eccleſia ſuo nomini dicata, expenſis illius *Hebræi*, qui ob miraculum ſerpentis factus Chriſtianus, Baſilicam illam mirificè cõſtruxit, vt Sanctorum Acta referunt. Gothorúmque tempore ibidem extitiſſe, vt per ambitum S. Braul. Cæſarauguſt. *in Addit. ad Maxim. n.* 5. refert. ITEM eadem vrbs pro ſe oſtendit priuilegia *Ferdinandi III.* cognomento, *Sancti*, de Anno M.CC.LII. *Alphonſi Sapientis* Anno M.CC.LXXX. & *Ferdinandi IV.* Anno M.CCC.II. per quæ nonnulla concedunt eidem Eccleſiæ ob reuerentiam Sanctorum Martyrum VINCENTII,& Sororum, *quorum* CORPORA (inquiunt) *ſepulta in eadem Eccleſia iacent*. Quæ omnia recerunt P. F. Ludouic. Ariz *Hiſt. Abulenſ.* 1. *p.* §. 9. *fol.* 32. M. Ægid. Gonzal. Reg. Chronograph. *tom.* 2. *Theatr. Eccleſ. Hiſp. fol.* 228. Anton. Cianca *Hiſt. S. Secund. lib.* 1. *c.* 21. *fol.* 41. ITEM pro ſe allegat celebre illud miraculum ab ipſo *P. Ariz* recenſitum *d.* §. 9. *fol.* 32. vbi aſſerit, quòd *D. Martinus de Vilches* Epiſcopus *Abulenſis*, vt harum opinionum de exiſtentia ſacrorum Corporum in Eccleſia ſupradicta ſedaret inuolucra, decreuit, poſt ieiunium,& proceſſionem, ſarcophagum S. VINCENTII, quo eius ſacra liſana requieſcere fama erat, aperire;& ſic Sacro cõfecto, ſacerdotalibus infulis indutus, præſentibus clero,& populo, lapidem remouere incæpit, & conſpecto in ſepulchro foramine, per illud manum, vt corpus attrectaret, immittens, illam ſanguine cruentatam recenti mirabiliter extraxit, qui ſanguis, vt in poſterum huius veritatis teſtimonium futuris ſeculis perhiberet, manu cruentatâ tabellam inunxit, quâ digiti ad viuum impreſſi rei geſtæ ſymbolum manifeſtant. Quam tabellam digitis ſanguineis tinctam vidit *Illuſtriſſ. Dominus, ac Dominus meus, D. Didacus de Azze Roymſo Anno M.DC.XXXVIII. tunc Epiſcopus Abulenſis*;& *Ego*, qui eius *Prouiſor & Vicarius Generalis* eram, cum ipſo vidi. *Pro Abula teſtimonia.* I. II. III.

DENIQVE

IV. DENIQVE exiſtentiam ſacrorum pignorum probat hæc vrbs, ex antiquo, & memorato more veterum *Hiſpanorum*, quo, vt agnoſceretur an aliquis fidem fregiſſet, in vſu fuit, vt duceretur ad ſepulchrum S. VINCENTII ille homo, de cuius fide dubitabatur, qui tacto manibus ſarcophago iuramentum emittebat, de fidelitate obſeruatâ; ſi verò mendacium iuramento firmabat, ex tunc manus, & brachium paulatim areſcebat. Quod iuramentum tanquam ſcandalis plenum prohibuerunt Reges Catholici *in l.67. Tauri.* Hactenus Abula.

Pro Legionenſe monumenta. I. LEGIO quæ ſecunda vrbs eſt in hac contentione piâ, tantum pro corpore S. VINCENTII decertat, mota ex Pelagij Ouetenſis *Chron. in Ferdinand. Reg. fol.75.* aſſerentis. *Iſte fecit ſecundam* Tranſlationem *SS. Martyrum.* VINCENTII, SABINÆ, *&* CHRISTETÆ *ab Abula.* VINCENTII *in* LEGIONEM; SABINÆ *in Palentiam*, CHRISTETÆ *in Arlanza in S. Petrum.* Quem ſunt ſequuti Roder. Toletan. *Hiſt. Hiſpan. lib.6. cap.13.* & Alphonſ. Sap. *in Chron. General. Hiſpan. 2. p. cap.53.* & hoc ſimiliter probat ex Inſcriptionibus duabus, quæ adhuc viſuntur in Cænobio S. Iſidori Legionenſis; quarum prima, quæ extat in oſtio clauſtri, quo patet ingreſſus ad Sepulchra Regum, ſic ſe habet

II. *Hanc, quam cernis, Aulam* S. IOANNIS Baptiſtæ, *olim luteam, nuper Excellentiſſimus* FREDENANDVS *Rex, &* Sanctia *Regina ædificarunt lapideam, Tunc ab vrbe* Hiſpali *adduxerunt ibi corpus* S. ISIDORI *Epiſcopi in dedicationem Templi huius die* XII. *Kalend. Ianuarij, Era M.C.I. Deinde in Era M.C.III. Sexto Idus Maij adduxerunt ibi de vrbe* Abila *Corpus* Sancti VINCENTII *fratris Sabinæ, Chriſteteſquè*, &c.

III. Secunda Inſcriptio legitur in ipſiſſimo tumulo *Ferdinandi* Regis, qui intra Capellæ Regum planum conſpicitur, vbi literis Gothicis pulcherrimis huius *Tranſlationis* memoria recenſetur.

H. eſt tumulatus FERNANDVS Magnus, *Rex totius* Hiſpaniæ, *filius* Sanctij *Regis* Pyrenæorum, *&* Tholoſæ. *Iſte tranſtulit Corpora Sanctorum in Legione* B. Iſidori *Archiepiſcopi ab Hiſpali*; VINCENTII *Martyris ab* Abila, *& fecit hanc Eccleſiam lapideam, quæ olim fuerat lutea*, &c.

Hæc ſunt monumenta, quæ pro ſuæ opinionis fundamine *Legionenſis* profert, & allegat Eccleſia & vrbs; quapropter hoc die TRANSLATIONIS feſtiuitas apud ipſos colitur, vt videre eſt in eius antiquo *Breuiario*, referuntque Ludouic. Ariz *d. Hiſt. Abulenſ. §.9. fol.36.* P.F. Anton. de Yepes *in Chron. Benedict. tom.6. Cent.6. Ann.1063. c.5. fol.209 col.4.*

Pro Arlanza fundamina. I. ARLANZA verò in ſuo *S. Petri Cœnobio* habere omnium *Trium Fratrum Martyrum* ſacra pignora contendit, & pro eius ſententiâ ſequentia exhibet fundamenta. PRIMVM ex vetuſtiſſima relatione, in pittacio pergamineo ſcripta intra thecam aſſeruatam in Capella *SS. Martyrum*, quæ in Eccleſia dicti Cœnobij erat, cùm horum Sanctorum lipſana in aliam arculam elegantiorem Anno M.D.LXXI. tranſlata ſunt, vbi hæc verba recenſentur:

In hoc tumuo iacent SS. Martyrum VINCENTII, SABINÆ, & CHRISTETÆ *fratrum* CORPORA, *qui à Daciano imperatore, in ciuitate* ABVLENSI *martyrio Coronati ſunt, & magnis ſupplicijs afflicti, Anno Domini* CCC.VII. *Poſteà verò cùm Mahometorum Tyranni Sanctorum Templa, & Reliquias prophanarent,* FERDINANDVS *Rex huius nominis I. in hoc* ARLANCENSE *Monaſterium, Ordinis S. Benedicti tranſtulit, admonitus primò ab Angelo* SS. Dominico Silenſi, *&* Garſia Arlanzenſi *Abbatibus, vt Sanctorum* CORPORA, *quæ* ABVLÆ *inhoneſtè tenebantur, ad hoc* Arlanzenſe *Monaſterium, vbi condigno honore ab incolis colerentur, transferenda curarent. Vnde idem Rex* FERDINANDVS *pòſt, adiunctâ ſibi magnâ Epiſcoporum, & Abbatum, cæterorumquè Chriſtianorum copiâ, ab* ABVLA *ad hoc inſigne* ARLANCENSE *Monaſterium detulit, vbi veriſsimè omnia* SS. SABINÆ, *&* CHRISTETÆ *Virginis* OSSA *requieſcunt.* VINCENTII *verò* CAPVT *cum aliqua oſſium parte, in* LEGIONEM *ciuitatem ad* S. Iſidori *Epiſcopi Eccleſiam adornandam ſecum aſportauit, maiori Reliquiarum parte eiuſdem Martyris in hoc* ARLANZENSI *Monaſterio relictâ, vt ſimul cum ſoro-*

ribus

ribus, ab incolis huius prouincia, debito honore colerentur.

Et ita inuenta ſunt lipſana Anno M. D. LXXI. vt refertur in auctographo à duobus Notarijs confecto, quod ad literam exſcripſit Anton. de Yepes *d. tom. 6. Scriptur. 29. fol. 474. col. 2.*

SECVNDVM deducit *ex Hiſtoria MS. S. Dominici Silenſis cap.* 8. quam Nos infrà dabimus *Tom. 6. Die XX. Decembr.* vbi à Coætaneo Scriptore hæc verba referuntur: *Tempore* FREDELANDI *Regis* Hiſpaniarum *glorioſi, & ſtrenuiſſimi, præfuit Monaſterio S. Petri de* ARLANZA, Garſias *Abbas, Vir omnino vitæ venerabilis, & felici perſeuerantia memorabilis, cui per viſum diuinitus eſt reuelatum, vt de ciuitate* Hiſpaniæ, *quæ vocatur* ABELA, *transferret Sanctorum Martyrum* VINCENTII, *& Sororum ſuarum* SABINÆ, *&* CHRISTETÆ *Corpora illic negligentiâ poſita. Quod etiam factum eſt præeunte Domini gratiâ, & adminiſtrante ſupradicti Abbatis labore, & induſtriâ. Huic ſacræ glorioſorum Martyrum* TRANSLATIONI *adfuerunt totius prouinciæ venerabiles, ac Deo digni Epiſcopi cum Abbatibus, & cum clericis omnis Eccleſiaſtici Ordinis, cum conuentu Principum, & nobilium, ac virorum plebeiorum, & vtriuſque ſexus populorum.* Huius actionis ecphraſim, *carmine* vulgari *Caſtellano*, vt illa ferebant tempora, traduxit Gundizaluus Berceo *in Vita S. Dominici*, cuius fecimus ſupra mentionem. Rythmus ipſe quantam antiquitatem præſeferat, ex ipſo cognoſces, vt noſtrorum illius ſeculi *Poëtarum* ſincerum ſpiritum demireris: II.

POr amor que creades que vos digo verdad,
Quiero vos dar à eſto autoridad,
Como ſo el Profeta, fablò certenidad,
Por onde ſo afirmada la ſu gran ſantidad.
San VICENTE *auia nombre vn Martir anciano,*
SABINA, *y* CHRISTETA *de ambas ſo hermano,*
Todos por Dios murieron de violenta mano,
Todos yazien en Auila, *non vos miento vn grano.*
El Rey Don Fernando *ſiempre amò bondad,*
E metie en comprirlo toda ſu volundad,
Aſignò de traerlos à mejor ſantidad,
Eme tellos en tumbas de mejor honeſtidad.
Aſinò vn buen conſejo eſa fardida lanza,
Traerlos à San Pedro, *que dicen de* Arlanza,
Con eſe buen viento abrien mejor confianza,
Serien mejor ſeruidos ſien ninguna dubdanza.
Auia ay vn Abad ſanto, ſieruo del Criador,
Don Garcia *por nombre de bondad amador,*
Era del Monaſterio cabdillo, y ſeñor,
La grey demonſtraua qual era el Paſtor.
En viſion le vino de fer vn myſterio
De aquellos Cuerpos ſantos, que an tan gran imperio,
E que los deſenterraſe del viuo cementerio,
E que los adujeſe para el ſu Monaſterio.
Fablò con el Rey, al qual de Dios bon poſſo,
At qual dicen Fernando, *Principe muy precioſo,*
Tobolo por buen ſeſo, è por fecho famoſo;

No ſo para complirlo el Abad perezoſo.
Conuidò los Obiſpos, è los Prouinciales,
Abades, è Priores, è Monjes clauſtrales,
Diaconos, è Preſtes, è otras perſonas tales,
E del Señorio todos los Mayorales.
Foron y Caualleros, y grandes Infanzones,
De los pueblos menudos, mujeres, è varones;
De diuerſas maneras eran las proceſiones;
Vnos cantauan laudes, otros dezien canciones.
Aduxeron el Cuerpo de Señor S. VICENTE,
E los de ſus hermanas honrrando toda gente:
Todos cantando laudes à Dios Omnipotente,
E ſobre pecadores, ſiempre coſimente.
Condeſaron los Cuerpos otro dia de Mañana
VINCENCIO, *è* SABINA, *è* CRISTETA *ſu hermana*
Metieronlos en tumba firme de gana
Facia gran alegria eſa gente Caſtellana.
En eſta Tranſlation *deſtos tres hermanos*
Fueron muchos enfermos de dolores ſanos,
Los vnos de los pies, los otros de las manos,
A Dios dando laudes Chriſtianas, y Chriſtianos.

Eadem ſoluto ſermone reperiuntur in quodam antiquo *Codice MS.* vt refert D. Prudent. de Sandoual. *in Hiſtor. S. Petr. de Arlanz. fol.* 351. vbi hæc verba vetuſto Caſtellano idiomate: *Era Abad deſte Monaſterio de* San Pedro de ARLANZA, *que aſimiſmo ficiera el Conde Fernan Gonzales, el muy Reuerendo Abad* Don Garcia, *Varon de encomparable herbor, è de gran alteza de perfecion, y exemplo muy lucido de toda bondad: el qual eſtando con ſus Religioſos en ſu refectorio el Viernes en dolencias, comiendo pan, è bebiendo agua, faciendo la ſeñal de la Cruz ſobre el vaſo, ſe torno el agua en vino. Al qual por viſion Angelica le fue reuelado, que transfirieſe los Cuerpos de* S. SABINA, *&* S. CRISTETA, *&* S. VINCENTE *ſu hermano, los quales eſtauan en* AVILA *pueſtos en negligencia, al Monaſterio de* S. Pedro de ARLANZA. *El qual Auiendo conſejo con* S. Domingo, *acordaron entramos, que lo fizieſen ſaber al Rey Don* Fernando. *E aſi conuocaron al Reuerẽdo Ximeno Obiſpo de Burgos, è al muy hõrrado Don Sancho Abad de S. Pedro de Cardeña; los quales todos juntos fueron al Rey Don* Fernando, *è le fallaron poblando à* Zamora, *y cõ el à Don Aluito Obiſpo de Leon, è à Don Ordoño Obiſpo de Aſtorga, y al Obiſpo de Palẽtia, y al Cõde Don Nuño de Lara, y à Don Fernãdo, y à Don Pedro, y à Don Aluar Fañes los quales contarõ al Rey la ſuuenida, y reuelacion: el qual mucho gozoſo ſe partio con todos ellos de* Zamora *para* Auila, *y ſegun la viſion viſta fueron fallados los Santos, è dende tomados, fueron tranſladados al Monaſterio de* S. Pedro de Arlanza. Qui etiam D. Prudentius de Sandoual *ſupr. d. Hiſt. Arlanz. fol.* 34^x. plura priuilegia Regum profert hanc *Tranſlationem* teſtantia: prout & fecit P. F. Anton. de Yepes *d. Cent.* 6. *cap.* 5. qui *fol.* 211. ſatisfacere conatur argumentis ab *Abulenſibus* meis in contrarium adductis, & tandem pro concordia illud medium adducit, quod in ſimili dixerat Paulus Diaconus *Hiſtor. Longobardor. lib.* 6 *cap.* 1. referens Gallorum pietatem, quâ ſuffulti *Corpus S. Benedicti* ex Monte *Caſino* ſimulatione auferentes in ſuam patriam aſportarunt; nimirum ARLANZENSES *oſſa venerabilia detuliſſe; carnem verò & cætera membra quamuis fluxa* Abulenſibus *reliquiſſe*: quæ potiora ſunt, & per ea Dominus illa, quæ referuntur, miracula perfecit.

HÆC

HÆc sunt quæ de hac TRANSLATIONE elicere valuimus, & quæ pro qualibet vrbe, & Monasterio monumenta recensentur. Attamen DVO hîc adnotare placuit ad elucidationem auctographorum suprà memoratorum: ALIVD est, vt quid licentia Regis desiderabatur, ad transferenda CORPORA Sanctorum, ita vt opus fuisset *SS. Dominicum*, & *Garsiam*, Regem adire? Cui dubio notandum est ex Imperatorum rescripto *in l. Nemo, C. de Religios. & sumpt. funer.* nemini licere humanum corpus ad alium locum transferre sine Augusti affatibus. Quod & à Patribus Concilij Moguntini *cap.* 15. comprobatum credimus ex illis verbis: CORPORA *Sanctorum de loco ad locum nullus transferre præsumat, sine consilio* Principis, *vel Episcoporum, Sanctaquè Synodi licentiâ.* Quæ verba transtulit Gratianus in *c. corpora, de Consecrat. Distinct.* 1. vbi gloss. verb. *Principis*, prosequitur: *Cùm hoc* (scilicet SS. Corporum Translatio) *esse non potest sine scandalo si fieret sine consilio* Principis, *& specialiter de Ecclesiis, quarum est Patronus.* Exempla qui velit adeat Ioannem Ferrandum *in Disquisit. Reliq. lib.* 1. *cap.* 7. *fol.* 217. ALIVD est circa morem iurisiurandi ad Reliquias Martyrum, de quo quia plura agemus *infra Tom.* 5. *Die XXVII. Octobr.* hic tantum Scriptorum de hoc agentium nomina per remissionem exponemus. Gretser. *de Cruc. cap.* 83. *lib.* 1. *& lib.* 2. *cap.* 17. *&* 21. *& lib.* 5. *Paralip. fol.* 83. *& seq.* S. August. *Epistol.* 137. S. Greg. Pap. *Hom.* 32. *in Euang. & lib.* 11. *Epist.* 10. S. Gregor. Turon. *de Glor. Martyr. lib.* 2. *cap.* 38. Plura etiam congerit Amicus Noster Ioann. Ferr. *d. Disq. Reliq. lib.* 2. *cap.* 13. *fol.* 475.

Licentia ad transferenda corpora Sanctorum requiritur, & quare.

Iurare ad corpora Sanctorum in vsu fuit.

QVARTO IDVS MAII.

DIES XII.

A. In Diœcesi CALAGVRRITANA *Hispaniæ apud* Ruconas S. DOMINICI *cognomento* CALCIATENSIS, *qui cùm Religionis cucullam induere satageret, & B. Æmilliani fratribus adhærere percuperet, ab eis explosus,* S. Gregorij Ostiensis *discipulus factus, eius est vestigia secutus, donec ab eo diuisus, syluam arborum densitate confusam sternit, hospitium ædificat, viam aperit, quâ peregrini* Compostellam *tutò procederent, pontem extruit, & vrbem; & miraculis tandem clarus obdormiuit in Domino.*

B. Apud PORTVM-VIRIDEM *Cathaloniæ in Hispania,* S. PANCRATII *Eremitæ, qui ex* Italiâ *oriundus, cùm apud* Longobardiam *secessisset,* B. Eudaldum *ad fidem conuersum, in Christi præceptis instruxisset, è patriâ extraxisset, & in* Cathaloniam *nauigasset, ibidem per aliquot annos vitæ solitariæ incumbens, de morte conscius, ad vitam illustris Confessor properauit æternam.*

C. NVMANTIÆ *in* Hispania Tarraconensi *festum* Translationis *sacrarum Reliquiarum* BB. NEREI, ACHILLEI,

& PANCRATII Martyrum, quas in Hiſpanias *aduexit* S. Eugenius *I. Toletanus Epiſcopus, & quarum adhuc memoria noſtris ſeculis perſeuerat.*

D. ROMÆ natalis S. SOTERIS *Virginis, & Martyris, cuius ſacra lipſana in Cœnobio Sanctimonialium Sanctiſſimi Sacramenti* Madridenſi, *honorificè coluntur, & adſeruantur.*

NOTÆ.

A. *Martyrologia.* SANCTVS DOMINICVS Calciatenſis Confeſſor.] Eius memoria in *Romano Martyrologio* hoc die inuenitur; cui conueniunt *Caſtellanum* P. Vaſq. *Luſitanum*, P. Lupi, & *Hiſpanum MS.* P. Higuera; necnon Ioann. Molan. *in Addit. ad Vſuard.* Arnald. VVion *in Monaſtic.* & Hugo Menard. *in Benedictin.* Sed quo iure, inter ſuos iſti Martyrologi Sanctos, noſtrum reponant, non inuenio; niſi ex hiſce *VVionis* verbis: *Et ſi non ignorem eundem* (DOMINICVM) *vitam Monaſticam ſolemniter profeſſum non fuiſſe, quòd ijs in Cœnobijs, in quibus viuere peroptabat, ſuſceptus minimè fuerit, placuit tamen hic inſerere, quòd ex Hiſtorijs cognouerim, eundem ad finem vſque vitæ habitum* S. Benedicti *geſtaſſe, & quod opere nequiuit, voluntate perfeciſſe.* Hinc colliges nequaquam fuiſſe *Monachum* actu, imo nec habitu, cùm hoc ex Noſtris non pateſcat Hiſtoriis. De eo ſcripsêre Marianus Siculus *de Reg. Hiſpan. lib.* 5. Alphonſ. Vener. *in Enchirid. Temp. fol.* 154. Marieta *Hiſtor. SS. Hiſpan. lib.* 1. *cap.* 11. *& lib.* 6. *cap.* 18. P. Marian. *Hiſtor. Hiſpan. lib.* 10. *cap.* 7. P. Truxill. *in Theſaur. Concionat. tom.* 2. *fol.* 1109. Ioann. Maldonad. *Hiſt. SS. fol.* 113. Ioann. Haræus *eadem Hiſtor. fol.* 445. Ex Florib. SS. *Vega, Sanctorus, Æmillianus, & Villegas.* Ex Breuiariis Antiquis Hiſp. *Compoſtellanum, Calagurritanum, Placentinum, Palentinum,* & alia complurima. Eius Acta patrio ſermone deſcripſit *P. F. Ludouicus de Vega* typis apud *Burgos edita Ann.* 1606. Illa ex *Legendario Aſturicenſi* ab hinc CCC. LXVII. ann. MS. dabimus.

Scriptores.

ACTA S. DOMINICI CALCIATENSIS Confeſſoris Hiſpani Eremitæ; ex Leg. MS. Aſturicenſi.

Lect. I. Origo. IN *Dei Omnipotentis honorem, &* B. DOMINICI *Confeſſoris, pauca de eius Vitâ & Miraculis plurimis, adiuuante Domino, proſequemur. Beatiſſimus igitur* DOMINICVS *laicæ profeſſionis, & illiteratus exiſtens, è* VILLORIA *in* Cantabriæ *finibus poſitâ originem duxit. Qui ad partes* Ruconiæ *greſſum dirigens, quaſi ad ſuæ diſpoſitionis portum peruenit. Ibique per aliquot dies moram faciens, ſtatuit intra ſe, communem vitam, in contemplatiuam mutare.*

Eremita.

Lect. II. Ordinem Benedictinum ingredi curat, ſed reſpuitur. AD *Abbatem igitur* Valuaneriæ *Ordinis* S. Benedicti *celeriter tendens, humiliter petijt, ſe in eius admitti conſortium, & ſacrarum doctrinis imbui literarum. Cuius voto, cùm præfatus Abbas renueret, Vir Sanctus ad* S. Æmilliani *Cœnobium acceſſit, & Abbatis præſentiam adiuit, vt ſuum propoſitum adimpleret. Abbas enim vitæ ſuæ deputans occultare infamiam, vt alter fecerat, ipſum refutauit. Impar enim morum proprietas mores diſcrepantes ſibi minimè appetit ſociari. Inde Vir Sanctus recedens, ad quendam S. Eremitam, qui circa Monaſterium* S. Æmilliani *degebat, perrexit.*

Lect. III. Cuidã Eremitæ adhæret, à quo deinde diſcedit. EREMITA *ſolitariam ducens vitam, paruunculam Orationis domum ſibi compoſuerat. Habito protinus viciſim de contemptu Mundi ſermone, adiecit*

Eremita:

Digitized by Google

Eremita: Si locus iſte tibi placet, cedere præſtò ſum, feſtinabo mihi aliũ parare. S. DOMINICVS *reſpondit*: Nolo ſic tuis commodis ditari, vt tua Diſpoſitione prioueris. *Sic ſancto vale dicens Eremitæ, ad* Borouanos *profectus eſt fines, qui nunc* CALCIATA *vocantur, & à peregrinorum ſtratâ non minimo diſtat ſitu; quo in loco cellulam in honorem* B. MARIÆ *fundauit. Per luſtrum ibi, & amplius diutinans, hortum fertilem, cum amanis arboribus, & vineis fœcundiſſimis plantauit.*

EODEM *quoque tempore, quidam ſanctus Epiſcopus* Gregorius *nomine, in partes* Hiſpaniæ *ad pradicandum Dei verbum peruenit. Quo audito,* B. DOMINICVS *ad ipſum tendens, vt animam eius ſalutaribus doctrinis reficeret, ipſius diſcipulus efficitur, illumquè eſt longo tempore, vſque ad obitum eius, comitatus. Beatus igitur* DOMINICVS *ſancto priuatus patrono, quid de ſuo diffiniret ſtatu cogitauit. Conſiderato enim loco, vbi Chriſti pauperibus ſuam ſubſtantiam diſtribueret, tandem* Villam *aggreſſus eſt, quæ ab ipſo ſortita eſt nomen, ſcilicet* S. DOMINICI de Calciata, *vbi nunc veneranda conſiſtit Eccleſia, in qua eius ſanctiſſimum* Corpus *honorificè quieſcit ſepultum.*

Lect. IV. S. Gregorio Oſtienſi ſe ſubjcit.

LOCVS *iſte tunc erat nemoribus denſus, & latronibus frequentatus, & tranſeuntibus valdè periculoſus: modo eſt fertilis, & amanus, per quem vndoſa lympharum vorago fluebat, ad cuius euaſionem, pontem ſibi fundare diſpoſuit. Domo tamen ſibi, & familiæ ſuæ in primis inſtructâ, & prope ipſam paruam orationis domum in honorem* B. Virginis *fabricauit. In hac Vir beatiſſimus crebrò intendens orationi, ad ſuſtentandam corporis debilitatem vſque ad cellam baculorum ſuſtentaculum ſupponebat. Ad Pontis quoque ædificationem, quaſi ad opus commune, auxilium Villarum circumiacentium implorauit. Habitatorum verò ipſi huic tam pio operi vnuſquiſque pro ſuis viribus ſuccurrebat.*

Lect. V. Pontem in Calciata extruit.

QVODAM *feſto, huius operis causâ, ruricolas de corporali ſubſidio in Eccleſia ad Miſſarum exiſtens ſolemnia requiſiuit. Petitione S. Viri populo expoſitâ, Quidam animalia, alij currus, alij verò perſonaliter auxilium promiſerunt. Tunc quidam ruſticus peruerſus, & indeuotus, affectans ſancto Patri illudere, cùm haberet in Montanis duos Tauros feroces, quos nunquam tangere potuit, dixit:* Ego duos Tauros, quos in montibus habeo in ſubuentionem Pontis illius per diem vnam promitto; ita tamen, vt Pater DOMINICVS ipſos de monte perducat, & ad currum vehendum ſimul coniungat. *Almus Deo* DOMINICVS, *cuius ſpiritus cælo inhærebat, ſubridens, ait;* Conditionem voti tui, opitulatione diuinâ complere tentabo. *Tauri verò viſo* B. DOMINICO, *omni ferocitate depoſita, à S. Viro ſunt per cornua capti, atque iugo vehiculi, cum omni ſuauitate, coniuncti; qui leuius, & æquius aliis bobus domitis, onus ſibi impoſitum ad pontem traxêre pradictum.*

Lect. VI. Duos Tauros feroces manſuefecit.

SEPTEM *quoque annis antequam Vir Beatus ab hac vita, ad Dominum migraret, ſibi lapideum excidit ſepulchrum; quod ſingulis annis annona replebat, pauperibus per induſtriam miſericorditer diuidenda. Cùm quædam eius commater ad eum viſitandum, quadam die veniſſet, Vir ſanctus dixit ei:* Commater Deo deuota, manſiunculam, quam nuper conſtruxi, nunquam tuis oculis conſpexiſti. *Cùmque Sepulchrum ambo cernerent ſimul, commater adiecit:* Quare membrorum tuorum requiem, ab Eccleſia tàm remotam tibi paraſti? *Cui* B. DOMINICVS: In prouidentia diuina eſt me ab Eccleſia in poſterum nullatenus ſequeſtrari, aut enim Eccleſia, noſtra ſequetur veſtigia, aut Nos eius beneficia proſequemur. *Mira res! Quod Vir Dei ore prophetico pradixerat, hodie completum conſpicitur; quia ad eius monumentum, Eccleſiam peruenisſe, cunctis manifeſtum apparet.*

Lect. VII. Prophetat qua euentura ſint in loco eius ſepulchri.

HIS, *& aliis quoque plurimis pollens virtutibus, ærumnas huius ſeculi varias ſuſtinendo patienter IV.* Idus Maij *Anno Domini* M.C.IX. *multis plenus meritis glorioſis migrauit à ſeculo, ad Dominum,* Corpus *in terris, cælo ſpiri-*

Lect. VIII. Moritur.

Digitized by Google

Sepelitur.

tum deſtinando. Cuius Corpus glorioſum, deuota eius familia, in tumba, quam ipſe ſibi parauerat, honorificè tumulauit. Accidit poſtmodùm, quod Agricola quidam arbores, quas Beatus Dei Confeſſor, in horto, & extra plantauerat, properauit, accepto ſecuri, radicitus extirpare. Qui dum inciſioni propenſiùs inſtaret, & à vicinis tranſeuntibus, ob hoc continuè increparetur, nec deſiſtere vellet, diuino flagello luminibus eſt priuatus. His mirandis, miracula ſtupendiora ſuccedunt.

Rusticus obcacatur.

Lect. IX. Militem à damone liberat.

ITEM *quidam Miles valdè locuples de* Gallicanis *partibus oriundus, malè à damonio vexabatur, qui gratia recuperandi ſanitatem ad* S. IACOBVM *peregrè veniens, per villam huius Sancti tranſiuit. Cúmque ligatis pedibus, ac manibus, ad eius tumulum duceretur: ſtatim fuit à damonio liberatus. Ipſo verò iter incæptum proſequente, hoſtis antiquus omnes eius euectiones, in recompenſationem amiſſi corporis, antequam limina* B. IACOBI *viſitaret, interfici procurauit. Miles enim de peregrinatione rediens, cùm ad pontem S. Viri appropinquaret, ſciens ſe eius precibus liberatum, à deſcenſu pontis, vſque ad ſanctum ſepulchrum eius, flexis, nudiſque pedibus, & genibus, laudans apud Deum ipſius meritum, & potentiam, eſt cum magna eius deuotione, & reuerentia regreſſus. Vigilijs verò ibidem ab eo deuotiſſimè celebratis, ac muneribus largiſſimis ſolemniter oblatis, ad propria eſt cum ingenti gaudio, & exultatione reuerſus.*

Lect. X. Peregrinus ſuſcitatur.

ITEM *accidit, quòd cùm peregrinus quidam prope locum illum diuertens obdormiret, caſu exorbitantes boues, rotâ miſerum oppreſſerunt. Quod vt agnouit Vir Dei, defuncti manum tenens, eleuatis oculis in cælum, in hanc deprecationem prorupit:* Domine Deus Omnipotens, qui me in hunc locum tua prouidentia adduxiſti, vt in tuo nomine omnia hæc operarentur inſignia, oſtende potentiam tuam, vt omnia quæ tua ædificantur virtute in hoc loco, tuo noſcantur Nomini ædificata, à quibus generis humani, & veritatis inimicus aufugiat, & concede vt anima huius famuli tui ad ſuam reuertatur manſionem, & omnes credant extare hic tuum brachium cum potentia. *Quo dicto, defunctus ad vitæ ſpiritum redijt.*

Hactenus Acta. Alia complura miracula qui legere cupit, adeat *P. Vega* in eius Codice Hiſpanico; Nunc tantum addam illud celeberrimum de *Gallo*, & *Gallina* ad eius tumulum permanentibus. *Ibant* (inquiunt Faſti Mariani fol. 362.) *coniuges pij* Compoſtellam, *& trahebant pietatis ſuæ comitem filium forma liberali iuuenem. O vt periculosè caſtitas peregrinaris! Ad* S. Dominici Calciatenſis *vrbem perueniunt. Hoſpitis filia oculis capta adoleſcentis, capere etiam ipſum nititur. Euadit hic amoris laqueos, ſed non odij. Subdola enim inter ſarcinulas caſtiſſimi argenteum craterem condit, & abeuntem de furto accuſat. Damnatur, ducitur, & in furcam tollitur, ſed non moritur innocentia. Dùm enim mœſti parentes iter relegunt, dum agrè & pedes trahunt, & animas, ſenectutis ſcipione filio amiſſo, dùm frui illos vel pendentis aſpectu iuuat, ecce ab infelici arbore filius: Quid viuo lachrymis filio parentas mater? viuo,* B. DOMINICO *ſubcollante: i, Iudici dic, ne damnare pergat, quem mors abſoluit. Vix hæc ille ad matrem, cùm mater hoc ad Iudicem refert menſæ accumbentem. Hic; tàm ſcilicet filius tuus viuit, quàm aſſus hic cum gallina ſua gallus, qui lautus, vnctúſque, ſepulchrum ſtomachum expectat. Iam carpere parabat, cum gallus, & gallina in vitam ſe erigunt; innocentiæ victrici alis applaudunt, gallus etiam Pæana canit. Ergo damnat ſe ipſum Iudex, & innocentem miſſum facit. Volucrum verò proles poſthuma etiam hodie plumas ſuas cum laudibus S.* DOMINICI *Calciatenſis in omnem orbem ſpargit, nunquam omnes, licet tot quotidie vellicent, euellendas.* Sic legenda ſunt verba Faſtorum, nam quæ inibi dicuntur de B. MARIA, & S. IACOBO ſubcollantibus puerum pendentem, abſunt à Noſtris hiſtoriis, vt videre eſt apud *Marianam, Marietam, Venerum*, & *Vegam.*

Miraculũ de Gallo, & Gallina, quid?

Aliquorum Scriptorum errores circa originem deteguntur.

Nec ſunt audiendi, qui S. Confeſſorem ex *Italia* oriundum ſomniant; quia vt & ipſi affirmant ex Oppido VILLORIA illum ortum conſtituunt. Nullum autem in *Italia* oppidum tali inuenitur nomine conſignitum; at ſic in *Cantabria* Hiſpaniæ: ergo errant qui illinc oriundum commentant. Simili modo alij, inter quos Philipp. Ferrar. *in Topograph. SS. lit. C. fol.* 30. qui apud Oppidum LA CALCADA

Placentina

Digitized by Google

Placentinæ diœceſis, in Itinere ex *Placentia* Hiſpaniæ, ad *Salmanticam*, primos viſuæ lucis radios conſpexiſſe *Dominicum*, hallucinantur, fortè allecti ex nominis tauthologia; quia tale quid vix inuenitur ſcriptum. Aliam inſecutus eſt viam P. Marieta, & etiam cum eo Mend. Sylua *in Populat. Hiſpan. fol. 24. cap. 22.* qui ad vrbem VICTORIAM reiicit S. Confeſſoris originem, ſed proculdubio, abſque duce, & hiſtorica ratione. Nec me mouet *Martyrologium Calagurritanum MS.* à quo hæc opinio deſumitur, vt ipſe fatetur, aſſerens, in illo ſcriptum inueniſſe *Victoria*; nam inter VICTORIA, & VILLORIA, penè nulla diſcrepantia eſt: & vbi C, & T. literæ conſpiciuntur, duas LL. ſubſtitui debere antiquorum *Breuiariorum* compaginata veritas perſuadet: ſic in antiquiſſimis *Burgenſi*, *Aſturicenſi*, *Compoſtellano*, & alijs ſuprà relatis *Breuiarijs* inuenitur.

CIRCA obitus S. Preſbyteri diem, & annum vera in ACTIS ſupputatio eſt; quia ſi *S. Gregorius Oſtienſis*, cuius fuit diſcipulus DOMINICVS, obiit Anno M.XLIV. & poſt eius tranſitum Noſter S. Eremita *Quinque* conſumpſit annos in extructione Pontis, poſt cuius fabricam, *Sexaginta* ſuperuixit annos, proculdubio eius mortis tempus ad Annum M. C. IX. conſignandum erit. Sic etiam F. Ludouic. de Vega *Hiſtor. S. Domin. Calciat. 1. p. cap. 24. fol. 87. col. 2.* Hinc non eſt cur Baronio *in Not. ad Roman. Martyrol. h. d. lit. I.* nec Caniſio *in Notis ad Flor. SS. Ribadeneyr. tom. 2. fol. 175.* inhæreamus, dicentibus, S. Virum ad Annum M. LX. occubuiſſe, quia hæc computatio fallit, ex rationibus hîc, & ſupra *die IX. huius Menſis* allatis, & ideò pro hac opinione ſtat communis ſententia. *De Die, & Anno obitus inueſtigatio.*

CALCIATA. Vrbs eſt celebris in *Ruconia* prouincia *Hiſpaniæ*, quam *Rioja* appellitant, ſita in Diœceſi *Calagurritanâ*, Cathedrali Sede condecorata, ita vt Epiſcopus *Calagurritanus*, vnà & *Calciatenſis* vocitetur. Hæc à S. DOMINICO Noſtro ſumpſit exordium, nam illi territorium conceſſit *Bureuanum* Adephonſus VI. Caſtellæ Rex, vt Eccleſiam exſtrueret. Pòſt *Alphonſus VII.* cuidam Abbati Sanctio Anno M.C.XXX. indulſit, vt illam Eccleſiam adaugeret, & in tantum creuit, quòd Anno M. C. XXXVII. *Calagurritanæ* applicaretur Baſilicæ; hinc auſpiciis cuiuſdam Proceris *Naiarenſis* qui *Burgum* addidit, ſic fuit amplificatum Oppidum, vt Anno M C. LXXX. *Rodericus* Epiſcopus in Cathedralem erigeret Eccleſiam. Videndi de hoc Garibay. *lib. 1. c. 10. lib. 11. c. 26. & 28.* & alibi. *Topographia.* *Priuilegia.*

S. PANCRATIVS Eremita.] In peruetuſtiſſima *S. Eudaldi* Martyris hiſtoria, quam *Riuipollenſe* conſeruat *Cœnobium*, referuntur Acta S. PANCRATII Eremitæ, & *S. Eudaldi* in fide Magiſtri, quæ ſuprà die antecedenti ſubiecimus. Et licet P. F. Vincentius Domenec *in Hiſtoria SS. Cathalonia*, nec vllus alius de iſto Sanctiſſimo Anachoreta verba fecerit, forte propter diei tranſitus ignorationem, ex quo ſub ſilentio illius Angelicam vitam agnoſcimus tumulatam; Nos qui eius ſanctitudinem ex ecphraſi Actorum *S. Eudaldi* canonizatam perpendimus, in huius diei anamneſim tanti Viri ſupponimus, quia de alio *S. Pancratio* ab Eccleſia recolitur natalitium, & non abſque duce; nam frequens eſt inter Martyrologos placitum, quando dies tranſitus ignoratur alicuius Diui, feſtum dormitionis appingere, quo alterius eiuſdem nominis celebratur memoria. Hoc & Nos inſequentes exmplum cùm hac die annuetur *S. Pancratij* Martyris commemoratio Romani, itidem *Noſtri* iſto die ſubſcribere acta properauimus. B. *A quibus Acta?* *Quare h. d. feſtum.*

ACTA S. PANCRATII ANACHORETÆ, & Confeſſoris, ex Actis MS. S. Eudaldi Martyris.

PANCRATIVS *natione* Italus, *origine* Longobardus, *à laſciuientis adoleſcentiæ primordiis, ſibi vitam ſolitariam elegit in eremo. Cuius vt melius conquireret poſſeſſionem, mundi contagia fugiens, in vaſtam ſe ſolitudinem, vt Deo, & ſibi viueret, conſtanti reſignatione relegauit. Ibidem quippe tugurio, & Oratorio conſtructo, per plures annos, in contemplatione, ieiunijs, & Oratione vitam abſque tergiuerſatione tranſegit. At quadam die, dum in oratione perſiſteret, damula fugitiua à canibus inſecuta ad vſque Oratorij centrum, eſt pauida fatigatione progreſſa. Qua ad S. Viri pedes pronoluta,* *Origo.* *Secеſſit in Eremum.* *Dama ad eius pedes pronoluta.*

auxilium ſilentioſa timiditate petebat. S. PANCRATIVS miſeratione commotus, beſtiolam manibus demulcere curabat, cùm formoſus iuuenis, ætate floreſcens, venatione robuſtus, & exercitatione defeſſus, Eremitorij clauſtra, damulæ ineſcatus præda, intrepida reſolutione tranſcendit. At viſo venerabilis Eremitæ conſpectu, à propoſito reſiluit, & ad eius pedes proiectus, veniam de tranſgreſſis irreuerenter Oratorij liminibus, humiliter popoſcit. B. PANCRATIVS, diuino nutu, adoleſcentem amplexatus, illum extra Eremitorij cauum deducens, Ethnicorum errores oſtendens, & mundi pericula referens, ſic animum iuuenis ad Dei amorem allexit, & ad fidei Catholicæ deſiderium induxit, vt pacto, ſe Octauo reuerſurum in locum illum die, efficaci religione promiſerit. Dimiſſo etenim pulcherrimo venatore, S. Eremita, per totum illorum dierum ſpatium, à Deo continua deprecatione petebat, quòd tale illi adoleſcentulo impartiretur auxilium, vt ad opus Euangelici miniſterij poſtmodum inueniretur accommodus. Ergo votis Deus annuit PANCRATII; nam Octauo adueniente die, ſtudioſus ad tugurium repedauit adoleſcens, qui S. Senis documenta complectens, & fidei Catholicæ veritatem amplectens, ad baptiſmatis fontem æſtuanti alacritate tingendus acceſſit. Sacro igitur iuuenis fonte lotus, nomen aſſumpſit Eudaldi, cùm antea Toſt appellaretur Gentilis. Quem, vt à patria, & idololatriæ tenero diuerteret PANCRATIVS amore, ab illa in longinquam ſecum ducere regionem, cautione artificioſa conſtituit. Ideò ergo cum illo ad maris littus deſcendens, in Nauiculam, quæ in Hiſpaniam ventis vela dabat, vterque abſque diſcriminis perturbatione ingreſſus eſt. Deuictis etenim maris circulis, tandem ad Cathaloniæ Portum tunc nomine Viridem, nunc Port-Vendres, ambo peruenerunt vnanimes; & relictâ Naui, PANCRATIVS eremi ſolitudinem vt nouellam fidei regulis imbueret ſobolem, perquirere deſtinauit. Eudaldus verò antiquæ vitæ raptus illecebris, iamiam & regionem, & contubernium S. Magiſtri relinquere, in propriámque remeare domum in cordis abſcondito proponebat. Agnouit autem diuino monitu PANCRATIVS hanc Eudaldi propoſitionis inſtantiam, à qua, vt enixiùs, efficaciúſque reuocaret diſcipulum, ad orationem confugit; in qua ſic in conſpectu Eudaldi perſeuerauit, vt videretur ex humo ſubleuari prolixiùs, donec tanto cælum fragore regionem impleuit, vt diceres vniuerſum hemiſphærium minutis diſiectum particulis corruiſſe. In huiuſce horriſonæ incremento procellæ, radius ſic lucis è cælo fulgens dilapſus apparuit, & in caput S. PANCRATII per vnius horæ ſpatium infixus eluxit, vt Eudaldus qui omnia hæc correptus inſpectabat timore, non ſolùm à propoſito fugæ pœnitens deſiliret, ſed voto emiſſo, Magiſtri inſequi veſtigia ad vſque vltimum vitæ ſpiritum verecunda deſtinatione promiſerit. In antiquum illico Orizontis ſupercilio ſerenitatis ſtatum reducto, ad S. PANCRATII genua proiectus Eudaldus, de concepto errore veniam efflagitabat enixè. Cuius vt vidit S. Anachoreta pœnitudinem, illum amplexatus, altiora de ſilentioſa ſtatus eremitici quiete, æſtuanti verba prædicauit ſpiritu. Poſtmodum, in illius littoris montanis, locum ad vitæ concupitæ ſecuritatem, ſilentioſum, per aliquot dies quæritauit, & commodum. Demum quadam die illi mons horridus denſitate, ac ſylueſtribus frondibus vmbroſus, ex quo placidus, altuſque, ſeſe obtulit; in cuius cacumine ſpecus grandi hiatu patens diſcernebatur, in cuius cauo planities ampla, ad plateæ, ſeu areolæ formam, ad dextrum, læuúmque latus, duo foramina, ad inſtar cellarum, conſpiciebantur; quorum aſpectus licèt accedentium mentes, prima facie, conſternaret; vbi tamen per ſpatium perſiſteret intuitus, vix placidæ manſionis naturalis ſatiabat elegantia. Hîc ſedem fixit PANCRATIVS. Hîc extructo in ſpelæi amænis viſceribus Oratorio, per Viginti annos Deo viuens, diſcipulum edocens, orationi vacans, ignotus omnibus, Angelis agnitus, dæmoni horribilis, admirabile vitæ penſum impleuit. Nam Deus obitus diem Sanctiſſimo aperiens ſeni, ſe ad vltimum præparauit agonem; & vale dicto S. Eudaldo, & illi benedictionem infundens, alacri fronte, placidaque dormitione, è corporis carcere diſſolutus ad Dominum Sanctiſſimus ille properauit Spiritus.

Venator viſo Viro Dei ſubſiſtit.

Illum ad fidem inuitat.

Baptizat.

In Hiſpaniã defert.

Retinet.

Oratorium extruit.

Moritur.

Eius

Eius Corpus in ipso sepeliuit spelunçæ oratorio S. Eudaldus, vltimam vbi resurrectionem exspectat.

Hucvsque Acta ex historia *S. Eudaldi*, quam ex antiquo *MS. Codice* exscripsit *P.F. Anton. Vincentius Domenec.* Circa tempus obitus S. PANCRATII altum silentium, crediderim eueniſſe ad Annum Domini CCCCXLVI. si sancti *Eudaldi* vitæ terminos numeramus. *S. Eudaldus* circa *vigesimum* annum in domo delituit Sylvestri, à Patre *Lyro* relegatus: *Viginti quoque* annos in Eremo *Portus-Viridis* cum S. PANCRATIO consumpsit. *Sex* anni in peregrinationibus, vsque ad martyrium præteriêre. Si ergo *S. Eudaldus* è viuis discessit anno CCCC.LII. demptis VI. annis, à fortiori S. Noster PANCRATIVS vitam exuit anno CCCCXLVI. *Annus mortis inuestigatur.*

PORTVS-VIRIDIS, ab aliis dictus PORTVS-VENERIS, vt inquit Ieronym. Pujad. *Hist. Cathalon. lib. 1. c. 4.* iacet in *Pyrenæorum* exordio non procul à *Capite-Crucis*, hodie dictus PORT-VENDRES in *Hispaniæ* Citerioris finibus, ad *Caucoliberim* proximus, de quo & ipse Pujad. *d. lib. 1. cap. 6.* Florian. de Ocampo. *Histor. Hispan. lib. 1. cap. 2.* *Topographia.*

TRANSLATIO *Reliquiarum* SSS. NEREI, ACHILEI, & PANCRATII.] Circa hanc sacrorum pignorum *Translationem* ad *Hispanias*, magna sese nobis cum *Eminentissimo Purpurato tituli SS. Nerei, & Achilei Cæsare Baronio* offert controuersia. Ipse in *Not. ad Martyr. Rom. hoc die, lit. A.* & *lit. C.* asserit ipsum Anno M. D. XC. VII. *Quinto Idus Maij* ex Diaconia S. Adriani *SS. Nerei* & *Achilei* reliquias in suum pristinum locum celebri pompa reduxisse. At quatenus ad *S. Pancratij* attinet exuuias, refert, aliquas ad *Gallias* fuisse translatas, ex Gregor. Turonens. *de Glor. Martyr. cap. 83.* Quod enim à *Baronio* refertur, non inducit, quin aliquot lipsana huiusmodi Sanctorum etiam ad *Hispanias* fuerint transuecta: Nam Iulian. Petr. *in Chron. num. 292. fol. 64.* hæc verba protulit: *S. M. Marcellus induxit in Hispanias memoriam SS. Martyrum* NEREI, & ACHILEI *Romæ passorum.* Verisimile ergo est, quòd ex eo quod *S. M. Marcellus Toletanus Antistes* eorum induxerit apud *Hispanos* festiuitatem, etiam ipsorum transtulerit reliquias. Quidquid sit apud *Numantiam* Hispaniæ celebris est festiuitas hoc die in honorem sacrarum reliquiarum horum trium Sanctorum Martyrum, ibidem asseruatarum, vt inquit *Dominus D. Lupus de Morales* à Consiliis Ordinum, & Castellæ, in libello de *Inuentione reliquiarum Sanctorum Sergij & Bacchi, Marcelli*, & *Apuleij cap. 8. fol. 57.* vbi agens *de Vrbe Soria*, & eius terminis, prosequitur: *Et non tantum hac cum reliquiis Sanctorum Sergij, Bacchi, Marcelli, & Apuleij, regio ditata conspicitur, sed etiam apud oppidum* Garray, *olim* Numantiam, *conduntur, & coluntur lipsana Sanctorum Martyrum,* NEREI, ACHILEI, *& PANCRATII, ad quorum tumulos deuota peregrinatione vniuersi illius regionis accolæ, oblationibus, & solemnibus supplicationibus confluunt.* Quorum tam antiqua est anamnesis, vt hominum memoriam excedat, vt ipse refert *D. D. Lupus* in relatione *c. 8. per totum*, in fide cuius, hæc ex *MS. Legendario* literis Gothicis exarato cœnobij *Montis Syon* apud Toletum, Acta exscripsimus, & publicæ luci mandauimus. C. *Contentio cũ Baronio circa existentiam Sacrorum pignorum.*

ACTA SS. NEREI, ET ACHILEI, Martyrum, ex Legendario MS. Gothico Montis-Syon. Quorum reliquiæ ab antiquissimis temporibus conduntur in vrbe Numantia Hisp.

ROMÆ *in cœmeterio* Prætextati, *Natale Sanctorum Martyrum* NEREI, & ACHILEI *fratrum, qui fuerunt Eunuchi* B. Flauiæ Domitillæ, *neptis* Domitiani *Imperatoris. Hæc habuit* NEREVM, & ACHILEVM *Eunuchos cubicularios; quos B. Petrus Apostolus lucratus fuerat Christo. Isti dum viderent Dominam suam Aureliano desponsatam, auro, & gemmis ornari, & vestibus indui pretiosis, cæperunt euidenti ratione ostendere. quàm graue sit virginitatem perdere, & iugum maritale suscipere: quàm etiam periculosum sit concipere, & parere; & ad extremum, temporalibus opibus cum præsenti vita* *Lect. I. Roma, natale solum.* *Qui fuerint.*

Digitized by Google

vita amiſſis, eternam mortem incurrere: & quàm dulce ſit Dei Filium habere ſponſum, & futuram beatitudinis gloriam eternaliter poſsidere.

Lect. II. Domitilla eorum hortatu ſit Chriſtiana.

His igitur, & ſimilibus rationibus auditis, Domitilla deſpexit ſponſum, & à S. Clemente tunc vrbis Epiſcopo ſacrum velamen accepit. Hoc autem cùm Aurelianus veraciter accepiſſet, impetrauit à Domitiano Principe, vt niſi ſacrificaret, Inſula Pontiana ſubiret exilium; in quo arbitratus eſt, poſſe ſe à propoſito perſeuerandi ſancta virginis animum reuocare. Ipſe verò Aurelianus veniens illuc, cœpit SS. NEREI, *& ACHILEI animum muneribus attentare, putans ſe per ipſos Virginis animum poſſe commouere. Sancti verò execrantes dona eius, & magnam Domitillæ fidem corroborantes in Chriſto; verberibus ab eo grauiſſimis attrectati, atque ad Tarracinam depoſiti, Memineo Ruffo ſunt traditi Conſulari: A quo cùm equuleo, & flammis compellerentur ad immolandum, & dicerent ſe à B. Petro Apoſtolo baptizatos nulla ratione poſſe idolis immolare, capite cæſi ſunt.*

Cruciantur.

Coronantur

Lect. III. Sepeliuntur.

CORPORA *autem Sanctorum rapuit Auſpitius Diſcipulus eorum, nutritor S. Virginis Domitillæ, & in crypta arenaria ſepeliuit, via Ardeatina, à muro vrbis Milliario vno, & ſemis. Nouiſſimè autem cùm Domitilla ab Aureliano de Inſula Pontiana ad Tarracinam depoſita, doctrina, & miraculis nimis polleret; primò Euphromiam, & Theodoram collactaneas, & conuirginales ſuas, deinde alios ad Dominum conuertit: Inter quæ magnalia etiam prædictus Aurelianus diuina virtute extinctus eſt. Luxorius autem ſupradicti Aureliani frater de mandato Imperatoris iuſsit incendi cubiculum, in quo ſimul cum prædictis Virginibus clauſa morabatur. Ibique curſus glorioſæ Martyris conſummatus eſt. Corpora verò earum S. Cæſarius Diaconus in Sarcophago nouo ſepeliuit.*

ACTA S. PANCRATII, MARTYRIS, ex eod. MS.

Lect. IV.

TEMPORIBVS *illis immanis perſecutio fuit Chriſtianis, vt thurificarent, ſub Diocletiano, & Maximiano ſceleratiſſimis Imperatoribus. Factum eſt autem in Ciuitate* Frigia, *cum eſſet vnicus parentibus* PANCRATIVS, *commendauit eum Pater eius poſt obitum matris germano ſuo Dionyſio, adiurans eum per Deum Omnipotentem, vt nulla deteſtabili cupiditate inuaſor videretur ſuo eſſe nepoti; ſed in omnibus pijſsimum illi affectum oſtenderet. Qui vt fratrem chariſsimum ita* PANCRATIVM *cæpit diligere, & factum eſt poſt triennium, vt ad vrbem Romam properarent pariter.*

Origo.

Romam venit.

Lect. V.

AT *cùm ibi demorarentur, cæperunt habitare in Inſula Caminiana, in Cælio Monte cum omni familia ſua, in ſuis prædijs. Et quia nimia perſecutio erat Chriſtianis, quidam Papa Romanus nomine Cornelius latitabat in Vico Dionyſij, &* PANCRATII. *Et cùm audiret Dionyſius vniuerſas virtutes, quas Cornelius Papa faciebat, & quomodo vniuerſum populum à cultura Deorum amoueret, vt ad viam rectam perduceret: factum eſt, vt vnà cum ſuo nepote* PANCRATIO *ad eum peruenirent. Qui cùm introducti ad illum fuiſſent, miſerunt ſe ad pedes eius, & rogare cæperunt, vt talem Dominum mererentur colere, qualem ipſe colebat.*

S. Cornelio Papæ adhæret.

Lect. VI.

ERIGENS *autem eos Sanctiſsimus Vir, cæpit eoſdem amplecti, & declarans illis omnem diuinitatem cæleſtem, poſt dies viginti baptizauit eos. Et facti Chriſtiani ita feruere cæperunt in timore Dei, vt etiam ſe ipſos vltrò perſecutoribus offerrent. Interea contigit, vt poſt paucos dies abiret ad Dominum Dionyſius, cum præmijs cæleſtibus, charus, & dignus Deo. Cùm ergo nimia eſſet inſania paganorum aduerſus Chriſtianos, cæperunt cum nimio furore clamare dicentes:* Digniſſimi, & Piiſſimi Imperatores, tollite de hac vrbe Magos, & crudeles Chriſtianos, per quos vniuerſus mundus, & omne Regnum veſtrum decipitur.

Baptizatur.

Paganorum exclamatio.

Lect. VII.

TVNC *indignatus, & ira commotus Diocletianus talem legem dedit:* Vt ſi quis

si quis huius sectæ inueniretur, sine audientia puniretur. *In quibus tenetur* PANCRATIVS; *& cùm didicissent persecutores, qui eum tenuerant, quod magnis natalibus ortus esset, nuntiauerunt Diocletiano Augusto; qui iussit eum cum omni celeritate adduci ad suum palatium. Cùm autem Diocletianus videret faciem* PANCRATII, *cæpit obstupescere de tali infantia, quæ sic perseuerando mori vellet propter Christum, potius quàm idolis deseruire; & dixit ad eum Diocletianus*; Infantule ego tibi suadeo vt morte mala non moriaris, quia ætas tua, vt scis, non est plus quàm ad terquinos annos. *Comprehẽditur.*

QVIA ergo de nobili genere natus es, ex patre *Deothonio*, qui mihi satis amicissimus, & Charus erat, hoc tibi volo extorquere, quod recedas ab ista insania Christianorum, & reddas te natalibus tuis, vt à latere meo non sis alienus, sed velut filium te habeam. Quòd si tibi displicuerint pietatis meæ verba, iubeo te interfici, & corpus tuum incendi. *Cui* B. PANCRATIVS *dixit*: Noli frustra errare, Domine Imperator, quòd videns me puerum annorum quatuordecim, credis me scientiam, aut sensum minimè habere. Dominus enim Noster Iesus-Christus talem intellectum nobis donare dignatus est, vt omnis terror Principum, vel Iudicum vestrorum, tantum sit apud Nos, quantum pictura ista, quam tantum specie videmus, & factis non. *Lect. VIII.* *Oratio ad Diocletianum.*

DEOS enim, Deasquè tuas, quos mihi tu exhortaris vt colam; dæmones deceptores sunt, qui parentibus suis non pepercerunt, & in germanis suis stupratores fuerunt. Tales dæmones, Imperator, miror, vt non sit tibi :::::::: colere. Quod si hodie seruos tuos scires tales, secundum ius tuum, & leges statutas, iuberes occidere. *Tunc iussit eum Diocletianus Imperator duci in viam Aureliam, & ibi capitalem subire sententiam; quia turpe illi erat, vt à tali puero improperaretur, & dehonestaretur. Cuius Corpus ab Octauilla sublatum est occultè noctu, & conditum aromatibus, & dignissimis linteaminibus inuolutum sepeliuit in sepulchro nouo,* IV Idus Maias. *Lect. IX.* *Coronatur.*

Hucusque Acta Trium SS. Martyrum ex *MS. Codice Gothico Montis-Syon*. At quia in prolegomeno diximus *S. M. Marcellum Eugenium* Toletanum Antistitem in *Hispanias* induxisse festum SS. NEREI, & ACHILEI ex *Iuliano*; nunc ex Actis SS. huiusmodi à P. Hieronymo Roman de la Higuera in Diptycho Toletano recensitis *fol.* 584. necessitudinem inter illos Martyres, & Sanctum *M. Marcellum*, referemus, duásque Epistolas, alteram Martyrum *S. Marcello*, aliam *S. Marcelli* responsiuam SS. Martyribus subiiciemus, ex quibus propositionem agnosces. *Eorum festum in Hispaniam inuexit S. Eugenius Toletanus Antistes.*

EPISTOLA CONSVLTIVA NEREI, & Achilei ad S. M. Marcellum Episcopum Toletanum.

NEREVS, & ACHILEVS *serui Christi Iesu, fratri, & condiscipulo* Marcello *æternam salutem. In Pontiæ Insulæ ergastulum relegati propter nomen D N. Iesu-Christi, gaudemus quidem; sed gaudium nostrum perturbant Furius, & Priscus discipuli Simonis, qui propter magicas artes in hoc exilium deportati sunt. Aiunt illi alienum à culpâ fuisse Simonem: porrò eum sine causâ Apostolum Petrum execratum esse. Cumquè diceremus Nos Insulæ habitatoribus, ne commendarent eis fidem, memoranimus illustrem, & idoneam personam tuam quæ posset scriptis ipsos facere certiores, cuiusmodi fuerit Simonis Magi vita, & quemadmodum (cum eius fueris discipulus) res eius bene cognitas, & exploratas habeas: quas oramus ne perscribere graueris: vt homines innoxij ab horum fraudibus, & impostoris liberentur. Gratia Domini Nostri Iesu-Christi tecum.* *Nereus, & Achileus consulunt Eugenium Toletanum Episcop.*

His literis acceptis, protinùs *S. M. Marcellus*, vt SS. exulibus in omnibus satisfaceret, sequentem illis Epistolam remisit, licèt cùm ipsa in Insulam peruenit iam erant Martyrio coronati. Auscultа *Marcelli* chartulam. *Respondet Eugenius Martyribus.*

EPISTOLA

EPISTOLA M. MARCELLI EVGENII Epiſcopi Toletani ad Nereum, & Achileum.

MARCELLVS *ſeruus Ieſu-Chriſti, ſanctis Confeſſoribus* NEREO, *&* ACHILEO. *Lectis literis veſtris, gaudio ſum repletus, quòd intelligerem vos in fide conſtantes eſſe, & pro veritate certare viriliter: & quia ſcribitis, vobis Simonis innocentiam obiectam, retexam partem vitæ illius, vt ex paucis cætera colligantur. Ego equidem cùm in eius me doctrinam tradidiſſem, poſtquam animaduerti hominem eſſe malignum, & infantum trucidatorem, itémque maleficum, & perfractorem, diſceſſi ab illo, & me ad dominum meum ſanctum Petrum adiunxi. Quem cùm Simon Magum diceret, & populum Romanum eius odio inflammaret, de repente eo loco, vbi Petrum Simon inſimulabat, vidua tranſiit cum multâ populi frequentiâ, filium vnicum mortuum offerens triſtiſſima. Vt vidit S. Petrus, ait ad populum Simoni credentem:* Deponatis de feretro defunctum hominem, & qui eum excitauerit veram eius eſſe fidem ſciatis. *Cùm populus ita feciſſet, Simon dixit:* Si ego hunc vitæ reddidero, num vos Petrum interficietis? *Reſpondit omnis turba.* Viuum eum concremabimus. *Mox Simon damonum operâ id effecit, vt nonnihil moueretur cadauer. Eo viſo, ſublatis vocibus populus Simonem prædicat, Petro exitium minatur. At Petrus vix impetrato ſilentio ait:* Si viuit, loquatur, ambulet, cibum capiat, reuertatur ad ædes ſuas. Si id non fecerit, non dubitetis fallacem eſſe Simonem. *Tum vnâ voce clamauit populus:* Niſi id effecerit Simon, pœnam, quâ voluit affici Petrum ipſe luat. *Simon verò iram ſimulans, fugere voluit, ſed populus cum multâ exprobratione eum detinuit,* &c.

Sequentes periodos, apud Acta à Surio *tom.* 3. *h. d. fol.* 149. in Nouis à *Moſandro* recenſita, inuenies, in quibus reſurrectionem pueri, Simonis diffugium, & alia ad caſum perleges. Ex quibus etiam notandum eſt, quod quando hæc epiſtola ad Inſulam peruenit, iam SS. Martyres agonem expleuerant, vt liquet ex alia epiſtola *Eutychetis, Victorini,* & *Maronis,* quam etiam in ipſis Actis recenſuit eorum Scriptor.

Probatur quod Marcellus Author Epiſtolæ, fuit Eugenius Toletanus Epiſcopus.

QVOD *Marcellus* ille, de quo in Actis SS. NEREI, & ACHILEI ſit Noſter *Toletanus* Epiſcopus, patet ex rationibus inuincibilibus adductis à P. Ieronymo Roman. *vbi ſupr. fol.* 585. *num.* 80. & à P. Antonio Quintana-Dueñas *Hiſtor. SS. Toletan. ſecul.* 2. *fol.* 154. ſed pro omnibus Flau. Dext. *in Chron. Ann.* 91. his verbis debitum ſoluat: NEREVS, ACHILEVS, *& Flauia Domitilla relegati, crebris* S. M. Marcelli, *pòſt* Toletanorum *Epiſcopi literis recreati, tandem pro fide caſi, ad martyrium euolant.* Quo loco videſis P. Biuar. *num.* 3. *fol.* 183. vbi ad amuſſim. Et Nos *ſupr. Tom.* 1. *die XIV. Februar. fol.* 123. vbi probauimus *Vitalem* Archidiaconum Toletanum, *S. M. Marcelli* fratrem, eius præcepto cum Epiſtolâ reſponſiuâ ad SS. Martyres *Eutychetem, Victorinum,* & *Maronem,* vt ipſi in alia eorum Epiſtola efflagitauerant, perrexiſſe.

Phrigia vrbs, cuius erat incola Pancratius, fuit Ciuitas Hiſpaniæ.

VNVM hic adnotare libet circa S. PANCRATII Martyris originem, quòd in hiſce ACTIS MSS. ſupra à Nobis relatis ex auctographo *Montis-Syon* aſſeritur Sanctum Martyrem fuiſſe ex vrbe PHRIGIA oriundum, & ſi hoc ita ſe habet à fortiori illum fuiſſe origine *Hiſpanum* fateri compellimur, nam extra *Hiſpanam* PHRIGIAM nullam fuiſſe in Orbe vrbem hoc vocabulo inſignitam ſupra *Tom.* 1. *die VII. Februar. fol.* 70. probauimus. Non me latet, quòd in Codice Surij *tom.* 3. à *Moſſandro* recenſito, loco *in Vrbe Phrigiæ* legatur *in Prouincia Phrygiæ.* Quæ lectio fauet Prouincialibus Regionis illius, provt & alia Noſtris Ciuibus; quidquid ſit huius ſanctiſſimi Pugilis Reliquias honorificè colit *Garraytana Eccleſia,* vt in Prolegomeno piâ *D. Lupi de Morales* aſſertione prædiximus; quibus *Hiſpania* diues proculdubio conſpicitur, licet tanto Martyre filio glorioſior redderetur, & ditior.

TERTIO

Digitized by Google

TERTIO IDVS MAII.

DIES XIII.

A. S. Natalis filius S. Vitalis, & ex eo frater SS. Iusti, & Pastoris, & Nepos S. Natalis Confessoris Romani, fuit Episcopus Toletanus, & interfuit Concilijs Arelatensi, Romano, & Nicæno, pòst causâ fidei exulat, & reuersus ad nos, Mediolani Episcopus eligitur, pulso Sanctissimo Dionysio in exilium; attamen non vt Præsul, sed vt Vicarius se gerens, omnibus tandem de se illustre præbens specimen, in Domino quieuit.

B. Salmanticæ in Vettonibus Hispaniæ Festum DEDICATIONIS *ipsius Ecclesiæ, quod anniuersario colitur apparatu, & honorifico repetitur applausu.*

NOTÆ.

SANCTVS NATALIS, *Episcopus.*] Natione Hispanus fuit, quia Patrem *Vitalem*, Auum itidem *Natalem* Romanum, duos *Iustum*, & *Pastorem*, ex patre fratres habuit, omnésque sanctitate conspicuos. Huius genealogicæ arboris computum, licèt omiserint aliqui ex Nostris Chronographis, fideliter memoriæ commendauit Luitprandus *Aduers.* 154. his verbis: *S. Episcopus NATALIS Toletanus, pòst Mediolanensis, VITALIS Hispani filius fuit, Nepos S. NATALIS Confessoris, Romani.* Et *Aduers.* 155. prosequitur: *VITALIS pater huius* (scilicet NATALIS Episcopi) *in Hispania natus est, qui veniens in Italiam genuit S. NATALEM* (Episcopum) *pòst Thermedæ in Carpetania, priore coniuge defuncta, duxit Hispanam, ex qua genuit sanctos fratres IVSTVM, & PASTOREM Martyres Complutenses. Itaque erant fratres isti Martyres, & NATALIS Toletani ex patre.* Hæc de origine Hispana. De eius sanctitate Philipp. Ferrar. *in Catal. General. SS. h. d. fol.* 195. in textu: *Mediolani* S. NATALIS *Episcopi.* Et in *Catalog. SS. Ital. fol.* 276. licèt in anno, & numero Præsulum adsit error, vt postea probabimus. Petr. Galesin. *in Martyrol. h. die* eius meminit. Ex Nostris D. Thom. Tamayo de Varg. *in verit. Dextr. Nouit. 7. fol.* 110. *n.* 12. D. Ioann. Francisc. Andreas *in Monument. SS. Iusti, & Pastor. cap.* 1. *fol.* 4. licèt perperam S. NATALEM Nostrum ex secundis *S. Vitalis* Hispani nuptiis filium constituat, contra mentem *Luitprandi.* Illustriss. Turiason. Episcopus *in Primat. Toletan. tom.* 1. *c.* 8. *fol.* 98. *&* 99. De Antiquioribus Flau. Dext. *in Chron. Ann.* 300. 310. 324. *&* 352. vbi Biuar. & Caro. Luitprand. *in Aduers. n.* 151. 153. 154. 155. 162. *&* 166. Iulian. Petri *in Chron n.* 160. *fol.* 42. A quibus Acta integra subiiciemus, quia quæ *D. Thom. Tamayo*, & *D. Didacus de Castejon* ediderunt, in pluribus diminuta comperies.

A. *Genealogia S. Natalis Toletani Præsulis.*

Scriptores.

ACTA S. NATALIS EPISCOPI Toletani Confeſſoris; ex Chronicis Dextri, Luitprandi, & aliorum.

Origo. NATALIS *ex nobiliſſimo Romanorum genere ortus, patrem habuit* Vitalem, *in Hiſpania à* Natali *Legionario Romano milite progenitum: Qui* Vitalis *in Italiam veniens, & matrimonium contrahens, ex illo* B. NATALEM *Noſtrum procreauit. At priore hac coniuge defuncta, cum filio adoleſcentulo in* Hiſpaniam *repedauit. Iſthinc liberalibus tum Latinis, tum Græcis,* NATALIS *deditus ſtudiis, taliter profecit, vt* Vrſaonenſis *Presbyter factus,* Illiberritano *interfuerit Concilio, vbi Hoſij Cordubenſis, & aliorum Pontificum veneratus doctrinam, ad vrbem Carpetanæ* Thermedam, *non procul à* Compluto, *vbi* Vitalis *pater ad ſecundas conuolauerat nuptias, de Conſilij regulis inſtructus, mira alacritate pro viſendis patre, & ex eo fratribus* Iuſto, *&* Paſtore *puerulis deuenit. Ab hinc* Toletum *acceſſit, vbi à* S. Melantio *agnitus, in domum ipſius receptus, demùm ad Archidiaconi Toletani munus, inſtante Epiſcopo, peruenit. Ibidem tantis, támque egregiis virtutum omnium exemplis, cæteris præluxit, vt è viuis ſublato* B. Melantio *Toletano Metropolitâ, ad illius Eccleſiæ Sedem, nemine diſcrepante, conſcenderit. Ille ergo cùm inuitus Pontificatum ſuſcepiſſet, ita dignitatem illam adminiſtrauit, vt de antiquæ vitæ ſeueritate nihil remitteret. Pòſt, deuicto Maxentio Tyranno, & ad pontem Miluium in Tyberim demerſo, Conſtantinus Magnus mirabili Crucis ſigno admonitus glorioſiſſimè triumphauit, & maxima Eccleſiis tranquillitas affulſit; nam templa diruta edictis Imperatorum, curante Helena Matre, & Hoſio Cordubenſi, per totum orbem terrarum, præſertim in* Hiſpania *reſtituuntur. Cuius pacis beneficium, & fructus, vt cognouêre* Hiſpani *Præſules,* B. NATALEM *Romam mittunt, qui de hoc, & de Baptiſmatis ſuſceptione, gratias & congratulationes Magno ageret Imperatori. A quo, & à S. Syluestro Pont. Max. benignè acceptus, de indictione Concilij Generalis apud Niceam Bithiniæ, edoctus, contra Arij, & aliorum hæreticorum errores, cum Hoſio illuc profectus eſt; vbi fidei ſymbolum, Romanæ Eccleſiæ Primatum cum alijs CCC. XVII. Epiſcopis in Synodo intereſſentibus faſſus eſt; Arij, aliorúmque hæreticorum deliria, & commenta damnauit. Soluto Concilio cum eodem Hoſio, muneribus ab ipſo Conſtantino propter profundum doctrinæ, & virtutum acumen donatus, Romam repedauit. Ibidem Romanæ quoque III. Synodo, in qua CC. LXXV. Epiſcopi, pro confirmatione canonum Nicænæ intra Thermas conuenerant Domitianas interfuit. Quo expleto* Toletum *rediens, & Concilium contrahens, in eo ſtatuta eiuſdem Generalis Synodi amplecti ab* Hiſpaniæ *Eccleſiis, & ſeruari curauit. Ergo in Sede quieſcens, Martyrum faſtos, & tabulas conſcribens, & in martyrologij formam, Sanctorum Natales redigens, illos Conſtantino miſit Imperatori, quos eius deuotioni promiſerat. Ex quo quia primus huiuſmodi Acta Martyrum conſarcinauit, à* Natali *opifice,* NATALES, *iſtas feſtiuitates appellitari creditum eſt. Horum igitur Natalium tabulas, vt accepit Conſtantinus auctoritate S. Syluestri in Eccleſiis legendas conſtituit; itémque eadem auctoritate eidem* NATALI *reſcripſit, vt* Toleti *Concilium contraheret, vbi de veteribus* Hiſpanorum *Epiſcopatuum renouandis terminis, & diœceſibus ageretur, ita vt vnicuique Præſuli propria, & antiquæ Sedes applicarentur. Omnia S. Vir miro ordine compleuit, Eccleſiiſque reſtitutis, & omnibus in priſtinum ſtatum redactis, cùm ille ſpiritus in Eccleſia ſeruitio haud defatigaretur, intelligens apud Gallos* Arelatenſe *Concilium contrahi, illuc adiuit, in Synodo orationes quamplurimas habuit, & cùm fuerit à Concilij ſecretis, Synodicam ſcripſit epiſtolam. Poſtmodùm ad Sardicenſe in Lydia Concilium pro defenſione S. Athanaſij ab Arianis è Sede expulſi contractum conuenit, & cum cæteris Sanctiſſimum Antiſtitem abſoluit. Inde in Sedem redux propriam, vt quieti conſuleret, ab aliquibus Gentilibus, & hæreticis impetitus, vexatus, & demum*

Vrſaonenſis Presbyter fit.

Et Archidiaconus Toletanus.

Et eius Sedis Epiſcopus.

Romam ab Epiſcopis Hiſpaniæ mittitur.

Niceno Cõcilio interfuit.

Et Romano III.

Toletũ repedat, & Martyrum faſtos conſcribit.

Concilium Toleti contrahit pro reſtaurandis Sedibus Hiſpaniæ.

Interfuit Arelatẽſi, & Sardicenſi Cõcilijs.

in

in exilium pulſus, Romam peruenit, vbi propter eius innocentiam abſolutus, Toletum *rediens, in vrbem intrauit* Mediolanenſem, *tempore quo Beatiſſimus Dionyſius eius vrbis Epiſcopus itidem fuerat ab Arianis in exilium pulſus.* NATALIS *attamen cùm agnouêre Catholici* Mediolanenſes *aduentum, illicò in Expulſi Pontificis locum* NATALEM *ſufficiunt, qui haud ſe vt Epiſcopum gerens, ſed tanquam Vicarius Eccleſiæ decorem, & vrbis meliores mores reſtituens, rebuſque aliis præclarè geſtis, obdormiuit in domino* XIII. die Maij, *Anno Domini* CCC. LIV. *Qui poſtea in numerum Sanctorum relatus eſt.*

Ab Arianis vexatur, & tandem Mediolanenſis Eccleſiæ ſedem gubernauit. Moritur.

En vera, genuina, & integra Acta S. NATALIS A. :hiepiſcopi *Toletani:* nam quæ *Turiaſonenſis* Præſul, & alij referunt, diminuta eſſe manifeſtè liquet, quia nihil de Origine S. Viri, nec de eius in relatis Conciliis aſſiſtentiâ verbum proferunt. Quos vt de incuria redarguamus, & alijs de fide ecphraſis faciamus ſatis, omnia ſuo ordine comprobare minutatim aggredimur.

CIRCA *Originem*, Patrem, Auum, & fratres, iam ſuprà in ipſius NOTÆ exordio, aliquorum authoritate, quidquid ad iſta pertinebant, probauimus. QVATENVS ad *Presbyteratum* apud *Vrſaonenſes*, patet ex ſubſcriptionibus Concilij Illiberritani, quas coniunxit P. Biuar. *ad Dextr. Ann.* 300. *Com.* 1. *num.* 5. *fol.* 323. & fatentur *Tamayo*, & *Caſtejon*. De Succeſſione in Epiſcopatu *S. Melantio* Toletano, ſic Flau. Dext. *Ann.* 310. NATALIS *Epiſcopus* Toletanus *ſuccedit Sanctiſſimo Confeſſori* Melanthio. A quo Luitprand. *Aduerſ.* 154. apud Ramireſium; & 136. apud Tamayo. Iulian. Petr. *in Chron. numero* 150. vbi illum facit *Archidiaconum S. Melantij*, vt diximus. Quam ſedem fatentur *Loaiſa*, Claudius Robert. *in Gall. ſacr. in Appendice Patriarchatuum Orbis fol.* 50. *num.* 10. D. Thom. Tamayo, & D. Didacus de Caſtejon, vbi perperam inducit S. Spiridionem, ante *Natalem*, vt probauimus in hoc Noſtro Martyrologio *Tom.* 1. *die* 2. *Ianuarij fol.* 30. *&* 31.

Vrſaonenſis Presbyteratus probatur.

QVOD Romam iuerit, & Conciliis *Romano*, & *Nicæno* interfuerit, audi Luitprandum *Aduerſ.* 151. apud Ram. *&* 133. apud Tam. dicentem: Natalis *Epiſcopus* Toletanus *interfuit Concilio* Romano, *in quo gratia ſunt acta propter Conſtantini Baptiſmum, anno CCC. XXIV. Interfuit, & ſubſcripſit* Nicæno: *muneribus donatus à Conſtantino, cum Hoſio redijt Romam; inde Toletum, vbi ſtatuta Concilij Generalis ſeruari fecit.* En vno contextu plura probata. TABVLAS Martyrum quòd conſcripſerit, eáſque ad *Conſtantinum* miſerit, expreſſus eſt locus Dextri *Ann.* 324. *n.* 2. his verbis: NATALIS *miſit Conſtantino natales Martyrum tabulas.* Vbi P. Biuar. *n.* 2. *fol.* 377. coniecturam de vocatis hiſce feſtiuis diebus, NATALES, à nomine primi Inuentoris, inducit. DE Concilio apud Toletum contracto, pro reſtaurandis antiquis Epiſcopatuum terminis; idem Flau. Dext. *d. ann.* 324. *n.* 3. eſt auctor, *ſub* NATALI *Toletano Pontifice, & Præſide, iuſſu Conſtantini*, CONCILIVM *Toleti contrahitur: Epiſcoporum antiquæ Sedes, quæ ſuos fines amiſerant, receperunt.* Quod & notauit Luitprand. *Aduerſ.* 152.

Aſſiſtentia itidē in Cōcilijs Nicæno, & Rom.

DE aſſiſtentia in Conciliis *Arelatenſi*, in Gallia, & *Sardicenſi* in Lydia; Idem Luitprandus *Aduerſar.* 162. his verbis: *Concilio* Arelatenſi I. *præſident Hoſius, & duo Presbyteri miſſi à Syluestro. Habuit orationem* NATALIS *Toletanus & ſcripſit Epiſtolam Synodicam, fuit à Secretis Concilij cum alio. De Sardicenſi*, ſic *Aduerſ.* 165. in fine: *Confirmat Concilium* Sardicenſe; *cui Toletanus interfuit* NATALIS, *& Athanaſium, & Paulum abſoluit.*

Et in Arelatenſi, & Sardicenſi.

CIRCA eius exilium, reſtitutionem, & Mediolanenſem Præſulatum, Luitprandus *Aduerſ.* 153 omnia coniunxit, ſic: NATALIS *Toletanus ab exilio rediens, dum* Mediolani *commoratur, pulſo in exilium Sanctiſſimo* Dionyſio, *à Catholicis Mediolanenſibus Epiſcopus eligitur, qui licèt ſe geſſerit vt Vicarium illius, rebus tamen præclarè geſtis floruit, vt in numerum Sanctorum relatus fuiſſe dicatur. Obijt* XIII. *menſis* Maij. *Anno* CCC. LIV. *Vir Sanctus, & doctus.* Eadem repetit *Aduerſ.* 154. Iulian. Petri *in Chron. Ann.* 354. *n.* 160. eadem refert, licèt ibidem pro *Dionyſio*, repoſitus ſit *Eriſtagius.* Hinc Mediolanenſium Acta, Ferrarium, Claudium Robertum, & alios Mediolanenſis Eccleſiæ ſcriptores, qui *S. Natalem*, ad Annum DCC. XLVII. referunt illius Eccleſiæ Epiſcopum, corriges; cùm ex ſupradictis liquidò conſtet S. NATALEM Noſtrum tempore Conſtantini vixiſſe, provt & *Dionyſium*, qui ex

Item exiliū & gubernatio Sedis Mediolanenſis.

Error Catalogi Epiſcoporum Mediolanenſium.

Digitized by Google

Diptychis Mediolanenſibus, per eadem tempora viuebat, vt ex Seuero Sulpitio *lib.2. Hiſt. Sacr.* deducunt Robertus, & alij. Fortè *Natalis* Modiolanenſis, qui in Catalogo Præſulum refertur ad Annum DCC. XLVII. alius à noſtro diuerſus eſt; & Noſtrum in ſuo non repoſuêre loco, quia verè viuo *Dionyſio*, non potuit, nec ille ſe geſſit vt Epiſcopus Mediolanenſis; ideóque poſt *Dionyſium*, inuenimus *Auxentium*, poſtea *Ambroſium*, & alios. Omnia ſupra relata, poſt hæc ſcripta, coniunxit P. Anton. Quintana-Dueñ. *Hiſt. SS. Tolet. ſecul.3. fol.*385. qui ſimpliciter à P. Biuario *in Addit. ad Max. num.*53. *fol.*58. deceptus, *S. Martham Aſturicenſem Martyrem, & Ciuem*, ſororem fecit S. VITALIS, Noſtriquè Præſulis Toletani amitam. Cuius rei ſi probationem ſpectes, hæc tantum à *Biuario* verba deprehendes: *Auctorem habeo, cui multum defero*, S. Vitalis *ſororem fuiſſe S. Martham Aſturicenſem.* Sed quis hic Auctor, vt & Nos illi deferamus, ſub ſilentio latuit. O! quantum ſine duce erratum in ſimilibus introducitur! Hoc animaduertendum duxi: quid credendum, doctis relinquo.

Error Biuarij dicentis S. Martham Aſturicenſẽ fuiſſe amitam S. Natalis detegitur.

B. DEDICATIO *Eccleſiæ Salmanticenſis.*] QVANDO primùm fides Catholica, & à quibus, quóuè euentu in *Salmanticenſem* Diœceſim illata fuerit, huc vſque manifeſtari non valet. Illud ſine controuerſia pateſcit, quòd ſtatim à Chriſti Aſcenſione, Apoſtoli ſortitione diuinâ, Mundi clymata peragrantes, in omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines Orbis terræ verba eorum, præcipuè in *Hiſpaniam*, quæ poſt Iudæam, & Samariam, Primogenita Occidentis Euangelicæ veritatis grana ſuſcepit. Nam IACOBVM Apoſtolum, cui hæc obtigit Prouincia, totius vrbes perluſtrantem, eiuſquè Diſcipulos *Salmanticenſes* proculdubio Fidem docuiſſe quis ambiget? Præcipuè ſi Actis *S. Secundi* Epiſcopi *Abulenſis* adhæremus, quibus probatum reliquimus ſuprà hoc *Tom.3. die II. huius Menſis*, ſanctiſſimum Præſulem non ſolum apud *Abulenſes* fidei regulam propoſuiſſe, ſed & omnem *Vettoniæ* Regionem, quâ tunc *Salmantica* periacebat, Euangelium edocuiſſe, & prout IACOBI Diſcipulum, & provt Pauli Apoſtoli Vicarium. Item huius eſt ſententiæ *M. Ægidius Gonzal. Dauila*, olim iſtius almæ Eccleſiæ Portionarius, nunc Règius Caſtellæ, & Indiarum Chronographus, in præcipuâ *Hiſt. Salmant. lib.1. cap.*10. in Theatr. Eccleſiar. *tom.3. fol.*299. Cætera quæ in exordio naſcentis Eccleſiæ euenére ſub ſilẽtio latent: illud ſcitur, quòd in diuiſione Epiſcopatuum *ab VVambane* Gothorum Rege facta, iam erat *Salmantica*, Sedes Epiſcopalis, cùm ibidem illi proprij termini conſignentur, & Metropoli *Emeritanæ* ſubiiciatur. Quibus ſic cognitis ad Præſulum nomenclaturam deuenio, vt in poſterum Pontifices tantæ Eccleſiæ non ignorentur.

CATALOGVS EPISCOPORVM ALMÆ Eccleſiæ SALMANTICENSIS in Vettonia.

I. LEVTERIVS huius nominis I. Salmanticenſis Epiſcopus, quorum memoria ineſt, I. interfuit Concilio III. Toletano ſub Reccaredo ad Ann. D. LXXXIX. 589.

II. THEOCHRISTVS huius nominis I. Salmanticenſis Epiſcopus II. interfuit decreto Gundemari Ann. DC. X. 610.

III. HICCILA huius nominis I. Salmanticenſis Epiſcopus III. interfuit Concilio IV. (non III. vt perperam apud M. Ægidium Gonzal. *in antiqua Hiſtoria Salmanticenſi, lib.2. c.1. fol.*14. & in *Nouo Theatr. tom.3. fol.*226.) Toletano ad Annum Domini DC. XXXIII. 633.

IV. IOVILA huius nominis I. Salmanticenſis Epiſcopus IV. interfuit Concilio Toletano VI. ad Ann. DC. XXXVIII. 638.

V. EGEREDVS huius nominis I. Salmanticenſis Epiſcopus V. interfuit Conciliis VII. VIII. & X. Toletanis ad Ann. DC. LVI. 656.

VI. IVSTVS huius nominis I. Salmanticenſis Epiſcopus VI. interfuit Concilio Emeritenſi ad Ann. DC. LXVI. 666.

VII. PROVIDENTIVS huius nominis I. Salmanticenſis Epiſcopus VII. interfuit Concilio Toletano XII. tempore VVambanis, quo Sedes Epiſco

Digitized by Google

Episcopales Hispaniæ veros suos limites accepêre; celebratum fuit Concilium ad Ann. DC. LXXXI. 681.

VIII. PONEMVNDVS huius nominis I. Salmanticensis Episcopus VIII. interfuit Conciliis XIII. ad Ann. 683. XV. ad Ann. 688. & XVI. Toletanis ad Ann. DC. XCIII. Iste Episcopus fortè fuit qui apud *Sarandulam* in Eremitorio S. Saluatoris Vettoniæ hodie *Xarandilla*, cum aliis Pontificibus gladio Sarracenorum occubuit, vt referunt Luitprand. *in Chron. num.* 193. & Iulian. *de Eremit. num.* 12. *& in Aduers. n.* 339.

Hispaniæ excidium euenit hoc tempore, ita vt vix sit successioni locus, nec Episcoporum Salmanticensium *nomenclaturæ aditus.*

IX. QVINDVLFVS huius nominis I. Salmanticensis Episcopus IX. qui tempore Adefonsi cognomento Casti, donationem à Rege factam Ecclesiæ Ouetensi confirmat ad Ann. DCCC. XXX. 830.

X. SEBASTIANVS huius nominis I. Episcopus Salmanticensis X. Huius Præsulis Chronicon publicum fecit *D. Prudent. de Sandoual* Episcopus Pampilonensis, ibidem Ann. 1634. in quo per synopsim res Regum Ouetensium gestas à Pelagio ad Ordonium I. prosequitur. Ast in alio Codice MS. quem ex Bibliotheca *D. Garsiæ de Loaysa* accepimus hoc titulo hæc inscribitur Historia:

ADEPHONSI REGIS III. LEGIONENSIS cognomento Magni *Chronicon, ad* SEBASTIANVM *de Regibus Gothorum à VVamba, & Ouetensium, vsque ad Ordonium I.*

ADEPHONSVS REX, SEBASTIANO Nostro, *Salutem.*

NOTVM *sit tibi de* Historia Gothorum, *pro qua Nobis per* Dulcidium *Presbyterum notuit, pigritiæque veterum scribere noluerint, sed silentio occultauerint: & quia Gothorum Chronica vsque ad tempora glorioſi* VVambani *Regis* Isidorus *Hispalensis Sedis Episcopus plenissimè edocuit, & Nos quidem ex eo tempore, sicut ab antiquis, & prædecessoribus Nostris audiuimus, & vera esse cognouimus, tibi breuiter intimabimus.*

Quod si huic MS. credimus, *Chronicon* illud perperam suo Auctori ADEPHONSO Regi Magno adimitur, & SEBASTIANO tribuitur, nisi fortè Episcopus iste Regis Magni struem in meliorem methodum reduxerit, ita vt Chronicon hocce pro suo, & sibi Episcopus vindicasset. Eius memoria ad Ann. DCCC. LXVI. 866.

XI. FREDESINDVS huius nominis I. Episcopus Salmanticensis XI. donationem ab Ordonio Rege, & Geloyra Regina factam Cœnobio S. Petri Montium Benedictino confirmat, Ann. DCCC. XCVIII. 898.

XII. DVLCIDIVS huius nominis I. Salmanticensis Episcopus XII. fortè iste ille Presbyter de quo Alfonsus Magnus meminit in Epistola ad Sebastianum Salmanticensem suprà proximè relatam. Hic Corpora *SS. Eulogij*, & *Leocritiæ* Martyrum, *Cordubâ Ouetum* transtulit. Interfuit Consecrationi S. E. Compostellanæ, & Concilio Ouetensi. Eius memoria ad Ann. DCCCC. XXXI. 931.

XIII. SALVATVS huius nominis I. Salmanticensis Episcopus XIII. iste, tempore quo Dulcidius in captiuitate Cordubensis vrbis cum aliis Episcopis iacuit, Sedem hanc rexit Episcopalem, & postmodùm ad Annum Domini DCCCC. XXXIV. 934.

XIV. THEODEMVNDVS huius nominis I. Salmanticensis Episcopus XIV. donationem Ordonij II. Regis Monasterio S. Saluatoris de So-

brados factam firmauit ad Ann. DCCCC. LVIII. 958.

XV. SEBASTIANVS huius nominis II. Salmanticenſis Epiſcopus XV. ex Ordine Benedictino, Abbas S. Æmilliani *de Cucullâ*, res geſtas Ranimiri II. ſcripſit, eius memoria ad Ann. DCCCC. LXXXV. 985.

XVI. GVNDISALVVS huius nominis I. Epiſcopus Salmanticenſis XVI. de quo eſt memoria in Hiſtoria Compoſtellanâ; vbi refertur, hunc Antiſtitem obedientiam exhibuiſſe Didaco Gelmireſio, & eius ſucceſſoribus ad Ann. M. LXXII. 1072.

XVII. MVNIVS huius nominis I. Salmanticenſis Epiſcopus XVII. interfuit Concilio Ouetenſi ad Ann. M. C. XV. 1115.

XVIII. GERARDVS huius nominis I. Epiſcopus Salmanticenſis XVIII. donationem à Regina Vrraca Monaſterio Arlanzenſi factam confirmat ad Annum Domini, M. C. XVIII. 1118.

XIX. IERONYMVS huius nominis I. cognomento *Viſquius*, Salmanticenſis Epiſcopus XIX. origine *Gallus Petracoricenſis*, primùm Epiſcopus Valentinus, ſanctitate, & miraculorum gratiâ illuſtris, obiit die XXX. Iunij, Anno M. C. XXV. Is obtulit Eccleſiæ Salmantinæ miraculoſam Imaginem D. N. Ieſu-Chriſti Crucifixi, quam *de las Batallas* dicunt. 1125.

HIC *M. Ægid. Gonzal. repetit* GERARDVM, *&* MVNIONEM *Epiſcopos* Salmantinos, *qui ſi fuêre deceſſores* Ieronymi, *quomodo ſucceſſores. Epiſtola* Innocentij III. *non ſuffragatur; quia licèt ab ordine literæ conſignentur ſucceſſores, non ſic intelligendum eſt, vt ſonat, ſed à poſteriori incipiendum eſt ad priorem, ita vt* MVNIO *antiquior, poſt* GERARDVS, *& recentior* IERONYMVS. *Et patet, quia ſi Anno Domini* M. C. XV. MVNIO *vt Epiſcopus* Salmanticenſis *interfuit Concilio Ouetenſi, & Anno Domini* M. C. XVIII, *iam ſucceſſerat* GERARDVS *in Sede, & iſto è viuis ſublato* IERONYMVS, *ergo illi præceſſêre, non ſucceſſêre. Niſi alios horum nominum Epiſcopos concedamus; quod hiſtoria nõ patitur, cùm nulla alia adſit anamneſis eorum niſi in Epiſtola* Innocentij III. *quæ nihil de nouo inducit.*

XX. GVNDISALVVS huius nominis II. Salmanticenſis Epiſcopus XX. de quo eſt mentio in Hiſtoria Compoſtellana, cuius Eccleſiæ obedientiam præſtitit, obiit Anno M. C. XXVI. 1126.

XXI. IOANNES huius nominis I. Salmanticenſis Epiſcopus XXI. eius memoria inter aliorum obedientias Præſulum Compoſtellanæ exhibitas Eccleſiæ reperitur, deficit Ann. M. C. XXIX. 1129.

XXII. ALPHONSVS huius nominis I. Salmanticenſis Epiſcopus XXII. interfuit Concilio Rhemenſi ad Ann. M. C. XXX. qui cùm ad Cluniacenſe Cœnobium ex reditu peruenisſet, ibidem obiit, cui Venerabilis Petrus Abbas hoc poſuit Epitaphium. 1130.

VRBS EST HISPANIÆ REGIONIS. QVAM
SALAMANCAM INDIGENÆ DICVNT.
HANC ORDINE PONTIFICALI REXIT
ALPHONSVS,
TVMVLO PRÆSENTE SEPVLTVS.
QVI DE CONCILIO RHEMENSI DVM REMEARET,
HIC FINEM FECIT PARITER VITÆ
VIÆQVE.

XXIII. MARTINVS huius nominis I. Epiſcopus Salmanticenſis XXIII. cui Calixtus P. Max. ſcripſit, vt obedientiam Compoſtellanæ præſtaret Eccleſiæ, provt fecit, ad Ann. M. C. XXXIV. 1134.

XXIV. PETRVS huius nominis I. Salmanticenſis Epiſcopus XXIV. de quo ſcripſit S. Bernard. Epiſt. 212. ad Innocentium II. fuit ambitione terribilis, & aliis delictis conuictus, ita vt deponeretur Ann. M. C. XXXVII. 1137.

XXV.

Digitized by Google

XXV. BERENGARIVS huius nominis I. Salmanticenſis Epiſcopus XXV. electus à Clero,& Populo Salmãtino,vt ex Epiſtola eorum liquet,ſic:

REVERENDISSIMO D.N. DIDACO Comp. Archiep. Clerici Salmanticenſes, & Populus, ſalutem.

Ne veſtram lateat, quomodo fecimus, prouidentiam, vobis notificare rectum eſſe duximus, Nos D. Berengarium *Archidiaconum, & Imperatoris Cancellarium elegiſſe iuſtè, & canonicè, quem nobis Imperator miſit, cum Toletano Archiepiſcopo, & duobus Epiſcopis Segobienſi, & Zamorenſi. Iſtud autem idcirco fecimus quoniam ille Petrus electione ſuâ minimè confidens, auſus defecerit, tum denique Eccleſiæ regendæ inutilem prorſus eſſe cognouimus. In electione Berengarij omnes fuimus concordes, & Toletano Archiepiſcopo, & imperatori illum petiuimus, quem conceſſum, nobis illum tradiderunt. Sed quia Comitis Petri Lupi timore tunc auſi non ſumus, modò miſerante diuinâ pietate perfecimus. Hunc igitur veſtræ mittimus Paternitati, quatenus ipſum benignè ſuſcipiendo ordinetis, & conſecretis.*

Alias Epiſtolas ſcripsêre Imperator Adephonſus, & ipſe electus, qui ab Archiepiſcopo admiſſus, *Salmanticenſem* rexit Eccleſiam quo vſque ad Compoſtellanam tranſlatus eſt. Eius memoria in Epiſcopatu Salmanticenſi ad Ann. M.C.L. 1150.

XXVI. ORDONIVS huius nominis I. Salmanticenſis Epiſcopus XXVI. Monachus Ciſtercienſis, eius memoria ad Ann. M.C.LVIII. 1158.

XXVII. NAVARRONVS huius nominis I. Epiſcopus Salmanticenſis XXVII. Cuius tempore euenit illud celebre miraculum à S. Nicolao Martyre Bleticenſi, quod refert Ægid. Gonzal. Obiit Epiſcopus die XVI. Ianuarij, Anno M.C.LXXVII. 1177.

XXVIII. D. PETRVS huius nominis II. cognomento *Suarez*, Salmanticenſis Epiſcopus XXVIII. quem Alexander III. Pont. Max. conſecrauit,& purpureo ornauit galero,ad Compoſtellanam Sedem trãſlatus Ann. M. C.LXXXIII. 1183.

XXIX. D. VITALIS huius nominis I. Salmanticenſis Epiſcopus XXIX. conſecrauit Eccleſiam S. Nicolai,& interfuit Concilio II. Salmantino, in quo fuit annullatum matrimonium inter Alfonſum IX. & Thereſiam Reges Legionis. Obiit die XV. Decembris Ann. M. C. XCIV. 1194.

XXX. D. GVNDISALVVS huius nominis III. Epiſcopus Salmantinus XXX. huius tempore Regni Comitia habita ſunt apud Salmanticam, quibus de limitibus Epiſcopatuum Ouentenſis, & Aurienſis actum: necnon Stephanus Archipreſbyter Albenſis Eccleſiam B. Mariæ Magdalenæ conſtruxit, quæ hodie Ordini Alcantarenſi paret, eius memoria ad Ann. M.C XCIX. 1199.

XXXI. D. ORDONIVS huius nominis I. Salmanticenſis Epiſcopus XXXI. Cuius tempore ACADEMIA toto Orbe famigerata fuit conſtructa abs Aldephonſo IX. Legionenſiũ Rege,vt indicat hæc Inſcriptio.

ANNO DOMINI. M. CC.
ALFONSVS XII. CASTELLÆ REX. PALENTIÆ VNIVERSITATEM EREXIT. CVIVS ÆMVLATIONE ALFONSVS IX. LEGIONENSIS REX SALMANTICÆ ITIDEM ACADEMIAM CONSTITVIT. ILLA DEFECIT DEFICIENTIBVS STIPENDIIS. HÆC VERO IN DIES FLORVIT FAVENTE PRÆCIPVE ALFONSO REGE X.

Digitized by Google

Obiit Epiſcopus die VI. Iulij Ann.Dom.M.CC. I. 1201

XXXII. D.MARTINVS huius nominis II.Salmanticenſis Epiſcopus XXXII. & Cardinalis S.R.E.vt indicat fragmentum lapidis in clauſtro inuentum, ſic:

MARTINVS
CARDINALIS.

Ita illum refert M. Ægid.Gonzal. ſi fuit Epiſcopus Salmanticenſis, à fortiori à die VI. Iulij Anni M.CC. I. quo obiit Ordonius, ad diem X. Aprilis, Anni M.CC. II. quo adeſt memoria Gundiſalui ſucceſſoris, Præſulem egit. 1202.

XXXIII. GVNDISALVVS huius nominis IV. Salmanticenſis Epiſcopus XXXIII. conſecrauit Eccleſiam S. Petri, vbi nunc eſt Monaſterium S. Auguſtini ad Ann. M.CC. II. & Eccleſiam S. Mariæ Equitum ad Annum M.CC.XIV. Item Eccleſiam S. Æmilliani ad Ann.M.CC.XXVI.quo eius finiit memoria. 1226.

XXXIV. D.PELAGIVS huius nominis I. & Salmanticẽſis Epiſcopus XXXIV. eius memoria adeſt in donatione facta per Alfonſum IX. Legionenſem ad Ann.M.CC.XXVIII. vt conſtat ex Archiuis Comitum Lemenſium. 1228.

XXXV. D.MARTINVS huius nominis III. & Epiſcopus Salmanticenſis XXXV. fuit vnus ex Octo præſulibus qui conuenerunt Ferdinandum III. Caſtellæ & Legionis Regem cum ſororibus Sanctia, & Dulce, ius ad Regnum ambientibus. Eius memoria ad Ann.M. CC.XXXVII. 1237.

XXXVI. D.FERDINANDVS huius nominis I. & Epiſcopus Salmanticenſis XXXVI. conſecrauit Eccleſiam S.Michaëlis V. Idus Decembris Anno M.CC.XXXVIII. quo eius memoria deſinit. 1238.

XXXVII. D. MORANVS huius nominis I. & Epiſcopus Salmanticenſis XXXVII.eius inuenitur memoria in donatione quadam,cuius auctographum adeſt in Cœnobio Ciſtercienſium de Palacuelos ad Ann.M.CC.XXXVIII. 1238.

XXXVIII.D.F.GVNDISALVVS huius nominis V.& Epiſcopus Salmanticenſis XXXVIII. cuius tempore conſtructum fuit Salmanticæ Monaſterium Sanctimonialium S. Claræ. Quo anno obiit, ignotum;fortè ad M.CC.XLIX. quia ſequenti ſucceſſor inuenitur. 1249.

XXXIX. D.IOANNES huius nominis II.& Epiſcopus Salmanticenſis XXXIX. de eo adeſt memoria in quadam donatione quæ ſeruatur in Cœnobio Benedictinorum Samonenſi ad Ann.M.CC.L. 1250.

XL. D.PETRVS huius nominis III.& Epiſcopus Salmanticenſis XL.qui vnà cum Capitulo Eccleſiæ fratribus Prædicatoribus Eccleſiam S. Stephani, vt Monaſterium erigerent, condonauit, ad Ann.M.CC.LV. 1255.

XLI. D.GVNDISALVVS huius nominis VI. & Salmanticenſis Epiſcopus XLI. de quo meminit Vrbanus IV. Pont. Max. eius memoria ad Ann.M.CC.LXI. 1261.

XLII. D.F. PETRVS huius nominis IV. cognomento *Perezius*, Salmanticenſis Epiſcopus XLII. fuit ex Ordine Prædicatorum ſanctitate illuſtris, vt indicat eius elogium carmine Leonino conſcriptum. Obiit die XXX. Menſis Aprilis Ann.M.CC.LXII. 1262.

XLIII. D. DOMINICVS huius nominis I. cognomento *Dominguez* Epiſcopus Salmanticenſis XLIII. ex Gallæcia oriundus, obiit die XXX. Ianuarij, Ann. M.CC.LXVII. 1267.

XLIV. D.ALPHONSVS huius nominis II.Epiſcopus Salmanticenſis XLIV. cui commiſit Bonifacius VIII. Pont. Max. quòd conſtringeret Equites Iacobæos Portugalliæ,vt obedientiam præſtarent Generali Magiſtro Ordinis. Eius memoria ad Ann. M.CC.LXVIII. 1268.

XLV.

Digitized by Google

XLV. D. Aprilis huiusnominis I. & Salmãticensis Episcopus XLV. qui fuit Archidiaconus Bletisensis, pòst Episcopus Vrgellensis, ideò eius memoria in Salmanticensi Sede cessat ad mensem Septembris, quo iam tunc dignoscitur vacans eo ipso Anno M.CC LXIX. 1269.

XLVI. D. Didacvs huius nominis I. & Salmanticensis Episcopus XLVI. eius memoria ad Annum M.CC.LXXII. quo Alphonsus Molinæ Dominus, & Ferdinandi cognomento *Sancti* frater, Salmanticæ obiit. 1272.

XLVII. D. F. Petrvs huius nominis V. cognomento *Factòr*, Salmanticensis Episcopus XLVII. Eius tempore congregatum fuit aliud Concilium apud Salmanticam, in quo de causa Templariorum actum est. Fuit ex Ordine Minorum, vt patet ex licentiâ testandi à Nicolao IV. Pont. Max. obtentâ ad Ann. M. CC.LXXXVIII. quo diem clausit extremum. 1288.

XLVIII. D. Alphonsvs huius nominis III. & Salmanticensis Episcopus XLVIII. qui obiit die XXIX. Ianuarij Ann. M CC.LXXXIX. 1289.

XLIX. D. Rodericvs huius nominis I. Salmanticensis Episcopus XLIX. fuit Nicolao IV. Pont. Max. charus, à quo omnia suæ diœcesis beneficia vacantia pro vna vice illis fruenda promeruit, vt creditoribus debita solueret. Obiit Ann. M.CCC.I. 1301.

L. D. F. Petrvs huius nominis VI. & Salmanticensis Episcopus L. ex Ordine Prædicatorum alumnus. Huius Præsulis auspiciis restituta sunt Magistris Academiæ Salmantinæ stipendia, quæ Clemens V. Pont. Max. sustulerat, donec restituta iterum cœpit Academia florere. Obiit Episcopus die XXX. Ianuarij Ann. M.CCC.XV. 1315.

LI. D. Bernardvs huius nominis I. & Salmanticensis Episcopus LI. qui ex Physico Alphonsi XI. Regis, ad hanc sedem euectus est, cuius contemplatione Rex Ecclesiæ celebre priuilegium concessit, ad Ann. M.CCC.XXVI. 1326.

LII. D. Alphonsvs huius nominis IV. Salmanticensis Episcopus LII. Bæticæ Maior Notarius, eius memoria ad Ann. M.CCC.XXX. 1330.

LIII. D. Lavrentivs huius nominis I. Episcopus Salmanticensis LIII. eius memoria in plurimis priuilegiis ad Ann. M.CCC.XXXV. 1335.

LIV. D. Rodericvs huius nominis II. cognomento *Diaz*, Episcopus Salmanticensis LIV. fuit ex ordine Prædicatorum, obiit die XVIII. Iunij, Anno M.CCC.XXXIX. 1339.

LV. D. Ioannes huius nominis III. cognomento *Luzero*, Salmanticensis Episcopus LV. interfuit expeditioni Algeziræ, quâ perfectâ, vnà cum Episcopis Zamorensi, & Pacensi Mosquitam illius vrbis purificauit, & B. Mariæ Dei genitricis nomini dedicauit. Pòst ad Segobiensem Sedem translatus Anno M.CCC.LIX. eodem Anno die XIII. Octob. obiit. 1359.

LVI. D. Alphonsvs huius nominis V. cognomento *Barraza* Episcopus Salmanticensis LVI. Cardinalis S.R.E. titulo S. Eustachij, & Bæticæ Notarius Maior, partes Henrrici contra Petrum fratrem tuendas suscepit, eius memoria ad Ann. M.CCC.LXXV. 1375.

LVII. D. Alvarvs huius nominis I. Salmanticensis Episcopus LVII. eius memoria inuenitur in quadam scripturâ Confirmationis Priuilegiorum facta per Ioannem I. Castellæ Regem in Comitiis Burgensibus Oppido de Castro-Xeriz, Ann. M.CCC.LXXIX. 1379.

LVIII. D. F. Ioannes huius nominis IV. cognomento *Castellanos*, Episcopus Salmanticensis LVIII. ex Ordine Prædicatorum, interfuit Concilio Salmantino circa electionem Clementis VII. contra Vrbanum VI. Eius memoria ad Ann. M. CCC.LXXXII. 1382.

Post hæc M. Ægidius Gonzal. supponit alium Episcopum nomine Nicolavm ex Ordine Prædicatorum, sed sine die, & Consule: fides stet apud illum.

LIX. D. Carolvs huius nominis I. cognomento *de Gueuara* Salmanticenſis Epiſcop. LIX. Huius tempore fuit erectum primum huius vrbis Collegium à D. Guterio de Toledo Epiſc. Ouetenſi Anno M.CCC.LXXXVI. Aſt Anno M.CCC.XCII. obiit Epiſcop. Salmantinus. 1392.

LX. D. Didacvs huius nominis II. cognomento *Anaya*, *Maldonado*, Epiſcopus Salmanticenſis LX. pòſt Epiſcopus Conchenſis, & Archiepiſcopus Hiſpalenſis, & in ſupremo Caſtellæ Conſilio Præſes, ad Conchenſem tranſlatus fuit Anno Domini M. CCCC. VIII. die X. Martij. Obiit Ann. M. CCCC. XXXVII. Qui dum viueret erexit celebre Collegium S. Bartholomæo dicatum. 1408.

LXI. D. F. Gvndisalvvs huius nominis VII. Salmanticenſis Epiſcopus LXI. ex Ordine Prædicatorum; eius memoria ad Annum Domini M. CCCC. XIV. 1414.

LXII. D. F. Alphonsvs huius nominis VI. cognomento *Cuſanza* Epiſcopus Salmanticenſis LXII. ex Ordine Prædicatorum, Regis Enrrici III. Confeſſor, hinc Aurienſis Præſul, deinde vltimò Legionenſis ad Annum Domini M. CCCC. XX. 1420.

LXIII. D. Sanctivs huius nominis I. cognomento *Caſtilla* Salmanticenſis Epiſcopus LXIII. conſtruxit Salmanticæ Monaſterium S. Eliſabeth, & Xenodochium SS. Coſmæ, & Damiani, quod hodie Generale dicitur. Obiit Anno M. CCCC. XLVI. & ſepelitur in Maiori Capellâ, hac epigraphe: 1446.

SANCTIVS ILLE DIVVS. AC OMNIVM
PRÆSVLVM DECVS. CONDITVR
HOC TVMVLO.

LXIV. D. Gvndisalvvs huius nominis VIII. cognomento *Viuero*, Epiſcopus Salmãticenſ. LXIV. fuit Decanus Lucẽſis, & Præcẽtor Toletanus, Præſes Valliſoletanus. Obiit die XXIX. Ianuarij, Ann. M. CCCC. LXXX. iacet ſepultus in Antiqua Maiori Capellâ, hoc Epitaphio Latino. 1480.

ANTISTES MAGNVS GVNDISALVVS
HIC A VIVERO IMA REQVIESCIT HVMO.

LXV. D. Oliverivs huius nominis I. cognomento *Carrafa*, Epiſcopus Salmanticenſis LXV. origine Neapolitanus, S. R. E. Cardinalis, & Epiſcopus Sabinienſis. D. Ferdinand. Vghell. Tom. I. Ital. Sacr. in Catalog. Epiſcop. Sabinienſ. n. 64. pag. 210. aſſerit Oliuerium etiam fuiſſe Epiſcopum Albanum, & Oſtienſem; aſt de Salmanticenſi infulâ, altum ſilentium. Salmanticenſem Sedem dimiſit Ann. M. CCCC. XCI. 1491.

LXVI. D. Didacvs huius nominis III. cognomento *Valdès*, Salmanticenſis Epiſcopus LXVI. Magiſtratum Domus Alexandri VI. Pont. Max. exercuit, cui idem Papa infulam cõceſſit Zamorenſis Sedis, poſtquam Salmanticenſis Eccleſiæ ad Annum M. CCCC. XCII. abſens rexiſſet diœceſim. Obiit Romæ die XXVII. Decembr. Ann. M. D. VI. & in Capella à ſe extructâ in Baſilica S. Iacobi Hiſpanorum tumulatus, ſupra ſarcophagum hoc perlegitur Epitaphium: 1492.

Certa dies nulli eſt, mors certa incerta ſequentum,
Cura locet tumulum, qui ſapit, antè ſibi.

Didacvs ex Valdes, Aſtrum, Patria, Pontificatúque
Zamora. cùm ſe moriturum aſſiduè meditaretur:
Viuens hoc ſuo cadaueri ſtatuit Monumentum.
Vixit Annis propè LX. Obiit XXVII. Decembris,
Anno Domini M. D. VI.
PONTIFICATV MAXIMI ALEXANDRI
VALENTINI ANNO X. CVM MAGISTRATVM
DOMVS EIVS EXERCERET.

Digitized by Google

LXVII. D.F.Didacvs huius nominis IV. cognomento *Deza*, Salmanticenſis Epiſcopus LXVII. ex Ordine Prædicatorum, Regum Catholicorum Confeſſarius, primò Epiſcopus Zamorenſis, deinde Salmanticenſis, dein Palentinus, & Inquiſitor Generalis, pòſt Giennenſis & Maior Regum Sacellanus, Cancellariúſque Caſtellæ, demùm Archiepiſcopus Hiſpalenſis,& electus Toletanus. Contraxit apud Hiſpalim Concilium, & ibidem Collegium ſui Ordinis S.Thomæ dicatum conſtruxit. Scripſit ſuper Magiſtr. Sententiar. Additiones ad Paulum Burgenſem. Doctrinale, quo Præſules docet formam dirigendi oues ſuas. Monoteſſaron ad explanationem Euangelij. Obiit Anno Domini M. D. XXIII. Eius memoria in Salmantica M. D. V. 1505.

LXVIII. D. Ioannes huius nominis V. cognomento *Caſtilla*, Salmanticenſis Epiſcopus LXVIII. Decanus Hiſpalenſis, & Regij Conſilij Senator, ac demum Præſes, abhinc Epiſcopus Aſturicenſis, pòſt Salmantinus,& huius tempore D.Didacus Ramirez de Villaſcuſa erexit Collegium inſigne Conchenſe, vnum ex Quatuor huius vrbis Maioribus. Obiit Epiſcopus apud Palentiam die XXX. Octobr. Ann. M. D. X. 1510.

LXIX. D. Franciscvs huius nominis I. cognomento *Bobadilla*, Salmanticenſis Epiſcopus LXIX. tranſlatus ex Sede Ciuitatenſi. Eius tempore ſumpſit exordium fabrica Noui,& ſublimis Templi cui Epiſcopus primum lapidem poſuit, & refertur in alio, ſic.

HOC TEMPLVM INCEPTVM EST
ANNO A NATIVITATE DOMINI
M. D. XIII.
DIE IOVIS. XII. MENS. MAII.

Pòſt Anno M. D. XVII. interfuit Concilio Lateranenſi, & eo ipſo Anno D. Didacus de Muros erexit celebre Collegium maximum,quod Ouetenſe dicitur.Anno M. D. XVIII. Franciſcus Rodericus Canonicus, & Ciuis Salmanticenſis, & Leonis X. Pont. Max. Cubicularius erexit Collegium S. Æmilliani: & eodem ipſo Anno D. Gundiſaluus Gonzalez erexit Collegium Montis Oliueti.Anno M. D. XXI. D.Alphonſus de Fonſeca,Archiepiſcopus Compoſtellanus & Toletanus erexit Collegium ex maioribus Quartum, quod *del Arcobiſpo* vocant. Eodem ipſo Anno D. Ioannis de Burgos Archidiaconus,& Canonicus Salmanticenſis erexit Collegium S. Mariæ. Anno M. D. XXVI. Don Ioannes de Cañizares Archidiaconus Cornaucenſis, & Canonicus Salmanticenſis erexit Collegium S. Crucis, quod *de Cañizares* appellitant. Obiit Epiſcopus die XXIX. Auguſti, Anno M. D. XXIX. 1529.

LXX. D. Lvdovicvs huius nominis I. cognomento *Cabeza de Vaca*, Epiſcopus Salmanticenſis LXX. Caroli V. Imperatoris Magiſter. Huius tempore D. F. Didacus de Toledo, Magnus S. Ioannis Prior,erexit Collegium huius Ordinis Anno M. D. XXXIV. Quo etiam erigitur Collegium Ordinis Iacobæi quod *del Rey* dicunt. Anno M. D. XXXVIII. Noſter Epiſcopus ad Sedem Palentinam tranſlatus,ibidem quieuit,ad Annum M. D. L. quo obiit die XII. Decembris, deſpecto Archiepiſcopatu Compoſtellano. 1537.

LXXI. D.Rodericvs huius nominis III. cognomento *Mendoza*,Epiſcopus Salmanticenſis LXXI.Decanus Toletanus,& Scholaſticus Complutẽſis primò,pòſt Aurienſis Epiſcopus.Eius tẽpore D.Eliſabeth de Ribas erexit Collegium S.Crucis Ann. M. D. XLIV.& Anno ſequẽti D.Martinus Gaſca Scholaſticus,& Canonicus Hiſpalenſis, electus Epiſcopus Gaditanus erexit Collegium S.Mariæ Magdalenæ. Obiit Epiſcopus die IV.Nouembris Anno Dom.M.D.XLV. 1545.

LXXII.

Digitized by Google

LXXII. D. PETRVS huius nominis VII. cognomento *Caſtro*, Salmanticenſis Epiſcopus LXXII. cuius tempore Anno M. D. L. D. Franciſcus de Solis Phyſicus Pauli III. & Epiſcopus Vanarenſis erexit Collegium Orphanorum; & Anno M. D. LII. erecta fuêre Collegia Ordinum Militarium Calatrauæ, & Alcantaræ. Poſtmodùm Epiſcopus Anno M. D. LVI. ad Sedem Conchenſem tranſlatus obiit Kalend. Auguſti Ann. M. D. LXI. 1556.

LXXIII. D. PETRVS huius nominis VIII. cognomento *Acuña, y Auellaneda*, Salmanticenſis Epiſcopus LXXIII in Valliſoletanâ Cancellariâ Auditor, & in Supremo Inquiſitionis Conſilio Senator, Epiſcop. Aſturicenſis, eodem Anno quo electus fuit, obiit. 1556.

LXXIV. D. FRANCISCVS huius nominis II. cognomento *Manrrique de Lara*, Salmanticenſis Epiſcopus LXXIV. poſtquam Aurienſis Sedis infulam induiſſet. Eius tempore de veteri ad nouum Templum facta Tranſlatio fuit, prout indicat Inſcriptio, quæ adhuc in lapidis viſceribus perlegitur, ſic:

PIO IV. PAPA. PHILIPPO II. REGE.
FRANCISCO MANRIQVE DE LARA
EPISCOPO. EX VETERE. AD HOC
TEMPLVM FACTA TRANSLATIO
XXV. MARTII. ANNO. M. D. LX.

Poſt hæc ad Sedem Seguntinam eo Anno promotus diem clauſit extremum die XI. Nouembris. 1560.

LXXV. D. PETRVS huius nominis IX. cognomento *Gonzalez de Mendoza*, Epiſcopus Salmanticenſis LXXV. Qui ex Abbate S. Iulianæ, & Archidiacono Talabricenſi ad hanc fuit Sedem electus. Interfuit Concilio Tridentino, & eius tempore D. Ieronymus de Arze Theſaurarius S. E. Segobienſis erexit Collegium Angelorum, Anno M. D. LXIII. Scripſit Epiſcopus Hiſtoriam Concilij Tridentini, obiit Anno M. D. LXXIV. 1574.

LXXVI. D. FRANCISCVS huius nominis III. cognomento *Soto-Salazar*, Salmanticenſis Epiſcopus LXXVI. ex Conſiliario ſupremi Senatus S. Inquiſitionis ad Cruciatæ Generalem Commiſſarium electus fuit, à quo munere poſt ad Segobricenſem Sedem tranſlatus. Eius tempore D. Ioannes Delgado Epiſcopus Giennenſis Anno M. D. LXXVI. erexit Collegium S. Michaëlis: & Anno M. D. LXXVII. D. Fernandus Valdeſius Archiepiſcopus Hiſpalenſis erexit Collegium S. Pelagij. Tandem dum fidei causâ apud LLerenam demoraretur die XXIX. Ianuarij, Anno M. D. LXXVIII. ad ſuperos euolauit. 1578.

LXXVII. D. FERDINANDVS huius nominis II. cognomento *Tricio*, Epiſcopus Salmanticenſis LXXVII. ex Canonico Magiſtrali Caurienſi, Epiſcopus Aurienſis, inde Salmantinus obiit eodem anno quo infulatus, ſcilicet die IX. Octobris Ann. M. D. LXXVIII. Cuius ſepulturæ ſarcophago hoc Capitulum Eccleſiæ incidi curauit ſepulchrale Carmen. 1578.

Ad ſuperos, vt vixit, abit ſolamen egenis
Fernandus Tricius, *cætera fama canat.*

LXXVIII. D. IERONYMVS huius nominis II. cognomento *Manrrique* Salmanticenſis Epiſcopus LXXVIII. ex Parocho Eccleſiæ S. Petri Vrbis Toletanæ electus, poſt ad Sedem Cordubenſem tranſlatus Anno M. D. XCIII. quo etiam adhuc electus obiit. 1593.

LXXIX. D. PETRVS huius nominis X. cognomento *Iunco de Poſada*, Epiſcopus Salmanticenſis LXXIX. feliciter obitis Officiis Senatoris Granatenſis, & Inquiſitionis Generalis, ad Cancellariæ Valliſo

Vallisoletanæ Præsidis munus electus fuit. Obiit die III. Maij, Ann. M.DC.II. 1602.

LXXX. D. LVDOVICVS huius nominis II. cognomento *Fernandez de Cordoua*, Salmanticensis Episcopus LXXX. ex Decano S.E. Cordubensis ad hanc sedem electus, quam rexit ad Annum Domini M.DC.XIV. quo ad Malacitanam, pòst ad Hispalensem translatus, quâ obiit die XXVI. Anno M.DC.XXV. 1614.

LXXXI. D. F. DIDACVS huius nominis V. cognomento *Ordoñez*, Episcopus Salmanticensis LXXXI. ex ordine Minorum, ex Commissario Generali Episcopus Iaccensis, demum ad hanc Sedem translatus Anno M.DC.XV. eodem, die XXII Decembris, obiit. 1615.

LXXXII. D. FRANCISCVS huius nominis IV. cognomento *Mendoza*, Salmanticensis Episcopus LXXXII. postquam egisset Canonicum Toletanum, & in supremo consilio S. Inquisitionis Senatorem, quam Sedem tenuit vsque ad Annum M.DC.XX. è qua ad Pampilonensem, deinde ad Malacitanam, & demum ad Placentinam translatus, illam, vt Administratorem gereret Archiepiscopatus Toletani, relinquens, obiit Anno M.DC.XXXIV. 1620.

LXXXIII. D. ANTONIVS huius nominis I. cognomento *Corrionero*, Episcopus Salmanticensis LXXXIII. fuit Granatensis, & Vallisoletanæ Cancellariæ Auditor, Hispalensis Regens, & Episcopus Canariensis. Obiit die III. Aprilis Ann. M.DC.XXXIII. 1633.

LXXXIV. D. CHRISTOPHORVS huius nominis I. cognomento *Camára*, Episcopus Salmanticensis LXXXIV. postquam Canariensem Sedem rexisset; Obiit Anno M.DC.XLI. 1641

LXXXV. D. IOANNES BAPTISTA huius nominis VI. cognomento *Valencuela*, Episcopus Salmanticensis LXXXV. pòst decursis Tribunalibus Neapolitanis, Castellæ Senator, & Granatensis Cancellariæ Præses effectus est. Obiit die II. Februarij, Anno M.DC.XLV. scripsit Defensorium pro Papa contra Venetos. Vitam S. Iuliani Conchensis Episcopi. Tractatum status Pacis ac belli. Consiliorum Iuris Vol. II. Tractatum de Patronatu S. Iacobi, & S. Michaëlis, quem sua propriâ manu exaratum est in mea Bibliotheca. 1645.

LXXXVI. D. IOANNES huius nominis VII. cognomento *Ortiz de Zarate*. Salmanticensis Episcopus LXXXVI. qui cum ex supremo Generalis Inquisitionis Consilio, cuius erat alumnus, ad Episcopatus apicem eueheretur, senio, & laboribus confractus protinus obiit, die XXIII. Aprilis, Anno M.DC.XLVI. 1646.

LXXXVII. D. FRANCISCVS huius nominis V. cognomento *Alarcon*, Episcopus Salmanticensis LXXXVII. cùm primùm fuisset Ciuitatensis Antistes, & demùm ad hanc Sedem translatus, à qua Anno M.DC.XLVIII. ad Pampilonensem euectus, adhuc, suis ouibus gratus, & omnibus gratiosus, vitam religiosè agit. 1648.

LXXXVIII. D. PETRVS huius nominis XI. cognomento *Carrillo de Acuña*, Salmanticensis Episcopus LXXXVIII. ex Auditore Sacræ Rotæ Romanæ, Præses Vallisoletanus, adhuc in hac Sede viuit.

En Episcoporum Salmanticensium Catalogus, quorum si minutatim Acta cognoscere Lector desiderat, adeat M. Ægidium Gonzal. Reg. Chronograph. *Tom. 3. Theatr. Eccles. à fol. 226. vsq. ad 370.* Qui in *Histor. Salmantin. lib. 2. cap. 7. fol. 95.* asserit hanc Almam Ecclesiam inter sacrarum RELIQVIARVM innumerabilem copiam, quam ex *Templariorum* accepit excidio, possidere TRES Do-

minicæ Coronæ SPINAS. Partem non minimam LIGNI Crucis. Integrum *Brachium* S. Georgij, & Partem *Dorſi* S. Laurentij Martyrum. Vnum ex *Capitibus* XI. M. Virginum. Nouiſſimè CORPVS integrum *S. Amij M.* quod ſuæ Eccleſiæ obtulit D. Petrus Carrillo de Acuña eius Eccleſiæ Præſul.

PRIDIE IDVS MAII.

DIES XIV.

Apud Cœnobium Riuipollenſe *in Cathalonia Hiſpaniæ, celebris eſt feſtiuitas* TRANSLATIONIS *ſacrorum pignorum* B. EVDALDI *Presbyteri, & Martyris prope vrbem* Aquenſem *in Gallia paſſi; ad cuius ſepulchrum innumera Deus eius precibus miracula patrat: in cuius feſto die, infinitus eſt adiacentium populorum, vt Sancti viſitent Sarcophagi limina, & ab infirmitatibus curentur, repetitus concurſus.*

NOTÆ.

A. *Scriptores.* TRANSLATIO S. EVDALDI.] *Die XI. huius menſis* Acta Sancti huius Martyris ex antiquo obtuli Legendario, quæ etiam *Hiſpano* ſermone conſcripsêre Anton. Vincent. Domenec *Hiſt. SS. Cathalon. lib. 1. fol. 44.* diffusè; & And. Suaſſ. *in ſupplem. Martyrol. Gallicani fol. 1117.* concisè. Nunc ex ipſo Legendario Acta TRANSLATIONIS exſcribemus, miraculáque ibidem patrata recenſebimus; vt in totum tanti Martyris mirabilia percipias.

ACTA TRANSLATIONIS S. EVDALDI Presbyteri, & Martyris ex Antiquo Legendario MS.

Annus Tranſlationis. ANNO *Domini Noſtri* IESV-CHRISTI *Seruatoris currente* D. CCCC. LXXVIII. *Era* M. XVI. *Pridie Idus Maij. Regnante,* Barcinone, Borrello *Barcinonenſium Comite,* Idiſclus *Abbas* Riuipollenſis *Comitis memorati auſpiciis adduxit ex vrbe* Aquenſi *Galliæ* CORPVS S. EVDALDI *Martyris ad iſtud ſuum* Riuipollenſe *Cœnobium, vbi per illius Beati merita, Deus quotidie plurima agrotis impartitur auxilia. Quæ ne in totum è memoria hominum dilaberentur, breuiter in compendium, obedientiæ vigore perductus, & deuotionis feruore protractus. deducere ſum aggreſſus. Igitur eodem die* XIV. *Maij anni memorati, quo Sanctæ Reliquiæ in Eccleſiam Cœnobij peruenerunt, Beatiſſimus Abbas* Idiſclus *iuſſit OEconomo Monaſterij, vt capſam peragi faceret elegantem, in qua reponerentur Sanctæ reliquiæ, vt honorificentiùs conderentur: Cui cùm reſponderet OEconomus inconſultè, ſe non poſſe tot expendere ſine fructu nummos, illico à Domino correptus, in lethalem incidit ægritudinem. A qua liber euaſit, voto coram reliquiis emiſſo, ſe capſam elegantiorem facturum, ſi à periculo* S. EVDALDI *interceſſione liberaretur.*

Miraculũ.

ALIVS

Digitized by Google

ALIVS cœnobij famulus temerè dicere cœpit, quòd ossa, quæ in Ara B. V. MARIÆ, nomine S. EVDALDI, populo exponebantur, nec alicuius erant Sancti, nec deberent ibidem honorari, nè fortè fuissent alicuius hominis malefactoris. Quo dicto, statim dæmones sunt ingressi in corpus famuli, quem scuerissimè vexabant. At verò ad S. EVDALDI reliquias illatus, iidem maligni spiritus confessi sunt Sancti Martyris beatitudinem, & verum ibidem consistere illius Corpus. Quo, & orationibus fratrum, famulus à dæmonum molestia sanus exurgit. Postmodum alios Quatuordecim obsessos liberauit B. EVDALDVS.

Famulus Cœnobij à dæmone corripitur, & liberatur.

POST nonnulla temporum curricula, frigescente Accolarum feruore, festinitas S. EVDALDI cessauit in totum, sic vt nulla iam videretur superesse memoria, imò nec deuotio cognosceretur. Tantam ergo Deus Ciuium ingratitudinem punire constituens, maximam in regionem illam, siccitatem, famem, & mortalitatem immisit. Quam vt à populo Deus auertere dignaretur, Prior, & Monachi huius Cœnobij Corpus S. EVDALDI de loco, vbi erat repositum, in publicum processionaliter extrahentes, populis innumeris interessentibus ostenderunt. Qui deuotè à Deo propter Sancti sui Martyris merita, auxilium expetentes, vouerunt, se in posterum eius diem culturos, festum celebraturos deuotè, si pluuiam agris, salutem ægris, & panem famelicis misericorditer tribueret. Annuit votis Dei miseratio; & protinus cœli cataractæ apertæ sunt, & pluuiam dederunt salutarem, innumeri cæci, claudi, & infirmi sanati sunt, mortalitas cessauit, & fames saturata est.

Eius festinitas obliterata miraculo repetitur.

CVM quidam homo lumine captus, ad visitanda limina Corporis S. EVDALDI, è regione venisset, & ad Sancti tumulum Martyris pro adipiscendo visu pernoctasset assiduè, in propria absque curatione commeans, adusque populi sui terminos lachrymabundus accessit, qui lachrymas ab oculis abstergere festinans, continuò & visum recepit, & Deo, & S. Matryri gratias, flexo vtroque poplite peregit.

Cæcus visum recipit.

AD S. EVDALDI tumulum fuit quadam die delatus puerulus grauissimo paralysis morbo laborans, nam manus ad cubitum adhærentes declinabant, distortis genibus, & capite valde luxato, pro cuius salute, preces ad Martyrem quamplurimæ sunt factæ, donec sanitatem integrè recepit.

Paralyticus curatur.

QVIDAM homo nomen S. EVDALDI iuramento interposuit falso; quem sic Deus inopinatè puniuit, vt illico exanimis in terram collapsus, occumberet.

Punitur periurus.

Hucusque huius Primæ TRANSLATIONIS ecphrasis. Alia *Translatio* (S. Martyris iussu) confecta est *die IX. Augusti.* Quo die alia subiiciemus miracula ex relato *Legendario.* Celebris mihi dies ista dum vita supererit, & albo notanda lapillo erit, qua Illustrissimus ac Reuerendissimus Dominus, ac Dominus meus D. DIDACVS DE ARCE REYNOSO Episcopus Placentinus, ac Hispaniarum Inquisitor Generalis, mihi licet indigno, BENEFICIVM Simplex, quod *Præstamum* vocant, in Ecclesia Parochiali Oppidi *de Garcias*, diœcesis Placentinæ, hoc anno M. DC. LII. contulit. Cùm iam primùm fuerim ab eodem Illustrissimo Domino meo, alio *Præstimonio* in Ecclesia Oppidi *de Oialuo* eiusdem Diœcesis donatus.

Hic dies Auctori solemnis.

MONASTERIVM RIPOLLENSE. Illud fuisse conditum ab *VVifredo* cognomento *Velloso*, huius nominis II. Comite Barcinonensi IV. ad Annum Domini DCCC. LXXXVIII. vel circiter, vt ex Marineo Siculo probat P. F. Franciscus Diago *Histor. Comit. Barcinonens. lib. 2. c. 11. fol. 68.* qui ex authentica scriptura probat, istud Cœnobium conditum fuisse ab ipso Comite *VVifredo*, vnà cum eius vxore *Guinidilde* sub vocatione B. MARIÆ Virginis, ob ibidem sacram Imaginem Dei-Genitricis inuentam in profundo cuiusdam spelæi, Monasteriúmque traditum Monachis *Benedictinis* fuit, in quo *Rodulfus* Comitum filius primus cucullum induit, cuius fuit in posterum Abbas, & tandem Episcopus Vrgellensis. Quæ omnia etiam refert P. F. Anton. *in Chron. Benedict. tom. 4. Cent. 5. Ann. 888. c. 2. fol. 216.* vbi non solum extructionem huius Cœnobij, sed & Consecrationem Ecclesiæ, & Catalogum Abbatum ab eius exordio ad Annum M. D. XCVIII. subiecit.

Topographia.

Digitized by Google

IDIBVS MAII.

DIES XV.

A. HISPANIÆ *ex decreto S. R. E. totius Orbis Matris, & Magiſtræ memoria* SS. TORQVATI, TESIPHONTIS, SECVNDI, INDALETII, COECILII, HESICHII, & EVPHRASII, *primùm* B. IACOBI *Apoſtoli Zebedæi filij, Diſcipulorum; qui eius indiuidui comites, poſtquam ſacratiſſimum Magiſtri Corpus è Ieroſolymis, vbi martyrium compleuerat, in* Gallæciam, *Deo diſponente, traxêre, & honorifico condidêre ſepulchro,* Romam *deuenientes, & SS. Petro, & Paulo Apoſtolis omnia quæ in Hiſpanijs euenerant enarrantes, ab ipſis Epiſcopi conſecrati, & ad Noſtros remiſſi, Torquatus* ACCI *Teſiphons* VERGII, *Secundus* ABVLÆ, *Indaletius* VRCI, *Cæcilius* ILLIBERI, *Heſichius* CARTERÆ, & *Euphraſius* ILITVRGII *fidem Catholicam prædicantes, ad martyrij coronam feliciter peruenêre. Quorum licèt hac die inſimul commemoratio peragatur Natalium, tamen apud eorum Eccleſias ſeparatim proprijs diebus vniuſcuiuſque feſtiuitas repetitur agonis.*

B. EBORÆ *in Luſitania Hiſpaniæ* S. MEMII MANTII, *ipſius Vrbis Epiſcopi, qui cùm Ciuis fuiſſet Romanus, Chriſto adhærens, eius meruit Diſcipulus vocitari, in Gallias deueniens, & Catalaunicam regionem fidem edocens, Hiſpanias peragrauit, vbi Eborenſis vrbis ciuibus Euangelicæ doctrinæ veritatem diſſeminans, tandem ſub Trajano Imperatore glorioſam Martyr coronam adeptus eſt.*

C. CORDVBÆ *in Bætica Hiſpaniæ* S. VVITESINDI *Martyris, qui Egabrienſis vrbis origine natus, Cordubam petijt, vbi primò timore cruciatuum à fide deuius, Sarracenicæ adhæſit impietati, quam vt opere impleret, prout verbo dictauerat compulſus, Dei miſeratione pœnitens, Chriſti fidem prædicauit intrepidus, ita vt martyrio ſuppoſitus, ſanguine lauit, quod culpa infeliciter maculauerat.*

D. MADRIDII *in Carpetania Hiſpaniæ* S. ISIDORI *Agricolæ, qui licèt mercede colendis agris conduceretur, magnam ſibi*

virtutum,

Digitized by Google

virtutum, & vberrimam meritorum in eo exercitio ſegetem comparauit, ita vt charitate in pauperes diues, & ſanctitate clarus Confeſſor inclytus migraret ad Dominum, miraculis viuens ac moriens celebris.

E. *Apud* MARTORELLVM *in Cathalonia Hiſpaniæ, Depoſitio ſacrorum pignorum* S. ISIDORI *Martyris, qui agonem in Inſulâ Chio conſummauit. Cuius pars pignorum Venetijs, pars Martorelli honorificè quieſcunt.*

NOTÆ.

SANCTI TORQVATVS & Socij Epiſcopi, & Martyres.] Hos ſanctiſſimos Præſules, quos hoc die ſimul profert venerandos Eccleſia Vniuerſalis, fuiſſe S. IACOBI Hiſpaniarum Apoſtoli Diſcipulos, nemo eſt qui ignoret. Nec in his *Septem* numerus Apoſtoli Diſcipulorum finitur, quia vt ex P. Biuar. *in Not. ad Dextr. Ann.* 37. *Comment.* 2. *fol.* 70. liquet, XXIV. Diſcipulos IACOBVM habuiſſe conſtat. Quibus addo Quinque ſcilicet *Hermogenem*, & *Agathopæum*, de quibus plura diximus ſuprà *Tom.* 2. *die XXV. Aprilis*. PHILETVM de quo XXVIII. Martij. *Ioſephum ab Arimathia*, de quo XVII. Martij, & *Ioſiam*, qui cum ipſo Apoſtolo ad æternitatis palmam properauit. Hinc Quæſtio inſurgit: Quare Eccleſia hac die tantum horum *Septem* meminerit, cæteris poſthabitis? Cui dubio dupliciter reſpondetur, I. quia cùm olim vniuſcuiuſque Pontificis dies ignoraretur agonis, conuenit vt in vnum eorum colligeretur memoria, vt facilius *Hiſpaniæ* Eccleſiæ illorum feſtiuitatem recolerent. II. Quia eo ipſo quòd iſti *Septem* conſecrati ab Apoſtolis Petro, & Paulo Apoſtolis *Hiſpaniæ* Antiſtites fuêre, vt totam Prouinciam ad fidem reducerẽt, & in ea ſanguinẽ ſuum in miniſterio fuderunt, ideò gratificationis gratiâ omnes in vnum coniunxit cultus, vt ſemel coleret, quos eadem fraternitas ſodales, & ipſa paſſio fecit eſſe germanos. Hinc in Martyrologiis antiquis *Romano, Vſuardi, Adonis, Rabani, Notkeri, Alexandri de Peregrinis, Conſtantij Felicis, Maurolyci, Cabilonenſis, Equilini*, & recentioribus Caſtellano *P. Vazq.* Luſitano *P. Lupi*, & Hiſpano *MS. P. Higuera* hoc die eorum recenſetur anamneſis. Suffragantur *Tarrapha, Truxillo, Vega, Sanctorus, Æmillianus, Villegas, Ribadeneyra*, & cæteri Flor. SS. Scriptores. His adhærent ferè omnia Antiqua Breuiaria, Legendaria, & Sanctorales tàm editi, quàm MSS. De eis poſt *Dextrum, Iulianum, Aulum Hatum*, Calixtus II. & Leo III. Summi Pontifices, & quotquot de *S. Iacobo* ſcripſêre, quos nouiſſimè congerunt *D. Ioſephus Pellicer de Touar*, Regiâ munificentiâ Hiſpaniæ Archichronographus, literarũ omnium officina, & eruditionis totius, ſi quis alius inter Noſtros, armamentariũ, & *D. D. Antonius Calderon*, S. E. Toletanæ Canonicus, Archicapellanus Regius in Regali Cœnobio Madridenſi Dominicæ Incarnationis. Eorũ ACTA ex MS. Codice Bibliothecæ *Garſiæ de Loayſa*, cuius apud me auctographum, damus, quæ ipſe Illuſtriſſ. & Doctiſſ. Archiepiſcopus, ex vetuſtiſſimo *Complutenſis* Bibliothecæ Codice, literis Gothicis ſcripto, ſe deprompſiſſe fatetur, hoc titulo.

A. *Diſcipuli S. Iacobi.*

Quare Eccleſia hos Septem coniungit.
I. Ratio.
II.

VITA SS. PONTIFICVM TORQVATI, Teſiphontis, Heſichij, Indaletij, Secundi, Euphraſij, & Cæcilij, qui à SS. Apoſtolis in Occiduæ partis ob gratiam S. Euangelij nuntiandam Regiones miſſi ſunt, qui celebrantur Id. Maij.

VICTORIAS, *& Beatiſſimorum Martyrum turbas, & innumeras SS. Confeſſorum cateruas, quas ſupremis cœtibus credimus Angelico Collegio ſociatas,*

Præfatio.

ſociatas, nulla mens hominum, vel eorum nomina valet narrare, vel numerum eorum, per quorum ſuffragia vniuerſa plebs hoſtis inſidias ſuperat, & caduca mortis in corpora morborum varietate detenta, ac variis languoribus occupata repente ſalus comis inſequitur, & ægra, illuuie depulsâ, ſoſpitatis cumulo reſtaurantur. Vnde nec atrociſſimæ mortis eos rapina cernitur retinere, quorum ſomnus potius datus quæritur ad quietem: à quibus, & mortuis vita conceditur, & mœſtitiam patientibus lætitia perennis affertur. Sed de his quantum ad me puræ relationis gloriosa fama perduxit, & præclaris titulis ſanctâ narratione ſcire non diſtulit, dignum puto ſequentibus populis facilius ſcriptum tranſmittere, quàm rem veraci recordatione repertam ſilentio præterire. Ne dùm tanti theſauri copiam celando obtegimus, ingenti negligentiâ reos nos modis omnibus ſentiamus.

Nomina. IGITVR *cùm apud vrbem* Romam *Beatiſſimi Confeſſores* TORQVATVS, TESIPHONS, SECVNDVS, INDALETIVS, EVPHRASIVS, CÆCILIVS, & HESICHIVS *à Sanctis Apoſtolis Sacerdotium ſuſcepiſſent, & ad tradendã in* Hiſpania *Catholicam fidem, ſi adhuc aliquo Gentilium errore detineretur, profecti fuiſſent, diuino gubernaculo comitante ad Ciuitatem* Accitanam *ſe protinus conuerterunt. Qui cùm procul, quaſi ſtadia* XII. *fatigatis artubus reſediſſent, vt membra quæ fuerant itineris prolixitate confecta, paulisper indulgerent, & ſe ſe animantibus id quod longæuum iter attriuerat, quieſcendo reficerent, atque recto calle inlaſſabiliter gradirentur: & licèt membris corporis, quibus geſtabantur, viderentur attriti, erant tamen cœleſti auxilio, & gratiâ ſpirituali firmati, decurrente ſibimet teſtimonio, quod ait*: Sancti qui ſperant in Domino mutabunt fortitudinem, & aſſument pennas vt Aquilæ, current, & non deficient. *Itaque vt ipſi comperimus Venerandi Antiſtites in illo loco, quo iam diximus, requieſcere expetiiſſent, ad Ciuitatem* Accitanam *propter eſcarum indigentiam, ſequipedes ſuos mitterent. At igitur die illo cum Ioui, Mercurio, vel Iunoni rituoſa Gentilitatis immanitas feſtum celebraret, & oblita ſuperni ſolij reſidentis Domini, mutis, & mortuis imaginibus vaniſſimo cultu ſolemnia ſcelerata perſolueret, tunc videlicet in prædicta vrbis Venerabilium Senum diſcipuli mœnia ingredientes, vident infeliciſſimam turbam, deceptionis ſummæ laqueis irretitam, & perpetui barathri præcipitatione demerſam, vt per id quod videbatur pollutis manibus perpetrari, crederet ſe poſſe ſaluari. Cumque SS. Senum comitibus, eorum hominũ peſtifera conuentio obuiaſſet, agnito in eis Religionis venerabili cultu, & piæ fidei habitu Sacerdotum, feruidè eos vſque ad fluuium, in quo pons erat antiqua mole conſtructus, nefandus hoſtis inſequitur. Ibiquè diuino laborante miraculo, opus, quod nulla ætate poſſe crederet ſolui, eodem momento temporis conteritur, & cum cruento ipſius fluminis alueo ſeditio pagana ſubmergitur, & cantantibus Sanctis* Equũ, & adſcenſorem proiecit in mare; *Dei famuli liberantur. Quem videns euentum pars maxima, terrore vehementi comprimitur. Inter hos fuit quædam Senatrix, rebus inclyta, & inflammatione S. Spiritus adornata, genere nobiliſſima, nomine* Luparia, *quæ vt ipſorum Sanctorum opinionem reperit, ad eos ſuos nuntios alacriter deſtinauit, per quos, illos vt ſuam eidem exhiberent præſentiam rogauit. Quos vbi primùm mulier videre meruit, cùm eius interna pectoris iam Deus ſupernis donis ditauerat, vnde ſanctiſſimi Sẽnes eſſent, vel de quibus regionibus aduenisſent audaciter interrogat: & cum illi ſe à SS. Apoſtolis miſſos ad prædicandum Dei Regnum, & Chriſti Euangelium* Hiſpaniæ *denuntiare, fuiſſe præceptum, perquirenti fœminæ faterentur, dicentibus illis, & docentibus*: Quia omnis qui credit in Chriſtum filium Dei, mortem non guſtabit in æternum, ſed vitam poſſidebit Angelorum; *continuò ſanctæ doctrinæ nouella diſcipula credere adquieuit; & poſtulans donum Sancti baptiſmatis, iubetur, non potiùs petita percipere, quàm pro baptiſterio, vbi Sancti elegerunt, fabricaretur ex Baſilica. Quæ tali iuſſione perceptâ, tandiù operi iugem curam exhibuit, quo vſque omnem fabricam Baſilicæ ad culmen deduceret, & cœpti Templi faſtigia explicaret. Cúmque iam perfectum*

Accim veniunt.

Iſai. c. 40.

Accitani feſtum Dijs agebant.

Aduerſus Sanctos inſurgunt.

Pons ruit, & omnes perſecutores ſubmergit.

S. Luparia Dei ſeruos fouet.

Chriſto nõmen dat.

ctum opus existeret, & vniuersa Sanctis, vt iusserant, placuissent, fontem ex more construunt, in quo sanctæ deuotionis fœmina, salutaris lauacri vndâ perfunditur. Huius mulieris cùm sanctum sequeretur exemplum cunctus populus, qui idolorum vanas superstitiones colebat, veternosi criminis templum reliquit, & Sanctorum Senum doctrinam auidis mentibus adsequitur. Ex tunc iam idolorum polluta sedes relinquitur, & ibidem S. IOANNI BAPTISTÆ *consecrantur Altaria, Ecclesia Christi constituitur, & crescente fide Dei populus augmentatur. Deinde non mente se segregantes, nec fide, sed pro dispensandâ Dei gratiâ per diuersas vrbes diuiduntur,* TORQVATVS *Acci,* Tesiphons *Vergæ,* HESICHIVS *Cartenæ,* INDALETIVS *Vrci,* SECVNDVS *Abulæ,* EVPHRASIVS *Illiturgi,* COECILIVS *Illiberi; in quibus vrbibus commorantes cœperũt de nequitia vitæ mortales redimere, sicque factum est, vt dùm famuli Dei dona impartiuntur cœlestia, magnos S. Ecclesiæ credentium fructus adquirant. Vnde post laborum suorum finem glorioſos palmæ triumphos in superna patria reportarunt, atquè ideò de augmento bonorum operum iam securi, deficiente temporali vitâ, æternæ regionis possessione perceptâ, felici obitu de hoc seculo migrauerunt.*

Construit Basilicam B. Ioanni Baptistæ.

Sancti per diuersas vrbes prædicant.

Coronãtur.

NOBIS *quoque Reliquiarum suarum veneranda præmia reliquerunt; ad quorum sacra, sanctaque sepulchra, quisquis æger piâ deuotione deuenit, inuicto Beatissimorum Confessorum liberatur auxilio. Nam dæmones ex corporibus obsessis expellunt; & cæcis lumen, quod amiserant, suâ oratione restituunt; atque omnes eorum suffragia excolentes, quæcumque illic confidenter exposcunt, eadem mox cælitus impetrata percipiunt. Sed & illud pallio silentij operire non debemus, scilicet tàm præclara miracula, quæ in ipsorum anniuersarijs, pijs, ac fidelibus Sanctorum meritis Deus vsque in hodiernum diem operatur. Hæc quæ narramus, cuncti scimus; & ipsi persecutores Ecclesiæ, perfidorumque dæmonum cultores verum agnoscunt. Est ibidem ante fores Ecclesiæ, ab ipsis Sanctis radix Oliuæ modicæ posita, tantáque in ea à Domino vbertas gratiæ cõcessa est, vt in vespera Sanctorũ, cùm ingreditur eorum Natalis, plus floribus vernatur, quã foliis operta videatur. Manè vero ex ipsis floribus fructus sentiens omnis conuentus, qui piâ deuotione aduenerat, vt Sanctorum veneraretur patrocinia, siue gentilitatis multitudo, siue hæreticorum, aut dogmatistarum occurrentiũ caterua, protinus inquam perfectas, & maturatas oliuas, omni pulchritudine adornatas colligit, prout in suis certis temporibus, & ita omnes fideles, seu infideles pro suis infirmitatibus quotquot colligere valent, deportant. Quis enim dicere poterit copiam horum fructuum. Quos in vnum si colligere fas fuisset, potuisse plurimos complere cophinos omnibus compertum est: Præstante Domino Nostro Iesu Christo, qui Martyres, & Confessores suos suscepit in pace, & glorificat in virtute, qui est vnà cum Patre in diuina, & coæquali essentiâ, in vnitate Spiritus Sancti in secula seculorum, Amen.*

Miracula ad eorũ Reliquias.

Oliua vbertas in festinitate Sanctorum.

Hucvsque *MS. Complutensis* series; cuius ecphrasim recensuit etiam Bernard. de Alderet. *in Antiquitat. Hispan. lib. 2. à cap. 12. vsque ad* 15. Eadem ACTA scripsit metricè *S. Isidorus* Noster in Hymno, sic:

IN FESTO SS. SEPTEM EPISCOPORVM Hispanorum, Hymnus S. Isidori Hispalensis.

VRbis Romulea iam toga candida
Septem *Pontificum destina promicat*
Missos Hesperia, quos ab Apostolis
Adsignat fidei prisca relatio.
Hi sunt perspicui luminis indices
Torquatus, Tesiphons, *atque* Hesichius,
Hic Indaletius, *siue* Secundus,

Digitized by Google

Iuncti Euphraſio, Cœcilioquè *ſunt.*
Hi Euangelicâ lampade præditi
Luſtrant Occiduæ partis arentia;
Quò ſic Catholicis ignibus ardeant,
Vt cedant facibus furna nocentia.
Accis *continuò ſit proxima Viris,*
Bis ſenis ſtadijs, quâ procul incident.
Mittunt aſſeclas eſculenta quærere.
Vt feſſa dapibus membra reficerent.
Illic Diſcipuli idola Gentium
Vanis inſpiciunt ritibus excoli,
Quos dum contemni fletibus implorant,
Terrentur potius auſibus impijs.
Mox inſana fremens turba ſatellitum,
In his cum fidei ſtigmata noſceret,
Ad pontem fluuij vſque per ardua
In curſu celeri hos agit in fugam.
Sed pons præualido murice fortior,
In partes ſubitò pronus reſoluitur,
Iuſtos ex manibus hoſtium eruens,
Hoſtes flumineo gurgite ſubruens.
Hæc prima fidei eſt via plebium,
Inter quos mulier ſancta Luparia,
Sanctos adgrediens cernit, & obſecrat,
Sanctorum monita pectore collocans.
Tum Chriſti famula attendens obſequio
Sanctorum, ſtatuit condere fabricam,
Quo Baptiſterij vnda pateſcerent,
Et culpas omnium gratia tergeret.
Illic Sancta Dei fœmina tingitur,
Et vitæ lauacro tincta renaſcitur:
Plebs hic continuò peruolat ad fidem,
Et fit catholico dogmate multiplex.
Poſt hæc pontificum chara ſodalitas,
Partitur properans Septem in Vrbibus,
Vt diuiſa locis dogmata funderent,
Et ſparſis populos ignibus vrerent,
Per hos Heſperiæ *finibus indita*
Inluxit fidei gratia præcox;
Hinc ſignis varijs, atque potentiâ
Virtutum, homines credere prouocat.

Ex hinc iuſtitiæ fructibus inclyti,
Vitam multiplici fœnore terminant,
Conſepti tumulis, Vrbibus in ſuis
Sic ſparſo cineri vna corona eſt.
Hinc te turba potens vnica Septies
Orata petimus pectoris abdito,
Vt veſtris precibus, ſydus in atheris
Portemur ſocij ciuibus Angelicis.
Sit Trino Domino gloria vnico,
Patri cum Genito, atque Paràclito,
Qui ſolus Dominus Trinus, & Vnus eſt,
Seclorum validè ſecula continens, Amen.

Hæc ſunt acta prout illa *Iſidorus*, & Veteres ſcripſerunt, ſolùm attendentes ad Aduentum SS. Pontificum Româ in Hiſpaniam, vt fidem Catholicam ſeminarent, non quia primi hoc munus acceperint, ſed (vt inquiunt *Acta Complutenſia*) ad tradendam illam, *ſi adhuc aliquo Gentilium errore detineretur.* Quâ ſuppoſitione præcognitâ, inſurgit QVÆSTIO *Baronij*, quâ nititur probare hos SEPTEM Antiſtites fuiſſe PRIMOS Hiſpaniæ MAGISTROS, ita vt ex hoc *Eminentiſſimus Purpuratus* anſam aſſumpſerit, ad negandum acceſſum in Hiſpanias *S. Iacobi* Noſtri. Sed quia iſthæc diſceptatio, licèt communis, præſentem locum deſiderat, illam prolixiùs abſoluemus. *Aniſi Septem Epiſcopi fuerint qui primi fidem in Hiſpaniã traxere?*

HVIVS ſententiæ vis (præter alia) duobus nititur fundamentis, quodlibet ex duabus Summorum Pontificum Epiſtolis proueniens. PRIMVM ex Epiſtola *Innocentij I.* ad Decentium Epiſcopum Eugubinum, relata in *cap. Quis neſciat, 11. diſt.* vbi Pontifex aſſerit, quòd in omnem Italiam, Gallias, HISPANIAS, Africam, atque Siciliam, Inſulaſque interiacentes, nullus inſtituit Eccleſias, niſi illi, quos venerabilis Apoſtolus Petrus, aut eius ſucceſſores conſtituerunt Sacerdotes. Ergo iſti SEPTEM Epiſcopi à Petro in *Hiſpanias* miſſi, primi fuêre huius regionis Apoſtoli, qui Eccleſias conſtituere, & populos ad Fidem conuertere ſunt aggreſſi. Cuius aſſertionis auctoritate Baron. *Annal. Eccleſ. tom. 9. Ann. 816. num. 51.* concludit: *Quibus, & illud luce clarius demonſtratur, ante ipſius* Innocentij *tempora nec quidquam de* S. IACOBI *acceſſu in* Hiſpaniam *eſſe conſcriptum, dicam amplius, neque cognitum; vel ſi cognitum, certè non creditum, neque poſt multa temporum ſecula.* *Opinionis affirmatiuæ Baronij Ratio I.*

SECVNDVM depromit ex Epiſtola *Gregorij VII.* ad Regem Hiſpaniæ Adephonſum, quâ Pontifex hæc verba reſcripſit: *Cùm B. Apoſtolus Paulus* Hiſpaniam *ſe adire voluiſſe ſignificet, ac poſtea* SEPTEM *Epiſcopos ab vrbe* Româ *ad inſtruendos* Hiſpaniæ *populos à Petro, & Paulo Apoſtolis directos fuiſſe, qui deſtructâ idololatriâ, Chriſtianitatẽ fundauerunt, religionem plantauerunt, & officium in diuinis cultibus agendis oſtenderunt, & Sanctas Eccleſias ſuo ſanguine dedicauére.* Quibus verbis innixus *Baron. vbi ſupr.* proſequitur: *Quis igitur non intelligit ex his ignoratum hactenus* SEPTEM *illos (quod recentiores tradiderunt)* IACOBI *Apoſtoli fuiſſe Diſcipulos? Quos non vnius* IACOBI, *ſed Principum Apoſtolorum Petri, & Pauli fuiſſe, ex antiquitatis promptuarijs* Gregorius *prodit.* En efficaciora *Purpurati* argumenta; quorum vt debilitatem agnoſcas, vniuſcuiuſque fallentias tibi ob oculos apponemus, quibus penſatis facilem *Eminentiſſimi* mutabilitatem notabis. *Ratio II.*

SIT igitur primus ſcrupulus circa relationem Epiſtolæ *Innocentij*, vbi aſſeritur nequaquam in omnem Italiam, Gallias, Hiſpanias, &c. vllum inſtituiſſe Eccleſias, niſi eos, qui venerabilis Apoſtolus Petrus, aut eius ſucceſſores conſtituerunt Sacerdotes. Si hoc verum; ergo *Barnabas* Apoſtolus, & eius Diſcipulus, & ſucceſſor *Anathalo*, falsò dicuntur *Mediolanenſem* Eccleſiam conſtruxiſſe, cùm non conſtet illos à Petro, & Paulo Apoſtolis, nec ab eius ſucceſſoribus miſſos, & conſtet *Aduerſus I. Rationem Scrupulus, & falſitas I.*

ex

Digitized by Google

ex Eccleſiæ placito in *Rom. Martyrolog. die XXV. Septembr.* Barnabam Eccleſiam erexiſſe *Mediolanenſem*, quæ in *Italia* eſt, & *Anathalonem* eius diſcipulum, in eius Apoſtoli locum ſucceſſiſſe. Quid ad hæc dicet *Baronius*? Auſculta. *Tom. 1. Annal. Ann. 58. n. 51.* agens de peregrinatione *Petri* Apoſtoli in partes *Occidentales*, contendit nullum in eas miſſum Apoſtolum (*Epiſtolâ Innocentij* fretus) nec ibidem prædicaſſe, & proſequitur: *Vno excepto* Barnabâ, *qui ad breue tempus* Ligures *docuit*. En ex ipſo *Baronio* prima fallentia ad aſſertionem *Epiſtolæ Innocentij*; ergo provt regula iſtius Pontificis fallit in *Barnaba* apud *Ligures*, potuit & in IACOBO apud *Hiſpanos*: imò quod plus eſt, nam & ipſe *Baronius* ibidem mordicus, vt aſſolet, etiam regulam in IACOBO excipit. Similiter obſtant aſſertioni *Innocentij* prædicatio *Pauli* in *Gallia*, vbi in Vrbe *Narbonâ Paulum Sergium* reliquit Epiſcopum, vt conſtans totius *Galliæ* traditio eſt, imò & ipſa Eccleſiæ Vniuerſalis monimenta in *Roman. Martyrolog. die XXII. Martij* liquidò docent. En ſecunda in *Gallia* fallentia. Quid de *Hiſpania*? audi S. Rotæ Romanæ celebrem deciſionem, apud amicum D. Michaël. de Erze *in Tractat. de Prædicat. S. Iacob. in Hiſpan. 1. p. Tract. 7. c. 7. fol. 164. n. 2.* ſic loquentem: *Nec obſtat* Epiſtola Innocentij I. ad Decentium Epiſcopum Eugubinum, *regiſtrata* in c. Quis neſciat, 11. diſt. *& innouata per* Gregor. VII. Epiſtolar. lib. 1. *ad Sanctium Hiſpaniarum Regem, in qua pro certo, conſtantíque firmatur, nullum ex Apoſtolis præter* B. Petrum, *vel eos, quos eius ſucceſſores conſtituerunt Sacerdotes, Cathedrales Eccleſias in Italia*, Hiſpania, *Gallia, Africa, Sicilia, adiacentibúſque prouincijs fundaſſe. Quem* Textum *ita in ſpecie videtur intelligere, nunquam ſatis laudatæ memoriæ* Cardin. Baron. in Not. ad Martyrolog. Rom. in Feſt. S. Iacob. ſub die XXV. Iul. *vbi poſtquam firmauit* S. IACOBVM *prædicaſſe in* HISPANIA, *ſubdit, non ſic accipiendum id eſſe, vt illic prædicauerit Gentilibus Euangelium, ſed Iudæis tantùm ſuis Gentibus Chriſtum annuntiauerit: nec ſic quidem, vt aliquam fundauerit Eccleſiam, vt plenius aduertit* Magnus Comeſtabilis Caſtellæ in 2. diſcurſ. contra eund. Cardin. Baron. fol. 61. *dicens, aliud eſſe conuertere Infideles, aliud fundare Eccleſias: cùm primum ad Apoſtolos omnes, ſecundum verò ad B. Petrum tanquam Caput Eccleſiæ pertineret.*

Fallētia II.

Fallētia III. ex Deciſ. Rot. Rom.

Eccleſias conſtituere, & fundare ſine licentia S. Petri & eius Succeſſorum nunquam licuit. Quā licentiam cæteris Apoſtolis tribuit.

NAM *huic obiecto reſponſum fuit per Dominos: Concluſionem prædictam, quòd ſcilicet nullus ex Apoſtolis præter* B. Petrum *Eccleſias in præfatis Regionibus fundauerit, eſſe intelligendam, vt nullus ſine mandato, iuſſu, permiſſione, ac* B. Petri *auctoritate Eccleſias inſtituerit, iuxta ſolutionem* Gloſ. in d. c. Quis neſciat, in verb. Apoſtolos. *Quam veluti magis receptam, atque veriorem referunt, & ſequuntur ibid.* Archidiac. *n. 2.* Turrecrem. *n. 1.* Gemin. *n. 7. & plura hoc in argumentum eleganter congerit* Gaſp. Sanct. de Prædicat. S. Iacob. in Hiſpan. Tract. 3. c. 1. per totum, & præcipuè n. 3. *Ac proinde, quia habetur pro certo* B. Petrum *Dei monitu, mandatum, permiſſionem, atque auctoritatem huiuſmodi cæteris Apoſtolis ad Gentium prædicationem euntibus, dediſſe, vt teſtatur* Ioan. Anton. Delphin. de Eccleſ. Poteſtat. tit. de Cardinalibus concluſ. 1. verſ. 3. fol. mihi 19. & concluſ. 9. fol. 88. *Et de* Paulo *teſtatur* Archidiacon. in d. c. Quis neſciat, n. 2. & 3. *Et de* B. Clemente, *qui eandem poteſtatem conceſſit* Philippo Philoteo *in* Hiſpanias *adlegato, vt refert* Methodius *Auctor Græcus & vetuſtiſſimus* in Vita S. Dionyſij *in hæc verba:* Porrò *S. Clemens* ſub id tempus *Philippum* quendam *Hiſpanis* Epiſcopum præfecerat, eandémque poteſtatem, quam ipſe diuinus *Clemens* à Petro accepit, ipſi dederat, dicens: *Profectus in Occidentales plagas Euangelium Regni cælorum prædicato: ligandi etiam, ſoluendíque poteſtas tibi eſto; vt Chriſti Euangelium per te quoque, longè, latéque diffundatur, quò à Domino inſtar fidelis ſerui audire merearis:* Euge ſerue bone, &c. *Quæ verba tranſcribit* Biuar. ad Dextr. Ann. 91. n. 6. verſ. Tranſlatis, *vbi* Philippi *iſtius memoriæ conteſtes* Ambroſium de Morales, *ac* Marianam *enumerat. Imò poteſtas iſta fuit aliquando conceſſa cum facultate ſubdelegandi, provt communis eſt traditio* Paulum *Apoſtolum eandem* Tito *delegaſſe in* Epiſtol. ad eund. Tit. *ibi:* Huius rei gratiâ reliqui te Cretæ, vt ea quæ deſunt corrigas, & conſtituas per Ciuitates Preſbyteros.

Et maximè IACOBO Hiſpaniæ Apoſtolo.

HINC *præterea manifeſtè apparet in nihilo diſpoſitioni text.* in c. Quis neſciat, *aduerſari, quòd* B. IACOBVS, *ſuppoſitâ Petri auctoritate, atque mandato, ante* SEPTEM Epiſcopos, *Hiſpanias adiſſet, & Sedem Cathedralem Cæſarauguſtanam in Eccleſia*

B. MA

B. MARIÆ inſtituerit, & Athanaſium in illius Epiſcopum deſtinauerit: Quemadmodum etiam Ieronymus, de Scriptor. *teſtatur, Beatum* Ioannem *Apoſtolum ordinaſſe in Epiſcopum Smyrnæ* Polycarpum, *vt ex* Tertulliano *refert* Georg. Ederus in Mall. Hæret. lib. 2. c. 5. concluſ. 4. Hoc enim modo. *Et firmat* Martyrolog. Rom. ſub die XXVI. Ianuar. *ſed omnes Aſiæ Eccleſias fundaſſe, vt idem* Martyrologium *firmauit* ſub die XXVII. Decembr. (*in quo tamen* Ieronymo *diſſentit* Baron. Ann. 97. n. 2. fol. 736.) *&* Paulus *Apoſtolus* Dionyſium *in Athenienſem*, Timotheum *verò in* Epheſinum *Epiſcopum creauit, vt de* Dionyſio *teſtatur* Hilduin. in Areopag. apud Sur. die IX. Nouembr. *relatus per* Baron. Ann. 52. n. 12. in fin. fol. 408. Hincmar. Rhemenſ. Epiſcop. *cuius teſtimonium tranſcribit idem* Baron. ad Martyrologium ſub die IX. Octobr. lit. B. *& de* Timotheo *auctor eſt* Euſebius lib. 3. Hiſtor. c. 4. *&* Ignat. in Epiſt. ad Epheſios: *quam pariter recenſet idem* Baron. Ann. 91. n. 186. fol. 511. *&* Ann. 97. n. 2. fol. 736. *Et habetur non ſolùm in* Martyrol. Rom. ſub die XXIV. Ianuar. *ſed etiam in* Breuiario Romano, *in eiuſdem* Timothei *Lectionibus.*

Apoſtolorũ conſuetudo præficiendi Epiſcopos.

HANC *que fuiſſe Apoſtolorum conſuetudinem præficiendi Epiſcopum vnicuique Ciuitati, in qua Verbum Dei prædicauerunt, tradit* Tertullian. de Præſcript. aduerſ. Hæret. c. 20. *quem tranſcribit* Georg. Ederus d. lib. 2. c. 12. concluſ. 13. fol. mihi 385. *& clariùs* c. 5. concluſ. 2. & 4. Irenæus contra Hæret. Valent. c. 63. *prout in hanc rem exempla, & alia congerit* Burſat. conſ. 126. n. 27. *Cui quidem conſuetudini tanto magis veriſimile eſt* B. IACOBVM *adhæſiſſe, ne in vaſtis* Hiſpaniarum *Regionibus, fœcundiſſimæ ſpem meßis abÿceret, quam vtique adimpletam feliciter Deiparæ Virginis promiſſio ſpoponderat, iuxta tenorem præfatæ Hiſtoriæ admirabilis conſtructionis huius Eccleſiæ* de Pilari. *Ideoque* ne Cardinalis Baronius, *&* Comeſtabilis, *Viri alioquin eruditiſſimi; ille rerum iſtarum obliuione, hic verò non credibili ignoratione, notentur, dicendum eſt, in hunc ſenſum accipienda eſſe illorum verba; quòd, ſcilicet, nullus ex Apoſtolis,* Petro *excepto, fundauit Eccleſias abſque iuſſu, mandato, ac eiuſdem* D. Petri *auctoritate: prout idem* Comeſtabilis *poſt ſuos Diſcurſus, intermedia corrigens, tandem firmauit*, S. IACOBVM *plures Epiſcopos, & Eccleſias Cathedrales in* Hiſpania *conſtituiſſe.*

Fallĕtia IV. ex ſententia Curiæ Iuſtitiæ Aragoniæ.

HACTENVS Rotæ Romanæ Deciſionis ſeries apud *Ioannem Baptiſtam Coccinum* Decanum, *Kal. Mart. Ann.* 1630. Sed & in ſententia, quam in Curia Iuſtitiæ Aragonum *Anno* 1605. Conſiliarij tulerunt pro Eccleſia *de Pilari*, & quam refert Gabr. Pennot. *Hiſt. Canon. Regul. 2. p. c. 30. §. 2. fol.* 335. alius datur intellectus ad prædicta *Innocentij* Epiſtolæ verba, ſcilicet: NEQVE *obſtant verba* Innocentij I. *in* c. Quis neſciat, 11. diſt. *præſertim cùm ſit manifeſtum in omnem Italiam, Gallias,* Hiſpanias, *Africam, atque Siciliam, Inſuláſque interiacentes, nullum inſtituiſſe Eccleſias, niſi eos, quos Venerabilis* Petrus Apoſtolus, *aut eius ſucceſſores conſtituerunt Sacerdotes. Tum quia, quod in hac parte profitemur, legitur, habetúrque in ſæpè dicta Hiſtoria, in Breuiarijs, Libríſque Eccleſiaſticis antiquiſſimis, & ſequimur (vt viſum eſt) quod* Romana *Eccleſia cuſtodit. Tum quia verba quantumuis generalia ſint, accipienda ſunt ſecundùm iuris intellectum: quare ſupradicta non ſic intelligenda ſunt indiſtinctè, ſcilicet, nullum Apoſtolum præter* Petrum *in eas Prouincias perueniſſe, & in eis Eccleſias ædificaſſe: ſequerentur enim grauiſſima abſurda; inter alia, &* Paulum *Apoſtolum varijs in locis falſum dixiſſe, in Italiam, & Romam perueniſſe, vbi à Nerone legimus carceribus mancipatum, flagellis cæſum, & tandem capite truncatum. Et eundem Apoſtolum* Hiſpanias *adijſſe ſanctiſſimi, & glorioſiſſimi Viri teſtantur. Referunt etiam* S. Iſidorus, *& alij plurimi* Philippum *Apoſtolum in* Galliis *quoque prædicaſſe. Quos omnes, & Summos Pontifices in dictis indultis, & Breuiarijs iuſſu eorum editis, & comprobatis, erraſſe, & deceptos eſſe dicere cogeremur, ſi dicta verba eo modo eſſent intelligenda; quod durum admodum eſſet. Non ergo ſic accipienda ſunt, ſolum* Petrum *in* Occidente *prædicaſſe, quia ab eo miſſi prædicarunt, & Eccleſias conſtituerunt, vt idem* Innocentius *profitetur. Beatus autem* IACOBVS *&* Paulus *qui* Hiſpanias *adierunt, à* Petro, *vt à capite Eccleſiæ miſſi fuêre, & eius auctoritate Eccleſias inſtituerunt, atque ideo* Innocentius *non repugnat, nec diffitetur* IACOBVM *in* Hiſpanias *perueniſſe; ſed omnes qui huc peruenerunt, iuſſu, vel conſilio* Petri *veniſſe dicit. In ſumma, hoc enim intendit* Innocentius, *omnes qui in eas aduentarunt Prouincias, vnam, eandémque fidem profeſſos, eam ſcilicet quam* Petrus *Eccleſiæ caput profeſſus eſt. Quam genuinam interpretationem, cum omnia ſic verè conſonant,*

nent, & inter ſe ad concordiam redigantur, ne vnus tantum Pontifex tot Pontificibus, Sanctis, Doctoribuſque graniſſimis, traditionibus, & Breuiariis aduerſetur, ſequi tenemur. Hactenus ſententia, ex cuius, & deciſionis tenore liquet, hos *Septem Epiſcopos* haudquaquam fuiſſe primos, qui Eccleſiam *Hiſpanam* conſtruxêre, cùm hæc debeatur Iacobo prærogatiua.

Baronius negat hos fuiſſe Diſcipulos Iacobi, & fallitur.

Nec *Baronij* & aliorum probatur opinio, quâ ſuadere contendit hoſce *Pontifices* minime fuiſſe S. Iacobi Diſcipulos, quia aduerſus eam eſt totius *Hiſpaniæ* inconcuſſa traditio in Scripturis, Hiſtoriis, & Breuiariis, vt de vnoquoque ex hiſce *Septem Antiſtitibus*, ſuis diebus, prolixâ enarratione probauimus, & quotquot de *Aduentu* S. Iacobi *in Hiſpanias* ſcripsêre, defendunt.

An hæc feſtiuitas fiat propter eorũ SS. agones?

Secvnda nunc ſe offert Qvæstio diſputanda; *An ſcilicet hæc ab Eccleſia annuata Commemoratio iſtorum* Septem Pontificum *hac die coniunctim, fuerit introducta ob illorum agones?* Cui dubio variè ab Scriptoribus ſatisfit, licèt inter omnes conueniat, nequaquam anniuerſariam hanc anamneſin, originem ſumpſiſſe ex horum Sanctorum, hac die, agonis completi ſignificatione, ſed aliâ de cauſa, quam vnuſquiſque ex Scriptoribus, provt ſibi magis conſona rationi, & officio adæquata videtur, excogitat, in hunc ordinem.

I. Opinio aſſerit introductam ob conuerſionem Hiſpaniæ.

Prima eſt dicentium introductam fuiſſe ob *conuerſionem Hiſpanorum populorum* ad fidem Catholicam, horum SS. Præſulum prædicatione. Sic Moral. *lib. 9. cap. 13.* Padill. *Hiſt. Eccleſ. tom. 1. Cent. 1. c. 18.* M. Rus-Puert. *Hiſt. Giennenſ. tom. 1. ſecul. 1. cap. 7. num. 7.* P. F. Franc. Biuar. *ad Dextrum in Chron. Ann. 43. n. 1. fol. 92.* Qui poſtquam hanc firmaſſet ſententiam, concludit: *Non videtur autem, quæ alia cauſa fuerit huius feſtiuitatis, niſi ADVENTVS horum Sanctorum in Hiſpaniam, & initium miraculoſæ conuerſionis Gentilium ad fidem.*

Nullus ex Septem h. d. occubuit. II. Ratio.

Secvnda ab ipſo *Biuario* deducta: Nam huiuſmodi *Septem Sancti Epiſcopi*, non hac die ſimul occubuêre, ſed diuerſis, vt eſt notum; imò quod plus eſt, nullus in hac die viuere deſiit, quia Torquatus *XIV. Iunij*; Cæcilius *I. Februarij*; Euphraſius *XIV. Ianuarij*; Heſichius *I. Martij*; Teſiphons *I. Aprilis*; Indaletius *XXX. Aprilis*; Secundus *II. Maij*, paſſi ſunt. Hiſce igitur diebus olim apud ipſorum Eccleſias feſtiuitas colebatur, vt & notauit Baronius *in Not. ad h. d.* his verbis: *Horum autem ſingulorum in propriis ipſorum Eccleſiis certis diebus Solemnitas agebatur.* Ergo hæc, non in anniuerſarium tranſitus, eſt inſtituta celebritas, ſed propter illorum Aduentum, & Gentis *Hiſpanicæ* conuerſionem.

III. Ratio.

Tertia, quia in Kalend. *Martyrologij Romani h. d.* non inuenitur verbum Natalis, quod communiter conſignatur, quando de alicuius Sancti obitu, ſeu agone commemoratio peragitur: Ergo nullo certè modo Eccleſia hac die illorum agones commemorat. Hoc etiam notauit Biuarius, ſic: *Satisque id videtur innuere Mart. Rom. dum eum, quem Vſuardus vocat diem* Natalis *ipſorum Sanctorum, ablato* Natalis *nomine, quod diem mortis ſonat, ſolùm vocat* feſtum *diem.*

IV. Ratio.

Qvarta, nam cùm omnes iſti *Septem Pontifices* martyrij coronam acceperint, vt ſuis locis probamus, & apud Noſtras Eccleſias inconcuſſa traditio fuit, vt aduertit Baronius *in Not. ad hunc diem*; attamen in Officiis ad annum vſque M. D. XCVI. tantùm de *Communi Confeſſorum* illis Eccleſia *Hiſpana* impartiebatur Officiũ. At ſicut B. Petro Apoſtolorum Principi conceditur de *Communi Confeſſoris Pontificis* Officium in ſuis *Antiochenæ, & Romanæ* Cathedrarum ſolemnitatibus; ſic Noſtris Pontificibus hac die idem conceditur Officium; cùm nulla inter vtramque Solemnitatem inueniri poterit inſtitutionis ratio, & differentia.

II. Opinio, ob Conſecrationẽ eorum à S. Petro factam.

Hæc ſunt pro iſta opinione rationes. Alij diuerſam inſectantes viam contendunt, hoc feſtum inſtitutum fuiſſe ob memoriam Consecrationis, die, quo Romæ à S. Petro Apoſtolo iſti *Septem Sancti* fuêre *Pontifices* ordinati: & ſicut temporibus ſubſequentibus S. Baſilij Magni *die XIV. Iunij* Consecratio anniuerſaria feſtiuitate recolitur; & S. Ambroſij *die VII. Decembris* Ordinatio ſolemni commemoratione repetitur; necnon S. Zenonis Veronenſis *die I X. Decembris* peragitur; Cur non Consecratio, & Ordinatio Noſtrorum Præſulum, quæ prima, vt creditur, Romæ facta fuit, peragenda & colenda erit nunc, vt olim vniuerſa *Hiſpaniæ* Eccleſia faciebat.

Digitized by Google

ALII credunt inſtitutum fuiſſe hoc feſtum, propter miraculum, quo eos Deus liberauit à manibus Gentilium *Accitanorum*, quando diſrupto ponte, omnes in flumen ſubmerſi mirabiliter occubuêre. Quod videtur innuere S. Iſidorus *in Præfatione* huius feſtiuitatis in Miſſali Muzarabi; ſic: *Illic Iſraelita, demerſis hoſtibus in profundum, Deo laudis canticum promunt: Hic ſimili lætitia liberati Præſules gratulantur; hymnum tibi cum Sanctis Angelis proclamant, ita dicentes:* Sanctus. *III. Opinio, ob miraculum Pontis Accitani.*

ALII diuiſionem factam ex *Accitana* vrbe, ad alias, quas vnuſquiſque luſtrauit, pro fide prædicanda, inſtitutionis rationem conſtituunt. Quod notauit R.P.F.Petrus à S.Cœcilio *in Memorial.MS. SS.Illiberitanorum, hac die fol.*83. Sed quidquid ſit de his finalibus rationibus;Ego pro prima ſententia iudicium do,ad cuius probationem præter relata ſuperiùs, accedunt verba Miſſæ in *Breuiario Muzarabi* deſcripta, iſtam feſtiuitatem ſignificantia,in 2.*Orat.* ſic: *Diem hunc,dilectiſſimi fratres,in quo memoria Noſtrorum Vatum excolitur, quorum præſentiam noſtris vrbibus auctoritate Apoſtolicâ deſtinatam fuiſſe cognouimus, deuotis mentibus recolamus.* Quid clarius? Ergo intentum Eccleſiæ in conſtituenda huius feſtiuitatis anniuerſariâ memoriâ, ex eo proceſſit,quòd hoc die iſti Sancti Septem Epiſcopi Româ in Hiſpanias aduenientes, & Apoſtolicam auctoritatem trahentes, illas Regiones illuſtrarunt, & Euangelica ſemina populis porrexerunt. *IV. Opinio, ob diuiſionẽ ad prædicãdum.*

S.MEMMIVS MANTIVS *Epiſcopus, & Martyr.*]Inter *Gallos*, & *Hiſpanos* iſtius Sanctiſſimi Præſulis,& Martyris memoria promiſcua diuerſitate recolitur. Nam apud illos nomine ſimplici MEMMII, cognoſcitur;apud Noſtros,nomine MANTII veneratur. Illi tantum *Epiſcopum*, Noſtri tantùm *Martyrem* credunt. In illorum Eccleſia *die V. Auguſti*, in Noſtrorum *hac die* colitur feſtum illius. Acta per ipſum in *Hiſpania* penitus ignorauit *Gallia*;Geſta per illum in *Gallia*,olim latuerunt *Hiſpaniam:* ſed cùm Deo permittente,iamiam vtriuſque Nationis lucubrationes in publicum prodire cœperint, & *Galli* quæ apud *Noſtros* recondita, & *Nos* quæ apud *Gallos* occulta fuere, publica facimus; faciléque Acta *S. Martyris*, *& Pontificis* in vnum collecta contextum aſſuemus. De illo relatis diebus agunt *Martyrol.Rom.*& cætera recentiora; *Luſitanum*, Caſtellanum *Dionyſ. Vazq.* & Hiſpan. *Patris Higuera.* Item Andr. Sauſſ. *in Martyrol. Gallican. tom.*1. *fol.*492. Claud. Robert. *in Gall. Chriſt. tit. Epiſcopi Cathalaunenſes, fol.* 294. *col.*2. vbi plurimos citat. Ex Noſtris Flau. Dext. *in Chron. Ann.*90. vbi P. Biuar. *fol.* 181. & Roder. Car. *fol.*48. *lit. T.* qui ſic inquit: *S. MANTIVS, Ciuis Romanus,Chriſti Diſcipulus, Primus* Eborenſium *in Hiſpania Pontifex, qui in* Gallia *priùs prædicauerat, floret: & poſt multos labores migrat Martyr anno C. VI.* In eod. *Chron. Ann.*430. proſequitur: *Eodem anno reperta ſunt reliquiæ* S. MEMMII MANTII, Eborenſis *in Luſitania Pontificis, & Primi illius vrbis Apoſtoli, qui conuerſo priùs populo* Cathalaunienſi *in* Gallia, *poſtea in* Hiſpaniam *trajiciens,*Eboræ *prædicauit, vbi & martyrium paſſus eſt. Fuit Ciuis Romanus, & Chriſti Diſcipulus, & ab anno XXXVI.Chriſti, ad annum C. VI. in* Gallia,*&* Hiſpania *prædicauit; ac tandem ſub* Trajano, *martyrium (vt dixi) pro Chriſti nomine paſſus eſt.* Iulian. Petr. *in Chron. num.*99. eadem repetit, licèt pro MANTIO, corruptè legatur MARTINVS. Item *num.* 100. *&* 124. poſt quos videndus Truxillo *in Theſ. Concion. tom.*2. *fol.*1129. Vaſſ. *in Chron. Ann.*100. Morales *lib.*9. *c.*30. Garibayus *lib.*7. *c.*14. Padill. *Cent.*2. *c.*2. Reſend. *lib.*4. *Antiquit. Luſit.*& in *Hiſtor. Eborenſ.c.*9. Vaſconcellos *in Deſcript. Portugall. fol.*439. *n.*13. Eduardus Nunnius de Liaon *in eod.tract.c.*70. *fol.*109.Georg.Cardoſ. *in Officiis SS. Portugall.ad Primam, hymn.*1. *fol.*3. ſic: B. *Memoria apud Gallos, & Hiſpanos diuerſimode.* *Scriptores.*

Martyrum primam Lyſiæ cohortem
Adiuuent cœli reſonare Ciues,
Impar eſt tanto quoniam triumpho
Lingua caduca.

MANTIVS *primò Domini Sodalis*
Edocens natos Eboræ *vetuſtæ.*
Tranſtaganorum madefecit agros
Sanguine fuſo.

Digitized by Google

Breuiaria. Idem in *epitome SS. Portugallenſ. c. 1. fol. 13.* Eius hiſtoria legebatur olim in Breuiariis *Burgenſi*, *Palentino*, *Monaſtico*, *S. Dominici*, & adhuc in *Eborenſi*. Illam repetunt ſuis idiomatibus *Alphons. Villegas*, & *P. F. Didacus à Roſario*. Ipſam quatenus ad *Galliam*, ex *Andrea Suaſſayo*; quatenus ad *Hiſpaniam* attinet, ex Noſtris ſcriptoribus exſcribemus.

ACTA S. MEMMII MANTII CATHALAVNENSIVM in Gallia Apoſtoli, Eborenſium in Hiſpania Pontificis I. & Martyris; ex vtriuſque Nationis Scriptoribus.

Origo. MEMMIVS MANTIVS *Romæ antiquiſſima nobilitate ortus, Ieroſolymam contendens, & Chriſti Domini Veritatem auſcultans, vnus ex eius Diſcipulis factus, in die Palmarum, qua Seruator noſter triumphans Solymorum vrbem eſt ingreſſus, pallium ſtrauit, inquè nocte cœnæ quando ſacroſanctum ſui Corporis inſtituit Sacramentum, in lotione pedum Apoſtolorum operam ſuam miniſtrauit, ad Caluariæ montem die Paſſionis Morti Redemptoris noſtri interfuit, & denique Reſurrectioni Dominicæ cùm cæteris adfuit, & Spiritus Paracleti aduentum intuitus, ceu alij Diſcipulorum fructum admirabilis fauoris accepit.*

Chriſto adhæret.

Diſcipulus Petri. *Poſtmodùm à* S. Petro *Chriſti in terris primo Vicario Fidei imbutus documentis, ſacroquè tinctus lauacro, Chariſmatibus diuinis cùm repletus eſſet, ſtudióque ferueret populos in Idolorum cultu, veraquè religionis ignoratione verſantes, ad ſalutaria ſacra conuertendi, nonnullas Iudeæ regiones perluſtrauit, donec Ieroſolymam reuerſus, ibidem ab ipſo Apoſtolorum Principe ordinatus Epiſcopus, ad cœleſtem Chriſti legem in Gallia, & Hiſpania promulgandam in illas partes dimiſſus eſt, cum Donatiano Diacono, atque Domitiano Subdiacono.*

Ordinatur Epiſcopus pro Gallia, & Hiſpania. *Suſceptam verò prouinciam cùm adirent, vix ab agro Ieroſolymitano pedem dimouerant, cùm gradum ſiſtere oportuit. Morbus enim grauis prima hoſpitatione Domitianum inuaſit, quo breui extinctus eſt.*

Domitianũ ſubdiaconum, & ſocium ſuſcitat. *Quo inſpecto euentu conſternatus Ieroſolymam repetijt* MEMMIVS, *réque Apoſtolo Petro nuntiata, ab eo corroboratus, accepta fimbria veſtimenti eius particula, cuius appoſitione cadauer ſocij reanimaret: ad locum vbi iacebat reuerſus, fuſa ad Chriſtum oratione, fimbria ipſius Apoſtoli applicatione, defunctum ad vitam, ſoſpitatémque integram reuocauit.*

Cathalauniæ in Gallia ſiſtit. *Túneque tramitem exorſum perſequens cum bino comite, tot in via operatus eſt mira opera, vt vbique, & diuinæ gratiæ ſemina, & gloriæ teſtimonia relinqueret inſignia. Tandem* Cathalaunicæ *vrbis mœnia attigit, illic Crucis vexillum ad ciuium ſalutem quantocyus erecturus, ſed diaboli inuidia factum eſt, vt populi duritia, nec veritatis præconem admittere, nec vitæ verbum audire ſuſtineret.*

Ad agrum Cathalaunicum ſeceſſit. *Excluſus igitur eſt protinus ab incolis, ſimulacrorum feruidis cultoribus, cum improperio, Vir diutnus: qui iniuriæ vlciſcendæ minimè cupidus vt contumacis populi conuerſionem, precibus à Domino tandem aliquando impetraret, occaſionemque præſtolaretur, in ipſo agro Cathalaunienſi non ita procul ab vrbe ſolitudine reperta, illic in ſpelunca, diuinis rebus intentus conſtitit, quouſque nobilem puerum delapſum in flumen, aquiſquè præfocatum, Deo volente ad ſe delatum, inuocato Chriſti nomine, vitæ reſtituit.*

Suſcitat puerum in flumine ſuffocatum. *Hoc admirabili facto concuſſi ciues, ad Virum beatum properè concurrentes, vrbem vt ſibi iam deuotam ſalutiferâ prædicatione erudiret, & in eam redire dignaretur obnixè rogauerunt.*

Tres leproſos mundat. *In cuius ingreſſu diuinæ virtutis fretus gratiâ, leproſos tres ſibi obuios mundauit, cæcos totidem illuminauit, dæmonemquè ab obſeſſo quodam abegit.*

Vrbem ad fidem conuertit. *Tot coruſcationibus Chriſti gloriæ facilè omnium* MANTIVS *illuſtrauit mentes, effecitquè ſanctis cohortationibus, vt eiurato fictilium Numinum cultu, fidem Chriſti, legemquè ſeriò ciues profiterentur. Erat illic inſigne falſorum Deorum delubrum, quod ſacratiſſimus Myſta diabolicis ritibus expurgans, Dei veri obſequiis, cuncto annuente populo, dedicauit,*

Digitized by Google

dedicauit, ſub S. Petri Apoſtolorum Principis patrocinio. Tùneque miraculorum ſplendore religionem confirmare pergens, eandem vbi in vrbe egregiè conſtituiſſet, per loca vicina dilatare cæpit; Oppidóque Pertenſi, Deo ſeruatori feliciter ſubiugato, illic Eccleſiam in S.V. MARIÆ *memoriam ædificauit, & ſacrauit. Interea* POMA *Virgo excellentiſſima, quæ inclyti huius Pontificis, germana erat, auditis faustis eius prædicationis progreſſibus, Româ ad eum profecta,* Cathalaunum *venit; ibíque ſub eius magiſterio, puros Chriſto famulatus, ad extremum vſque ſpiritum reddidit, perductis, ſua imitatione, ad ſacrum virginitatis cultum, plurimis ingenuis puellis. Cæterum: his ſic in* Gallia *confectis, de parua meſſe* IACOBI *Hiſpaniarum Apoſtoli in illa prouincia inſtructus,* Galliam *relinquens,* Hiſpanias *adyit, & de regione in regionem* Eboram Luſitaniæ *venit, vbi Chriſtianum populum ab infidelibus oppreſſum reperit.* B. *igitur* MEMMIVS, *vt Miles Chriſti, armatus lorica fidei, & in eius Cruce confidens, contra infideles accinctus aiebat:* Falſos Deos audire non poſſum; teſtis mendax eſſe non debeo: pro amore Dei mei, quem Iudæi crucifixerunt, ſupplicia non recuſo; mortem autem quæro, per quam mihi vitæ æternitas conferatur. *Cùm hæc aduerſus eos proferret,* S. MANTIVM *ad ſupplicium rapiunt, detractóque omni corporis indumento, diuaricatur membris extenſis, funiumque vinculis, innumeris plagarum ictibus verberatur; quaſi veſtibus nudari poſſent membra, quæ fidei confeſſio veſtiebat. Igitur cùm inter vincula, & tormenta vultu ſemper hilaris eſſet, adductus ante* Validium *Præfectum, per Iudæos, qui eum accuſabant, dixit ei Validius:* Audi MEMMI; ceſſa ab hac prædicatione, & ora Deos noſtros. *Cui* MANTIVS *dixit:* Tormenta, & ſupplicia tua non timeo. *Tunc Validius Præfectus iuſſit eum fuſtibus cædi, & multis tormentis lacerari. Martyr autem Chriſti ornuit dicens:* Gratias tibi ago Domine, qui me feciſti vincere tormenta carnificum; iube me ad te peruenire. *Tunc vox de cælo audita eſt:* Veni Dilecte Noſter ad me. *Cùmque ille diceret:* Pater in manus tuas commendo ſpiritum meum; *ſancta illa anima exiuit à corpore die* XV. Maij, *Anno Domini* C.VI. *Martyris corpus quodam in prædiolo ſepultum fuit, neque aliud poſtea nomen accepit locus ille, ſicuti theſaurum alium non excepit, ex quo nomen ditius lucraretur, hodiéque* S. MANTII *prædium nuncupatur. Felici hoc in agro diù fuit ſacer is theſaurus abſconditus; ibidémque in Martyris laudem, tempore* VVambanis *Regis Gothorum, Iulianus Comes Scanciarum, qui poſt humatam Iuliam vxorem Monachus factus, & in S. Iuliani Cœnobio Abbas, confirmauit in* XI. *Concilio Toletano, Templum magnificum excitauit, & circa illud turrim condidit, in qua longa annorum ſerie, ſeruatum eſt Corpus; donec Abderrameno Maurorum Rege* Eboram *cum exercitu oppugnante, Chriſtiani arrepto Diui corpore ceſſerunt loco. Noſtra verò ætate* Camporum *tellus in oppido* Villanueua de S. Mancio *in D. Benedicti Monaſterio, ſacro hoc potitur theſauro.* Eborenſe *prope forum, eſt pila quædam parua, incluſa cellulâ, poſitis circum cratibus ferreis, & lampade appenſa, quam mortales religiosè, ac piè venerantur, quòd pilæ adſtrictus fuerit Chriſti Martyr cùm flagellis cæderetur. Theotonius Brigantinus* Eborenſis *Archiepiſcopus,* Philippo *Rege Hiſpaniarum II. & Portugalliæ I. ſuam interponente auctoritatem, Sanctiſſimi Præſulis, & Martyris brachium accepit, & in Templo Maximo* Eborenſi, *ſolemni pompâ, & Ciuitatis communi tripudio collocauit. Ad cuius iubilationis trophæum ſequens repetitur hymnus.*

Eccleſiam ædificat.

Hiſpanias adyt.

Eborã Luſitaniæ luſtrat.

Comprehẽditur, & torquetur.

Coronatur.

Templum ſupra pignora ſacra erectum.

Corpus quo in loco Hiſpaniæ cuſtodiatur.

Brachium in Eccleſia Eborenſi.

AVdiat mundus ſub vtroque Phabo,
Funeris ſacri meritos honores,
Vrbis ô noſtræ decus, Italæquè
Gloria gentis.
Audiat, cultus tibi dùm nouamus,
Tequè ſolemnes redeunte pompas

Ducimus lati, cineréſque fuluo
Ponimus auro.
Martyr ardenti radians tiara,
Huc ades, parto celeber triumpho:
Quem triumphali rutilans cruore
Purpurat oſtrum.
Oſſa gemmato religãmus auro:
Ore libamus cineres receptos,
Pyramis raras tibi quos reſeruat
Facta per artes.
Hunc diem candens mihi gemma ſignet,
Clarus vt ſemper magis eniteſcat,
Orbe dum plenum peragit remenſo
Circulus annum.
Ciuis Auguſtos cineres adorat,
Oſſa profuſis veneratur vndis:
Tandiù abſentis, lacrymis rependit
Damna Parentis.
Numen offenſas, duce te, remittat
Ciuibus MANTI *: procul hinc faceſſat*
Igneus Martis furor, & cupido
Sordidus auri.

Nomen apud Gallos Mémius, *apud Hiſpanos* Mantius.

Hucvſque Acta S. Pontificis, & Martyris ex vtriuſque Nationis Scriptoribus in vnum concinnata contextum. At ne miretur *Gallus*, ſeu alius quiſpiam de coniunctione nominum MEMMII *Cathalaunenſis* apud Gallos, & MANTII *Eborenſis* apud Hiſpanos, ænigmatis inuolucrum ſoluunt Dexter in locis ſupra relatis, cui in hoc adhæret Iulianus Petri *in Chron. d. numer.* 99. & P. Biuar. *in Comment. Dextri, d. fol.* 181.

Error Gallorum Scriptorum detegitur.

QVOD autem apud *Gallos* dicitur, S. MEMMIVM Româ in Gallias ad vrbem Cathalaunienſem à S. Petro dimiſſum, nullam in ecphraſi veritatis vmbram inuenies; quia ſi hæc dimiſſio (ex *Dextro*, & *Iuliano*) perfecta fuit, anno Chriſti XXXVI. quâ viâ S. Petrus (qui nondum Romam venerat) Româ illum, & ſocios in *Gallias* dimittere potuit? Ergo, vt notauit *P. Biuar.* hanc dimiſſionem è *Ieroſolymis* factam fuiſſe fatendum eſt. Quod & Nos in Actis ad verum ſenſum redegimus.

Columna S. Viri adhuc Ebora.

De *Eborenſi Columna*, in quâ reconditum fuit S. Martyris corpus, ſeu vt notauit P. Vaſconcellos *fol.* 441. *n.* 5. flagellatus S. Epiſcopus fuit, communis populorum *Portugallenſium* deuotio eſt. De illa hoc reperi apud Emmanuelem Campos in *Reliquiario Vlyſſipponenſi, fol.* 374 Epigramma.

MANTIVS *Herculei quondam monumenta laboris*
Exuperat, maius Lyſia *pignus habent.*
Scilicet Alcidæ iam deſpicit Ebora *metas*
MANTII *erit laudi ſacra Columna ſatis.*
Plus vltrà tua fama volat, tua gloria MANTI,
Et minus Alcidæ laus erit apta tubæ.
Herculeæ metæ orbis erant, tua ſacra Columna

Meta

Meta vrbis ſcelerum, meta laboris erit.
Ille orbem clauſit, tu cœli clauſtra recludis;
Te minor Alcides, te minor orbis erit.

Quatenus ad S.Pontificis progreſſum Româ, à qua originem traxit, Ieroſolymam; in qua fidei documenta recepit, Chriſto adhæſit, & alia in exordio Actorum recenſita cõpleuit, R.P.Emmanuelis Pimenta è S.Lin *Poëmat.de Chriſt. Triumphant. lib.* 10.*fol.*366. Odam auſculta: *Româ Ieroſolymã pergit.*

Linquis Europam, *properante Ceruo*
Ocyor, tendis Solymas *ad arces,*
Rex vbi cœli noua iura condit,
Et nouat Orbem.
Mira patrantem, Pater, intueris:
Colle ſublimi, trepidante mundo,
Inter infames medium latrones
Dura ferentem.
Chriſtus Heroas rapit ex Auerno,
Viſit aſſuetas rediuiuus auras,
Tu triumphantem reditum tueris
Ditis ab vmbris.
Alta conſcendit leuis aſtra, cernis;
Dumque ſepteno pia corda flammant
Igne, flammata tibi dant amores
Ora Columbæ.
Quà ruis, totus flagrat igne mundus;
Igne fac dulces caleant alumni,
Vnde cœleſtes Superûm voluptas
Fundit amores.

De Noſtri Sanctiſſimi Præſulis, & Martyris apud *Eboram* apoſtolatu, martyrio, & triumpho circumfertur triplex hymnorum compago; cuius eruditio, ne depereat, ſubſequenter adnectetur. *Ebora Apoſtolus, & Martyr.*

Diue, qui ſacro radias in oſtro
Inter Auguſtas Superûm cohortes:
Læta quo prima fidei Magiſtro
Ebora *gaudet.*
Te per immenſos operum labores,
Huc, pererrato prope, Diue, mundo,
Duxit audentem grauis ardor, aſtris
Mira ſecundis.
Quâ Tagus fulua ſpecioſus vrna
Læta flauenti ſata ditat auro,
Te videt dantem documenta ſacro
Heſperus ore.
Luce cœleſti tenebras fugantem;

Aſtra monſtrantem rapienda; puro
Fonte tergentem maculas profundo
Corde latentes.
Vincla ſacrantem violenta tactu:
Carceris cœcas latebras beantem,
Quodque damnatus cuneis recidis
Marmor adactis.
Te videt ſæua nece finientem
Damna mortalis numeroſa vitæ:
Te triumphali ſata conſecrantem
Sparſa cruore.
Vrbs tua ô MANTI, *magis iſta felix*
Cade felici, roſeóque nimbo,
Aureo quàm ſi ſuperapplicaſſet
Copia cornu.

DE MARTYRIO.

INter conſpicuos ſanguine Martyres,
Oſtro purpureo MANTIVS *emines:*
Inter Pontificum præcipuos choros
Gemmata nitet infula.
Auguſtis adytis quem colit Ebora
Doctorem fidei tam venerabilem
Et quæ per populos vocibus intonat,
Sancit dogmata ſanguine.
Hunc dulci alloquio ſubdolus artifex,
Hunc ficta aggreditur munificentia,
Hunc ferro, varijs hunc cruciatibus
Tentat frangere perfidus.
Inuictam ſuperet quis patientiam?
Fruſtra percutitur vis adamantina;
Ictus dura ſolet quæ ferientium
Damnis, cæſa retundere.
Mundi diuitias mens pia deſpicit
Inſtar quæ fugiunt mobilis alitis,
Quæ ſpe nixa ſacri Numinis, auream
Sperat cœli opulentiam.
Biſſenùm imperijs, Maxime, Principum
Europam, Genitor, latus obambulas,
Qua Sol Occeano mergitur, Eboræ
Tangis mœnia Regia.

Theſauros aperis; nuntia Gratia
Non audita noua gentibus aduehis:
Aras ſacrilegis ritibus impias
Vaſto diruis impetu.
Sacris corda hominum fontibus expias:
Vero ponis ouans limina Numini:
Cernuntur ſubito, te duce, ſplendida
Auro fulgere ſecula.
Armis impietas adfremit; occidis:
Loris carnifices pectora lancinant:
Placatóque litas Numine, nobilis
Factus victima Pontifex.

TRIVMPHVS MARTYRII.

BElla poſt ſæua generoſa pugna,
Poſt fatigatas feriendo dextras,
Terga poſt altis perarata ſulcis,
More nouali:
Aſtra ſublatis petis alta pennis:
Lactea, MANTI, ſimilis columba,
Tendis ad dulces, generoſe, nidos,
Diue triumphans.
Quod latus ferro patefecit haſta,
Vnde diuini maduêre rores,
Dulce diuinos tibi ſit cubile
Inter amores.
Quos dat amplexus tibi mitis Agnus!
Quam pius collo pie colla nectit!
Quot dat admotis tibi blandiendo
Oſcula labris!
Igne flagranti tibi cor liqueſcit;
Æra ſuccenſis velut in caminis:
Igne mens dulci flagrat, igne pectus,
Igne medulla.
Quæ triumphales meruêre palmæ
Dona, cæleſtis tibi reddit Agnus:
Inter Auguſtos proceres, ſuperbum
Induis oſtrum.
Plaudit exultans tibi lætus æther:
Ebora *æternos cineres adorat,*
Quos tibi fuluo manus elaborans
Ponit in auro.

Digitized by Google

Portugallẽſium ſentẽtia fallit.

Hic notandum eſt, quod licet apud ſcriptores *Luſitaniæ* communis ſententia ſit, Sanctum hunc Martyrem, primum fuiſſe ab initio Fidei apud *Eborenſes* Magiſtrum, hoc cum grano ſalis intelligendum eſſe; ſcilicet fuiſſe *Primum Epiſcopum*; nam iam Iacobvs Zebedæus Noſter, illam regionem luſtrauerat, eiúſque Diſcipuli. Quod probatur ex clauſula Lectionum *Breuiarij Palentini* à Biuario *fol.*181. exſcripta, vbi poſtquam S.Martyris origo refertur, proſequitur: *Ad Hiſpanias deſtinatus, verbum Dei, ſicut melius potuit prædicauit, & de regione in regionem,* Eboram *venit, in Prouincia Luſitana, vbi Chriſtianum populum ab infidelibus oppreſſum reperit.* Si iam ergo erat iſte populus Chriſtianus, & ab infidelibus opprimebatur, à fortiori iam alius in illo Fide[illegible] prædicauerat; ſi alius, ergo perperam Mantivs dicitur *Eborenſium Primus Magiſter.* Nec faciet ſatis reſponſio *Roderici de Acuña* aſſerentis S. Epiſcopum primò prædicaſſe *Eborenſes*, pòſt *Gallos*; demúmque *Luſitanos* repetentem quos erudierat, inueniſſe illos ab infidelibus oppreſſos: Quia in *Lectionibus Palentinis* nulla de hoc ſecundo aduentu mentio eſt, ideo *Dextro* eſt ſtandum, tanquam viciniori.

Error Iuliani diluitur.

Non erit quoque audiendus Iulianus Petri *in Chron. d.n.*99. aſſerens ipſum primò prædicaſſe *Hiſpanos*, pòſt *Gathalaunos*, miſſum à S.Clemente cum *Dionyſio Galliarum Apoſtolo*: Quia ſi iam ab anno xxxvi. Chriſti, vt ipſe *Iulianus* fatetur, in *Galliam* perrexerat, quo potuit modo, illo tempore, quo nondum Clemens Pontificatum acceperat, ab eo ad *Gallos* dimitti: in quo potiùs *Dextro*, & traditioni tam *Gallorum*, quàm *Hiſpanorum*, adhæreo.

Celerina monitu S. Præſul ſepeliit Corpus S.Torpetis.

Vnum ex Iuliano prædicto *in Chron. n.*124. obſeruandum cenſeo; Quod dixerit S.Mantivm Noſtrum à *B.Celerina Synenſi* admonitum, Corpus *S.Torpetis* Martyris Piſani ad *Synenſem* in diœceſi *Eborenſi* portum, Angelo dirigente, proiectum, honorificè ſepeliiſſe. Cuius rei memoriam adhuc obliterauerat ſilentium. Benè verum eſt, quòd *P. Vaſconcellos* confusè de hoc meminit *fol.*439. *n.*13. qui in antiqua *S. Torpetis* hiſtoria aſſerit S. Præſulis adeſſe mentionem.

D.Roderici de Acuña lapſus euacuatur.

Poſt hæc ſcripta in manus peruenit meas Codex Epiſcoporum, & Metropolitanorum Vlyſſipponenſium à *D.Roderico de Acuña* primò Portucalenſi, pòſt Braccarenſi Præſule conſcriptus, & poſt eius vitam editus, in quo 1. *p.c.*9. *fol.*19. & ſequentibus, nititur probare S.Mantivm fuiſſe *Primum Vlyſſipponenſem Epiſcopum*: ſed cùm abſque duce proceſſerit, eius conanima ſub improbabilitatis diffidentiâ periêre. Ibidem nonnulla de Noſtro S.Martyre inexcogitata recenſet, ſcilicet S. Mantivm vnum fuiſſe ex profugis, qui Stephani Proto-Martyris paſſione perterritus, Ieroſolymam dimittens, Samariam contendens, in Cyprum accedens, cum aliis CCCC.XCIX. *Carthagine Spartariâ* ſoluens, ante Iacobvm *Luſitanos* prædicauit, & eorum Apoſtolus factus, totius regionis terminos erudiuit, ita vt Iacobvs, nec eius Diſcipuli illam ingrederentur prouinciam; quia cùm iam Chriſto (propter Mantii prædicationem) accolæ nomina dediſſent, fruſtra Apoſtoli, eiúſque Diſcipulorum ibidem deſiderabatur præſentia. Qvo animo iſthæc ſuſceperint *Vlyſſipponenſes*, nondum didici; hoc tamen ſcio, temerè ipſos nouam hanc & inopinatam ſententiam laudare, credentes fortè glorioſiorem fore rem fateri proprium habere fidei Magiſtrum, licet dignitate minorem, quàm communem *Hiſpanorum* Apoſtolum Iacobvm, qui, velit, nolit *Roderici* temeritas, *Luſitaniam* omnem luſtrauit, & illuſtrauit, vt ſui ipſi *Hiſtoriographi* profitentur.

Topographia.

Ebora. Ciuitas antiqua Hiſpaniæ in Luſitaniæ terminis ſita, & Archiepiſcopali Sede condecorata; & inter Regni Portugallici ciuitates primum ſibi poſt Vlyſſipponam vendicans locum, in planitie, forma quaſi rotunda, apud colles, & Callipodis amnis ortum: hodie nomen retinet, & Evora dicitur. De ea alibi.

C. *Reſtituitur Kalẽdario.*

S.Vvitesindvs Martyr.] Abeſt eius nomen à *Martyrologio Romano*, & cæteris recentioribus, quia fortè fortuna apud *S.Eulogium* eius agonis dies ſub ſilentio inuoluta periit. Et licèt tunc defecerit anamneſis, poſtmodùm, inſtante *Ioanne del Pino* Preſbytero *Cordubenſi* piiſſimo, & deuotionis erga Sanctos ſuos conſpicuo, *Romæ* in hunc diem reiectus eſt De S.Vvitesindo breuiter acta compaginat B.Eulogius Martyr in *Memor.SS. lib.*3. *cap.*14. P. Mariet. *lib.*2. *SS. Hiſp. cap.*92. P. Martin.

Digitized by Google

Martin. de Roa *Hiſt. SS. Cordubenſ. h. d fol.77.col.2.* Moral. *lib.14. Hiſt.Hiſp.cap.23.* Eius Acta à *S. Eulogio* mutuabimus. *Scriptores.*

ACTA S.VVITESINDI EGABRIENSIS, & Martyris Cordubenſis, ex B.Eulogij Memoriali.

E A *tempeſtate* VVITESINDVS *quidam Vir ætate iam plenus, ex Prouincia* Egabrienſi, *qui neſcio ob quam perſecutionem, dudum fidei Sanctæ deſertor dum ad exercitium nuper abominabilis cultus inuitaretur, recuſauit ſe tanti ſacrilegij piaculo inficere: & quod vel carnis infirmitate, vel circumuentione diaboli ſcelus admiſerat, conſtanti animo eiurauit, ac reprobauit: Illo momento, cùm talia fateretur, ſub celeri indignatione peremptus eſt*, Idibus Maij, *Era* DCCC.XCIII. *Anno Domini* DCCC.LV. *Origo. Coronatur.*

P.Martin. de Roa *in Libello de SS.Martyr. Cordub.c.3. fol.41.* rationem aſſignans, cur hic S. Martyr non adſit ſcriptus in *Martyrologio Romano* concludit: *In quo vnus tantummodo* VViteſindus *prætermiſſus, ex his, quorum conſcripſit* Eulogius: *forſitan, quia eius martyrij dies incertus.* Attamen in *Hiſtor. SS.* huiuſmodi, patrio ſermone conſcripta, de aſſignatione à Cardinali *Cæſare Baronio* in hunc diem facta, meminit. *Cur non adſcriptus in Martyrologio Romano.*

EGABRVM Oppidum peruetuſtum à Græcis conditum, & eorum idiomate nominatum, quod *Hiſpano* ſermone CABRA ſonat. Olim fuit *Sedes Epiſcopalis*, vt notauit G.Loayſa *in Not. ad Concil Lucenſe num.6. fol.157.* agens de *Sedibus Baticæ.* P. Biuar. *ad Dextr. An.300. Com.1. num.5. fol.324.* agens de *Victorio* Preſbytero Egabrienſi. De ea alibi dicemus. *Topographia.*

S. ISIDORVS *Agricola Madridenſis.*] Illuſtris, & memorabilis olim fuit, & hodie eſt recordatio ſanctitatis huius ſanctiſſimi Agricolæ apud *Carpetaniæ* populos, & *Madridenſes* accolas, quorum fuit, dum vixit, homopolus. Cuius ergo vitæ actæ ſanctitudo, & miraculorum innumerabilium frequentia, talis per ferè octo fuit ſecula celebris, vt tandem per Sedem Apoſtolicam approbata, Canonizationis titulo exaltaretur die XII. Martij, Anno M.DC.XXIII. vt diximus ſupra *Tom. 2. die XII. Martij fol.105.* ita vt ex tunc in Albo Sanctorum inſcribi meruerit. Eius memoriam repetunt Iulian. Petr. *in Chron. num.512.* his verbis: *Hoc anno moritur* Mageriti (*quod à quibuſdam falsò dicitur* Mantua-Carpetanorum) ISIDORVS Agricola, *Vir pius, & charitate feruens,* XXVIII. *Nouembris, viuens, mortuuſque miraculis multis celeberrimus, & in tota* Hiſpania *clarus.* Ioannes Diaconus Madridenſis *in Hiſtor.S. Iſidor.* MS. quam infra dabimus. M. Ægidius Gonzal. Regius Chronographus *in Hiſtor. Madridenſ. cap.7. fol.70.* Marin. Sicul. *Hiſtor. Hiſpan. lib.2.* Ambroſ. Moral. *Hiſt. Hiſpan. lib.17. cap.27.* D.Sanct. Dauil. *de Venerat. Reliq. lib.3. cap.8.* Martin. Carrillo *Annal. Eccleſ. Ann.1170.* Pereda *de Patrona Madridens. lib.1.* M.Hoyos *in Exeq.Regin.c.fin.* P.Petr.Sanctius *in Reg.Dei lib.6.cap.6.* P. Mariet. *Hiſtor.Sanct.Hiſpan. lib.6. cap.26.* Ieronym.Quintana *Hiſtor. Madrid. lib.2. cap.5.* Lopius de Vega Carpio inſignis & laureatus apud Hiſpanos Poëta *in integro libello de Vita Iſidori*, quam feliciter carmine ſcripſit; proſa vulgari F.Iacobus Bleda, & P. Quintana-Dueñas *Hiſtor. SS.Toletan. ſecul.12. fol.369.* & F.Reginaldus Poc Perpinianenſ. *poſt vitam S. Galderici Agricolæ* Typis Ludouici Roure *Anno* M.DC.XXVII. Elogia ſcripſere plurima de hoc Diuo Faſti Marian. *die XII. Martij. fol.135.* & P. Ioann. Bap.Maſcul. *in Lyric.lib.10. od.4. fol.403.* hoc carmine. D. *Canonizatio. Scriptores.*

Beate cultor Heſperi quondam ſoli
Feracis, & glebæ potens.
Qui nunc adauges Quinctus Heroas, nouo
Ritu Quirinali ſacer;
Dùm mentis altæ perſecutus otium.
Et dulce complexus Deum
Supplex inhæres, Cœlites iuuant ſuo

Hymnus.

Labore

Digitized by Google

Labore, agreſtes Cœlites.
Aſtris relictis raſtra iam ſplendentia
Tractantur attritu, & ligo.
Adſunt parati, vt auxilij multum ferant
Tibi alloquenti Numina.
Labos libenter omnis exantlabitur
Virtutis in laudem tuæ:
En vt iuuencis illigãt nitentibus
Aratra Diui ruſtici?
En vt reuoluunt auro inexpertum ſolum,
Glebam & fatigant impigri?
Tu mente cœlum dum colis, ſolum colunt,
Pennis volucres aureis,
Noui coloni mollium noualium;
Fidíque tutores agri;
Vlmos maritant illi, & altas populos,
Vetúſque Siluani decus,
Querceta adulto Libero, vel fulciunt
Palis breuem propaginem.
Illi remoto eburneo plectro lyræ
Agri premunt inertiam,
Exerciti iam falce, naui & inſerunt
Feliciora germina.
At tu laborum, quos ager duros habet
Precatus obliuiſceris.
Poſt vota, raſtris vt iuuat ſciſſum ſolum
Videre, ſementem, & ſata?
Mirari aratrum cernuo collo boum
Auctore ſuſpenſum alite,
Magnos Quirites, regium examen poli,
Iuga implicantes cernere,
Decerpere vuæ purpuram, mala & tibi
Non inſitiua, & mitia,
Ceù ſole acuto, tanta vis Cœleſtium.
Amoris hæc tu premia
Iucunda captas: illaboratas dapes
Amor colonus apparat.
Honore fœderate nunc Cœleſtibus
Amore certas mutuo.

Qui eius Acta ſcripſere. Acta à *Ioanne Diacono* mutuata poſt relatos attexuere *Baſilius Sanctorus*, *Alphonſus de Villegas*, *Petrus de Quintana* Theologus Parochialis Eccleſiæ S. Andreæ Capellanus, & Parochus Oppidi de *Latanzon*. Illa olim Hiſpana fecit *D. Ioannes Hurtado de*

de Mendoza dominus *del Freſno de Torote*, Madridenſis Decurio, & alij. De illo *F. Ioannes Gutierius* ex Ordine Prædicatorio, & Doctor *Gregorius Lopius Madera* Catholico Regi à Conſiliis, Officia Eccleſiaſtica compoſuere. Ergo à *Ioannis Diaconi* commentariis omnes? En illa prout in originali conſcripta, eruditis veraciter miniſtramus.

HISTORIA IOANNIS DIACONI de Vita & Miraculis S. ISIDORI Agricolæ Maioritenſis, ex MS. Codice pervetuſto.

APVD Maioritum, *memoria* B. ISIDORI, *Ieſu-Chriſti Domini Noſtri, glorioſiſſimi Confeſſoris, qui cùm eſſet ſimplex Agricola, Deo deuotus, & hominibus amabilis habebatur, & non negligens, imò diligens ſanctarum Scripturarum imitator exiſtens, non temporalia ſpiritualibus, ſed ſpiritualia temporalibus præponebat. Omni namque die, vt relatu bonorum virorum didicimus, ſummo mane agriculturam poſtponens, Sanctarum Dei Eccleſiarum oraturus quamplura limina viſitabat, vt mirum in modum per magnam diei partem, orationibus inſiſtens, ſuis exercitijs operam dantibus conuicinis; vltimus ipſe, ſed impiger, opus attrectans debitum, auxiliante Domino, aliorum operam ſuperabat, commemorans illud, quod ait Apoſtolus:* Laborate manibus veſtris, vnde poſſitis egenorum inopiam ſubleuare. *Et alibi:* Semper operis aliquid facito, vt te diabolus inueniat occupatum. *In tantum ergo gratiâ charitatis ſuccenſus, amore flagrabat diuino, vt non ſolum hominibus, quamuis dies non eſſet, tanquam nihil habens, & omnia poſſidens; fame, & frigore laborantibus, ſed & cæli auibus alimenta, prout poterat, exponebat. Vnde accidit quadam die, hyemis tempore, terrâ niuibus cooperta, cùm ad molendinum iret triticum moliturus, quodam ſe comitante filiolo, & columbarum congeriem inſpiciens, ramis arborum conſidentem, & eaſdem aues intelligens, diu famis periculo cruciatas, motu miſericordiæ, circa illas pedibus, & manibus terram vertens, de tritico, quod ſuæ neceſſitati parauerat, eiſdem auibus appoſuit abundanter. Quod videns eius quidam conſocius, moleſtè ferens,* B. ISIDORVM *irridendo, quaſi ſtultum ob amiſſionem tritici reputauit. Venientes autem ad molendinum nulla in eius ſacco tritici diminutio eſt inuenta; imò quod mirum eſt, in tantum farina concreuit, vt amborum ſarcinulæ, quæ prius erant quaſi dimidiæ, abundantiùs implerentur.*

Ecclesias viſit.

2 *Cor.* 2.

Columbas tritico reficit.

Saccum tritici plenum inuenit.

SECVNDVM *igitur, & præcipuum prodigium inter cætera, quæ per virum Dei* ISIDORVM *dignata eſt operari diuina prouidentia, nullatenus eſt omittendum. Cùm enim diuinæ iudicio prouidentiæ, iuxta illud quod dictum eſt primo parenti humani generis;* In labore manuum, & ſudore vultus tui pane tuo veſcêris; *in ſemetipſo iuſtè rectificans, non aliter vitam ducere, quàm de labore manuum ſuarum victum adquirere præelegit. Vnde factus obediens in primo parente Dominicæ iuſſioni, cuiuſdam Maioritenſis de plebe militis factus eſt ſub mercede annua humilis inquilinus. Igitur cùm ſub hoc ſtatu in agro villæ proximo poſitus vitam cum labore duceret vxoratus, reddebat Deo, quæ Dei erant, & fraterna proximis quæ debebat. Quidam verò ex ruris conuicinalibus ſuggeſſerunt de eo Militi, cuius hæreditatem ſub mercede notoria laborabat, eum taliter accuſantes:* Venerande Domine, nos taliter verum eſſe veſtri noti, & ſubditi profitemur, quod videmus, & agnoſcimus in veſtram derogationem cedere, ad veſtri profectum nolumus reticere. Sciatis pro certo, quòd colonus ille ISIDORVS, quem in rure veſtro, ad veſtra operanda prædia, ſub mercede annua elegiſtis, debito agriculturæ relicto opere, ſummo ſurgens diluculo, ex peregrinationis propoſito, vadit ad omnes Maioritenſes Eccleſias, ſub orationis titulo viſitandas, vnde quia diei progreſſu redit ſerò ſerotinus ad laborem ferè debitum, laboris dimidium non adimplet. Vnde ob hoc non habeatis

Heros vidit Angelos aratores cum ISIDORO.

Digitized by Google

beatis ros de cætero malcuolos, aut exoſos, ex quo palam ſuggeſſimus quod erat vtile, ac veſtræ domui profuturum. *His auditis miles conturbatus eſt animo, ac alterâ die pergens commotus irâ, quia verum eſſe cognouit, quod ei ſuggeſtum fuerat, ad B. Virum perueniens, ipſum non leuiter ſubſannauit* B. *verò* ISIDORVS *in Chriſti patientia iam edoctus, verba modeſtè reſpondit huiuſmodi:* Chariſſime venerande, cuius ſub patrocinio ſum ſtatutus, pando vobis fideliter, quod à Regum Rege, & Sanctorum grege, & eorum ſeruitio, nec volo, nec valeo, vllatenus ſeparari; at ſi pro laboris mei tarditatis initio timetis in meſſium fructibus vbertatem debitam minorari, iuxta iudicium vicinorum, minorationem adinuentam, de meo placet vobis in integrum reſtaurare. Vnde probitatem veſtram deprecor, vt in eo quod mihi, iuxta domini famulatum ſatisfacio, & veſtræ vtilitati non derogo, nequaquam grauiter perferatis. *His auditis verbis, probus miles modeſtè cum eius recommendatione gratia, tamen aliquantulum dubius de auditis, domum propriam repedauit. Sed quia Vir Dei* ISIDORVS *domum ſuam ſupra firmam petram ædificauerat, cunctis curarum, ſeu minarum incurſibus inconcuſſus, piam conſuetudinem, quam circa Dei Eccleſias orando aſſiduè frequentabat, inſtanter non deſtitit vlterius exercere, toto corde, ac totâ animâ verbum Dei memoriter reminiſcens:* Primùm quærite regnum Dei, & vobis neceſſaria non deerunt. *At verò prædictus Miles (cuius inſtioni ſuberat) cogitans experiri factum Viri Dei, quadam die ſurgens ſummo mane, ac pergens in via, infra quandam ſpeculam ſe contexit, vt oculorum ſuorum propriâ viſione factum cerneret Viri Dei. Qui cùm Dei famulum tardiùs redire à peregrinatione ſolita reſpexiſſet, & imputaret quaſi negligenter manum apponi ad aratrum, aſpexit, & indoluit. Vnde commotus animo incepit abire, vt cum eo ſuper hoc acriùs diſceptaret. Sed quia ſecundum verbum Propheticum*, quis cognoſcet ſenſum Domini, aut quis conſiliarius eius fuit? *in via pergente prædicto Milite, irato corde contra Dei famulum, diuinâ potentiâ diſponente, vidit ſubitò in eodem agro, ſub agriculturæ officio, duo iuga boum, præter ſuum proprium, iuxta Virum Dei coarantia, atque colore albentia promptè, & firmiter laborare. Qua viſione commotus, & admirans à via progreſſu ſubſtitit, ſtupens valde, & admirando recogitans quid hoc eſſet. Veruntamen iam præcognoſcens, quòd nullum habebat Vir Dei adiutorium humanum, quia coactus credidit laboranti Viro Dei diuinum adiutorium non deeſſe; gaudens ergo, & admirans, dum approximaret, vt cognoſceret, & vt approximando perquireret, quid hoc eſſet, vertens oculos ad momentum in partem aliam, & reducens in agri ſui cultura, alium non reſpexit niſi ſolum Dei Virum* ISIDORVM *laborantem. Super quo prodigio, corde varia cogitante, tandem ad ſenſus prudentiam rediens, verbo ſalutationis exhibito, interrogauit Miles ſatis modeſtè Virum Dei ISIDORVM in hunc modum:* Rogo te chariſſime per Deum, cui fideliter famularis, vt mihi promere non deſiſtas in agri cultura tua, qui tibi extiterunt paulo antè comites adiutores? Ego enim tecum vidi quoſdam alios te iuuantes, & inſimul laborantes, ſed à meo conſpectu ſubitò in ictu oculi ſunt elapſi. *Tunc Vir Dei iuſtus, bene ſibi conſcius, ſimpliciter ſic reſpondit:* Ante conſpectum Dei, cui pro poſſe meo ſeruio, vobis pando fideliter, quòd in hac agri cultura, nec vocaui, nec vidi aliquos adiutores, niſi ſolum Deum, quem inuoco, & imploro, & ſemper habeo adiutorem. *Tunc Miles ille compunctus corde ſuper his quæ viderat, ac cælitus illuſtratus cognouit diuinam gratiam circa Dei famulum inhabitare, vnde in receſſu nouiſſimo dixit ei:* Quidquid mihi dictum eſt ab adulatoribus, & ſuſurronibus vilipendo: amodò enim quidquid in hoc rure poſſideo ſub poteſtate tua conſtituo, ac etiam quæcumque facienda ſunt, liberè ſub tuo arbitrio derelinquo. *At deinde Vale facto, domum ſuam rediens, quod ſibi contigerat multis concinium propalauit; vnde inter cætera iſtud miraculum, vſque in hodiernum diem multorum arctiùs memoriæ eſt impreſſum.*

Non deſtitit Eccleſias viſitare, licet ab amulis notatus.

ITEM

Asellus B. Viri à morsu lupi liberatur.

ITEM *accidit quodam die festo æstatis tempore, quòd Vir Dei iuxta morem, post horam Nonæ adiuit Ecclesiam* S. Mariæ Magdalenæ *cum deuotione fundendi preces ad Dominum. Qui cum in Oratione deuotus persisteret, superuenerunt pueri, eidem celeriùs nuntiantes rumorem huiusmodi:* Surgite Pater ISIDORE, & accurratis quàmcitiùs, quia ecce lupus rapidus infectatur talem vestram bestiolam, & fatigat, antequam ei mortis inferat læsionem. *Tum verò Vir Dei respondit illis:* Ite in pace filij; fiat voluntas Domini. *Oratione verò finitâ, exiens videre quid ei, casu nuntiato, acciderat; inuenit lupum feralem mortuum, & iuxta eum suum sine læsione animal liberatum. Quocirca diuinitùs consolatus statim recurrit ad Ecclesiam* S. Mariæ Magdalenæ *ad gratias Deo referendas, quia suâ misericordiâ saluat homines, & iumenta.*

Quomodo vxor eius inuenit vrnam plenã ad dandam pauperi.

ITEM *quia pro se viri iusti Tobiæ acceperat documentum admonentis suum filium, & dicentis:* Si multum tibi fuerit, abundanter tribue: si verò exiguum, libenter impartiri stude. *Enimverò misericordiæ semper visceribus affluens, nunquam iuxta posse ab eleemosyna desistebat: vnde accidit quadam die Sabbati, quòd cùm de coquinæ suæ ferculo, iuxta sui modulum, aliquibus indigentibus piam eleemosynam iam fecisset, superuenit subitò quædam persona miserabilis petens ab eo quidquam eleemosynæ sibi dari. Sed quia nihil tenebat ad dandum præ manibus, ductus nimiâ pietate dixit vxori suppliciter:* Rogo te pro Deo, vxor charissima, vt si quid pulmentarij superest, in eleemosynam impartiaris pauperi. *Ipsa verò conscia nihil superfuisse residui, perrexit, vt ei ostenderet coquinæ vrnam esse vacuam: sed nutu Dei pijssimo volentis satisfacere pij serui desiderio, inuenit eandem vrnam refertam pulmentario. Quod cum ipsa vidisset subitò istud tale mirabile, facta stupida subticuit ad momentum; sed exhilarata tàm euidenti miraculo, beneficij diuini conscia, gratanter, & abundè indigenti cibaria ministrauit; quódque viro intimare timuit, sciens eum inanem gloriam respuere. Sed quia spiritu Dei feruentes in his quæ Dei sunt linguam non decet compescere; non voluit, quia non decuit, vicinis, & alijs personis ideneis, prout Deus ostentauerat, reticere; & hoc prout à fidelibus narratum est testibus, dignum duximus scribendum.*

Crescit ferculum pro pauperum subsidio.

ITEM *diuinâ prouidentiâ disponente profectò contigit, quod, prout fit in diuersis terrarum partibus assuetum, Confrater existeret in cuiusdam numero confraternitatis; & cùm die statuta, omnes statuerent commune prandium celebrare; Vir Dei* ISIDORVS *vocatus, vt erat solitus, deuotâ oratione, adire Ecclesias, moram fecit diutinam. Vnde finito conuiuio superuenit: tamen quosdam pauperes, quos inuenit ad ianuam domus celebrati conuiuij, eleemosynam expectantes, secum misericorditer introduxit; quod videntes ex eius quidam confratribus, verbum huiusmodi intulerunt.* Vir Dei bone, mirabile est de vobis, quòd pauperes istos vobiscum admittitis, cùm non supersit quidquam residui, nisi solùm vobis portio reseruata. *Quod Vir Dei verbum ferens cum patientia sic respondit:* Ex parte Dei quod vobis datum fuerit, inter nos pariter partiemur. *Tunc seruitores mensæ adeuntes vrnam, vt illi afferrent particulam reseruatam, eandem refertam pulmento carnium plenariè repererunt. Quod cùm viderent subitò factum prodigium mirabiliter, stupefacti ad momentum temporis siluerunt, & reseruantes præconium tempori opportuno cum hilaritate & gaudio, tàm Viro Dei, quàm pauperibus introductis, ad sufficientiam optata fercula ministrarunt; & in tantum fercula suffecerunt, quòd alijs pauperibus de residuo porrexerunt; impleta prophetia, quæ fideliter canit:* Inquirentes Dominum non deficient omni bono. *Finito verò conuiuio, Vir Dei, leuatis ad cælum manibus, nomen Domini benedixit, commemorationem pro benefactoribus non omittens, ac deinde discumbentibus vale faciens, ad* B. Mariæ Magdalenæ *vicinam Ecclesiam properauit offerre Deo cum summa deuotione copiosas gratias; cuius donum escã sibi præparauerat in suis necessitatibus, & opportuno tempore misericorditer subuenerat. Omnes*

Digitized by Google

illi qui domi adfuerant, tàm Confratres, quàm alij ſeruitores patratum miraculum, factum tam ſubitò, euidentiſſimè cognoſcentes, compuncti corde, & collaudante s nomen Domini, Virum Dei, verum eſſe Dei famulum crediderunt. Vnde Viri Dei verè firmati miraculo, non ſolùm per rura, ſed etiam per villam, multis viris, multiſque fœminis, quod acciderat, fideliter enarrarunt. Vt multi teſtes, Dei fierent laudatores, qui ſuſcitat de puluere egenum, & de ſimo eleuat pauperem, vt ſedeat cum Principibus, & ſedem gloriæ teneat. Quod in iſto vero Dei famulo non ſolum ſpiritualiter, ſed corporaliter eſſe cognoſcimus adimpletum: cuius Corpuſculum glorioſum in Eccleſia S. Andreæ *Apoſtoli, inter Principes glorioſos Apoſtolos collocatum, hodie requieſcit; pulchram humanæ gloriæ ſedem tenens, & in cælis ſede remuneratus gloriæ cum Sanctis omnibus perpetuò gloriatur.*

Quomodo ab hac vita migrauit.

HIC *itaque cùm bonis polleret moribus, legitimè coniugem habens, & filium, domus ſuæ bonus diſpoſitor, vt oportet laudabilem vitam ducens, laudabiliorem exitum, largiente Domino, meruit obtinere. Cùm verò tempus accidit, quo Dominus Ieſu-Chriſtus, iuſtus Iudex, eius labores aſſiduos iam remunerare pijſſimè decreuiſſet, decidit in lectulum, & cùm ſibi iam præſenſiſſet vitæ præſentis diem nouiſſimum imminere, ſumpto viatico, conteſtando bona ſua temporalia licèt modica, admonendo familiam ſuam in Domino vt decebat, percuſſóque pectore, compoſitis manibus, compreſſis oculis, Factori ſuo, Redemptori ſuo, cui ſe totum vouerat, conſignatus, cum talento munere duplicato, humilem in Chriſto ſpiritum exhalauit, ſuorum mercedem laborum in terra viuentium à Chriſto Domino perenniter ſuſcepturus: cui verò pulcherrimè adaptatur illud quod in libro Sapientiæ de iuſti viri perſona, laude egregiâ huiuſmodi prænotatur:* Iuſtum deduxit Dominus per vias rectas, & oſtendit illi regnum Dei, & dedit illi ſcientiam Sanctorum; honeſtauit illum in laboribus, & compleuit labores illius. *Sepultus eſt autem in cæmeterio*

Sepultura Beati Viri.

B. Andreæ Apoſtoli, à cuius Eccleſia, tempore peregrinationis aſſiduæ, ac ſuæ orationis vltimo, ad ſuum laborem progrediens, recedebat. Vbi Corpus eius per multa tempora iacuit, id eſt, per Quadraginta annos, quaſi à nullo hominum viſitatum, & ita latuit per tantum tempus, quod tempore pluuiarum riuulis aqua ſuperfluens, irrumpénſque terræ faciem, ſepulturæ foueam introiret. Sed Dominus miſerator, qui cuſtos eſt electorum ſuorum die, ac nocte (dicens in Euangelio: Capillus de capite veſtro non peribit) *non eſt paſſus ſerui ſui fidelis capillum, nec membrum aliquod deperire.*

Inuentio ſacræi Corporis.

VNDE *diuinâ miſeratione tunc contigit, quòd cuidam ſuo olim compatri, in prædicta Eccleſia, nocte apparuit, admonens, & indicẽs, vt indicaret parœchialibus viris illius Eccleſiæ, Corpus ſuũ à prædicta ſepultura, iubẽte Domino, eleuari, & in prædicta Eccleſia B. Andreæ Apoſtoli, honorificè collocari. Ille verò ſuus cõpater humilitatis eius tempora reminiſcens, ac bonæ fidei, exiſtens dubius renuit admonitionem, quam viderat, propalare: quâ de cauſa percuſſus fuit infirmitate vſque in diẽ Tranſlationis eius. Diſponente verò Domino, ſecundò apparuit cuidã Matronæ bonæ fidei noctu per viſionem, cui dictum eſt deberi à populo in prædictã Eccleſiam Corpus ſuum transferri. Quod cùm bonæ fidei prædicta Matrona populo indicaret, quia eius vitam iuſtam, & honeſtam quidam agnouerant, & quidam audierant, omnes vnanimes ſepulturam Viri Dei diligentius effoderũt. Quem cùm inuenirent integrum, & illæſum, ac eius veſtamina ſana, & integra, ſuauem incenſi odorem halantia, Magnifico Domino, qui facit mirabilia magna ſolus, grates copioſiſſimas cũ magno gaudio & laudibus retulerunt; quia dignatus eſt ſuum fidelẽ humilem reuelare, ac ſui dilecti theſaurũ cum ſuis electis Principibus aſſociare. Vnde tàm probi Milites, quàm omnes alij cõgaudentes vnanimiter B. Viri Corpus in Eccleſia prædicti Apoſtoli, iuxta BB. Apoſtolorũ Altaria, in nouo Mauſolæo debitâ honorificentiâ collocarunt: per quem, cooperante Domino, multa miracula, quæ per culpã negligentiæ nõ ſunt ſcripta, diuerſis tẽporibus, ac diuerſis modis, in perſonis pluribus ſunt oſtenſa, ex quibus noſtris tẽporibus, iuxta modũ debitum, quæ fideliter inuenire potuimus, conſequenter ſcribere niſi ſumus.*

VNDE

Digitized by Google

VNDE *re verâ non eſt licitum præterire, quod diuinæ dignationi complacuit miraculosè fieri. Nam in eleuatione ſacri Corporis ad S. Andreæ Eccleſiam deferendi, dignatus eſt Dominus tale prodigium declarare: Cuncta cymbala illius Eccleſiæ, abſque manu hominis, & abſque vllius artis adminiculo, per ſe mota, vſque ad depoſitionem Corporis in ſepulchro, pariter ſonuerunt, ac ſi fuiſſent per manus hominum agitata. Propter quod illius temporis tàm præſentes, quàm poſteri diuinum prodigium agnoſcentes, Viro Dei ſanctitatis titulum, abſque Paſtorali auctoritate, fide tenus, manciparunt. Vnde tàm ſiquidem à viris, quàm fœminis eſt generaliter* SANCTVS ISIDORVS *vocitatus, impletâ Scripturâ, quæ laudabiliter in Eccleſia recitatur:* In fide, & lenitate ipſius Sanctum fecit illum, & elegit eum ex omni carne, & magnificauit illum in conſpectu Regum Dominus Deus Noſter.

Cymbala miraculosè pulſantur in inuentione ſacri Corporis.

SED *nec etiam eſt omittendum, quòd quidam pauperes contracti, ac cæci, viâ publicâ mendicantes, audito rumore tanti prodigij fide tenus congaudentes, ad ſepulturæ foueam conuenerunt, de qua fideliter aſſumentes puluerem, & membris proprijs admouentes, diuinâ miſericordiâ, ad ſuum fidelem famulum declarandum, ſanitatis gratiam receperunt.*

Multi curantur attactu puluere ſepulturæ.

Hactenus *Ioannes Diaconus Madridenſis*, quatenus ad hiſtoriam S. Viri ISIDORI, mortem, ſepulturam, & inuentionem ſacri Corporis: nam quæ ſequuntur in *Codice MS.* miracula ſunt quamplurima, multo pòſt tempore à tranſitu *S. Agricolæ*, Domino diſponente patrata; Quorum nonnulla alibi referemus. Aſt quia in prædicto *MS. volumine* aliqui Hymni, quos olim Eccleſia *Madridenſis* in ſolemnitatibus S. Agricolæ recitabat, referuntur, illos hic inſerere placuit, vt omnibus ſancta, & cordialis deuotio Sacerdotum illius ſeculi veraciter innoteſcat.

Hymni in eius feſtiuitate occini ſoliti.

Magna virtutis titulo
Collaudemus egregium,
Diuinâ laude, ſedulò
Exemplar vigilantium,
Ex meritorum cumulo
Sanctum Virum ISIDORVM.

Sanctus Vir ISIDORVS
Sumpto quietis lectulo,
Summâ repletus gratiâ,
Surgens valdè diluculo,
Perquirit ſanctuaria,
Prolongatus cubiculo
Virginis intrat atria.

Sanctæ Matris palatio
Summâ cordis inſtantiâ
Coram Matre, & Filio
Pia prodit ſuſpiria;
Vicina deſiderio
Subintrat Oratoria.

Ex quibus vale faciens
Villæ, adit Eccleſias,
Erat vt ſic proficiens
Chriſto vſque ad obſequia,
Opus bonum perficiens,
Redit, Deo dans gratias.

Iungit boues ad aratrum
Agri vt agat opera,
Duri laboris barathrum
Cæleſtis leuat dextera,
Adſunt boues per Angelum
Parte ſulcantes alterâ.

Cæleſti aſpiramine
Sanctorum, & Eccleſiæ,
Miro Dei iuuamine,
Hoc explebat quotidie,
Nullum repertum nomine
Huius eſt donum gratiæ.

Incuſat hunc vicinia,
Quòd tardius inciperet,
Ad arandum per deuia,
Cum ſolus mane pergeret,
Vt motus irâ nimiâ
Tutor ei illuderet.

Peruerſos tutor audiens,
Se ponit in inſidijs,
Mira videndo gradiens
Se abſtinet conuitijs,
Compunctus corde patiens

Diuinis ex iudicijs.
Nam bobus albis viderat
Arantem agro iuuenem,
Quem vicinum crediderat
Iuuantem eſſe hominem:
Sed cum iam præſens aderat
Vidit adeſſe neminem.
Percontatur quis fuerit,
Qui comes agro fleterat:
Reſpondit quod non nouerit,
Poſt Deum, qui ſe iuuerat.
Inquit ille, quod viderit
Iuuantem, ſed abſceſſerat.
Recompenſatus animo,
Quid fructus iuſto calculo
Sibi ſoluuntur annuo
Prouecta meſſis cumulo,
Dat cuncta ſub arbitrio
Fideli Dei famulo.
Sit laus Patri ingenito, &c.

HYMNVS II.

QVis ſicut Noſter Dominus,
Pugillo tenens omnia,
Cuius iacent ſub pedibus
Cœlum, tellus, & maria,
Imò & ſuperiùs, ſola
Cui placent humilia.
Rex magnus, & laudabilis
Dominator in omnibus;
Rex potens ineffabilis
Virtutum in operibus
Saluator admirabilis
Redemptionis millibus.
Plures per orbem ſtatuit
Reges terræ ac principes,
Iuſtitia quos voluit
Omnes eſſe participes,
Exaltare non renuit
Inter quos iuſtos inopes.
Teſtatur idem Lectio
Vera Pauli Apoſtoli:
Quod diuina electio 1.Cor. 10.
Sic mutat ſedem ſeculi,
Zacharias in ſolio
Scribit egenum populi. Zach. c.10.
Iam noſtris patet oculis
Quid diuina dignatio
Operatur in ſeculis,
Sub ſecreto iudicio
Declaratur in populis
Iuſti huius indicio.
Te decet honor Domine
Qui das honorem paruulis,
In vultus tui lumine
Quos elegit ex populis;
Qui es æternus numine
Iudex iuſtus in ſeculis.

HYMNVS III.

IAm pura flagrant balſama
In aula ſancta Domini,
Dei virtute proxima,
Digna cœleſti agmini,
Tumba iuſti gratiſſima
Odoris plena gemini.
Manat odor ex corpore,
Quod per annos delituit
Plures, terræ ſub aggere,
Nec tamen quid computruit:
Vnde dat fides credere,
Quod ſanctitas non defuit.
Creaturarum Genitor
Seruum ſeruauit proprium:
Totius boni conditor
Intra terreſtre gremium,
Vt eſſet teſtis editor
Saluatoris humilium.

Dum

Digitized by Google

Dum Sacra gleba cernitur
Satis miratur ratio,
Quod membrum non diuiditur
Vnumquodque ab alio;
Sed totalis connectitur
Nata compaginatio.
Dum æstu terra premitur
Et abnegatur pluuia,
Sepulchro Sanctus trahitur
Pro temporis angustia;
De supernis transmittitur
Sic pluuiarum gratia.
Inter Sanctos attollere
Dignatus est hunc famulum
Deus, cultorem colere
Ob meritorum cumulum,
Virtutum hunc ex munere
Quas frequentat ad tumulum.
Iam Reges, Duces, Iudices,
Iam fidelis Ecclesia,
Genua flectunt supplices,
Pro summi Regis gloria
Qui iustos amat simplices,
Miráque præstat præmia.
Sit laus Patri ingenito,
Decus, virtus, & gloria;
Eiúsque Vnigenito,
Per quem creauit omnia:
Sancto simul Paraclyto,
Per quem præstatur venia.

HYMNVS IV.

ERgo Sancti præsentiâ
Præsens psallat Ecclesia.

Vota promat herilia
Consistens Cleri concio
Digna soluens obsequia
Sancto Viro ISIDORO.
Ergo.
Vir sanctus sub diluculo,
Per stratas pergens regias
Nullo fultus vehiculo
Omnes adit Ecclesias.
Ergo.
Nullo fractus grauamine
Redit ad laboritium,
Summo fretus solamine
Labor est ad solatium.
Ergo.
Constans virtutis gratiâ,
Hoc explebat quotidie;
Recti cordis latitia
Pellit onus tristitia.
Ergo.
Comites erant Angeli
Suis semper operibus;
Pijs solent calicoli,
Opem ferre hominibus.
Ergo.
Seruatum à confratribus
Breue pulmentum vasculo;
Sibi, & egenis pluribus
Præbundauit ferculo.
Ergo.
Temporalis Agricola
Stetit inuictus stadio:
Vnde felix calicola
Nunc est cæli palatio.
Ergo.
Terras seruat præsidijs,
Donis ditatus gratiæ:
Medelam præstat languidis
Terrigenis Hispaniæ.
Ergo.

HYMNVS V.

FÆlix fidele munus,
Quod Deus dedit vnus,
Diuinum, & iucundum,
Et ſiderûm fœcundum,
Quod refulget in mundum,
Datum eſt nobis munus.

Diuinum quod creatur,
Iucundum quod ſacratur,
Secundum quod beatur
Datum.
Diuinum, & beatum,
Sub arida ſeruatum
Corpus, quod illibatum,
Datum.
Diuinum, & regale,
Non reperitur tale
In gentibus formale,
Datum.
Humanâ ſub naturâ
Corporea factura,
Manens integra pura;
Datum.
Nam formâ ſpeciale,
Virtute generale,
Cunctis medicinale,
Datum.
Remedium dolentis,
Solamen pia mentis,
Medela noſtra gentis:
Datum.
Socius ſuperiorum,
Thymiama odorum,
Noſtrum adornans chorum,
Datum.
Electum vas decorum,
Conſocius Angelorum,
Monimentum piorum,
Datum.
Munus predeſtinatum,
Apoſtolis aptatum,
Fulgens aſſociatum,
Datum.
Iam regem in decore
Charitatis amore,
Contemplans in honore,
Datum.
Regem ſuſpexit Chriſtum,
Per quem deſpexit iſtum
Orbem, malis commixtum,
Datum.
Munus hoc inſperatum,
Diuinitus collatum,
Bonis mirum, & gratum,
Datum.
Per Summum Dominorum,
Rectorem ſupernorum
Venerandum decorum,
Datum.
Per Summum Regem Regum,
Iudicem iuſtum Legum,
Paſtorem fidum Gregum,
Datum.
Ergo pro Saluatore,
Qui bona dat ex more,
Lato dicamus ore
Datum.
Honor Patri ingenito,
Eiúſque Vnigenito,
Sic Flamini Paraclito
Per quem datum eſt munus.
Cuius donum honoris,
Cuius bonum amoris,
Cunctis laudemus horis,
Per quem datum eſt munus.

HYMNVS

HYMNVS VI.

LÆtificati pretio
Sancti pſallamus gaudio,
Omnis chorus coniubilet,
Vociſque tono conſonet.
Lætificati pretio
Sancti pſallamus gaudio.

Sacerdotes Primarij,
Leuita, Subdiaconi,
Lætificati.
Doctores cum Scholaribus
Laudes emittant vocibus,
Lætificati.
Primates cum ſenilibus,
Iuuenes cum parentibus
Lætificati.
Matrona cum Virginibus,
Pueri cum infantibus
Lætificati.
Omnes informet bonitas,
Omnes inflectat pietas,
Lætificati.
Totius Orbis cardines,
Latentur omnes ordines,
Lætificati.
Quidquid fides Catholica
Virtute nutrit cœlicâ,
Lætificati.
Te Beatum ISIDORVM,
Collaudamus per Dominum,
Lætificati.
Qui te beauit agmine,
Quod comparauit ſanguine,
Lætificati.
Te elegit Agricolam,
Ciuem fecit cœlicolam
Lætificati.

Humiliatum in via,
Sublimauit in patria,
Lætificati.
Sublimatum in patria,
Terris honorat gratia,
Lætificati.
Quem dilexiſti opere,
Te conſeruauit corpore,
Lætificati.
Violare non potuit
Terra, quæ ſanctum tenuit,
Lætificati.
Sub ea nec computruit
Gleba, quæ Chriſto placuit,
Lætificati.
Sed integra comparuit,
Odore miro claruit,
Lætificati.
Virtute Dei Famuli
Plures curantur languidi,
Lætificati.
Non ſolùm qui ſunt proximi,
Sed plures longè poſiti,
Lætificati.
O Sancte Vir ISIDORE
Pro Nobis manus erige,
Te petimus per gratiam
Nobis vt captes veniam
Vt præſens poſt exilium
Tecum ſimus in gaudium.

En Carmina B. ISIDORO cani ſolita per Sacerdotes *Madridenſes* antiquis temporibus, quæ proculdubio illorum ſapiunt ferruginem, imò farraginem piam, licèt incultam.

TOTAM huius Sacrati Agricolæ Hiſtoriæ compaginem, exceptis ſuperiùs recenſitis, obliterauit obliuio, aut incuria vetuſtiſſimorum, qui ſolo teſtimonio *Alia perierunt omnia.*

lis *Ducis Venetiarum Corpus huius S. Martyris, inde à Venetis ad eorum vrbem tranſlatum quieſcit in Ducali Baſilica S. Marci. Paſſus eſt* Idibus Maij, *Anno Domini* CC. LIII. *Poſtmodùm horum ſacrorum pignorum* Reliquiæ *partim* Martorellum *diœceſis* Gerundenſis *in* Cathalonia *tranſlatæ ſunt, vbi honorificè ſeruantur, & debita veneratione coluntur.* *Tranſlatio Corporis ad Venetos.*

Hactenus *Equilinus*. Nunc S. Gregorium Turonenſem *de Glor. Martyr. c.* 102. auſculta circa huius S. Martyris mirabilem memoriam: ISIDORVS (inquit) *Martyr in Inſula* Chio *quieſcit (ſic enim nomen eſt Inſulæ) puteum in Baſilica Sancti habens, in quem & fertur iniectus, de cuius aqua energumeni, febricitantéſque, vel reliqui infirmi ſæpius potati ſanantur. Dicitur ibi etiam lumen, quaſi cereus ardens, à fidelibus ſæpè videri. Sed & ego vidi Presbyterum, qui ſe affirmabat hoc lumen de ore putei crebrius contemplatum eſſe. In hac enim Inſula & gummi colligitur maſtiches ab arboribus, quæ vt ferunt, alijs non inueniuntur in Regionibus.* De hac ergo Maſtiches arbore apud *Chium* Inſulam loquuntur Plin. *Hiſt. Natur. lib.* 12. *c.* 17. & Dioſcorid. *lib.* 1. *c.* 71. vbi Laguna *fol.* 55. *Gregorij Turonenſis atteſtatio.*

DE *Tranſlatione* ſacrarum exuuiarum ad Oppidum *Martorellum* in Cathalonia Hiſpaniæ teſtatur P. F. Antonius Vincentius Domenec *Hiſtor. SS. Cathalon. lib.* 1. *fol.* 46. *col.* 2. qui de earum aſſeruatione, & cultu fidem facit, licet de Anno quo illinc tranſportarentur nihil agat. *Tranſlatio pignorum S. Martyris.*

MARTORELLVM. Oppidum eſt ſitum in Comitatu Barcinonenſi Cathaloniæ Regi Catholico iamiam poſt bellorum incendia aſſidua parens. Hodie dicitur MARTORELL. diœceſis Gerundenſis, vt idem ipſe Domenec fatetur. *Martorelli ſitus.*

DECIMOSEPTIMO KAL. IVNII.

DIES XVI.

A. *Apud* Scalabim *in Portugallia Hiſpaniæ, veneratio celebris B. ÆGIDII ex Ordine Prædicatorum alumni, qui genere nobilis, dignitate illuſtris, & ſacerdotio ſublimis, ſic vitijs, & ſpurcitijs primam contaminauit ætatem, vt à progenie, à dignitate, à ſacerdotio fœda temeritate degeneraret: donec à Domino correptus Ordinis habitum induens, & glorioſis virtutum operibus vitam in meliorem commutauit, & inauditis miraculorum ſpeciminibus patratis, æternam mirabili diſpoſitione promeruit.*

NOTÆ.

BEATVS ÆGIDIVS Confeſſor.] Admirabilis eſt huius Noſtri Sanctiſſimi Confeſſoris actorum compago; ex qua hominem peccatorem quantumuis ſcelerum vorticibus immerſum, Deum Opt. Max. ad ſecurum miſericordiæ portum tracturum, elicimus. Eius ergo dies *Tranſitus* variè à Noſtris Scriptoribus conſignatur. P. Mariet. *Hiſt. SS. Hiſp. lib.* 12. *c.* 29. ad diem XVII. Maij. *Martyrol. Luſit. & Dominican.* cum Eduard. A. *Obitus dies variè conſignatur.*

Eduard. Nunnio *in Deſcript. Portugall. c.*47. ad XIV. eiuſdem adnotant. Antiqua apud me monumenta MS. ad hunc diem: in quo irrepſit mendum apud Scriptores Luſitanos, quoniam dies aſſignatus literis numeralibus Romanis XIV. tranſuerſus eſt,& loco numeri *XVI.* repoſuêre XIV. Quod quotidie accidit. De eo poſt Martyrolog. Luſit. & Dominican. Philipp. Ferrar. *in General. Catalog. SS. die XV. Maij fol.* 200. Qui in Notula *fol.*201. aſſerit: *Obÿt anno* 1265. *& clarus miraculis, Officio Eccleſiaſtico, de Apoſtolicæ Sedis licentia in Luſitania colitur.* Anton. Senenſ. *in Chron. Ordin. Prædic. fol.* 121. P.F. Fernand. del Caſtillo *lib.*2. *c.*72. *& ſeqq.* Alphonſ. Villeg. *tom.*3. *flor. SS.* P. Martin. Del-Rio *Magicar. Diſquiſ. lib.*6. *c.*2. *ſect.*3. *q.*3. Ludouicus Caçegas *in Hiſtor. Prædicat. Portugall. lib.*2. *cap.*36. *& ſeqq.* P. Maluend. *in Chron. Ordin. Prædic. Ann.*1233. *fol.*510. *col.*2. P. Mariet. *Hiſtor. SS. d. lib.*12. *c.*25. *& ſeq.* P. Vaſconcell. *in Deſcript. Portugall. fol.*553. *num.*11. Eduard. Nunn. *eod. tract. c.*47. Manuel Camp. *de Reliq. Vlyſſippon. fol.*109. *&* 376. vbi Luſitaniam alloquentem hoc carmine inducit.

Scriptores.

Sancte Pater, quem Tartarei timuêre tyranni,
Et cui ſubmiſſas compoſuêre manus.
Lyſiadum notos felix inuiſe penates,
Aduenient læti ſic mihi ſæpe dies.
Te duce Tænariæ fugient in tartara peſtes,
Cum mihi firmabis nota per arma manum.
Tu clypeus, tu murus eris, tu ductor in armis,
Viribus inuideat clara Minerua meis.
Lyſia *contra Erebum turbatæ Palladis armis*
Non eget, Ægidius *fortior Ægis erit.*

Ex antiquioribus Humbertus Magiſter Ordinis *de Vit. Fratr. lib.*4. *c.*17. §.1. *& lib.*5. *c.*4. §.21. Andreas Reſend. *in integro tractatu de vita S. Ægidÿ*, Leand. Albert. *lib.*5. Georg. Cardoſ. *in Off. SS. Portugall. in Hymn. ad Nonam, fol.*7. & in *relat. SS. fol.*20. *c.*17. P. F. Didac. de Roſar. *in Chron. Ordin. Prædicat. Portugall. lib.*1. *c.*36. *& ſeqq.* Biblioth. Domin. *fol.* 34. *&* 38. Eius Acta ex *Reſendio* & aliis tranſcribemus, ſeu potius ex Stephano Sampayo *in Theſ. Arcan. Luſitan.*

ACTA B. ÆGIDII, CONFESSORIS Scalabitani, ex Ordine Prædicatorio; à Reſendio, & alÿs.

Origo.

ÆGIDIVS RODERICVS Valladarius *natus eſt anno humanæ ſalutis* M. C. XC. *ad confluentes* Vagi, *&* Zelæ *fluminum vndas, in Oppido* Vaozela, *Viſeenſis diœceſis in Luſitania. Parentes eius iuxta ſeculi dignitatem, & genere nobiliſſimi, & moribus religioſiſſimi fuêre; fortunarum amplitudine, inter primos* Luſitaniæ *proceres, clari. Pater eius* Rodericus Pelaius Valladares, *arcis, & vrbis* Conimbricenſis *Præfectus, dicebatur; fuítque ſummæ apud Regem Portugalliæ auctoritatis: nam Sanctio 1. Regi fuit à Conſilÿs, & Regiæ Aulæ Præfectus, quem* Maiordomum *appellant. Mater verò* Dom. na Tharaſia Ægidia, *ex* Ataydorum, *&* Attaugiæ Dynaſtarum *familia: fuítque cognata Domnæ* Ioannæ Diaz, *cuius dominÿ oppidum* Vaozela *cenſebatur, quæ poſtea Capellam conſtruxit, vbi nunc Corpus* B. Ægidij *requieſcit in Monaſterio* Scalabitano.

Parentes.

Philoſophia, & Medicinæ ſtudijs deditus. Munia.

POST *Grammaticam, & Philoſophiam; Medicinam eſt ſectatus, in qua vſque ad nominis famam profecerat. Verùm intra pubertatem Eccleſiarum* Braccarenſis, Conimbricenſis, *ac* Igeditanæ *Canonicus, itémque* S. Irenes Scalabitanæ *Prior, &* Cheruſcienſis *Rector conſignatus eſt. Quæ omnia beneficia, Patris operâ, qui tunc gratia, & fauore apud Regem pollebat, creditur conſecutus.*

Digitized by Google

conſecutus. Inter hæc miſerabilis iuuenis totum ſe vitijs permiſit, effrænis in voluptates ruebat, cuncta prodigere, omnia pro ſenſu carnis, & libidine agere, nullo Dei reſpectu, nullo timore. Erat illi cordi medicinæ ars, haud quidem vllo bono fine, ſed vt per eam, vaniſſima curioſitate, alienarum quædam, & inconceſſa rerum experimenta captaret. Igitur Pariſios *adire decreuit, vbi tunc celeberrima variarum diſciplinarum gymnaſia frequentabantur, vt eruditiorem rerum naturæ experientiam adeptus, famoſior euaderet. Iter ingreſſus, dæmonem obuium humana ſub ſpecie habuit, ſéque illi nequam ſpiritus vitæ comitem adiunxit: & ſermonibus vltrò, citróque habitis, cœpit à noto ſibi, ſed ignotus paulatim varia quærere.*

Pariſios ire conſtituit.

VT *audiuit profectionis conſilium:* Si meum capis (*inquit*) ô iuuenis; mirabilem artem, adeptu facilem, & vſu præcipuam demonſtrabo, qua tibi ad ſummos honores, dignitates, voluptates, & quæcunque cupies, ampliſſimam viam pares; vt præ iſta, medicinæ arcana planè ſordeſcant; & ſi hanc quoque haurire penitùs optas, mea iſta, quam indicabo, medicinæ ſumma perfectio eſt: Necromantiam dico, quâ plerique ad ſumma rerum faſtigia euasêre. ÆGIDIVS *inſano quodam impetu curioſa experiundi arreptus, facilè ſe à dæmone in manifeſtam perniciem abduci paſſus eſt. Ducitur amens iuuenis à diabolo in vaſtum ſpecum prope* Toletanam *vrbem, ibi occurrêre læti, excepêrequè venientem multi viri, dæmonéſque in humana effigie: eunt omnes in profundam ſpeluncam, vbi horrendæ artes prælegebantur: proponuntur conſtitutæ leges omnibus, qui eo in loco Magicas diſciplinas ediſcere vellent; adoleſcens traditus iam in reprobum ſenſum, totúſque à dæmone poſſeſſus, nefando ritu Chriſti fidem abiurat; nec tantum ſecreti, ſed & legis, & fidei, ſeu homagij nefario ſacramento ſe diabolo addicit: chirographúmque proprio cruore deſcriptum, & ſubſcriptum, promiſſi ſignaculum porrigit.*

A dæmone detinetur, & decipitur.

Ad ſpecum Toletanum ducitur.

Chriſti fidē abiurat, proprióque ſanguine Chirographum ſcriptum dæmoni tradit.

SEPTENNIO *illic tetris artibus, & caliginoſa ſcientia imbuitur: pòſt* Lutetiam *profectus, breui in Medicina magnos progreſſus fecit, & Doctoratus lauream adeptus, ſolutiſſimæ vitæ licentiam, poſthabita boni, & æqui ratione, exercere cœpit; flagitia flagitijs addens, per omnia vitiorum genera præceps ferebatur; vt incertum eſſet, famâ eruditionis, an nequitiæ infamiâ maior haberetur. Cùm autem placuit ei, qui illum ſegregauerat ex vtero matris ſuæ in ſeruum ſibi, contigit quiddam magnoperè mirabile: Erat adhuc Lutetiæ quadam die ſolus in Bibliotheca ſua, clauſo oſtio, vbi meditabatur quidpiam de arte ſua; & ecce oblata eſt ei terribilis ſpecies armati viri, facti, quantum videbatur, ex lapide marmore, equo ſimiliter marmoreo inſidentis, qui lanceam manu vibrans, ac miſero intentans, irato vultu, minacique voce inclamauit:* Muta, homo, vitæ tuæ ſtatum: Muta, dico, vitæ tuæ ſtatum. *Quibus dictis euanuit.*

Poſt ſeptennium Pariſios adijt.

Viſione terretur.

ÆGIDIVS *ſubito terrore concuſſus, viſa ſecum reputabat, & ex ſcelerum conſcientia terrefactus, de mutando vitæ inſtituto cogitare cœpit: ſed paulatim abeunte terrore, bona illa mens reſipiſcendi elanguit. Paucis interiectis diebus, adfuit iterum armatus ille conſimili apparatu, ſed habitu oris longè terribiliori, & citato in eum cum impetu equo, voce horrenda:* Muta (*inquit*) homo, muta ſtatum tuum, alioquin te interficio. ÆGIDIVS, *exemplo* Pauli, *totus pauore horrens, celeriter reſpondit:* Mutabo Domine. *Quem vt ferox ille Eques iſta promittentem audiuit, lanceæ mucrone leuiter illius pectus circa cor pupugit, ac protinus abſceſſit. At ille ita punctus, exiſtimabat vulnus in cor intimum deſcendiſſe: Quare flens magnis clamoribus cœpit vocare famulos, quibus introgreſſis, aduertit, vulnus non corporis, ſed cordis eſſe; illíque datam diuinitus monitionem ſalutarem, vt reiecto illo impuriſſimo vitæ genere, ad cor rediret. Accenſo pòſt igne copioſo, libros omnes magicæ ſuperſtitionis combuſſit; clámque* Lutetiâ *diſceſſit, magnis itineribus contendens in* Luſitaniam. *Dúmque eſſet in via, ex mœſtitia, inedia, & laſſitudine quartana febre corripitur, propter quam tamen, profectionis contentionem*

Iterum.

Comburit libros Magicæ artis.

Lutetiam deſerit.

Digitized by Google

tentionem nunquam intermiſit, vtpotè corde ſaucius, & ſemetipſum fugiens.

Palentiam ingreditur.

PALENTIAM *interim deueniens, qua illi iter in* Luſitaniam *erat, vidit* Fratres Prædicatores, *in ea vrbe nuper exortos, magno labore nouum Monaſterium ædificare; atque ipſoſmet Religioſos in opere laborantes, cæmentarijs, ac artificibus reliquis ſedulo miniſtrare. Mirabatur Viros ſanctitate, & eruditione claros, quoſdam etiam nobiles, viribus, & ætate deficientes, delicatè olim nutritos, abſque vllo ſanguinis, gradus, aut ſcientiæ faſtu, calcem ſubigere, lapides parare, ligna deferre, onera humeris portare, ſumma lætitia, & alacritate. Motus diuino impulſu* ÆGIDIVS, *optauit ex animo illis ſe Fratribus iungere. Priorem adiit, petiuitque anxiè, vt eius exciperet confeſſionem; cúmque eatenus actæ vitæ labes recenſens, propoſitum aperuiſſet; Religioſus Pater lucrifaciundi eius cupidus, de conſenſu Fratrum,* ÆGIDIVM *in ſocietatem Prædicatorum recepit, habitúque S. Religionis induit.*

Habitum Prædicatorum optat.

Suſcipit.

QVI *veniens ad oſtium cœnobij, famulis ex eo facto conſternatis, multúmque plorantibus, vale dixit, omni inter illos diuiſa ſupellectili, literas ad Patrem dedit, quibus, quæ ſibi contigerat, enarrabat. Poſtquam autem Ordinem eſt ingreſſus, in carne ſua priſtinam indulgentiam puniens, totum ſe ieiunijs, & pœnitentiæ operibus dedit, & ad tantam ſui humiliationem, demiſionémque eſt redactus, vt ad abiectiſſima quæque miniſteria vltroneus ſe offerret. Victu vtebatur parciſſimo, ferreo cingulo quatuor diſtincto internodijs ſub cilicino ſago ſuper nudam carnem ſe cinxit, ita fibulato, vt ne facilè diffibulari poſſet. Iſtis ſic duris vtebatur aſperitatibus, quia quotidie adhuc nouitius de veſtitu, & lecti duritiâ maximè grauabatur, quouſque Confeſſori ſuo huiuſmodi tentationem humiliter reuelauit. Cui Confeſſor reſpondit:* Frater chariſſime, recordare quod in ſeculo laſciuè vixiſti, & ideò in redemptionem delicatioris vitæ, & in remiſſionem peccatorum tuorum, modò duritiam iſtam, non ſolum patienter, ſed etiam libenter ſuſcipe, quia Dominus erit tecum. *Quæ verba ita ſunt cordi eius affixa, quòd ex tunc ceſſauit prædicta tentatio; & quæ priùs contraria videbantur, facilia facta ſunt conſideranti, quòd propter hoc conſequeretur remiſſionem omnium peccatorum.*

Tentatur, ſed à Confeſſario munitur.

Profeſſionẽ emittit.

POSTQVAM *verò tria Religionis vota ſolemniter profeſſus eſt, iuſſu* Fr. Gomezij Suerij *Prioris Prouincialis miſſus eſt à Patribus in patriam ad Conuentum* Scalabitanum, *qui tunc regulari diſciplinâ, & magna virtutum famâ vigebat, vbi mira ſe afflixit vitæ aſperitate. Grauiter autem* ÆGIDIVM *angebat fœdus fœdum, & pactum cum dæmone, chirographúmque illud deteſtabile, quod ſuo ſanguine ſcriptum diabolo tradiderat. Quare abundanti lachrymarum fluuio, Chriſtum, vt ſui miſereretur, anxiè deprecabatur. Dei tamen Genitricem peculiari veneratus affectu, in ea permagnam collocauerat fiduciam, fore vt eius meritis, impia ſyngrapha ſibi redderetur, aut certè deleretur. Itaque* MARIAM *Matrem miſericordiæ ardentibus, & continuis, vt ſibi opem ferret, precibus implorabat; noctes ducebat inſomnes, à lachrymis, & ſuſpirijs vix intermittens, ſolotenus proſtratus ante Altare* B. VIRGINIS, *in Sacello, in quo pendebat demiſſus à turri per foramen funis, quo cymbalum pulſabatur, orabat. Inter hæc autem, dæmonum grauiſſimas patiebatur ſycophantias, & iniurias, eum ad deſperationis barathrum perducere molientium. Nam ſicut ipſe poſtmodùm, cùm ad tentationum tolerantiam iuniores eum hortarentur, referebat; varios diaboli inſultus perpeſſus eſt, modò illi immane chaos, & horribiles tenebras, modò in æternis ignibus ardentes cum corporibus animas oſtendentis: Aliquando ſe nequam hoſtis in ampliſſimæ teſtudinis ſpeciem obÿciebat; nonnunquam trucis ſagittarij imagine formidoloſis eum ſagittis impetentis, iamiamquè emiſſuro ſimilis; interdum verò, vt graui confuſione angeretur, probroſis vituperationibus, & maledictis illum proſcindebat; vt aſſeueraret poſtea malle ſe millies capitalem ſubire ſententiam, quàm in ſpectrorum talium fœdam imaginem iterum incurrere.*

B. Virginis ope ſyngraphã reſcindere optat.

Varijs diaboli formis terretur.

AD

Digitized by Google

AD *quorum territamenta, multimodáſque illuſiones, quibus maquo cum angore diuexabatur conſternatus, tum præteritorum criminum conſcientiâ formidoloſus* ÆGIDIVS, *querulâ anxietate, magis, ac magis ad Potentiſſimæ Dei-Genitricis confugiebat aſylum: nec eum ſua fefellit ſpes; Nam poſt ſeptem ferè à ſua conuerſione annos, nocturnâ quadam peruigilatione afflictiùs, & importuniùs oranti, adfuerunt dæmones clamoribus validis, nihil illum agere, ſubinde obſtrepentes:* Meminiſſet ſe Religionem Chriſtianam pro nihilo habuiſſe, nullum iam quantæuis pœnitentiæ relictum eſſe locum: Meminiſſet, peſſimum ſe cum inferis fœdus iniuiſſe: Meminiſſet pacti ſuo ſanguine confirmati; fruſtrà ſe afflictare, fruſtra precibus fatigare Superos, occluſum ſibi omnino cœlum. *Hæc, & his ſimilia cùm iactarent, quò de conſtantiæ gradu deiectus deſperationis extremo ſcelere ſe afflictus animus impiaret; ÆGIDIVS ad Virginis ſtatuam, quæ erat in Ara, pauliſper erectus, inter acerbiſſimos ſingultus, quâ voce potuit*; Piiſſima & potentiſſima (*inquit*) Regina, re verâ cùm mea mecum ſcelera expendo, digna omnia meis factis, quæ obiiciunt iſti, egomet agnoſco. Sed cùm omnipotentiæ, cùm miſericordiæ, cùm placabilitatis Filij tui, cùm pietatis quoque tuæ recordor, non poſſum ſpem magnam non reſumere, non poſſum meliora quàm mereor non ſperare. Oſtende eos Virgo ſanctiſſima, iuxtà Filij tui ſententiam, & mendaces eſſe, & mendacij patres; & famulum tuum maximâ te cordis, ac ſpiritus anxietate adorantem, ad hanc Aram tuo ſigno venerandam, confugientem, tuum cœleſte Numen humiliter implorantem, ſpe bonâ, & bonâ quâ potes ope conſolare. *Quid multis immoramur? Inter ſuperbè intonantium, & comminantium voces, conſternatus præ anguſtia, & terrore ſupplex* ÆGIDIVS, *parum aberat, quin animam efflaret. Ecce autem Chirographum infelicis pacti ante Altare Virginis apparuit, demiſſum ab improperantibus, & vim ſibi factum à* B. Dei-Genitrice *conquerentibus. Inter alia dæmon cùm acerbiſſimis conuitiis* ÆGIDIO *præſtitam ſibi fidem, acceptaquè beneficia exprobraſſet, hæc minaciter tunc adieciſſe refertur:* Faciam huius te monachiſmi, & violentiæ, quæ me tibi ſyngraphum hanc reſtituere cogit, pœnitere.

Diabolus coram B. Virgine interpellatus.

Circa reſciſſionem ſyngraphæ arguitur.

Syngraphã reſtituit.

NON *poterit vlla humana eloquentia pro dignitate explicare lætitiam, lacrymas, gratiarum actiones, ſanamquè pro diuinæ Matris dulcedine inſaniam, quibus* ÆGIDIVS *afficiebatur; cui noua lux cælitus oblata eſt oculis, vt intelligeret non diſplicere benigniſſimo Patri reuertentis filij ſobriam pœnitentiam. Multùm tamen illi in B. Virginem auctus eſt affectus, qui iam antea non poſſe creſcere videbatur. In tantum vt ſi rebus ſacris ἐφαμιλλίαν adſcribere licet, non alibi ea magis, quàm in vno* ÆGIDIO *eſſe deprehenderetur: ita illum totum diuinæ Matris amor ſpeciali curâ cuſtodiebat: Pro ſeptennio enim illo perſeueranti vrgentium tentationum patientiâ exantlato; altero ſeptennio illibatæ Virginis gratiâ remuneratus adeò eſt, quòd perpetuò à Deo lucem quandam in modum accenſæ lampadis, vbique ſibi adeſſe conſpiciebat, quaſi certum, ac præſens aduerſus nefarias poteſtates amuletum: donec tandem poſitâ fœdorum ſpirituum formidine, non modò ad eorum conſpectum non terrebatur, ſed illis ipſe potius terrori erat.*

Virgini Matrigratias agit.

TANTO *hoc onere, quo, ratione maximâ, angebatur, & premebatur* ÆGIDIVS, *per Chriſti gratiam, & merita Genitricis eius, adĕpto, in dies animo euadens quietior, non quòd propterea pœnitentiæ rigorem intermiſerit, imò eò ſe deinceps macerabat amplius, quò etiam iam confidentiùs. Sed tamen animo factus hilarior, diuina ſacræ Theologiæ ſtudia eſt adortus, tantâ auiditate, vt dies noctesquè, quantum ab oratione vacabat, aliud nihil aut ageret, aut meditaretur. Verùm inter hæc, humani generis hoſtis, vt quod* ÆGIDIO *minatus antea fuerat, opere compleret, variis eum exercebat tĕtationibus. Dabat ergo modis omnibus operam, vt odium, atque indignationem aliorum fratrum incurreret. Adſumebat plerumquè Monachi cuiuſdam, qui in eodem degebat Monaſterio, ſimilitudinem, &* ÆGIDIO *paſſim factus obuiam, nihil non quod excogitari inter domeſticos poſſet, moleſtiæ Viro ſanctiſſimo inferebat; conuitia, male-*

Quietus remanſit.

Theologiæ ſtudiis addictus.

Dæmonis artificioſa perſecutione affligitur.

Digitized by Google

dicta, riſum, contemptum, & quauis cruenta verborum ſcommata in eum iaciens: ſed Vir Dei patientiam illibatam ſemper conſeruabat. Caterum cùm in dies augeretur malum, Vir Dei cedendum ratus, & vt illi, quem Fratrem eſſe putabat, peccandi occaſionem adimeret, cum Superiore Conuentus de mutando Monaſterio, causâ etiam expoſitâ, vt iræ locum daret, ſeriò egit. Superior qui S. Virum ſummè diligebat, ægrè tulit tantam iniuriam illi irrogari, & accerſito Fratre, qui omnium inſcius, & innocens erat, vehementer expoſtulauit, ita abſe crudeliter, & inhumanè ſeruum Dei tractari. Ille ſtupens perſanctè iurabat, nihil tale, neque per cogitationem à ſe intentatum: ſibi maximo honori eſſe ÆGIDIVM, & plurimùm illum reuereri, & obſeruare. Vir Dei facilè intellexit fraudem eſſe antiqui inſidiatoris, nec locum mutare conſtituit: dæmon artes ſuas comprehenſas agnoſcens, ab infeſtatione ceſſauit.

Illius fraus detegitur.

VT autem B. ÆGIDIVS expeditiùs Theologiæ ſtudio, quod ardenter arripuerat, vacaret, de Prælatorum licentiâ Lutetiam iterum ſe cõtulit: ibique toto tẽpore, quo Theologiæ incubuit, ſumptus ei liberalitate Sanctij Regis Portugalliæ abundè ſuppeditati ſunt in Conuẽtu S. Iacobi Pariſiorum; vbi Iordano beatæ memoriæ, qui B. P. Dominico in regimine Ordinis ſucceſſerat, ob conſpicuã vitæ ſanctitatem, factus eſt charus. Familiaritatem autem præcipuè contraxit, intimámque amicitiam cum Venerabili P. Humberto, qui etiam poſtea Ordinem Prædicatorum gubernauit. Quo ſtudiorum ſocio, tantâ ingenij dexteritate vſus eſt, cooperante iam ſpecialiùs in ipſo diuinâ gratiâ, vt paruo temporis curriculo, abs Cancellario Pariſienſi, ad Doctoratus culmen fuerit promotus, & ſacrarum Litterarum, Patrum Ordinis auctoritate, per Hiſpanias Lector ordinatus. Reuerſus poſt hæc in Luſitaniam ÆGIDIVS, agendo, docendo, & prædicando talentum ſibi creditum duplicare etiam ſupra virilem ſtatuit. Inuidebat tantis ſucceſſibus ille animarum ſicarius, tantóque id magis, quanto ampliorem, ſauiorémque olim in eo exercuerat dominatum; quem tamen amiſiſſe cùm torqueretur, nihil non agebat, nihil inſidiarum prætermittebat. Sed cùm iam aperto marte, nequaquam proficeret aduerſus eum, qui ſpiritu veritatis vndequaque ſe communierat, occultioribus cuniculis experiebatur. Ergo angeſcente in dies ſanctitatis eius famâ, in primis Prouincialibus Comitijs, quæ primâ vice pro futuri Prouincialis electione, in demortui P. Suerij quondam Prouincialis locum, celebrata in ampliſſima Hiſpaniæ Prouinciâ fuêre, S. N. ÆGIDIVS Luſitanus Prior Prouincialis, non tàm ſuffragijs in tabulam indicem collectis, renuntiatus eſt, quàm viuâ omnium voce, conſenſúque proclamatus. In quo Magiſtratu ſeu potius miniſterio, vix dici poteſt quantis ſe laboribus exercuerit, honore nunquam ad ſuperbiam abuſus, ſed in dies ſe infra ſe magis deijciens, etiam adultiore iam ſenio, per varias Hiſpaniæ prouincias, pedibus iter faciens, non niſi admodum rarò vilis aſelli inſeſſione, ex fatigatione nimiâ, ſubleuaretur.

Lutetiam repedat.

Doctor Pariſienſis efficitur.

Prior Prouincialis Hiſpaniæ eligitur.

IN huius miniſterij onere, multa ÆGIDIO, dum viſitare Conuentus fratrum pergeret, mirabilia euenêre; quorum nonnulla hic recenſere cenſuimus. Igitur cùm pergens Conimbrigam, deueniſſet Lerenam *, quod oppidum æquis ferè ſpatijs Scallabi diſtat, & Conimbriga, diuertit apud nobilem, & religioſam Matronam Pichenam nomine: cúmque ad Solis occaſum cubiculum ingreſſus, in ſponda lecti ſedens aliquantulum meditaretur: ecce de repentè tàm vehementer abſorptus eſt, vt à terra eleuatus, nullo ſuſtentante, penderet immobilis. Quod cernens ſocius eius, F. Andreas Petreius Scallabitanus, harum inſolens rerum, adſcitâ matronâ, & familiaribus eius, aliquot fruſtrà impulſionibus, & attractionibus illum nitebatur deponere: Non enim moueri de loco potuit, ſed nec etiam vel leuiter inclinari. Quod vbi innotuit vicinis, tanta ſubitò accurrit multitudo, vt cùm neque cubiculum, neque ianuæ turbam caperent, tectum ipſum effractum, detectúmque ſit à tàm miræ rei videndæ ſtudioſis. Atque eo ſic ad multum iam noctis perdurante, qui ſpectatum aduenerant, partim exorati, partim irrepente iam ſomno admoniti, domum quiſque ſuam ſe receperunt. Poſtea verò quàm ille euigilans, à ſocio reſciuit, quod ſibi contigiſſet, ingenuo magis, quàm neceſſario pudore multùm doluit, ſe à vulgo deprehenſum, & cauens ne vel minima ſubreperet humanæ laudis dulcedo, ſi exortâ die videndi ſui

* Leyrſam *legit & optimè* Marieta. *Nam* Lerena *abs Scallabi, & Conimbria plurimùm diſtat. Eleuatus à terra aliquando extaticus pependit.*

Digitized by Google

ſui copiam faceret, ſtatim de Tertia vigilia nocte adhuc concubia diſceſſit.

PER *idem tempus cùm* Concham ÆGIDIVS, *exigente officio deueniſſet, & poſtridie in ciuitate verbum Dei proponeret prædicare, initio noctis, acceptâ ab hoſpite* Petro Garcia *candelâ, ad ſtudendum, cubiculum eſt ingreſſus, & paululum meditabundus, vt ſolent de proximo concionaturi, inuentionis vtique, aut firmandæ memoriæ causâ, obambulauit. Inde lecto adcliuis, cùm ſe lectioni dediſſet, ex interiori diuinarum rerum meditatione, præſenſit animæ vim, ſenſim ad Diuinitatem contemplandam, ſibi euocari. Propterea ne à quoquam videretur, protenſo brachio, candelam in pauimento ſub lecto poſuit, ſed negligentiùs, cùm ſtragula à fulcro pendentia ardentis lucernæ flamma pertingeret. Animaduerterunt eam rem ſocij eius, & ex reuerentia S. Viri, eò appropinquare auſi non ſunt. Quadruplex ibidem contigit miraculum. Nam & ipſe vſque mane in ſuo raptu permanſit, & tantundem temporis arſit candela, vix alioqui, duarum horarum ſpatio duratura: & cùm tamdiu arſiſſet, nulla omnino facta eſt diminutio: ad hæc, ſtragula, ex tàm longo flammæ contactu, non modò non adusta, ſed ne infumata quidem comperta ſunt. De hiſce mentis exceſſibus plures omittimus, alios infrà daturi.*

Quatuor miracula in vno, Concha patrata.

CVM *ex officio Cœnobium* Barcinonenſe *viſitaſſet, &* Maioricam *alteram ex* Balearibus *Inſulam adire proponeret, nauem conſcendit cum ſocio, & aliquot alijs, qui honoris, & obſeruantiæ causâ ſe illi Comites itineris adiunxerant. Sublatis ergo anchoris, cœperant vela facere, cùm ex vectoribus quiſpiam clarè ſternutauit. Id ſternutamentum Nauicularius, & Mercatores nonnulli, qui vnà vehebantur, ceu inauſpicatum omen accipientes, nauem ad litus flectere decreuerunt. Tum Vir Dei cœpit admonere omnes, mirificâ doctrinâ, vt tenerent curſum, nihil metuendum ex eo quòd ſternuiſſet ille; omina & auguria rem eſſe vanitatis pleniſſimam, adeóque ab his qui Chriſtum profeſſi eſſent, oportere eſſe omninò alienam. Obtemperatum illi eſt, pudore tamen magis, quàm voluntate. Iam ſe penitus in ſalum dederant; & ecce diaboli aſtutiâ, conſurrexêre venti, & mare ab imo commotum eſt, inuſitato more aquarum montibus intumeſcens. Fœdâ igitur tempeſtate horſum, illorſum iactati, cùm ſalutem deſperarent, ex Mercatoribus vnus, quem cæteris impudens inſania, promptúmque ad facinus ingenium fecit audaciorem, iracundo, ac inſolenti vultu Virum Dei, eiúſque ſocios probris inceſſere eſt adortus, nullis parcens verbis quantumcumque inhoneſtis, ac contumelioſis; ſe, & cæteros multùm redarguens, quòd ſtulti cucullati vnius ſermonibus perſuaſi, in præſens, & ineuitabile mortis periculum deueniſſent, nec credidiſſent ſternutationibus, rei multis antea experimẽtis comprobatæ: ergo ſtultitiæ dignas ſe pœnas dare; ſtultiores eſſe tamen, nimiúmque ignauos, qui ſuæ mortis ante oculos poſitæ auctores, neque punirẽt, neque ad vnum omnes illos Monachos in mare proijcerent: vixquè ſacrilegas manus à ſcelere temperabat. Hæc* ÆGIDIVS *cùm audiſſet, viderétque horrendam vndique tempeſtatem, expandens manus ad cælum:* Placétne (*ait*) tibi Domine, vt ſæuiſſimâ hac maris procellâ obruamur, & vincat malignus auguriorum oſtentator? Succurre, quæſo, ſeruis tuis Domine IESV, cuius potentiſſima eſt manus ſiue in terra, ſiue in mari, ad dandam in extremâ deſperatione ſalutem. *Hæc vbi erectis ſurſum oculis, audientibus cunctis, verba protulit, repentè à furore ſuo ſtetit mare, & ſilentibus ventis, vndæ reſederunt. Ad tam miram rem attoniti, qui in naui erãt, omnes paulatim à metu reſpirãtes accurrerũt ad Virum Dei, atque alij manum ad oſcula vt porrigeret, deprecabantur; alij verò fimbrias tetigiſſe pallij ſatis vtique habebant: præter tamen omnes, Mercator ille priùs inſolens pœnitentiâ facti, ac pudore confuſus procubuit ad genua, intérque ſingultus maximos veniam poſtulabat.* Ignoſcam tibi (*inquit* ÆGIDIVS) ſi & ipſe iis qui aduerſum te peccauerũt, ignoueris. *Hoc dixit quia homo ille inexorabiles gerebat inimicitias cũ cognato quodã ſuo, à quo percuſſus in capite grauiter fuerat, ita vt vulnere ſopitus manſerit, & oſſa nõnulla, craniij q; particula cõfracta, adempta illi in curatione eſſẽt: & licet Epiſcopus Ciuitatis, Primores ciuiũ, conſanguinei, ac Fratres hũc frequẽter placare, & cognatũ ſibi recõciliare laborauerint, nullis tamen*

Ob ſternutantis omen Nauclerus ad portum redire ſatagit, ſed à S. Viro detinetur.

Diaboli aſtutiâ oritur tẽpeſtas valida.

S. Virum, & ſocios in mare proijcere tentat.

Orat, & ſedatur tempeſtas.

Inimicos Mercatores in concordiam redigit.

cuiuſcumque precibus potuit exorari, ſed ſui vlciſcendi tempus, & occaſionem, odio capitali, obſeruabat. At nunc vita, quæ deſperata paulò ante fuerat, reſtitutus, ad hæc tactus religione, & in peccati ſibi ignoſcendi ſpem ſublatus, animi duritiam fregit, veterémque offenſam cognati, in S. Viri gratiam gratis remiſit.

In Maioricam venit. *Amplexus hominem eſt* Ægidivs, *& tam illum, quàm reliquos omnes, vt Dei erga ſe miſericordiam collaudarent, hortatur: tum deinde leni proſperóque flatu commodam inſperatò nacti tempeſtatem, in Maioricam ſunt delati.*

Sed *cùm ſint innumera miracula, quæ hic inſerere poſſimus, ad illud pergo, quod in fine triennalis miniſterij ipſe cognouit* Ægidivs. *Ergo S. Virum ſacrorum ſtudiorum causâ* Lutetiam *denuò regreſſum diximus ſuprà, vbi eminentis ſcientiæ, ac comperta ſanctitatis merito Doctoris titulum, quem tamen non ambibat, coactus eſt accipere, impoſitóque publicè per* Hiſpanias *docendi munere, cùm reuerſionem faceret, vnà cum ſocio peruenit ad* Pictauorum *fines. Cùm autem à ſummo diluculo, ad horam vſque ſextam iter facientes eſurire cæpiſſent,*

Spes in Deo maxima. Ægidivs, *qui ob abſtinentiæ conſuetæ rigorem, imbecilliori erat corpore, laſſitudine magis, quàm inedia premebatur. Conſulebat igitur vt ad vicinum vicum, quamquam parum frequentem, deflecterent, vbi oſtiatim mendicato cibo paulùm à fatigatione interquieſcerent. Contrà ſocius, quòd & habitior, & corpulentior eſſet, cùm minus eſſet feſſus, magis autem eſuriret, è re dicebat eſſe vlteriùs progredi ad pagum frequentiorem, copioſioremque. Nam in ignobili illo viculo quid ſperandum, quo præſenti neceſſitati vtcumque conſuleretur? Tum ſi naturæ minùs fieret ſatis, periculum fore vt viæ non ſufficerent vires.* Ægidivs *ſpe in Deum maxima fretus, ſocium admonet; poſſe vtique Deum in tam exiguo loco, etiam ſupra quam indigerent, ſuppeditare. Id Deum poſſe ſanè fatebatur*

Exemplum. *ſocius; non tamen ita conſueuiſſe.* Ne time (*ait Ægidius*) chariſſime, hic nobis affatim ſuppeditabit Chriſtus Dominus. *Dùm inter ſe ita conſultant ſuperuenit nobilis heroina* Caſtri S. Maxentij *in* Pictauienſi *territorio Domina magno comitatu aliò pergens. Quæ ex Prædicatoriâ familiâ, in quam religiosè propenſa erat, eos eſſe veſtitu agnoſcens, ſubſtitit, ac dictâ officiosè ſalute, cum* Ægidio, *quem ætas prouectior, & aſpectus grauitas commendabat, aliquantiſper confabulata, ex verborum pondere Viri ſanctitatem facilè intellexit. Et conuerſa ad filium qui vnà veniebat:* Petre fili, (*inquit*) Dei ſeruos hos, iter faciendo admodùm defeſſos, ob Dei reuerentiam, & amorem mei, procura; *& venerabunda diſceſſit. Adoleſcens verò ad mandatum matris ſtatim diſcedens, parato competenti meridiationis loco, deductos ad* Caſtrum, *conuiuio copioſo refecit: paſtilla namque optima piſcibus bonis farta, quæ ſuæ matri erant parata, accepit, & vinum, & caſeum, & oua, & panem quoque recentem, & alios piſces obtulit Fratribus abundanter, & non tantum famulos miniſtrare faciens, ſed ipſe etiam alacriter, & ſtabat ad cyathos, & curſitabat ad fercula, inuitans, & obſecrans, vt cum gaudio ſuſciperent oblata, quandoquidem Chriſti eſſent pauperes, reſtarétque eis ſuperanda via difficilis ac laborioſa. Igitur fratres lautè refocillati, cùm gratias egiſſent Deo:* Oremus (*inquit ad*

Orationis vis. *ſocium* Ægidivs) Dominum Deum, & clementiſſimam Virginem, vt iuuenem hunc, qui tàm effusè nobis miniſtrauit, benignitate ſuâ cuſtodiant, ſibíque faciant peculiarem. *Inde poſitis genibus, ac dicto Hymno:* Veni Creator Spiritus: *& Antiphonâ:* Salue Regina, *cum accommodatis, iuxta morem, Orationibus, Vale dixerunt illi. Tranſacto poſt hac triennio, Vir Dei* Ægidivs, *cùm prouincialem Cœnobiorum Magiſtratum gereret, ex* Hiſpania *in* Lutetiam *ad comitia generalia Sacerdotum Prædicatoriæ inſtitutionis, eò loci indicta, profectus eſt. In qua profectione, cùm ad* Pictauienſe *cœnobium deueniſſet, adoleſcens ille, iam monachatum profeſſus, cognito, ex fama diſſipatâ, aductu*

Exemplum. *eius accurrit, & præ gaudio lachrymabundus præſente Cœnobij Præfecto, procidens in genua;* Noſti ne (*inquit*) me, Pater, ac Patrone? *Ad quem* Ægidivs: Nõ ſatis equidem frater, niſi quòd faciẽ videor internoſcere: ſed vbinam gentiũ te viderim, memoriâ nõ teneo. Ecquid (*ait adoleſcens*) meminiſtíne Dominæ Caſtri S. Maxentij, & Petri filij eius, pro quo flexis genibus oraſti?

orasti? Eccum me, & precibus tuis effectum credo, vt in sanctam hanc societatem fuerim cooptatus. *Quibus auditis B. Vir summâ alacritate illum ad pacis osculum admisit, cohortatúsque est ad virtutum studium.*

FINITIS *in Lutetia comitijs*, B. ÆGIDIVS *in Hispaniam reuertitur, ibidem prædicationi vacans, & vitam piè transigens, donec iterum huiusce modi Magistratum Prioris Prouincialis* Hispaniæ *recepit, quem non post multos annos, vt sibi eiurare liceret, in comitijs generalibus, ægrè impetrauit, verùm per nimiam senectutem gerendo parem se non esse asseueranti permissum fuit vt eo se abdicaret. Inde tamen ad suos, Scallabim se recipiens, requiem sepulchri fesso corpori, & animæ magnis laboribus functæ cœleste præmium, quando Deo placitum esset, latus expectabat. Conuersationem, & virtutes eius singillatim recensere prolixum, sed aliquas propter Dei gloriam, & S. Viri honorem in medium adducere curabimus; ab illius charitate maxima incipientes, quâ erga Deum ita afficiebatur, vt sæpè ex vehementi supernorum desiderio languorem incurreret, nec à lecto per dies aliquot surgere valeret, nullam ægritudinis causam habens aliâ, nisi cupere dissolui, & esse cum Christo, cui solum iam viuere Christus erat, & mori lucrum. Certe quoties aut se orationi daret, aut paulo attentius diuina contemplaretur, frequentissimas patiebatur ecstaseis. Nonnunquam à terra duobus cubitis eleuabatur, igneum illum spiritum, & diuino amore flagrantem animam, corporeâ mole prope iam nihil grauante. Et cum vix post multarum horarum spatium à somno contemplationis euigilaret, dolebat sibi dulcem illam spiritus ebrietatem fuisse sublatam. Siue autem procumbens oraret, siue positis, & flexis in terra genibus, siue erectus, ac stans, siue expansis manibus, & denique quouis alio corporis statu, habitúque esset, eo, cùm rapiebatur, immobilis permanebat. Nec tunc erat ei vox, neque anhelitus, neque sensus vllus exterior. Tantùm vbi ad humanitatis sensum ex illa diuinæ contemplationis dulcedine redire animus cogebatur, crebra suspiria, & gemitus etiam procul audiebantur, quasi ægrè ferentis animæ ad corporeas functiones reuerti: quo pacto dolet, & conqueritur infans, si in summo lactis desiderio à charissima nutricis vberibus auellatur. Et sicut ipse in contemplatione, suauitate maximâ fruebatur, sic alios ad illam hortabatur ipsemet, asserebátque contemplationem de supernis vbilibet nullo esse pacto deserendam, sed quocumque in loco, eam Deus menti inderet, Diuinitati parendum; secessum quidem magis idoneum, si commodè haberi posit, quærendum; si non posit, cauendum, nedum commodior locus quæritur, langueſcat ardor animum succendens, & amittatur dulcissimus ille fructus. Referam exempla duo vt dictu miranda, ita & auditu iucunda.*

In Lutetiâ ad generalia comitia pergit.

Scallabim reuertitur.

Eius virtutes.

VENERABILIS P. F. Petrus Oscensis, *Rector Prouincialis* Hispaniæ *cum visitandorum Cœnobiorum causâ*, Scallabim *deuenisset, & Fratribus mirabiles B. Viri raptus narrantibus nequaquam crederet, contigit, quadam solemni die, post peractum salutare sacrificium, Virum sanctum in Odæo, hoc est Chori loco, quod capacius, quàm priùs constructebatur, iuxta consuetudinem suam, solum remanere: cúmque stans erectus oraret, vehementi contemplationis vi absorptus, & raptus est. Quod vbi aliquot ex Monachis comperissent, festinè adierunt Rectorem, & num vellet, de eo quod non credebat, certior fieri, interrogabant. Ille cùm nihil se aliud malle respondisset, accurrit, & extendens aurem ad os, & ad nares, vtrumque sensibus destitutum agnouit: cum itaque neque anhelitum, neque respirationem vllam percepisset, malleo fabri lignarij, ibi inter reliqua fabrilia instrumenta relicto, propter diei celebritatem, in tabulato iuxta Virum Dei, sæpe iteratis ictibus ingentes sonos, & strepitus fieri præcepit, attamen incassum. Tum verò manibus illum contrectans, & huc atque illuc frequenter, & vi magnâ impellens, & denique irrito conatu fatigatus, tandem in pias lachrymas prorumpens*, sinamus (*inquit*) in suo sibi excessu illum feliciter quiescentem. Suspendium vtique felix elegit anima eius, & partem optimam, quam ab eo auferri, equidem periniquum esse censeo. *Quo dicto abijt, adhuc* ÆGIDIO *in illa mentis à corpore iucundissimâ abstractione, perdurante.*

In ecstasim raptus, an verè ecstaticus ab incredulo Rectore examinatur sauissimè.

Nomine Ieſu lætabatur.

QVOTIES *dulciſſimum* IESV *nomen, nominari ab alijs audiret, aut nominaret ipſe, quod ſolitus erat frequentiſſimè, incredibile dictu eſt, quàm tota eius anima liquefiebat. Ergo cùm ex more viſitaret locum vbi ægroti procurantur, Monachi vocant* Infirmariam, *aut ſi non diſplicet, Nos* Valetudinarium, Νοσοκομεῖον, *aut* Νοσοτροφεῖον *Græcè dicamus, inuiſis omnibus, tàm ex arte medicinæ (conſummatus enim erat Medicus) quàm ex promptuario ſpirituali, alijs ægrotationem, alijs ægritudinem etiam leuaret: accedit ad quendam fratrem* Martinum Olyſſipponenſem, *quem ab exaſperato morbo vrgeri acriùs animaduertit. Atque inter conſolatoria verba (nam ſingularem ei contulerat gratiam Deus in affectu aut dolore, aut mœrore animis, ad tolerantiam, & æquanimitatem excitandis) contigit, vt ægrotus vehementiâ doloris:* O IESV, *diceret gemebundus. Conuerſus ad illum* ÆGIDIVS: Scis ne (*inquit*) Frater, quàm

Cuius auditione rapiebatur.

dulce nomen protuleris, IESV, IESV, IESV? *Et hæc dicens ſurrexit, ac ſtans, baculum, quem manu geſtabat, cubito ſuppoſuit. Tum* IESV *nomen iterare non ceſſans, coram omnibus, qui aderant, in tantam mentis abſtractionem eſt raptus, vt nec impulſiones, nec attractiones vllas vel minimùm ſentiret. Erat in eodem* Scallabitano *Cœnobio quidam frater* Vincentius Olyſſipponenſis *medicinæ artis peritiſſimus, Regius enim Medicus fuerat, qui adduci nequaquam poterat, vt crederet hæc, quæ de Viro ſanctiſſimo narrabantur. Manente igitur* ÆGIDIO *adhuc in eo mentis exceſſu, frater* Vincentius *eſt feſtinanter vocatus. Venit, vidit, & parum ſuis fidens oculis, baculum, cui S. Vir inniti videbatur, velociter illi ſubtraxit, ſperans eum, ſubtracto fulcro, ſubitò ruiturum: ſed cùm in eodem corporis ſtatu permanſiſſe admiraretur, impellere cæpit hinc inde, & apprehenſas nares conuellere nondum à felici ſomno euigilantis. Inde arreptâ acu manus B. Viri crebrò, & vehementer pupugit, non probantibus qui aderant huiuſmodi duritatem: At ille ex contumaci ſæuior effectus accenſam candelam adhibens, digitos adurebat, nihil omninò S. Viro ſentiente. Tùm demùm poſt tam ſæuam experientiam, præfractus ille animus* Vincentij *adquieuit, & pœnitentiâ facti periculi, durius multùm ſe cæpit redarguere.*

Aliud experimentum dum eſſet in raptu.

SED *cùm narrandi voluptate ſupra modum afficiar, vereor, ne iniurius ſim in B. Viri vita diutiùs protrahenda, in qua ille commorari tam diu, ſanè quàm acerbum duxiſſet, niſi Dei nutum, & arbitrium per patientiam exſpectaſſet. Quare cùm ſermonem de his quæ in vita geſſit ſatis iam longum fecerim, commodiùs ad eius de vita exceſſum tranſeamus. Igitur quemadmodum ſub prioris relationis ecphraſin diximus, Scallabi priuatam, quietámque agens extremam ſenectutem, cùm dies deſtinatus ſibi aperiretur, octogenario iam maior in morbum leuem incidit. Quo gratulari ſibi admodum cæpit: quandoquidem ex illo ad perpetuam, maliſque omnibus carentem vitam ſe tranſiturum intelligebat. Præcognitâ verò inſtantis obitus horâ, in ſtratum ſe cilicinum deponi iuſſit, ac Chriſtianæ pietatis ritè ſuſceptis cum reuerentia Sacramentis, mœrentes fratres blandiſſimè conſolatus, omnibúſque ad Dei cultum, & veræ pietatis ſtudium commonitis valedicens, manus extendit in cælum, pronuntians nihil labante voce:* In manus tuas, Chriſte Deus, commendo ſpiritum meum. *Inde compoſitis in modum Crucis collabentibus iam brachijs, ſine vllo mortis ſenſu, quaſi obdormiſſet, extremum vitæ ſpiritum edidit, Anno à nato N. Seruatore* M. CC. LXV. *Anniuerſariâ die, quâ ad cælos adſcendiſſe Chriſtum Religio Chriſtiana commemorat. Cuius cadauer neque toruitate vel minimâ deforme, neque fœdâ quadam proluuie maculatum, ſed potiùs gratum naribus, neſcio quid ſupra terrenum odorem ſpirans, pollinctores magis conſuetudine, quàm quia indigeret, cùm abluere inſtituiſſent, cingulum ferreum, quo cingebatur, reperêre. Quod etiam nunc argento tectum adſeruatur, in magnóque eſt vſu parturientibus, ſiue vtero ſupra veſtem adplicatum, ſiue collo ſuſpenſum, ſiue manibus cum fiduciâ contactum. Humatus frequentiſſimo* Scallabitanorum *conuentu, Tranſlatus poſtea eſt ad ædiculam, & marmoreum cælatum monumentum, curante ſuâ pecuniâ* Ioannâ Nunij *Vermundi Cognominij matre, fœminâ illuſtri, & ipſius B. Viri conſobrinâ.*

Ægrotat.

Moritur.

ILLIVS

ILLIVS *è vitâ exceſsum, antè & poſt Deus oſtendere mundo voluit, vt ſic ſerui ſui gloriam Orbis totus ante eius tranſitum, & poſt illum agnoſceret. De vno quoque euentu aliquot exempla coagulare oportet. Fuit* Olyſſipponæ *tempore illo matrona nobilis, & diues* Stephana Bocharda, *quæ defuncto Viro, quod reliquum ætatis fuit, in viduitate, qualem deſcribit Apoſtolus, perſeuerans, etiam vſque ad ſanctitatis opinionem creuerat. Hæc reſpectu Dei domi ſuæ in cellula ſeparatim alebat quendam cæcum*, Stephanum *nomine, non quidem mendicum, ex his qui oſtiatim victum proclamant Stentoriâ voce, & firmis lateribus, vt præconium facere videantur, ſed modeſtia honeſtum: qui etſi corporeis oculis cæcus erat, mentem certè illuminatam habebat vt quâ ſibi eundum eſſet ad Deum, probè admodùm cerneret. Is igitur Dei ſeruus cùm die quadam in oratione perſiſteret, viſus eſt ſibi apertos habere oculos, & lucidiſſimum ignis globum de terra ad cælum impetu rapidiſſimo aſcendentem. Quem, vbi ad ſummi cæli confinia propinquaret, quidam Angelus mantili candidiſſimo ventilans ab ingreſſu repellebat, iterum atque iterum in terram deprimens. Admiranti, quaſi certamen ſubuolantis ignis, & depellentis Angeli, eique prolixiùs oranti, vt quid ſibi ea vellet viſio doceretur, ita reſpondit ille Angelus*: Globus hic igneus, quem vides, anima eſt ÆGIDII Luſitani, quæ tota diuini amoris igne ſuccenſa, iugiter Deum contemplatur, & ad Deum properans, terrenam molem deponere feſtinat. Ego autem miſſus ſum, vt faciam anhelantem expectare tantiſper, dum multas animas ille Deo lucretur, ampliori gloriâ ex ea morâ coronandus. *Hoc viſum ſummâ cum alacritate cæcus mox patronæ ſuæ* Stephanæ *retulit, & illa* F. Gonſaluio Martino Scallabitano. *Superuixit autem* ÆGIDIVS *poſt hoc, integrum ferè Quinquennium.*

Eius anima in cælum conſcendere viſa, in formam globi ignei.

HOC *quod modò retu. mus exemplo, indicatum eſt feruens B. Viri deſiderium remeandi ad cælum, fuiſſe ſuppreſſum lucrandarum animarum gratiâ. Alterum modò ſubiiciemus, quo inſtantem ei exilij huius terminum, edito oraculo, Deus manifeſtauit. Non procul* Alcobatiâ, *mons eſt* Ceyra *vulgò appellatus, & in monte Fanum Diuo* Martino *ſacrum. Solitariam inibi vitam agebat Vir quidam admodum pius, ac ſpectatæ innocentiæ*, Martinus *nomine. Is cum more ſuo ab humilibus his rebus abductum animum ad cæleſtis vitæ contemplationem aduocaſſet, in cogitationem* ÆGIDII *ſanctitatis incidit, quam & per ſe ipſe viderat, & plurimis eſſet argumentis expertus: & cùm in ore omnis eſſet populi, in dies augeſcere audiebat. Nihilo tamen ſeciùs, cùm fieri adhuc certior optaret, diuinum ſuper eâ re vel reſponſum, vel indubitatum aliquod indicium expetebat. Igitur poſt orationem leui capto ſomno, Aulam quandam vitream luce inenarrabili coruſcantem intraſſe ſibi videbatur, in cuius medio Beatum* ÆGIDIVM *in ſella pulcherrimâ ſedentem, inueniebat. Ad cuius pedes cùm latus procubuiſſet, de interiori conclaui egregiâ formâ adoleſcentem exeuntem conſpexit: Qui venerabundus, totuſque renidens, vbi ad* ÆGIDIVM *acceſsiſſet, ita illum eſt alloquutus*: Veni frater ÆGIDI, veni, quia vocaris. *Proſiluit à ſella feſtinanter Vir Dei, & viatorem, qui ſe accerſiuerat, ſummè latus comitabatur. Cúmque propinquaſſent ad apertum conclauis oſtium, apparuit Aula, priore illâ longè capacior, & admirabiliori varietate adornata. Tum iuuenis:* Intra (*inquit*) ÆGIDI. *Quò intromiſſo Anachoreta, qui illuc vſque fuerat penè ſecutus, totis viribus anhelus ſatagebat ingredi poſt* ÆGIDIVM. *At alter ſimili formâ iuuenis, qui quantum videbatur Admiſſionalis fungebatur officio, repulit illum dicens:* Abi tu, & expecta. Non enim modò introibis. *Et clauſo interiùs oſtio, foris reliquit non parum anxium de repulſa. Cùm autem doloris indicem tentaret emittere, excitatus à ſomno eſt, intellexitque Virum Dei propediem ad patriam migraturum & repoſitam ſummæ ſanctitati ſummam gloriam adepturum. Atquè ita re ipſâ contigit: nam vix bimeſtri ſpatio poſtea completo, vitâ ſanctus Pater exceſsit. Hæc probus ille Vir, ac innocens Anachoreta ſapè cum lacrymis gaudio intermixtis, viuâ voce referebat.*

Altera viſio de eadem re.

Digitized by Google

Alia de eadem re viſio.

SED *ad eius tranſitus ſignificationes, quibus Deus* ÆGIDII *gloriam poſt eius exceſſum voluit aperire, veniamus. In Cœnobio Conimbricenſi* F. Dominicus Manſillinus, *Vir integer, & perfecta multos per annos probitatis, ſub crepuſculum illuceſcentis diei, quo S. Vir curriculum vitæ confecit, cum ab oratione leuiter obdormiſſet, videre ſibi viſus eſt, Templum Cœnobij* Scallabitani, *aulæis bombycinis verſicoloribus mirè totum adornatum, ſtratumque tonſilis tapetis varietate ſimili pauimentum. Tum equum pulcherrimum ſine fræno, ſine ephippio per mediam vrbem* Scallabim *incedentem, qui modò huc, modò illuc, alacritate ſummâ, lætiſque hinnitibus ſeſe obuerſans populum demirantem ſpectandi gratiâ cunctum poſt ſe trahebat, donec egreſſus vrbis portis, ac ad cœnobium, quod iuxta exterius pomœrium ſitum eſt, ſequente populo, deueniens in Templum, vti dixi, adornatum, ſe conderet. Hoc viſum* Manſillinus *ſecum expendens neque quid portenderet adhuc ſciens, tacuit.*

Altera diuerſa.

AT *religioſus Pater* Michaël Suerius, *eo tempore eiuſdem* Conimbricenſis *Cœnobij Prafectus, cùm eademmet nocte circa matutinam ſynaxim quieſceret ſemiſomnis, putabat ſe videre B. Virum* ÆGIDIVM *in prima Odæi ſede, quæ Cœnobiarcharum eſt, conſiſtentem, & ad Matutinas laudes dulci admodum ſono præcinentem:* Deus in adiutorium meum intende. *Ipſe autem Prafectus propter S. Viri auctoritatem illi, & loco, & præcinendi officio cedere videbatur, electâ ad ſiniſtram eius ſede alterâ. Secum tamen tacitus ita cogitabat:* Quidnam ego nouæ rei video? P. ÆGIDIVS qui tàm impensè Prælatos conſueuit honorare, me præſente, meam ſedem, & præcinendi munus occupauit? *Cúmque ita miraretur, euigilauit, reputanſque quod viderat, non leuem illi viſum hoc ſuſpicionem mouit, quaſi prædictio re verâ eſſet, non verò inſomnium. Quam rem poſtea ipsâ eadem die Fratribus nonnihil anxius retuliſſet:* Mirum (*inquit*) eſt, niſi P. ÆGIDIVS aut migrauit ad Dominum, aut citò eſt migraturus. *Tunc antedictus* Manſillinus *etiam quod oſtenſum ſibi fuerat, explicauit, ſicque auctam ſuſpicionem die exinde tertiâ confirmauit ſuperueniens nuntius, qui ſub lucem Dominicæ Aſcenſionis B. Virum è vitâ abiiſſe detulit.*

Item altera.

SCALLABI *in paræcia B. V. ac Martyris* Irenes, *habitabat Ioannes* Stephanus, *homo probus, & inculpatis moribus. Hic eodem crepuſculo, quo* B. P. ÆGIDIVS *de vitâ migrauit, non graui ſopore preſſus, videbatur ſibi à Templo Prædicatorum egredi, atque in exteriori ſepulchro, quod Chriſtianâ conſuetudine Cœmeterium appellamus, tres præclarâ formâ Adoleſcentes habere obuiam, qui ſceptra cubitalia manibus geſtantes, Regios apparitores ſchemate imitabantur, quorum inuſitata forma, & aduentus nouitate permotus, videbatur illos ad hunc modum interrogare:* Cuiuſmodi eſtis homines? *Ad quem illi:* Statores ſumus Regis, qui nos huc miſit, vt fratrem hunc ÆGIDIVM mox illi ſiſtamus, paulò poſt illum, alterum accerſituri. *Ad quod reſponſum, cùm ſe circumflecteret homo, conſpiciebat S. Virum* ÆGIDIVM *immensâ luce præfulgentem, obuiam illis procedere, & fratrem alterum ſemiobtecta facie eò etiam prodire conantem. Conuerſus autem homo ad Iuuenes;* Cuius (*inquit*) Regis Statores vos eſſe perhibetis? *Et illi:* Cœleſtis ſcilicet ac ſempiterni. *Ad hæc homo:* Fratrem hunc ÆGIDIVM nos ſanctum hominem, ac Deo charum ſemper exiſtimauimus. Non ſunt in toto terrarum ambitu, tres eo meliores (*inquiunt*) idquè te noſſe volumus. Qui ad huius ſepulchrum, miſericordiam implorarint, potentem eum eſſe experientur apud Regem cœlorum, & petitionis ſuæ ſalutarem conſequentur effectum. *His dictis,* ÆGIDIVM *excipientes; ad planitiem quandam herbidam, floribúſque odoratis vndique virentem ac pictam cùm deueniſſent, homo, qui ſequebatur, cernebat innumeram multitudinem in ſtolis, tùm candidis, tùm purpureis,* ÆGIDIO *aduentum gratulatum venientem, turbam quoque copioſam virorum Inſtituti Prædicatorij veſte indutorum, qui quodammodo cæteris præire in occurſum eius feſtinabant. Quod cùm homo ille admirabundus conſpiceret, accedens ad tres Adoleſcentes:*

Obſecro

Obſecro vos diuini Statores (*aiebat*) quænam turmæ ſunt iſtæ, quæ P. Ægidio, tàm lætæ occurrunt? *Et Nuntij*: Iſti qui præcedunt Angeli ſunt,& cæteri Beati: túrma illa præfeſtina, Monachi ſunt Prædicatores, ex quibus ipſe benè multos ad id vitæ Inſtitutum, diciplinámque deduxit. Omnes autem hi honoris cauſâ conuenêre, vt F. Ægidivm nobiſcum Domino repræſentent. *In hæc verba excitatus homo, dum lætus viſum reputaret, audiuit in Cœnobio Prædicatorum, tintinnabulum pulſari diutulè, vt ſolet in obitu Monachorum. Tum ille vocata vxore*: Eia (*inquit*) coniux, ſurgamus, P. Ægidivs modò defunctus eſt. *Cui illa*: Et tu vnde id reſciuiſti? *Et ille viſa narrauit ordine*: Et ecce (*inquit*) tintinnabulum inibi pulſatur. *Surrexerunt confeſtim, & ad Cœnobium venientes S. Viri exanimatum iam corpus in feretro collocatum in chori loco, quod Græcâ voce expeditius Ω'δῖον dicitur, inuenerunt, & Monachos circum, affuſos lacrymis, pſalmos decantantes. Iuſtis autem funebribus de more confectis, homo religioſiſſimo ſeni,* F. Ioanni Pelagio, *qui noxarum ipſius arcanam confeſſionem excipere erat ſolitus, rei huius ſeriem expoſuit, S. etiam Viro* Bernardo, Menendo*què* Suerio *S. Irenes ſacerdoti, &* Eluiræ Durandæ, *quæ ſancta fœmina intra ſeptum ſe breuis cellulæ cohibebat, multiſque aliis idem retulit. Cumque poſt paucos dies obiiſſet religioſiſſimus ſenex* F. Ioannes Pelagius, *à nobis modò memoratus, intellectum eſt, eum fuiſſe fratrem illum alterum, quem cæleſtes Nuntij ſe paulò poſt* Ægidivm *euocaturos ſignificarant.*

Svpra *ſæpius dictum, S. Virum ſocio fuiſſe nonnunquam vſum* F. Andreâ Medico, *viro docto, & graui. Hunc ſicut mortalis vitæ, & actionum habuerat teſtem, ita quoque adeptæ immortalitatis, & gloriæ voluit ſpectatorem efficere. Nam die quadam leuiter ſopito poſt Matutinam Synaxim, vultu pulcherrimo, & ſplendenti admodum facie, albiſſimiſque veſtibus apparuit, illúmque renidens compellare videbatur. Ad quem Andreas*: Ecquid P. Ægidi, nonne mortuus iam es? *Cui ille*: Ne erres: nequaquam enim mortuus ſum, ſed viuo, & nunc relictâ *Scallabi*, vado, vt per oppida, & pagos, circumquaquè verbum Dei prædicem. *Quibus dictis abſceſſit. Intellexit Frater hiſce verbis, non modò gloriæ viri Dei certiorem ſe fieri, verùm admoneri etiam officij, quod fortè lentiùs exequeretur.*

Apparet gloriæ ſuæ ſocio.

Nec *in his de S. Viri gloria apparitiones includimus, alteram, quæ ſtatim poſt eius obitum* Eluiræ Pelagiæ *viduæ, ſanctæquè conuerſationis mulieri,* Scallabi *ad S. Nicolaum, habitanti contigit, ſubiiciemus. Hæc igitur deuota fœmina in atrio Cœnobij* Scallabitani, *è regione tumuli Viri Dei, cernebat ſcalam latam, atque erectam, & ab atrij prothyro, ad cœlorum vſque altitudinem pertingentem, & in gradibus ſcalæ non longè à terra, duos Angelos mirabili pulchritudine præfulgentes: in imo autem ſcalæ pede, videbat* S. P. Ægidivm, & S. Dominicum Cubenſem, *magni Patris* Dominici *diſcipulum, & Cœnobij* Scallabitani *conditorem qui ante* Ægidivm *pluſculos iam annos vita ceſſerat, ſtantes multo auro, purpuráque indutos: audiebátque Angelos in hunc modum eos alloquentes*: Venite, Fratres, aſcendite; vocat enim vos Dominus. *Illi ita appellati, alter hinc, illinc alter dextros pedes ad gradum terræ contiguum admouerunt, & adprehenſâ ſcalâ feſtinanter ſcanderunt, præeuntibus Angelis, in cœlúmque recepti ſunt. Hoc viſum proba illa Vidua ſæpe cum ſumma Sanctorum Virorum veneratione, iucundaquè recordatione, ſicut per Dei atteſtationem adiurata retulit, præſentibus S. Viro* F. Bernardo, & F. Martino Petreio, *& aliis fide dignis teſtibus.*

Altera viſio.

Tanti *ſanè Viri ſanctitatem Deus non ſolum in hiſce apparitionibus oſtenſam voluit, ſed & illam maioribus prodigiis manifeſtam fore ſeculis deſtinauit.* Petrum *quendam puerulum cum alio eius ætatis infantulo ad Thermas Alaphoënſes appropinquantem ſuſcitauit. Nã cum ad crepidinem lacus incautiùs luderent, in aquam calidam cecidêre.* Petrus *omnino ſubmerſus eſt, alter illico ſemianimis à quibuſdam extractus, & pro mortuo domum ad ſuos delatus, poſtmodum*

Puerum ſuſcitat.

poſtmodum ad vitæ operationem reſtitutus, de Petri ſubmerſione fidem faciens, protinùs illum quærere cucurrit vicinorum turba, quem mortuum ex lacu extrahens, facie, & totâ corporis cute denigratum, ac liuidum, & fermè ſemicoctum, ad matris vlnas perduxit. Hæc B. ÆGIDIO *obtulit, & tunc puer præter omnium ſpem cæpit hiare, & ore aquam reijcere; & poſt paululum apertis oculis clarè loquens, matrem ſuam appellauit, & altricem, qui poſtea Monachus factus eſt ex patris voto.*

Alium puerum ſuſcitat.

NEC *hic vnus*, Olyſſippone *in paræcia* B. Iuſtæ, *puer nobilis cùm grauiter ægrotaret, ſerò quodam, morbo inualeſcente, ſpiritum exhalauit. Cuius obitum & auia, quæ illum vt ſummas delicias ſuas diligebat, & parentes vltra modum mœſti lamentabantur, & iuxta cadauer pernoctantes, acerbo planctu, diem expectabant, vt munus ſupremum dilecto perſoluerent. Interea tintinnabuli pulſu, dato apud Cœnobium Prædicatorum ad Synaxim Matutinam ſigno, circunſtantium animos tetigit religio, ſubitque recordatio cum fiducia meritorum* S. P. ÆGIDII. *A Cœnobio igitur ſuppliciter accerſiti, qui S. Viri Reliquias afferrent: has cum frigido cadaueri appoſuiſſent, & orantes cum lacrymis aliquantulùm expectarent, reſumptâ ſubitò animâ puer rediuiuus ſurrexit, cui parentes, & vniuerſa familia, pro expectatis iam ſolis funeralibus, ſoteria in Prædicatorum templo, exortâ die, celebrarunt.*

Item alteri vitam reſtituit.

TERTIVS *adſit reſurrectorum, iuuenis apud* Sthermotium *nobile oppidum, validâ infirmitate correptus, qui cùm morbo ingraueſcente defunctus eſſet, longoquè ſpatio à Parentibus comploratus, & tandem pollinctoribus eſſet traditus, vt ablueretur, & funebria, exequiæquè pararentur, Matrona nobilis defuncti parentibus vnici morte conſternatis compatiens, ingreſſa eſt, afferens particulam quandam corporis* S. P. ÆGIDII, *quam apud ſe veneratione ſummâ, tanquam pretioſum theſaurum cuſtodiebat. Hæc igitur ad cadauer accedens defuncti religioſa, & venerabunda* ÆGIDIVM *implorans, mortuo impoſuit. Mira res! Surrexit continuò adoleſcens viuus, ac valens, & poſt expletam parentum, paulò ante doſolatorum, lætitiam, iter Scallabim accelerauit cum ſuis, & ſepulchro S. Patris affuſus, coram Monachis omnibus, miram hanc anaſtaſim enarrauit:* Ego (*inquiebat*) cùm mortuus eſſem, adſtare mihi venerabilem P. ÆGIDIVM in Prædicatorum habitu adſpexi, qui meam à corpore ſeparatam iam animam imperio ad me reduxit, & ecce viuo, meique Patroni in præſentia omnium veſtrûm magnitudinem effero, cui ſecundum Deum hanc me gratiam debere profiteor.

Podagra morbo laborantes ſanat.

IMO *& aduerſus podagram* ÆGIDII *baculus, & impetratio, mirabile fuit amuletum. Teſtes ſint* Alphonſus III. *Portugalliæ Rex, &* Petrus Martinius *nobilis Eques, Præfectus Municipij* Aurienſis, *ipſius Regis à conſiliis, & peculiariter charus. Qui cùm ambo podagrâ laborarent, baculo vterque S. Viri ſubnixus diuerſis temporibus, integram ad oculum ſanitatem recepit. Alia miracula, qui legere cupit, adeat* Sampayum, *qui per Quatuor integros Libros huius S. Viri mirabilia recenſet.*

Hactenus ACTA. In quorum relatione nihil quod elucidare neceſſum ſit, circa rerum geſtarum ordinem, ſpectabis. DVO tantum, inter legendum, notatione digna curioſis explicanda propoſui: *Alterum*, circa augurium *ſternutationis*, dum claſſis è portu ſoluit, de cuius augurio videſis Alex. ab Alex. *lib.* 2. *Genial. c.* 26. vbi *Andr. Tiraquel.* ſed melius ad propoſitum Cœl. Rodigin. *lib.* 24. *Antiq. Lection. c.* 27. qui à *Timotheo* Athenienſium Imperatore originem deducit huius præſagij. Alterum, quid *Soteria* in ſecundo miraculo reſurrectionis pueri *Olyſſipponenſis*. Hæc fuiſſe munera, quæ pro conualeſcentia Diis offerebantur, apud humanioris literaturæ Viros creduntur, de quibus apud *Martialem* Noſtrum non iniocundus ineſt apologus *lib.* 12. *Epigr.* 56. Necnon Statius Papinius *Soteria* pro *Rutilio Gallico* ſcripſit.

Sternutamenta ominoſa, à quo originem ducunt.

Soteria quæ?

SCALLABIS. Vrbs Hiſpaniæ Vlterioris in Luſitania, quæ & Iulium Præſidium dicta hodie SANTAREN ob corpus Virginis, & Martyris ERENÆ ibidem reconditum; Sic omnes Scriptores, de quibus infra mentionem agemus.

Topographia.

SEXTO

SEXTODECIMO KAL. IVNII.

DIES XVII.

A. PISIS *in Italia*, S. TORPETIS *domus Neronis œconomi, qui vnus ex his fuit, de quibus Paulus Apoſtolus ad* Philippenſes *ſcribit, pòſt pro Chriſti fide ſub* Satellico *poſt varios cruciatus, & ſupplicia martyrio coronatur. Cuius Corpus in Arnum fluuium cymbâ rimosâ cum aliquot animalibus iniectum, Angelo gubernante, ad* Portum *applicuit* Sinenſem *Hiſpaniæ in* Luſitania, *vbi à* Celerina *in ſomnis admonitâ, receptum, & honorificè tumulatum, in ſumma fuit habitum veneratione.*

B. Ad PORTVM SINENSEM *in Luſitania Hiſpaniæ, Natalis* S. CELERINÆ, *quæ è Pompeiorum Romanâ familiâ illuſtris, cùm* S. Torpetis *ſacras collocaſſet exuuias, & Chriſto catholicè publica impendiſſet officia, Neronis ſæuiente furore martyr effecta, æternam in cœlis palmam, Deo opitulante, promeruit.*

C. Apud VILLAM-REGIAM *Dertoſanæ diœceſis in Hiſpania,* B. PASCHALIS *cognomento* BAYLON *ex Ordine Minorum Excalceatorum alumni, qui innumeris virtutum manipulis onuſtus, & hucuſque inauditâ miraculorum gloriâ conſpicuus, ad æternam admirabilis Confeſſor, humili reſignatione, peruenit felicitatem.*

NOTÆ.

A. *Martyrologia.*

SANCTVS TORPES Martyr.] Illuſtris de hoc S. Martyre adeſt in penè omnibus *Martyrologiis* memoria, licèt circa diem cultus variè diſtrahantur Scriptores. Hoc die *Martyrologium Romanum* ipſius conſignat Reliquiarum TRANSLATIONEM, cùm eius agonis palæſtram ad *diem XXIX. Aprilis* reiiciat: quo & *Piſani*, apud quos mendum irrepſit in Actis MSS. à Philippo Ferrar. *in Catal. SS. Ital. die 29. April. fol. 226.* relatis, quibus aſſeritur, quod Corpus S. Martyris in *Galliæ Narbonenſis* oras peruenerit. Audi *Ferrarium*: Mombritius *loco citato, & ipſe* 3. Kal. Maij S. TORPETEM *martyrio coronatum ſcribit, ſed quædam veriſimilia parum habet, maximè verò circa illius* SEPVLTVRAM, *quam in oris Prouinciæ* Narbonenſis Galliæ, *vbi oppidum* S. TORPETIS *extat, S. Martyri datam ſcribit. Acta illius in Codice pergameno Eccleſiæ* Piſanæ *habent.* Quæ verba vt amicus Noſter perlegit *Andreas Sauſſay*, ne tanti Martyris inopinatè venientis reſpueret honorem, protinus ſolâ *Ferrarij* relatione in *Supplem. Gallic. Martyr. 2. p. fol. 1118.* TORPETEM inter *Gallicanos Diuos* repoſuit

Lapſus Ferrarij, & Sauſſay. probatur.

repoſuit, hoc elogio: *In* Gallia Narbonenſi *ſuſceptio Reliquiarum* S. TORPETIS *Martyris.* Sed ſaluâ pace *Ferrarij*, & *Sauſſay*, aliàs doctiſſimorum Virorum, cùm pro patriâ dimicare glorioſum ſit & religioſum, vt quid non *Noſtratum* traditiones, & alienigenarum ſententias defenſabimus, vt de cætero, ab errore contracto vterque
I. Neotericus reſipiſcat? PRIMA ergo huius veritatis ratio contra *Ferrarium*, & *Sauſſayum*, & efficacior eſt, quòd *Baronius* Cardinalis doctiſſimus, qui Acta Sanctorum ſeuerâ ſpeculatione perpendens, iſta ex *Mombritio* S. TORPETIS abſque ali-
II. qua tergiuerſatione defendit. SECVNDA, quia nullus ex antiquioribus, aut recentioribus Scriptoribus *Galliæ* tale quid ſomniauit; ex quo *Ferrarij*, & *Sauſſay* ſententia futilis, & abſque fundamine iudicabitur.

III. SED vt ad maiorem veritatis probationem veniamus, ob oculos, textus de *Hiſpania* loquentes ab exteris Scriptoribus recenſitos, ponamus. Adſit Petrus Epiſcopus Equilinus qui *lib.* 5. *c.* 8. *Catalog. Sanct.* agens de Noſtri S. Martyris ſepulturâ, proſequitur: *Cuius corpus in Nauicula carioſa, cum cane, & gallo, in mare exponitur, vt vel à beſtijs roderetur, vel in mare mergeretur. Angelo tamen duce, Nauicula ad* HISPANIAM *deuenit, & à Senatrice Chriſtiana,* CELERINA *nomine, quæ Regni dimidium obtinebat, in ſomnis diuinitus admonita* CORPVS *Sancti reperitur, in portu, qui dicitur* SINES, *& iuxta litus honorificè ſepelitur* XVI. Kalend. Iunij. *Vbi poſtmodùm Eccleſia deſuper ſuo nomine fabricatur.* Quid clariùs? Sed audi Guillelm. Eyſengreineum *de Martyrib. Ital. Cent.* 1. *p.* 5. *diſtinct.* 1. *fol.* 145. de eâ re ſimiliter loquentem: *In Nauiculam cum cane, & gallo expoſitus, Angelo duce, ad* HISPANIAM *traiecit, à Regina Chriſtianâ* CELERINA *(quæ in ſomnis diuinitus admonita* CORPVS *Sancti reperit) honorificè ſepultus. Ceſſante quoque perſecutione, de facultatibus ſuis Eccleſiam miro opere ſupra Diui Corpus conſtruxit.* Quod & repetit *d. Cent.* 1. *p.* 7. *diſt.* 4. *fol.* 218. Sed & Petrum Galeſin. *h. d.* auſculta: Piſis *in Tuſcia* S. TORPETIS, *cuius dies natalis* III. Kal. Maij. *Hoc tamen die* TRANSLATIO, *quæ in* HISPANIAM *admirabiliter eo ipſo anno, quo martyrium obijt, facta eſt, celebratur.* Poſtmodum de CELERINA agens, Corporis S. Martyris inuentionem, & Templi conſtructionem apud *Hiſpaniam* recenſet. Sodalitas Monacenſ. *in Faſt. Marian. h. d. fol.* 252. etiam hanc ſententiam elucidet, ſic: *Porrò* TORPETIS *Corpus fatiſcenti Nauiculæ impoſitum, additúſque gallus, & canis, vt illud vel his; vel cum his, piſcibus foret eſca. Sed Angelo remige, in* HISPANIAM *appulſum, excepit* CELERINA *honeſtiſſima Matrona, non aliter, quàm opes ex diuite Indiâ appulſas, tumulóque Auguſtiſſimo donauit.* En mi *Ferrari* Exterorum Scriptorum clauſulas. Sed quare ab eorum ſententiâ receſſiſti communi? Tu ipſe reſpondes in *Catal. SS. Gener. h. d. fol.* 205. agens de S. CELERINA quam *Hiſpanam* facis, ſed de conſtructione Templi S. Martyri dubitans, proſequeris: *Apud* Hiſpanos *Scriptores nihil de eo legi.* Paucos *Ferrari* Hiſ-

Non legit Ferrarius Scriptores Hiſpanos.

panos Scriptores legiſti, illos auſculta, vt abs nouatâ opinione diſcedas. Flau. Dext. *in Chron. Ann.* 263. ſcribens de illuſtri *S. Celerina* memoria, vt quæ iſta ſanctiſſima Matrona fuerit dignoſceretur, adiecit: *Quæ exceptis in Portu* SINENSI *Sancti* TORPETIS *ſub Nerone Martyris, ſacris Reliquijs, fuit egregia Chriſti Martyr.* Quo loco videndi P. Biuar. *fol.* 290. Roder. Car. *fol.* 90. Iulian. Petr. *in Chron. Ann.* 66. *num.* 14. *fol.* 11. agens de *Lutio*, qui fuit *S. Celerinæ* maritus, proſequitur: *Ipſe verò* Lucius *credidit, & vxor eius* CELERINA, *quæ poſt mortem mariti in pace quieſcentis in agro* Eborenſi, *ad Portum* SINES *Corpus* S. TORPETIS *Martyris ex Italia eò delatum ſuſcepit, & ibi elegans Templum in littore illi condidit.* Et *Ann.* 375. *num.* 182. *fol.* 45. omnia ad longum refert, quæ verba infra dabimus. P. Lupus *in Martyrolog. Luſitan. h. d. fol.* 11. *col.* 2. Conimbricæ *edito Ann.* 1591. hæc verba recenſet ſuo idiomate: *Na Villa de* SINES *do Arcebiſpado de* Euora *à* Tranſladacaõ *antiquiſima do glorioſo Martir* S. TORPES *pera aquelle lugar da Cidade de* Piſa, *onde foy martirizado na perſeguizaõ do Emperador Nero, de quem era grande priuado. Seu corpo mandou ó Tirano meter em huã barca velha com hũ galo, è hũ caõ, peraque ou foſſe comido de animais, ou de peyxes, indoſe à barca à o fundo: mais gouernada por hũ Anjo nauegou tam proſperamente, que ſaindo pello eſtreyto de* Gibraltar *à ó mar Oceano, veo à portar na praya de* SINES, *onde huã Senhora Chriſtiã, por nome* CELERINA *amoëſtada em ſonhos por Deus, ſepulto ó ſanto Corpo junto à praya com grande honrra à os* XVII. de Mayo

edificando

Digitized by Google

edificando no meſmo lugar huã Igreja dedicada à ſeu nome, da qual è da ſepultura do Santo, e ſeus ſagrados oſſos ſe acharon algũs ſinais, e indicios no Anno de M. D. XCI. *facendoſe diligencia por ordem de* D. Theotonio de Braganza, *Arcebiſpo de* Euora, *à quem iſto foy emcomendado pollo Sumo Pontifice* Xiſto V. *Eſte dia de ſu Tranſladacaõ ſe celebra principalmente, poſto que ſeu martirio foy à os* XXIX. de Abril. Eadem penè verba repetit Eduard. Nunnius *in Deſcript. Portugall. cap.* 74. *fol.* 115. Quæ Latina fecit P. Anton. Vaſconcell. *in eod. Tractat. fol.* 439. *num.* 14. hacſerie: TORPES *verò inſignis Chriſti Martyr, Neroni Imperatori fuit valde charus, à quo tandem maximum beneficium eſt adeptus, quando* Piſæ *pro Chriſti fide fuit crudeliſſimè interfectus. Nec in demortui corpus furorem tenuit Imperator, quinimò veteri impoſitum & exeſæ Cymbæ, iußit vt nullo adhibito adiutore ſiue rectore, maris arbitrio committeretur. Cœlitibus tamen naucleris felicem Cymba curſum fecit, & ingreſſa fretum* Gaditanum, *à Mediterraneóque in Oceanum mare delata,* SINENSEM *tenuit portum* Eborenſi *ſubditum diœceſi. Nec in portu defuit hoſpitium naui, cui ſæuientis peperccrant maris vndæ: Nocte ſiquidem admonita cœlo Matrona nobilis* CELERINA, *& Chriſti famula,* CORPVS *ipſo in portu religioſè conditum ſepeliuit, quo poſtea in loco erectum eſt* Templum *Illuſtriſſimo Martyri conſecratum. De quo, & de illius Reliquijs* (proſequitur Martyrologium Luſitanum, & Eduardus Nunnius) *Anno Domini* M. D. XCI. *aliqua inuenta veſtigia, curante* D. Theotonio *Eborenſi Præſule,* Sixti V. *Pont. Max. commiſſione, fuere.* Plura alia teſtimonia ſi ad amuſſim deſideras, *Ferrari*, euolue *Flor. SS. Portugall.* F. Didaci à Roſario, *Viridarium Portugall.* F. Ludouici ab Angel. *cap.* 12. *fol.* 24. Anton. de Souſſa *in Excellentijs Portugall. c.* 9. *excell.* 10. *fol.* 92. His ſic probatis, ad Acta venio, quæ olim *Arthemius* ſcripſit à quo *Mombritius tom.* 2. *fol.* 357. additis quæ ex Noſtris Scriptoribus eruimus, vt integras res geſtas referamus.

ACTA S. TORPETIS MARTYRIS Piſani, ex Arthemio, à quo Boninus Mombritius; & Equilino.

SVB *Nerone Imperatore, qui per omnem prouinciam imperabat, & in amoris ſui nomine in partes* Tuſciæ *Ciuitatem* Piſanam *reſtaurauerat, & ornatu Prætorij teſſellatum Palatium ornauerat, quique multis diebus imperium protraxerat, recogitans cum ſuis, quibus in locis Templum ædificaret, vbi quotidie adoleret, inueniens locum in ingreſſu portæ Latinæ Ciuitatis* Piſanæ, *in capite fluminis* Auſari, *& ibidem, & in omni pulchritudine ex marmore inciſis, & præclaris tabulis Templum iußit adornari, & iußit artificibus, vt ex auro mundo, & margaritis Statuam Dianæ facerent, quam per ſingulos dies adorarent. Tunc facta eſt ſtatua Dianæ miræ magnitudinis, vultu, & oculis quaſi viuens. Et ſic eam Nero Imperator cum magna veneratione, & multitudine paganorum in vultu Templi iußit configi; & in eadem die cum magna lætitia epulantes Templum dedicauerunt; & ſingulis diebus Sacerdotes eorum non ceſſabant officijs ſeruientes. Et dum initia Templi eſſent, recogitans Imperator cum ſuis, dixit:* Credo quia poſſum & ego cœlum facere, in ſimilitudinem cœli, quod oritur in nos. *Et nullus inuentus eſt, qui præpediret ſermonem eius. Tum fecit cælum æneum in pauimento columnarum marmorearum, numero Nonaginta; quod cælum fecit minutis foraminibus pertundi. Et effusâ à miniſtris aquâ, quaſi pluuia cadens in terram cæpit Nartius loci ſaluator clamare, dicens:* Cognoſcant omnes, quia verum, & inæſtimabile nomen Dianæ, ad cuius honorem Nero Imperator iſtas virtutes oſtendit. *Et ſic manè iußit lampades fieri, in factura Solis, & per cælum trahi, vt lucerent populo, qui erat ſub cælo, & venientes ad occaſum extinguebantur. Et iterum ſerò horâ vndecimâ fecerunt ſimile ſpeculum cum magnis gemmis refulgens clarè, in factura Lunæ. Et ante horam conſtitutam cecidit, & nec ipſa fragmenta inuenta*

Neronis opus in vrbe Piſana.

Vox ſuperba Neronis.

Ipſius deliria.

uenta ſunt. Sic nocte iuſsit Quadrigam per cælum trahi quaſi tonitru. Tunc miſit Dominus ventum validum ſuper eos, & Quadrigam in fluuio mergi fecit, & transcapitatus eſt Auriga, & nuſquam comparuit. Aliâ die Imperator ſedens pro Tribunali, neſciens quod factum fuerat, dixit ad populum: Cognoſcant omnes, quia magna eſt Diana, Mater Deorum, per quam & ego iſtas virtutes oſtendo.

S. Martyris nobilitas.

TVNC *inter eos exiens Vir magnus nomine* C. Syluius TORPES, *filius C. Syluÿ, patruelis C. Syluÿ Othonis qui poſtea fuit Imperator, qui & ipſe* TORPES *erat in domo Neronis OEconomus, de quo officio ſe ſubduxerat, repletus Spiritu-Sancto, dixit:* Quid dicis Imperator? Melior eſt, qui vnum Deum viuum adorat, qui fecit cœlum, & terram, mare, & omnia quæ in eis ſunt. Nam qui plures Deos colit, vnumquemque offendit. Sed audi me Imperator, quia Ego de eorum genere ſum, qui à tuis famulis Romæ paſſi ſunt, quos coronatos vidi per manus Angelorum, quíque vitam repromiſſionis acceperunt æternam. *Ad quem Nero:* Et tu ſolus inuentus es, qui hanc ciuitatem euertas? *Cui* S. TORPES *dixit:* Ciuitas non euertitur, nam qui Chriſtum confeſſus fuerit, ſaluabitur. *Tum Nero:* Pro quo ordine conſcientiæ tuæ hoc proteſtaris? *Et* S. TORPES: Conſcientia bona de malo ad vitam reuocat, & Spiritus-Sanctus vbi vult ingreditur. *Nero verò ait:* Quare denegas Deos noſtros? *Reſpondit* S. TORPES: Denego quia video omnia fieri imaginaria. *Tum Nero:* Non cõtrà ſtupes de his, quæ vidiſti? S. TORPES *reſpondit:* In his probaberis operibus tuis. Sol iam non lucebit; Luna nuſquam comparebit, ſonus tonitrui, & qui mouebant in fluuio interierunt. *Nero Imperator dixit:* Vt quid non adoras ſecundum conſuetudinem Deos noſtros? *Tum* S. TORPES *reſpondit:* Ego Dominum Deum viuum adoro, qui in altis eſt, qui in cœlo fecit luminaria magna ſolus. *Ad quem Nero:* Audi TORPES; cogita tecum bene ſeruiendo, ne diuerſis pœnis cum infamia puniaris. *Exiens* S. TORPES *Palatio, & multum intra ſe cogitans, dixit:* Quid faciam? Idolis ſeruiendo, baptiſmum non accipiam ſalutis. *Et ſciens quòd ſanctus Presbyter nomine* Antonius, *abſconſus eſſet in monte, exiénſque per portam, quæ appellatur* Lucana, *è latere Amphitheatri per noctem ambulauit ad eum; & aſcendens in Montem, clamare cœpit, dicens:* Pater ſancte Antoni Preſbyter, vbi es? Reſponde mihi. *Cui S. Preſbyter* Antonius *dixit de loco orationis ſuæ:* Ecquis es tu fili ſancte? S. TORPES *reſpondit:* Ego ſum ſeruus tuus TORPES. *Ad quem Presbyter:* In nomine timeo te, quia ex officio es. S. TORPES *reſpondit:* Audi me Pater, non timeas, quia oſculabor manus tuas, & orabis pro me. Quia iam Ego heſternâ die Imperatori dixi: *Chriſtum adorare deſidero.* & dubius factus ſum, quia non baptizatus; ideóque requiro te, vt Baptiſmum percipiam ſalutis. *S. Antonius dixit:* In nomine Domini mei Ieſu-Chriſti ego te baptizabo: *Et deſcenderunt ad pedem montis, vbi eſt aqua viua ad latus ſtriæ Leonum; & benedixit aquam ſuis manibus, & perfudit eum baptiſmo ſalutis, & ſignaculo Chriſti facto, dixit ad eum:* Vade fili, quia creſcet tibi virtus loquendi, & expugnandi aduerſarios tuos. *Tum oſculatus eſt eum, & plorans dixit ei:* Angelus Domini comitetur te fili. *Ait* S. TORPES: Ora pro me Domine Pater. *Et dùm eadem nocte in Ciuitatem reuerteretur, Angelus Domini dixit ei:* TORPES ſuſtine. *Dùm poſt ſe reſpexiſſet, vidit Angelum album nitidum, & magnum ſplendorem cum eo, & cecidit pronus in faciem ſuam, tanquam mortuus. Tunc Angelus dixit ad eum:* Noli timere TORPES, quia Dominus hac nocte coronabit te per manum ſuam. Neque paueas minas inimicorum tuorum, quia ego tecum ſum: & non eſt in hac ciuitate inuentus homo, qui pro Chriſto alapam ſuſcepiſſet, vel pro iuſtitia cœlum intuitus eſſet. Tu autem fortis eſto in veritate: ſcio, quia mundum dereliquiſti, & tu nobiſcum eris in paradiſo cum multitudine Sanctorum. dicens: Nam corpus tuum

Neronem reprehendit.

Antonium Presbyterũ in monte quærit.

A quo baptizatur.

Angelus ei apparet, & euentura prædicit.

in

Digitized by Google

in aliam prouinciam transfretabo. *Tunc Angelus Domini ſublatus eſt ab eo; & erigens ſe* S. TORPES *dixit:* Gratias tibi ago Domine Deus meus, quia miſiſti Angelum tuum, qui conſolatus eſt me, & tribuis mihi fortitudinem, ſicut Propheta dicit: *A dextris eſt mihi Dominus, ne commouear. Propter hoc delectatum eſt cor meũ: exultauit lingua mea inſuper, & caro mea in ſpe requieſcet.* Domine Deus meus eſto adiutor meus, vt habeat fiduciam à te, quia me ſolùm elegiſti in hac ciuitate confidere in te. Da mihi fortitudinem & ſufferre tormenta, vt qui non credunt, credant Nomini tuo, Altiſſime. *Sic ingreſſus manè ciuitatem per portam lapideam venit in forum ciuitatis* Piſanæ, *vbi reſidens Nero Imperator, & pluſquam Quingenti viri, & Conſiliarij eius cum eo, poſtquam vidiſſent eum, ſtridebant dentibus ſuper eum dicentes:* Iſte eſt, qui heſternâ die magnam Dianam, vel alios Deos abnegare præſumpſit. *Reſpondit* TORPES: Vos negatis; quia Deum viuum non adoratis. Nam Dianam qui colitis, ſimul cum ea peribitis. *Tunc nuntiatum eſt Imperatori quod ille dixerat. Elegit autem Imperator vnum ex latere ſuo nomine* Satellicum, *qui & ipſe affinis Neronis inueniebatur. Et Nero Romam ambulare feſtinabat, quia ibidem non pauci erant, qui pro Chriſto patiebantur. Dixit autem Nero Satellico:* Sede pro tribunali, & audi eum diligenter; & ſi non de iſto vaniloquio ſe emendauerit, diuerſis pœnis interficiatur; & aduerſum eum ſententiam feras, ſi perſeuerauerit in duritia cordis ſui, gladio puniatur. *Satellicus dixit:* Quæcunque commiſeris ordinabo. *Tunc Nero Romam ambulauit, Satellicus verò iuſſit* TORPETEM *in carcerem mitti, dicens:* Ego probabo ſi Deus tuus liberabit te de manibus meis. *Iuſſit autem, vt ferè tribus diebus eſcam non acciperet; Tranſactis autem tribus diebus, iuſſit Satellicus adduci Sanctum de carcere, & venire ante conſpectum ſuum, ſedénſque pro Tribunali dixit ei:* TORPES quid enim cogitaſti circa ſalutem tuam? Iam crede mihi, & ſacrifica Diis, ſicut priùs, & antecedet te honor tuus: ſin autem, diuerſis pœnis maceraberis: *Cui* S. TORPES: Quod ſemel vidi, negare non poſſum. *Satellicus dixit:* Quid vidiſti? *Ad quem* S. TORPES: Qui credit, videbit Angelum Chriſti. *Tum Satellicus:* Recede ab hoc vaniloquio. *Et ille:* Omnes qui non credunt in Chriſto, ipſi vana loquuntur. *Tunc Satellicus iuſſit eum alapis cædi, & ad columnã abietinam nudo corpore ligari. Ait autem S. Martyr:* Tu autem Domine non longe facias auxilium tuum à me. *Et dùm cæderent eum, fluebat ſanguis de latere eius, ſicut aqua de fonte.* S. *autem* TORPES *eleuans cum fiduciâ oculos ſuos in cælum, dixit:* Memor ſum Domine eorum, quæ mihi dixiſti per Angelum tuum. Domine Deus vindica ſanguinem meum. *Et dùm compleſſet orationem, columna excelſa, vbi tenebatur, cecidit, & oppreſſit impios Quinquaginta; ſed & ipſe Satellicus ſub ea mortuus eſt. Miniſtri autem tenentes eum miſerunt in rota; & filius Satellici cogitabat qualiter eum perderet. Alterâ autem die, dum ſeditio facta fuiſſet, & magna triſtitia in populo, eiecerunt eum de rota, & duxerunt, vt ad feras mitteretur, venerúntque in Amphitheatrum, & ſtatuerunt eum in medio eius: & ſubito dimiſſus eſt leo dans rugitum ſuper eum. Sanctus autem* TORPES *Signaculum Chriſti fecit contra eum; & eadem horâ leo mortuus eſt; & admirati ſunt omnes. Iterum dimiſſus eſt leopardus, & ipſe flectens caput lingebat eius plantas. Tunc* Euellius *Imperatoris Conſiliarius videns mirabilia Dei, credidit in Chriſtum, fugiénſque Romam, ibidem decollatus eſt, V. Kal. Maias compleuit martyrium ſuum in pace. Tunc* S. TORPES *regreſſus de Amphitheatro introiuit ſub cælum æneum cum miniſtris, & ſic eleuans oculos ſuos in cælum, ait:* Domine Deus virtutum exaudi orationem meam in hoc loco, & mitte Angelum tuum, qui euertat æneum cœlum, & columnas, quæ ferunt illud; vt cognoſcant omnes, quia tu firmaſti cœlum, non homines, qui faciunt ſimilia. *Tunc Angelus Domini venit cum imbribus, & tonitruis, & coruſcationibus, & euertit cælum æneum, & omnes columnas eius; & non mini-*

Nero cauſam Torpetis committit Satellico.

Carceratur Martyr.

Cruciatur.

Moritur Iudex repentè.

Ferùs S. Torpes obiicitur.

Cælum æneum templi corruit.

ma multitudo Paganorum eadem die occubuit: & ab eadem die multi dubij fuerunt ad ſacrificandum idolis. Tunc Syluinus *filius* Satellici *iuſsit eum gladio finiri. Miniſtri tenuerunt eum, vt duceretur ad portam Romanam. Ille autem rogat miniſtros dicens:* Oro vos fratres, versùs amicum meum Andromeum tranſeamus; *& ſic venerunt ante domum eius, qui cum multitudine populi clamans ad ſe, & plorans, oſculatus eſt eum, dicens:* Amice, ſequere me, & ſepeli corpus meum, cum finiero agonem: crede in Domino mercedem conſequeris: *Tunc audientes miniſtri non permiſerunt eum venire, vt implerentur, quæ dicta ſunt ab Angelo, quia corpus tuum in aliam prouinciam transfretabo. Et ſic exierunt cum eo ad portam Cirmenſem, & introierunt in Nauiculam modicam. Miniſtri autem tenebãt eum, ne in fluuium ſe mergeret. Syluinus autem reſidens in foro ciuitatis cum multitudine paganorum dixit:* Melius eſt vt ad mare decolletũr, ne reuiuiſcat, quia Deus eorum multas virtutes oſtendit. *Illi autem dixerunt:* Ita fiat ſicut præcepiſti. *Tunc iuſsit, vt nuntiaret eis, qui ducebant eum. Currens vnus ex officio clamabat poſt eos dicens:* Hoc vobis præceptum eſt; ingredimini ad mare, & ibidem decolletur. *Et venerunt in* Graduarnenſem, *exieruntquè ad ripam fluminis. Tunc* S. Torpes: Domine Deus ſuſcipe ſpiritum meum. *Nihilque aliud dixit, niſi tantum oculos leuauit in cœlum, & ſic decollatus eſt. Miniſtri autem inuenerunt Nauiculam modicam foris, & quia iam nullam vtilitatem facere poterat, miſerunt in ea Corpus iuſti, & canem, & gallum cum eo, & aquæ decurrenti eam dimiſerunt; & tamdiù ibi ſteterunt, dùm eam non viderent. Tunc Miniſtri in ciuitatem regreſſi indicauerunt, qualiter Corpus perdidiſſent. Angelus autem Domini deduxit eum in Portum* Sines *ad littus, adhuc modicè à mari concutiebatur nauis. Factus eſt canis quaſi vigilans ad corpus, gallus verò indicans. Tunc exiens Angelus Domini per noctem venit ad quandam Matronam Senatricem, nomine* Celerinam, *quæ ſuper medietatem* Hiſpaniæ *imperauerat, dixitquè ei:* Celerina veni diluculo, & vadens ad littus maris in Portu Sines, ſepeli Corpus iuſti; nomine Torpetis. Quæcunque enim petieris à Domino, impetrabis. *Senatrix verò quaſi vigilans audiuit Angelum loquentem ſibi. Exurgens deinde à ſomno, reſidenſquè in grabato ſuo, & territa cum lachrymis dixit:* Gratias tibi ago Domine Deus meus, quia dignatus es mittere Angelum tuum ad commonendam ancillam tuam. Domine Deus meus comple deſiderium meum. *Aliâ autem die colligens Senatrix multitudinem ſacerdotum, & innumerabilem populum, ieiunanteſquè, ambulauerunt cum omni veneratione ad mare; & dùm quærerent Corpus, non inueniebant. Tunc Senatrix dùm per littus ambularet, & lacrymans aſpiceret in cœlum, dixit:* Domine Deus virtutum, oſtende nobis mirabilia tua, vt ancilla tua lætetur in te; & oſtende mihi, quæ audiui ab Angelo tuo. *Et dum compleſſet orationem, eadem horâ ille gallus cantauit, & ipſe indicans eum: & ſic ad latus ſcopuli inuenerunt Nauem, Corpus, & gallum & canem cum eo. Videntes Sacerdotes, & populi admirati ſunt omnes, plorantes, & dicentes:* Verè iuſtus, & Dei ſeruus eſt iſte, qui ſic meruit, vt cum tali fragmento veteris nauis ad littus perueniret. *Tunc leuauerunt Corpus, inuoluentes linteaminibus mundis; & cum magna letitia deduxerunt eum gaudentes in locum vbi Deo placuit in portu, qui cognominatur* Sines. *Senatrix verò condiuit cum aromatibus Corpus eius, & cum omni reuerentiâ, & honore depoſuerunt in loculum. Eadem horâ canis, & gallus nuſquam comparuit. Nam & ipſa* Celerina, *quæ ſuper medium* Hiſpaniæ *imperauerat, tunc Eccleſiam miræ magnitudinis, fundatam cancellis, & cymbio aureo refulgentẽ edificauit. Et in eadem die, quâ fabrica in omnem pulchritudinem perfecta eſt, Officia perſoluentes, baſilicam dedicauerunt, & multi ægroti ſalui facti ſunt, & vſque in hodiernũ diem, ibidem mirabilia Dei declarantur. Senatrix verò non minimam pecuniam, vel ſubſtantiam Eccleſiæ reliquit, & vſquè in hodiernum diem congregatur ibi. Poſt Quindecim autem annos audierunt Neronem periiſſe, omneſque prouinciæ*

Decollatur, & in nauicula cum cane & gallo dimittitur.

Ad Portũ Sines in Hiſpania ſoluit.

S. Celerina diuinitus admonita Corpus ſepelire diſponit.

Templum edificat.

propterea

propterea lætabantur, & conuertebantur credentes in Dominum Ieſum-Chriſtum. Tunc exiens vnus ex officio eius nomine Archemius, *qui & ipſe iam Chriſti baptiſmum ſuſceperat, profectus eſt in* Hiſpaniam *in Portum* SINES. *Exienſquè de Nauicula ingreſſus eſt Eccleſiam, & orauit ad Corpus, & dixit:* Cuius vocabuli ſanctus in hoc loco requieſcit? *Habitantes verò ibi dixerunt.* TORPES Dei ſeruus. *Tunc cognouit, quia ipſe fuerat, qui à Nerone in ciuitate* Piſana *paſſus fuerat, & dixit,* Indulgeat mihi Dominus, quanta ego in eum geſſi, per iuſſa iniquorum Principum paganorum, qui interfui, quando iuſtus iſte paſſus eſt. *Et dixerunt ad eum:* Quomodo vocatur nomen tuum? *Ille dixit*: Archemius. *Et illi dixêre:* Scis verè quomodo paſſus eſt? *Archemius dixit:* Ego in omnibus interfui, & manifeſtè ſcio, qualiter paſſus eſt. *At illi*: Nuntia nobis geſta ipſius. *Et quia ipſe Archemius magnis literis eruditus erat, reſidens dictauit geſta qualiter paſſus fuerat, & exceptor nomine* Audax *reuelauit ea. Celebratur Natalis eius* III. Kal. Majas. *Gloria Chriſto, qui tantam gratiam dedit timentibus ſe, & Sanctum ſuum eripuit de altitudine maris. Et omnes qui eum ipſum inuocant in mari, auxiliante Domino liberantur: Cui eſt honor & gloria in ſecula ſeculorum, Amen.*

Archemius ſocius Martyris, eius pignora viſitat.

Qui Acta recenſuit.

Hactenus ACTA à Mombritio *recenſita*, licet ex Legendariis MSS. *Segobienſi*, & *Aſturicenſi*, & editis *Hiſpalenſi*, & alio *Segobienſi* antiquis, in aliquibus emendata; quorum codices apud me. Quatenus ad Actorum elucidationem, circa ea quæ ad Noſtras attinet, videſis *Notas* infra in Vita *S. Celerina lit. B. h. d.* vbi ad longum.

CIRCA Actorum relationem, quâ dicitur *Neronem* in vrbe *Piſana* extruxiſſe Templum celebre Dianæ, ibidemquè æneum cœlum fabricaſſe, & alia quæ ibidem referuntur, feciſſe; illorum nihil ſcriptum apud profanos Hiſtoricos rerum Romanorum inuenimus: fortè quia cùm ad Chriſti gloriam, & S. Martyris virtutem relatio huiuſmodi pertineret, quod Ethnici penitus abhorrebant, quid dubium, ſi ea ſub ſilentij tegmine occludere conarentur, vt in cæteris quæ ad Religionem Catholicam ſpectabant, fecêre, etiam eo Neronis ævo; vt eſt Petri Apoſtolorum Principis cum Simone Mago contentio, & his ſimilia, quorum ecphraſis apud Scriptores Ethnicos reticetur. Dequo vide apud Baron. *tom.* 1. *Annal. in Apparat. n.* 95. *fol.* 32.

Quare Neronis deliria in Piſis facta reticent Ethnici Scriptores.

SED quidquid ſit facilè credi poteſt *Neronem* ad ſimilium vanitatum experimenta animum applicuiſſe, cùm ſcribat Sueton. *in eius vit. c.* 31. ipſum Neronem, *vt Cœnationes laqueata tabulis eburneis verſatilibus, vt flores, fiſtulata, vt vnguenta deſuper ſpargerentur. Præcipua cœnationum rotunda, quæ perpetuo diebus, ac noctibus, viee mundi, circumageretur,* inueniſſe. Dequibus Noſter Seneca *lib.* 2. *Quæſt. Natural.* & *Epiſt.* 90. aſſerit: *Hodie vtrum tandem ſapientiorem putas, qui inuenit quemadmodum in immenſam altitudinem crocum latentibus fiſtulis exprimat; qui Euripos ſubito aquarum impetu implet, aut ſiccat; verſatilia cœnationum laquearia, ita coagmentat, vt ſubinde alia facies, atque alia ſuccedat, & toties tecta, quoties fercula mutentur.* Qui ergo hæc inuenit deliramenta, vt quid non, & cœlum æneum ad tonitrua comminiſcenda inueniſſe credemus: eo maximè, quia in eo cœlo, vt inquiunt ACTA, minuta foramina fecit, vt effuſa à miniſtris aqua in terram caderet, ſedenteſque ſub cœlo irroraret: de cuius moris apud Romanos anamneſi mentio eſt apud I. Lipſium *de Amphitheatr. c.* 16. qui aquam illam, ſeu potius vinocrocum, ex Apuleio *lib.* 10. aptè odoratum imbrem vocitat, & proſequitur: *Quia è fiſtulis, per minuta quædam foramina ſtillabat is liquor, in modum imbris;* & paulò inferius de Statuis in Theatro Marcelli poſitis, etiam hunc imbrem ſpargentibus, ait: *Eas autem ſcire oportet concauas fuiſſe, & per immiſſas fiſtulas ferreas, ſiue aneas, minutis foraminibus, velut per poros, & membra expreſſum hunc humorem, non ſine præſenti quidem auxilio, & manu adminiſtrorum.* Qui etiam Lucani locum elucidat. Sed de hoc ſatis.

Sed & horum veſtigia inueniuntur apud Prophanos.

DE Noſtri S. Martyris TORPETIS agone, P. Ioannes Baptiſta Maſculus *in Encom. SS. h. d. Encomio* 159. *fol.* 217. ſequens adnectit.

Digitized by Google

S. TORPES. M.

Obſtupuit Roma cum ex Neronis domo
prodire vidit Religionis ducem.
Creuit prodigium,
Cùm nihil viſum eſt, tàm alienum à torpore, quàm TORPES;
promptus hic cucurrit ad pœnas.
Ac ne vlla deſidiæ ſuſpicio foret,
volubili ſe ſiuit affigi rotæ,
quæ ipſum incitato raperet lapſu;
Sed obtorpuit machina, non TORPETIS *virtus;*
Incuſauit hic lictorum moras,
Incuſaſſet & Fortunæ contra ſe ſegnitiem,
niſi eius & numen ſuſtuliſſet, & nomen.
Non ipſe metuere verſatilem debuit rotam,
ſed qui eam iuſſit extrui Nero,
mox de culmine deijciendus Imperij.
Additum deinde eſt oppoſitum rotæ ſupplicium,
vt eſſet etiam certamen in pœnis;
Alligauit eum ſtabili columnæ lictor,
ſoluit faſces ad flagra.
Tulit ſupplicium TORPES *immotus,*
ſed parricidium Natura non tulit.
Mouit tellus; conuulſa eſt columna de baſi;
firmior fuit ipſe, quàm marmor;
Rota in triumphalis currus obtigit decus,
Columna ceſſit in titulum.

Topographia. PISÆ. Ciuitas Archiepiſcopalis *Hetruriæ*, antiquiſſima Colonia, *Arno* fluuio diuiſa, non longè ab oſtiis illius, ampla, nobilis, olim clariſſima totius *Hetruriæ*; terra, mariſque potens, quæ diù cum *Genuenſibus*, & *Florentinis* de primatu decertauit. Nunc mercimonio, & Academiâ nobilis. Hodie dicitur PISA, de cuius antiquitate videndi *Volaterranus, Blondus*, & *Leander Albertus.*

B. *Scriptores.* S. CELERINA Martyr.] Hoc titulo eius repetit memoriam Flau. Dext. *in Chronico. Ann.* 263. hiſce verbis: S. CELERINA *in Luſitania, abneptis L. Pompeij Celerini, quæ exceptis in Portu* SINENSI, *S. Torpetis ſub Nerone Martyris, ſacris Reliquijs, fuit egregia Chriſti* MARTYR, *floret miraculorum gloriâ.* Sic legendum ex Biuar. *in Not. ad Dextr. Ann.* 263. *n.* 1. *fol.* 290. Quia cùm in textu dicatur vixiſſe *Neronis* tempore, manifeſtum eſt, nequaquam eſſe referendam eius mortem ad Annum CC. LXIII. ſed memoriam, & gloriam cultus, aut miraculorum ipſius. Abſque titulo *Martyris*, eius elogia coagulant Galeſin. *h. d.* hiſce clauſulis: *In* Hiſpania S. CELERINÆ, *quæ illius prouinciæ Regina ſtudio inflammata Chriſtianæ religionis, cùm alia piè egit, tùm Regijs opibus Templum, mirifico opere exædificatum* B. Torpetis *Martyris nomine Deo dicatum, perpetuum ſuæ pietatis monumentum reliquit.* Philipp. Ferrar. *in General. Catal. SS. h. d. fol.* 204. has adnectit: *In* Hiſpania S. CELERINÆ *Reginæ.* Guillelm. Eyſengrein. *Cent.* 1. *p.* 7. *diſt.* 3. *fol.* 218. Iulian. Petr. *in Chron. num.* 14. *fol.* 11. *& num.* 182. *fol.* 45. Ludouic. ab Angel. *in Viridar. Portugall. cap.* 4. & alij ſuperius relati, *in Prolegom. Not. S. Torpet.* Aſt Flauij Dextri opinionem veriſimiliorem coniectat

Martyrologia.

P. Biuarius,

P. Binarium, eo quod nobilis mulier, quæ tam publicè fidem profitebatur Catholicam, vrgente *Neronis* persecutione ad supplicium raperetur, quandoquidem nulli parcebatur Christiano, & multo minus nobilibus, vtpote qui fidem promouere poterant. Sed hæc ratio, saluâ pace tanti Scriptoris, non subsistit: quia si S. CELERINA Neroni superuixit, vt fatentur Acta vetustissima *S. Torpetis* superius recensita, Equilinus in *Catal. SS. lib. 5. c.* 8. & omnes Scriptores Portucallenses, ergo cessat ratio *Binarij*. Ideò non esse quærendam rationem, sed *Dextri* dicto standum profiteor. S. Senatricis ACTA nullus in vnum coniunxit, Nos eadem ex variis assuemus.

ACTA S. CELERINÆ LVSITANÆ Senatricis, & Martyris Hispanæ; ex Varijs.

L. CELERINA *de nobilissima* Pompeiorum *Romanâ stirpe, ex virili sanguine cum vetustissimis* Hispaniæ *apud* Gallæciam *familiis commixto oriunda, abneptis fuit* L. Pompeij Celerini, *qui à S. Pompeio Citeriori* Hispaniæ *Principe ducebat originẽ. Hæc cùm diuitiis affluaret, & quod potius est, politicis & moralibus virtutibus floreret, it a vt sui seculi fœminas illustri parasãga præcelleret,* Vennonio Æbutiano, *Cohortis* Gallicæ *in Gallæcia Tribuno, postmodum Coloniæ* Tarraconensis *Patrono nupsit, sub cuius coniugio ethnica diu vixit, donec Septem Discipuli* B. IACOBI *Hispaniarum Magistri, Apostolicum* Iriam-Flauiam *Ierosolymis Corpus perduxere, vt Sepulturæ traderent, provt illis Dominus prænuntiauerat. Nam cùm isti sanctissimi Viri à* Claudia Luparia *Irienſi Regulâ locum commodum sepulchro Apostolico flagitarent, illa ad* Vennonium CELERINÆ *maritum, tanquam Prouinciæ Tribunum, vt permissionem tumulandi Corpus Magistri acciperent, fraude potius eos, quàm Charitate dimisit. Quorum aliqui ad Tribuni accedentes conspectum, protinùs vt illos Christi fidem amplecti cognouit, carceri mancipauit, & vltimam ruinam sanctissimis senibus meditabatur. Ast Dei volantate aliud euênit, quia Discipuli Angelicis liberati manibus, ad socios confugientes, ansam* Vennonio *præbuêre, vt ab Idolorum adoratione recederet: nam cognitâ per Tribunum fugâ Fidelium, militum cohortem misit, vt illos comprehenderent, qui intra fontis Tamari angulos, Dei Viros latitasse existimantes, in eius ambitum prorumpunt, & protinus omnes militum copiæ fontis ruinâ obrutæ, pœnas fædi facinoris, miraculo subsecuto luêre. Quæ omnia cùm ad Tribuni, eiúsque vxoris* CELERINÆ *peruenissent auditum, & sanctorum Patrum spiritum cognouissent, tot mirabilia Christi tantum nomine operantium, præstò fidem coniuges Catholicam amplectentes, Discipulorum ministerio baptizati, Christo nomina dedêre; in cuius fide sic constanter peristitêre Catholici, sic religionem promouêre feliciter, non solùm in illis* Gallæciæ *partibus, in quibus ex officij munere detinebantur inuiti, sed etiam in agro Eborensi, vbi opulenta prædia, & portum* Sinensem, *cum aliis vicis, & populis possidebant, vt innumeros Christo pedissequos parturirent.*

Genealogia.

Nupsit.

Fit Christiana.

POST *hæc cùm* Vennonius CELERINÆ *maritus in* Tarraconensem *Coloniam, ad cuius Patronatum fuerat Romanorum Principum munificentiâ vocatus, pergere constituisset, vt muneris delati ministerium, illâ quà erat præditus integritate, persolueret.* Galleciæ *coniugem* CELERINAM *vt prouinciis, quibus dominabatur, iura seruaret; relinquere decreuit. Quod vt factum, sanctissima fœmina charitatis operibus dedita, & pietatis religiosæ apicibus plena, vitam virtutum illustrium manipulis perpolitam agebat, donec marito è viuis sublato, agrum repedauit* Eborensem, *vbi vidualem honestâ grauitate seruans statum in Dei obsequio, Sacerdotum agminibus stipata sanctorum, & innumerabilibus turbis populi circundata fidelis ætatem sedula traducebat. Per hæc tempora Claudij Neronis Romanorum Tyranni sæuitia aduersus Christi Discipulos, omnes Imperij circulos depascebat, & cum ad vrbem Pisanam* Torpetem *Ciuem Romanum, ipsi charissimum, & eius domus*

Eius virtutes.

Digitized by Google

OEconomum in fide conſtantem agnoſceret, Satellico munus iniunxit, vt illum aut ad Deorum cultum reuocaret, aut morti, præcedentibus grauiſſimis ſupplicíorum generibus, traderet. Iudex Principis præcepta, dùm vixit, impleuit; quo mortuo, ſuccedente filio, poſt varia tormenta Torpetem *ad mare in Nauicula cariosa, & ſine remige, immiſſis cane & gallo, decollari fecit, & corpus in cymba relictum maris fluctibus committi. Angelo enim duce, Nauicula felicem peragens curſum, fretum eſt ingreſſa* Herculeum, *& à Mediterraneo in magnum mare dilapſa, grandia Oceani volumina voluens, ad Portum exportata*

Angelus ei apparet, vt corpus Torpetis ſepeliat.

SINENSEM, *iuxta ſcopuli rimoſum hiatum noctu hæſit immobilis. Tunc Angelus remex eadem nocte apparuit Senatrici ſanctiſſimæ, dixítque ei:* CELERINA, veni diluculo, & vadens ad littus maris in Portum SINES, ſepeli Corpus iuſti nomine Torpetis. Quæcunque enim petieris à Domino impetrabis. *S. verò Fœmina poſtquam Angeli præceptum audiuit, è ſomno excitata, & ſupra lectum ſedens, imbre lacrymarum ſuffuſa, ad cælum humili corde conſpectans, ait:* Gratias tibi ago Domine Deus meus, qui dignatus es mittere Angelum tuum ad commouendam ancillam tuam. Domine Deus meus comple deſiderium meum *Quo dicto, & mane facto, ſollicita ſurgens, & Sacerdotum multitudinem colligens, vnàque innumerabilem populum fidelem, quibus ieiunium erat iniunctum, vt à Domino concupita perciperent, ſingulari pietate, & veneratione mirabili, ad mare perrexit, vbi licèt Corpus iuſti perdiligenter exquiſiuit, illud pro tunc inuenire non meruit. Sed poſt paululum, [dùm lachrymans totius littoris ſpecularetur] receſſus, intuens in cælum, dixit:* Domine Deus virtutum oſtende nobis mirabilia tua, quæ audiui ab Angelo tuo. *Quâ oratione perdictâ, continuò gallus cantauit, indicans locum, vbi theſaurus ille abſcondebatur cæleſtis, quo indice, inter ſcopuli latebras cymbula reperta eſt. Tum omnes gratias Deo agentes qui aderant, func protinùs Nauiculam alligantes Naucleri, illius extrema Sacerdotibus tradidêre; qui Nauem ad littus religioſa veneratione trahentes, Corpus ſanctiſſimum piis lachrymis veneratum, & eorum ſacratis manibus eleuatum, populis plorantibus & mirantibus oſtenderunt. Poſt hæc, ipſi ſanctiſſimi Sacerdotes mundis linteaminibus ſacra pignora inuoluentes, ſupra illorum humeros illa cum magnis tripudiis, & lætitiâ, hymnorum cantu gaudentes*

Corpus S. Martyris condit, & ei Templum ædificat.

deduxerunt in vrbem, vbi ab ipſa Sanctiſſima CELERINA *aromatibus conditâ, tum omni reuerentia, & veneratione in Sarcophago Marmoreo depoſita, per aliquot annos honorificè quieuêre. Sed cùm poſtmodum Neronis ſedaretur perſecutionis procella, & Eccleſia tanti Tyranni morte ſpiritum excitaret,* CELERINA *nobile Templum miræ magnitudinis, cancellis fundatum, & cymbo aureo refulgens, propriis ædificauit expenſis: quo abſoluto, S. Mantius Eborenſis Epiſcopus ab ipſa ſanctiſſima Senatrice vocatus, Baſilicam S. Martyris nomini dedicauit, & ipſius ſacra lipſana illuſtri in tumulo collocauit: ad cuius cancellos innumeri variis languoribus ægrotantes ſalutem, S. Torpetis impetratione, recipere promeruerunt. Demùm Sanctiſſima fœmina* CELERINA

Comprehenditur.

cùm per reliquum vitæ, ſanctis operibus, & orationi vacaret, vt mercedem à Domino reciperet, pro Chriſto comprehenſa eſt, & in fide perſiſtens, nec cruciatibus ſuccumbens, tandem martyrio coronata, intrepida compleuit agonem;

Coronatur.

Præſtante Domino Noſtro Ieſu-Chriſto, qui cum Patre, & Spiritu Sancto viuit, & regnat in ſecula, Amen.

En ACTA Sanctiſſimæ Senatricis ampliora, quàm illa quæ deſcripſit Ludouicus ab Angelis *in Viridar. Portugall. d. t. 4. fol. 24.* Sed quia nonnulla in ecphraſi contenta probationem deſiderant, vt noſtro muneri & mori pareamus, illa per partes elucidare conabimur.

Probatur nomen & cognomen.

PRIMVM circa nomen, & prænomen S. Fœminæ verſatur. Illam LVCIAM cognomine CELERINAM vocitat Iulianus Petri *in Chron. Ann. 375. n. 182. fol. 45.* hac ſerie, poſtquam de Tranſlatione Corporis S. Torpetis in Hiſpaniam, Angeli miniſterio, egerat. LVCIA CELERINA *fœmina Chriſtianiſſima diuinitùs in ſomnis admonita, illum diuinum theſaurum excepit.* Sed an error in Codice irrepſerit Iuliani

Iuliani,ſubdubitoꝫ& pro QVINTA FABIA CELERINA,quæ *Vennonÿ Æbutiani* vxor fuit, LVCIAM repoſuit ? Anſam dubitandi præbuit ſequens *Inſcriptio* apud *Tarraconem* reperta, vt apud me inter *MSS. in Codice Anonymo*, licet *Ian. Gruter.* prope Flaminiam ad XIV. ab vrbe Paſſ. M. conſignet *fol.* 484. *n.* 3. & corruptè referat.

T. VENNONIO. T. F. STELL.
ÆBVTIANO. PATRONO.
COL. AVG. TARRAC.
Q. F. CELERINA. VXOR.
MARITO KARISSIMO.

Si ergo iſthæc CELERINA quæ marito ſuo *T. Vennonio Æbutiano* hanc Inſcriptionem erexit, eadem ipſa eſt, ac noſtra; proculdubio in *Codice Iuliani* error in *Prænominibus Vennonÿ* mariti, & CELERINÆ vxoris ineſt; nam ille *Titus*, non *Lucius*, vt apud Iulian. *in Chron. n.* 14. & in *Aduerſar. n.* 401. *fol.* 91. inuenitur: & vxor Q. F. hoc eſt QVINTA FABIA, non LVCIA, vocanda erit. Hæc eruditis animaduertendum duxi, vt profundiùs cogitarent; nam & Nos *Iuliani* prænomina non mutauimus, fortè quia hæc *Inſcriptio* potuit aliis coniugibus, non Noſtris conuenire.

Probatur Proſapia.

SECVNDVM, quatenus ad proſapiam *Pompeiorum*, & cognationem S. CELERINÆ cum *L. Pompeio Celerino*, & *S. Pompeio* Citerioris Hiſpaniæ Principe; audi Dextrum in *Chron. Ann.* 163. de hoc loquentem: S. CELERINA *in* Luſitania, *abneptis* L. Pompeij Celerini. Quo loco P. Biuar. *in Not. n.* 1. *fol.* 290. proſequitur. *Quod ad nomen* CELERINÆ *ſpectat, fuiſſe olim in* Gallæcia *ſupra* Gronnicos *&* Braccaras, *quoſdam populos, qui* CELERINI *nuncupabantur, Authores ſunt* Plinius lib. 3. *&* Ptolemæus in Tabul. Hiſpan. Tarraconenſ. *qui aſſerit eos ad* Auum fluuium (hodie AVIA *dictum*) *habitaſſe. Dicta propterea videtur* CELERINA *ab* L. Pompeio Celerino, *cuius erat abneptis, ſic dicto, vt credo, à perdomitis* Celerinis. *Fuiſſe verò* POMPEIORVM *ſtirpem in* Hiſpania, *illud conuincit, quod* Plinius *de* Sexto Pompeio *narrat, quòd nimirùm cùm* Hiſpaniæ *Citerioris Princeps exiſtens horreis ſuis ventilandis præſideret, correptus dolore podagræ, merſit ſeſe in triticum ſuper genua, leuatúſque ſiccatis pedibus, mirabili modo, eo poſtea remedio vſus eſt.* Hæc Biuarius, qui *Plinÿ* locum reticet, tu vide illum *lib. 2. Natural. Hiſt. c.* 25. in princip. Hinc S. CELERINÆ familias percipies.

Probatur coniugium.

TERTIVM, de Coniugio cum *Vennonio Æbutiano* Tribuno Cohortis Gallicæ in Gallæcia, & Patrono Coloniæ Tarraconenſis, qui Diſcipulos S. IACOBI à Luparia miſſos carcerauit, & miraculo liberationis eorum per Angelum factæ, & occiſionis militum fontis ruinâ, ad fidem cum vxore conuerſus eſt; plura diximus ſupra *Tom. I. Die XXII. Februar. fol.* 205. *&* 207. ex Iulian. Petr. *in Chron. n.* 14. & in *Aduerſ. n.* 410. *fol.* 91. vbi hæc verba: *Lupa fœmina Primaria, quæ* S. IACOBVM *audierat viuentem miſit Diſcipulos ad* L. Vennonium Æbutianum, *qui tunc Tribunus erat Cohortis Gallicæ, in Gallæciæ Prouincia, quæ nunc Francos vocatur, conſidentem in eodem oppido, quod nomen accepit à nomine dictæ Cohortis; hic erat Princeps, & poſtmodum fuit Coloniæ Tarraconenſis Patronus: & habebat is prædia in agro Eborenſi. Hic comprehendit Diſcipulos* S. IACOBI *ad ſe miſſos à principe fœmina Luparia.* Tunc ad longum refert miracula de liberatione Diſcipulorum ab Angelo facta, & de ruinâ Militum, qui eos perſequebantur: & proſequitur; *Audito tam inſigni miraculo Tribunus, & vxor eius* CELERINA *crediderunt in Chriſtum Dominum:* CELERINA *verò poſt mortem mariti ſui* L. Vennonij *quieſcentis in pace, in agrum Eborenſem reuertitur.*

Quod recepit corpus S. Torpetis.

QVARTVM, de Receptione Corporis S. Torpetis ad Portum SINENSEM, Templique extructionem videnda ſuperius dicta in *Notis* ad ecphraſim S. Torpetis hoc eodem die. Dext. *in Chron. d. Ann.* 163. Iulian. *in Chron. d. n.* 14. his verbis: *Ipſe verò* L. Vennonius *credidit, & vxor eius* CELERINA, *quæ poſt mortem mariti in pace quieſcentis, in agro Eborenſi ad Portum* SINES *Corpus S. Torpetis Martyris ex Italia diuinitus eò delatum ſuſcepit, & ibi elegans* Templum *in littore condidit.*

Quod Martyri extruxit Templũ.

QVINTVM de Dedicatione, & Conſecratione huius Baſilicæ à *S. Mantio* Epiſcopo Eborenſi facta, inſtante S. CELERINA; audi Iulian. Petri *in Chron. n.* 124.

Digitized by Google

*n.*124.*fol.*34.dicentem: *Memoria celebris eſt in Luſitania* S. Mantij I. *Eborenſis Epiſcopi, qui à* CELERINA *admonitus ſepeliuit Corpus* S. Torpetis. Quod & innuit P. Anton. Vaſconcel. *in Deſcript. Portugall. fol.*439.*n.*13.

Topographia. SINES. Portus *Luſitaniæ* in agro *Eborenſi*, in cuius diœceſi ad *Ourichenſem* terminum attingit,in Regione,quæ *Traſtagana*, hodie *Alentexo* dicitur, iuxta Oppidum nomine *Santiago de Caſem*. Celebris propter Tranſlationem Corporis *S. Torpetis*,& agonem *S. Celerinæ* habetur, inter illius Prouinciæ accolas, de quo P. F. Ludouicus ab Angelis *in Viridar. Portugall. c.* 4. *fol.* 24.qui hodie vocari CINES affirmat.

[C. B. PASCHALIS BAYLON, Confeſſor.] Beatiſſimi Minoritæ memoria tantum viſitur in Tabulis ſui Ordinis Eccleſiaſticis, à *P. Arturo à Monaſterio* Rothomagenſi collectis, in *Martyrolog. Franciſcan. h.d. fol.* 188. ſimili elogio: *Apud* Villam-Regiam *oppidum Dertoſanæ diœceſis, in Regno Valentiæ, Depoſitio* B. PASCHALIS BAYLON, *Confeſſoris: cuius vita virtutibus, & ſanctitate fuit omnino plena, quam miraculorum maximorum innumera multitudo quotidiè commendat.* De eo Carol. Rapinæus *Hiſt. Gener. Recollect. p.* 2.*decad.*8.Hilar.Coſta *Hiſt.Cathol.lib.* 3.*pag.*601. Barezzius *Chron.Minor.*4.*p.lib.*9.Galter.*in Chron.ſecul.*16.Algezira *in Arbor. Epilog. Ordin. Franciſcan.* Carthagen. *tom.* 4. *Homiliar. de ſacr. arcan. Deipar. lib. fin.* §. 1. Elzear. *in ſacr. Oliuet.mont.lib.*2.*c.*4. *& lib.* 3.*c.*8. Marianus *Chron.ſtrictior.Obſeruant. Reformat.lib.*5.*c.*1.*& ſeqq.* Daza *Chron.Minor.*4.*p.lib.*4.*c.*20.*& ſeqq.* Grauina in *Voce Turtur.*2.*p.c.*13.Ioan. à S. Mar. *in Chron. Excalceat. Prouinc. S. Ioſeph. lib.* 3. *c.* 40. *& ſeqq.* Eius ACTA lato calamo ſcripſit F. Ioannes Scemenius Prouinciæ Cuſtos,& teſtis ocularis, à quo per compendium ſequentia damus.

Scriptores.

ACTA B. PASCHALIS BAYLON, Confeſſoris, ex Ordine Minorum, à F.Ioann.Scimenio eiuſdem Ordinis Cuſtode conſcripta.

Origo. PASCHALIS *cognomento* BAYLON, *ex villula quæ* TVRRIS-FORMOSA *dicitur, Regali Hortano Cœnobio Ciſtercienſium,in* Seguntina *diœceſi ſito, ſubdita oriundus,ibidem primos viſiuæ lucis radios conſpexit, Anno Domini* M. D. XL. *tempore quo Sedem Petri Paulus III. Pont. Max. & Hiſpaniæ ſceptrum Carolus V.Romanorum Imperator tenebant,ex parentibus honeſtis, & Catholicis* Martino Baylon,& Elizabetha Iubero *coniugibus, illius territorij accolis,qui licet non fuerint ex illuſtri ſanguine procreati,attamen erant Chriſtianis moribus illuſtrati, & fide viuâ cum operibus muniti, quæ ſæpe ſæpius Dei,& Angelorũ viſcera ſubripit.Eius Aui paterni,* Martinus Baylon, *&* Lucia Santander, *& materni,* Ferdinandus Iubero,*&* Maria Xeriz, *qui omnes ex ſuprà memorata villula fuerunt oriundi. Ergo* Martinus,*&* Elizabetha *parentes, à Domino* PASCHALEM, *in bonum* Hiſpaniæ, *feliciter ſuſceperunt, &* PASCHALIS *nomen ei impoſuére,aut propter eius natiuitatem in die Paſchatis,aut Dei nutu, quia in Paſchatis ſolemnijs, è terra ad cœlos fuiſſet transferẽdus.Vt vt fuerit,cum primùm natus ad infantiæ peruenit ætatem,qualis eſſet futurus in poſterùm ad digitum demõſtrauit:quia licèt eius parentes,tanquam Dauid, illum ad ouium cuſtodiam aſſignarent,& dicere poterat cum Propheta:* Quoniam pater meus,& mater mea dereliquerunt me,Dominus autem aſſumpſit me;*ille tamen, adhuc inter deſerti & montium latebras pecuarium agens,primas literas,Deo Magiſtro,didicit, ita vt legere & ſcribere mediocriter ſciret,cuius ſcientia ſuffragio Sanctorum vitas legere,& in* B.MARIÆ *Virginis libello,vbi ſacræ diurnæ preces,& laudes continentur, quotidie recitare valebat; & vt faceret, & Deo quietus ſine teſte vacaret, ab aliis opilionibus ſeparatus, quorum comeſſationes, & commercia reſpuebat,inter denſa nemorum,& vallium latibula ignem accendens, totius ferè noctis ſpatium in hiſce exercitationibus tranſigebat. Hinc à ſociis paſſim eius modeſtia cùm notaretur, illum non hominem, ſed Angelum credebant;*

Parentes.

Cauſa nominis.

Gregarium Paſtorem egit.

bant; nam eius actiones ad viritutum ſemitam tantummodo dirigebat, quibus ſic imbuit animum ab exordio vitæ, vt in feruida adoleſcentiæ ætate prudens ſenex, aut religioſus probatus in ſanctis moribus videretur; quorum ſtudia à nemine niſi à Deo (vt creditur) fuiſſe profecta, vt puerulum inſtitueret, noſcebantur, ideoque ad altum ſpiritus gradum, adhuc in primis ſeceſſus greſſibus peruenit. Augebat opilonum admirationem naturalis contemptus ſui, quo omnia hæc mundi tranſitoria negligebat; nam eſto, quòd nunquam vidiſſet fratres Minores excalceatos, diuinitus admonitus, non ſolùm ſeculi, & propriæ voluntatis irritamenta deſpexit, ſed & calceos de pedibus futurus Minorita depoſuit, ita vt ſemper nudis pedibus per virgulta, & ſyluas pecora duceret, ſpinas, & tribulos calcans, infatigabili deſiderio amplectendi qualeſcunque labores ob amorem Crucifixi, cuius ſequi veſtigia, amoris ſtimulo, requirebat. Nec fruſtrà, nam Deus nunquam vanè quæritur, nec ſine fructu invenitur.

In hoc officio virtutes.

IGITVR *cùm vitam paſtoris, & monachi,* PASCHALIS *in montibus poſt agmina pecudum ageret,* Martino Garſiæ, *homini diuiti, ad tempus ſeruire conſtituit, qui pecuariÿ virtutes explorans, illius amore allectus, hæc illi verba dixit:* Fili PASCHALIS ſi placet, oues defere, & ad Villam veni, vbi in domo mea tanquam proprius filius tractaberis. Scis enim me ſine prole eſſe, cui meas relinquam opes; quapropter ſi tu te mihi filium præbeas, & integrè munus tuum, ac fideliter obieris, omnium quorumcunque bonorum meorum à me poſſeſſorum hæres exiſtes. *Tunc* PASCHALIS *grates referens humiliter hero, dixit, ſe ex animo propoſuiſſe, Deo in paupertate ſeruire, ita vt relictis omnibus mundi diuitiis, & illecebris, Chriſtum nudum in religionis tabulâ quæreret; quod vt efficacius conſequi valeret, à* Martino *licentiam, & benedictionem flagitabat. Cùm igitur tunc temporis Altiſſimus in domo Franciſci pauperis Regiam ſobolem Excalceatorum conflaret, ad eius exſtructionis compaginem* PASCHALEM *proculdubio reſeruabat; quapropter nemo miretur, ſi omnia ab hero diuite bona promiſſa deſpexerit pecuarius. Ab origine abhorruit caprariÿ officiũ, quia cùm hoc ſit animal tumultuoſum, ſapiùs alienas depaſcit meſſes. Fuit etiam inter ipſos opilonis agreſtes mores, curialis, & officioſus; in cuius ore mendacium nunquam, aut dolus inuentus eſt. Omnia quæ interdiu, noctuque efficiebat, aut loquebatur, in Dei, & Sanctorum laudem, & præcipuè in* B. MARIÆ *Virginis cuius amore languebat, agebat obſequium. Si aliquando acerba ex morte pecudum, vt aſſolet, afflictationis moleſtia proueniens, eius ſpiritum deprimere tentabat, prorſus illam reſpuens, gratias Domino referebat, & hero damnum ſoluere ſatagebat, etiam nullâ eius interueniente incuriâ.*

Reſſuit heri diuitias oblatas.

COGNITIS *denique pecuariæ exercitationis ambagibus, & periculis, maximè quia paſſim iurgia inter paſtorum Maiores & Dominos agrorum moleſtiſſima exorirentur, conſtituit rem tàm periculoſam deſerere, & habitum religionis aſſumere, & cùm hoc propoſitum ſibi familiari amiciſſimo communicaret, ille vt in Regio* Hortano *Cœnobio cucullam indueret, cohortatus eſt: aſt* PASCHALIS, *qui paupertatem amabat, fratres pauperes pro quibus dictum eſt:* Hæc eſt illa celſitudo altiſſimæ paupertatis, quæ vos chariſſimos fratres meos, hæredes, & Reges Regni cœlorum inſtituit, *inquirere deſtinauit. Hinc vt ad felicem deſiderÿ portum attingeret, orationibus Deum precabatur aſſiduis, vt ſibi viam demonſtraret ſecurã, eiúſque intellectum illuminaret, vt ad locum, in quo ei deſeruire ſine mundana occupatione valeret, dirigeret. In his enim continuis precationibus perſeuerans, aliquando viſum eſt ſibi videre* Monachum, *& Monialem, qui Dei ſeruo religionis ſtatum exponentes & extollentes, multa de eius ſpiritualibus vtilitatibus edixerunt: quo fauore latatus protinùs exercitium relinquere diſponens, nihil aliud, niſi temporis opportunitatem ſpectabat. Ante igitur quàm diſcederet,* Monachi *alterius ſpecies ſibi obiecta eſt; qui vt creditur, illum* Minorum *Inſigni decoranit, quod deinceps ſub ſago reportabat, & illud præfato Amico*

Religionem quærit.

ſæpè

ſæpè demonſtrauit ; in cuius præſentia, illo, ob ſitis anguſtiam, petente, aquam, ictu virgulæ, ex viuis ſilicibus hauſit.

Patriam reliquit.

CVM *igitur* PASCHALIS *decimum-ſeptimum annum compleuiſſet, relictis omnibus exiuit de terra, & cognatione ſua, & greſſum dirigens ad eam partem, quam Dominus ei demonſtrare voluiſſet, ad* Montem-Fortem *deuenit, vbi Monaſterium* B. Virgini Lauretanæ *dicatum inuenit, in quo erant illius prouinciæ primæui, & antiquiores Fratres, qui in ſolitudine Deo ſeruientes, &* B.P. Franciſci *perfectionem imitati, vitam Angelicam tranſigebant. Ad oſtium Conuentus nouus agoniſta pulſauit, & oratione in Eccleſia facta, & acceptâ à Fratribus eleemoſynâ, pro tunc nulli Fratrum, qui inuenis ſpiritus corticem detraxerant, voluit propoſitum aperire : ſed potius primò virtutum manipulis, & bonis facinorum odoribus, habitum promerere decreuit ; quod vt faceret efficaciùs, ad pecuariÿ rediens exercitium,* B. Virginis-Matris *quotidie cum gregibus circuibat Eccleſiam, & verus eius amator diu, noctuquè ad ipſius conſpectum excubias agebat, cum aliquibus Fratribus ſenſus conferebat ſuos, qui pecuariÿ integritatem, animíque innocentiam demirati, ſæpiùs inter fratrum cœtus,* PASCHALIS *pietatem maximè recolebant. Sed poſtmodum eueniente tempore à Superis conſignato, B. Vir. habitum à Patribus lacrymarum imbre perfuſus flagitauit, qui, cognitis eius virtutibus, continuò illum laicali ſacculo induentes, in tyronum albo felix abaſaniſtus inſcribitur.*

Minorum Excalceatorum habitum induit.

VIX *ſiquidem ſub Minorum ferulâ propriam* PASCHALIS *voluntatem ſacrauit, & ſeſe à ſeculi curis, & impedimentis conſpexit immunem, cùm citiùs ex corde, omnes ſui animi ſenſus ad nĕceſſarium Ordinis exercitiorum, & officiorum applicuit ſtudium ; hinc humilitate gaudens, ſemper vilia, & abiectiora Monaſterÿ exquirebat munia. Illâ enim virtute duce quotidie creſcebat in eo perfectionis ſpecimen, & centeſimi virtutum augebantur manipuli, ita vt inter fratres ſermo continuus exiret, quòd naſquam alius perfectior in omni virtutum genere inuentus eſſet, quem nec peccatum veniale commiſiſſe crederent auſteriores. In cuius veritatis comprobationem referebatur, Quòd cùm in Oppidi* Almanſæ *Conuentu atrienſem ageret, & quædam fœmina confeſſionis causâ* Guardianum *quæreret, B. Vir ad illius cellulam properauit, & illi mandatum fœminarum propoſuit. Cui* Guardianus *dixit* : Frater, dicat, me extra domum exiſtere. PASCHALIS *verò, licèt aliàs in minimis obedientiſſimus, inſtitit ſubiiciens :* Pater, dicam, te nunc eſſe occupatione diſtentum. *Guardianus in propoſito perſiſtebat, & B. Vir mendacium dicere recuſabat, donec humilis & quietus ad Conuentus oſtium deuenit.*

In Monaſterio officia.

OTII *erat acerrimus Hoſtis, & ſic ſemper in Officiis Cœnobÿ laborioſis exercebatur, ita vt paſſim Olitoris, & Ianitorii oneribus vacaret vbicumque degeret : in quibus muniis ſic charitatem exercuit, vt egenis compateretur aſſiduè ; cum lugentibus fleret amarè ; & afflictis ſolatium pro viribus præbere ſatageret. Nec in hiſce, & aliis Conuentus exercitiis vnquam contriſtatus inceſſit, quin potius alacer, nudo capite, ſine intermiſſione, in mediis æſtus, & hyemis rigoribus, ligonem è manibus dimittere viſus fuerit, & tunc hymnis, & pſalmis, aliíſque ad* Virginem Matrem, *quas componebat, cantionibus, penſum oneris dulce penitùs redderet, & ſuaue. Nec nouum in his Dei ſeruis, qui in hoc diuini Spiritus elemento viuunt, huius fortitudinis exemplar, quia cùm in laboribus ſolatium inueniant, & ex fatigatione ſpiritum deducant, quid intereſt, quòd radius Solis inurat, ſi cordis ardor flammeſcit ? Quòd hyemis tempeſtas conglaciet, ſi viſcerum præcordia flagrant ? Teſtes ſint in incendiis camini Babylonici pueri, & Martyrum in cruciatibus turbæ ; illic ignis ſuperflua comburit, ſed armat viriliter agoniſtas ; iſthinc tormenta, humana corpora dilacerant, ſed Tyronum ſpiritus acuunt. Igitur* PASCHALIS *cor cùm diuino æſtuaret amore, nec Solis ardores, nec Boreæ prunas ſentiebat ; illa tantùm erat acerba eius animi commotio, non habere in poteſtate tragemata, & pecunias, quibus neceſſitudini occurreret proximorum ; ſed quæcunque habebat pia largitione erogabat. Hinc cùm in horto Conuentus, vt illi mos erat, labori*

incum

Digitized by Google

incumberet, paſſim cymbalum oſtij pulſabatur, & ad illud alacer accedens, famelicis, & aliis, qui aliquid ex leguminibus quaritabant ad vitam ſuſtentandam, toto capite omnibus annuebat, nec minimum abſque quæſita re ſinebat abire. Fortè ex hoc, horti legumina minuebantur? Abſit: quin potius Deus Serui ſui charitatem inſpectans, paſſim, non ſine fratrum admiratione, olera peraugebat. Hoc ad oculum euénit in Almanſenſi *Conuentu, vbi, cùm plurimi illius oppidi accolæ, quadam æſtate, epidemicâ ægritudine laborarent, & eorum pueri ad Conuentum accurrerent, vt illis S. Olitor betarum caules, pro infirmiorum acetario, porrigeret, ſic breuì areolæ conſumptæ ſunt, vt quadam die, vix aliquid caulium inueniretur, quod flagitantibus erogaret; at collectis omnibus, ita vt vix in areolis radices ſupereſſent, illos inter puerulos diuiſit, qui læti ad propria repedarunt. Mane verò facto, vniuerſa illa puerorum cohors ad oſtium Conuentus pro ipſis quarendis leguminibus acceſſit, quorum neceſsitatem deplorans* PASCHALIS, *cum Syndico fratrum, qui die præterito areolas ſine caulibus viderat, in hortum deuenit, & omnes puluinos olerum luxuriantium copia plenos inuenit. Cuius rei mirabilis caſum demiratus Syndicus, omnibus patefecit; & B. Vir ſubridens pueros oleribus onuſtos dimiſit.*

Augentur olera quãdo ea familicis dabat.

DIEI *totius circulum, ne otium animam, & virtutes depaſceret, ſic regulariter diſtribuebat. Primo mane, poſt expletam orationem à media nocte, vſque ad auroram, Eccleſiam intrabat, & Bullæ Cruciatæ indulgentiam, Altaribus viſitatis, procurabat; quo facto, fratres vocabat ad Primam, & ad oſtium vniuſcuiuſque cellulæ tres ictus impingens dicebat:* Sit nomen Domini benedictũ: Fratres ſurgite ad Primam, vt Deum, & B. Virginem-Matrem laudetis. *Poſt hæc, primam Miſſam audiebat, & plures alias, niſi officij onera aliter commonerent. Hinc ad hortum, vel ad oſtium, ſiuè ad refectoriũ, prout in aliquo ex huiuſmodi exercitiis erat diſtentus, properabat, vt obedientiæ pareret. Si architriclinum agebat, hoc ordine refectiones fratrum diſtribuere curabat: fruſta panis in corbe reponens, ante imaginem in plano refectorij poſitam, genuflexo, iunctis & eleuatis manibus, humiliter offerebat, & referebat Domino grates, ob eleemoſynam fratribus elargitam; pòſt ſurgens, & cantiones in honorem* B. Virginis *occinens ſubmiſsâ voce, & alacer, prudenti diſcretione panis refectiones faciebat, Prælato, Prædicatoribus, & ægrotis meliores ſubminiſtrãs, & viliorem ſibi reſeruans. Pane poſito, poma, numero ſemper myſtico diſtribuebat; ſi pauca, Terno, in memoriam SSS. Trinitatis; ſi plura, Quinto, ob recordationem Chriſti plagarum; ſi copioſiora, Septeno, ob Spiritus-Sancti dona, ita vt omnia, verbo, & opere, quomodo Deo placeret, explere ſatageret, ſe ipſum præparans ad opera diuini amoris, qui hæc ſic operabatur in eo.*

Totius diei per horas occupatio.

CVM *aliquandiù in triclinio* Valentiæ *occluſus exiſteret, & coram* Virginis-Matris *icone ſolus magna iubilo tripudiaret, per oſtium officinæ ſecretum quidam frater ſancti Viri lætitiam contuitus, retrò ſeceſſit, ne* PASCHALIS *choreas impediret incautus. Sed tripudio expleto, frater ille foris exſtans, alta voce prorumpens, dixit:* Sit nomen Domini benedictum: *Et reſpondens Seruus Dei,* Amen, *ingreſſus eſt frater, qui faciem B. Viri rubicundam, & venerabilem conſpiciens, intra ſe gratias egit Altiſsimo, qui mirabilis eſt in Sanctis ſuis. Tunc dixit Vir Dei:* Frater, ſi de aliquo indiget, quæcunque voluerit, accipiat, *& hæc ſimiliter cum aliis indigentibus faciebat vbique. Poſtmodùm diſtributis in refectorio panis, vini, & pomorum refectionibus, ſi aliquid tẽporis ſupereſſet, aut labori manuum aut ſpirituali exercitio, ſiue in legendis Sanctorum vitis, vel in oratione, aut in conſcribendis ſelectioribus deuotionis periodis, quas ex librorum ſpiritualium amæno campo conflabat, illud, horis diſpoſitis, abſumebat. Poſt prandium, echinum pauperum ex culina ſuſcipiens, ad oſtium Conuentus pergens, deferebat, & omnibus famelicis genuflexis, ante omnia, cum illis orationes recitabat, quibus abſolutis, ſurgens lætabundus omnium eõchas, prout vniuſcuiuſque neceſsitas aderat, replebat; aliòſque alijs pia & prudẽti diſcretione præferens, omnes iucundè reficiebat: in cuius charitatis occupatione ſic abſorptus, & inuolutus operabatur, quòd nuſquam alium prater pau-*

Fratres neceſſitate oppreſſos in refectorio reficiebat.

peres conſpectaret, etiam ſi Prælatus, aut alij ex Senioribus fratrum intereſſent: tanta erat in Viro Dei miniſterij auiditas, & affectus, vt ſolùm in Dei pauperes oculos conijceret. Famelicum centenarium per plures annos ex proprio canone aluit; & quando Prælati illum admonebant, ne hominibus diſperſis, & otioſis, qui cùm poſſent, ad nullum vitæ genus collinearent, vel iuuenibus, & adoleſcẽtibus factioſis, qui ſine artis alicuius ſcientiâ errabundi, ad quoduis malum parati orbem vagantur, eleemoſynam largiretur, reſpondebat: Ego in paupere Chriſtũ intueor, cuius amore eleemoſynã impartimur. Vnde ergo ſciam, num is, cui eam denego, Chriſtus eſt? *Quibus verbis Prælatos conuincebat.*

Super tabulas noctu cubabat.

His *peractis ad hortum accurrebat, & areolas ſarculabat, & horâ diei primâ, ad Nonam fratres conuocans, in hac, & cæteris horis, vſque ad Matutinas orationi vacabat, exceptis intermedijs, quibus proprio obedientiæ officio incumbens, re, & opere præcepta religionis ſoluebat. Noctu, expleto refectionis, & recreationis tempore, horâ quaſi nonâ, ſigno dato, quo fratres ſeſe reciperent ad requiem, in ſuum ſecedebat tugurium, vbi ſuper nudas tabulas corpus ſuum iaciens, illud nuſquam penitus extendebat, ſed medium, intra angulum retrudens, aliud medium contractum, centonéque ligatum retinens, abſque aliquo laxamento, ſic vſque ad Matutinas horas leuiter dormitabat; quibus pulſatis ſurgens, protinus penſum ſequẽtis diei, prout antecedentis, æquali curſu, & ſimilibus exercitijs, abſque diminutione alacriter incipiebat. Multoties per vicinos vicos, & oppida eleemoſynam, vt moris eſt Fratrum Minorum, obedientiæ ligamine, quæritabat, & cum primùm ad locum accedebat, Eccleſiam ingrediẽs, ſtationem Sanctiſſimo peragebat, quâ abſolutâ, per oppidi diſcurſitans vias, & ad ſingulas domos accedens, alta voce dicebat:* Pax huic domui: ſit nomen Domini benedictũ, cuius amore fratres ſuccurrite Fratribus Franciſcanis. *His dictis, quæcunque dabantur ei, colligebat; & licèt plurimum acciperet, nuſquam vtebatur aſello, quo eleemoſynas in Conuentum deferret, ſed lætus onus ſuper humeros ponens, Deo gratias referẽs, ad pedes Prælati genuflexus ſtipes elargitas humiliter reponebat. Euênit aliquando, quòd cùm pro oleo petendo per vicos Conuentui vicinos mitteretur, tot amphoras collegit, quòd vix aſellus illas reportare quiuiſſet, ſed dimiſſis aliquibus, à pijs vicinis oblatis, amphoras in cratibus accõmodans, & ſupra proprios humeros imponens, aſello ſimilis, oleum in Cœnobium cum iubilo reportauit. Quod cum vidiſſent aliqui viatores, dicebant:* Proh Deus! nónne Pater erat aſellus? *Quibus B. Pater reſpondebat humiliter.* Et qualis maior quàm ego? *Et optimè, vt Propheta voce loqueretur:* Vt iumentum factus ſum apud te, & ego ſemper tecum. *Sed vt veri Religioſi exemplar præſeferret, ſæpe in domo, in quam diuerſorij causâ in oppidis ſe recipiebat, aliquod beneficium, pro accepto ab hoſpitibus, rependebat; vt accidit cuidam accolæ* Lucenenſi, *qui cum S. Viro per vicos illos pluries iter agebat. Iſte ſiquidem, cùm aſthmate laboraret, ita vt paſsim ſine halitu remaneret;* Paschalis *illius miſertus, ipſum cõfortauit dicens:* Eſto frater fide plenus, nam Dominus tibi ſanitatẽ impartiri dignabitur. *Quo dicto ſanus euaſit, & amplius dum vixit, aſthmatis ægritudinem non ſenſit. Nec hic meta. Huius vxor, quæ filium infantulum alebat, & parũ lactis in vberibus recipiebat, ſic eius mãmas liquore ditauit S. Vir, vt non tantùm proprium, ſed & alios infantulos viciniæ fœmina lactaret.*

Olei amphoras ſuper humeros ad Conuentum importat.

Pſalm. 72.

Aſthmaticum ſanat.

Cõiugis deuotæ ægritudine leuat, eique lac impetrat copioſum.

Erat *tùm temporis in Gallia R. P. F. Chriſtophorus à Capite-Fontium Brittonus Armoricus, totius Ordinis Minorum Generalis Miniſter, cui cùm Prouinciali* Valentiæ *tabulas grauiſſimi negotij breui mittere ſatageret, & vnus ex fratribus neceſſariò cum faſciculo literarum obſignato mittendus eſſet, maxima inter Diffinitores diſſenſio eſt exorta circa electionem fratris mittendi, maximè cognitis periculis, quæ ex hæreticorum manu* Gallias *habitantium, Catholicis iter agentibus imminebant. Sed demùm inter eos conuenit, vt* B. Paschalis, *tanquam obedientiæ addictiſſimus hanc legationem expleret. Ille forti animo, ſpiritu valido, & fide plenus, nihil timens, & omnia pericula, Dei, & B. Virginis ſpe cumulatus, ſpernens, vt obedientiæ pareret, iter aggreſſus, pedes incedens, ſine ſacculo, & perâ, in* Galliam *intrauit, vbi in limine Conuen-*

Galliã adire promittit, cum faſciculo literarum.

tum

tum Minorum inuenit, in quo diuerſatus, ſui itineris cauſam Fratribus retulit, inter quos orta eſt quæſtio & diſceptata, vtrùm liceret obedire Superioribus cum tàm manifeſto mortis periculo. Sed cùm in diuerſa ſcinderetur fratrum opinio, alia affirmans, alia negans; obtinuit affirmatiua, ex eo quod in hoc obedientiæ obſequio, plus erat meriti, quàm periculi, eſto quòd periculum immineret; nam Dominus, qui Superiorum mandata diſponit, diſcrimina ſubditis in obedientiæ executione penitus auertet; ideò fratres B. Virum ad opus incæptum exhortantes, protinus dimiſerunt. Mane facto interiora Galliæ *penetrare cæpit, vbi ab hæreticis plurima pertulit opprobria, qui paſſim vitam ei eripuiſſent, niſi à Domino liberatus eſſet: Nam cum S. Vir ad quoddam oppidum accederet, ab hæreticis eſt cum fuſtibus, & armis aggreſſus, qui in eum tamdiu lapides iacuerunt, quouſque dimiſſo populo, Seruum Dei ab eius finibus arcerent, in humero ſic lapide vulneratus, vt per plurimos annos dolore ictus valido fatigaretur. Hinc ad aliam vrbem peruenit, ſed ab hæreticis impetitus, & apprehenſus eſt; quorum vnus illi dixit:* Papiſta, fortè in veſtro Sacramento adeſt Deus? *Cui intrepidus reſpondit* PASCHALIS: Verè, & realiter in Sacramento Euchariſtiæ eſt Deus. *Hæretici verò licèt ſtatim mortem inferre Catholico poſſent fratri, illam diſtulerunt, credentes eum à propoſito deuiare poſſe, & ideò illi aduerſus fidem Sacramenti nonnulla proponere ſunt argumenta conati. Quibus Dei Seruus facillimè faciens ſatis, aduerſus eum arma mouentes, & lapides coniycientes, licèt innumeros in Virum beatum contorſiſſent, tamen nullo ictu ſaucius mirabiliter euaſit. Ab hocce igitur periculo Dei miſeratione liberatus, in aliud grauius incidit; nam cùm domum cuiuſdam Principis neceſſitate coactus adiret, pomeridiano tempore, quando Dominus ille familiâ circumdatus ad menſam ſedebat, & epulabatur opiparè, & ab eo humiliter eleemoſynam peteret, Princeps furore ſuperbus B. Virum in cuſtodiam retrudi iuſſit, tanquam* Hiſpaniarum *Regis exploratorem, ſéque illi mortem poſt prandium daturum crudeliter minitauit. Seruus Dei tanquam agnus inter lupos ſiſtens, nec os ſuum aperiens, mortem alacer exſpectabat. Sed Dei euênit prouidentiâ, quòd fœmina quædam Fratris venerabilis patientiam contuita, miſericordiâ mota, Virum Dei per oſtium domus recluſum, ſine alicuius animaduerſione diſſoluit & relaxauit. Tunc in tugurium cuiuſdam paupercula vetulæ Catholicæ diuerſatus, & ab ea charitatiuè ſuſceptus, fotus, & alitus, tandem vale dicto, iter ſuum proſequi feſtinauit. In aliam denique Ciuitatem deuenit, ſed protinus vt agnitus eſt Catholicus, ab hæreticis circumdatus, & opprobriis extitit oneratus, qui Dei ſeruo vitam adimere propoſuêre, ſed à quodam homine illæſus ex turba extractus, & in quoddam ſuile immiſſus, clauſis ianuis relictus, è veſtigio mortem præſtolabatur; ſed primo mane, homo ille aduenies, & oſtium aperiens, S. Virum ex immundo loco educens, eleemoſynam porrigens, liberum dimiſit. Sed quis poterit ſufficienter enarrare, quot pertulerit in itinere opprobria, ludibria, & tormenta ſibi ab hæreticis per* Galliam *illata? Illud in comperto eſt, quòd Deus eum ſeruauit vbique incolumem, ſiue proficiſcentem, ſiue redeuntem. Igitur legatione facta, Prouinciam repedauit ſuam, meritis plenus, ac Dei amore cumulatus, & diues, ac certâ ſpe imbutus, quòd ille qui dixit:* Qui me confeſſus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo; *illi gloriæ indeficientis præmia elargiri dignaretur, ob ſui nominis confeſſionem inter hæreticos exercitam, & ob præclarum obedientiæ ſymbolum fideliter executum; in quo licèt, Dei diſpoſitione, martyrij non acceperit palmam, tamen à meriti corona haudquaquam defraudatus exiſtet; ſi quidem quantum in ſe fuit, obedientiâ Martyrum conſtantiam præ ſe tulit, vt in Monacho quærebat Baſilius ille Magnus monaſticæ diſciplinæ in Oriente primus aſſertor.*

Ab hæreticis multa pertulit opprobria.

Lapidatur.

Comprehenditur.

Incolumis in Hiſpaniã rediit.

VERBA *etenim* PASCHALIS *vt facula ardebant, & ideo eius voci, nutui, ac deſiderio omnia obtemperabant; corda quantumuis obdurata emolliebat, & ad pœnitentiam inducebat, in quorum reductione mirabilia maiora noſcuntur, quàm mortuos ad vitam reducere, vt inquit Bernardus. Euênit in Oppido Iumilla Regni Murcitani, quòd cùm quidam accola ab alio homopolo grauem ac-*

In Conſt. Monaſt. c. 20.

Eius verba dulciſſima, & penetrãtia.

In Vit. S. Malach.

Digitized by Google

cepiſſet iniuriam; illius causâ, offensori vitam adimere minitabat; quod cùm agnouit Conuentus Minorum Prælatus, dimiſit Prædicatorem, vt hominem illum ad iniuriæ remiſſionem ſanctis & ſuauibus verbis adtraheret. Annuit Concionator, & ſecum ducens PASCHALEM, hominem ad concordiam cum proximo, ſacræ Scripturæ auctoritatibus, rationibus, & exemplis Chriſti Domini, & Sanctorum, reducere curauit: ſed cùm eſſet recens vulneris vlcus, non ſolùm non placabatur offenſus, ſed potius amplius in viſceribus bilis ardebat implacabilis. Hinc Prædicator fortiùs rationis vincula ſtringens furioſum hominem emollire ſatagebat, ſed fruſtrà, nam homo laxatis indignationis, & furoris frænis, fræneticus aduerſus Religioſum Eccleſiaſtem, verbo, & opere impetere properauit. Tunc Seruus Dei oculos in hominem lymphatum figens, ei graui modeſtia dixit: Frater, parce inimico propter amorem Dei. Vix ea fatus erat PASCHALIS, cùm homo ad eius pedes prouolutus, depoſitâ inſaniâ, inimico pepercit placatus. Hæc videns Prædicator admiratione compunctus, & efficaciam vocis B. Viri conſiderans, gratias egit Altiſſimo, qui mirabilis eſt in Sanctis ſuis, quorum ſæpe ſæpius ſimplicitas, multa, quæ non valet ſapientum adipiſci eruditio polita, conſequitur. Quod & in alijs pluribus exemplis euenie-

Inimicitias ſedat.

bat non ſolùm circa remiſſionem iniuriarum, ſed etiam in perducendis ad pœnitentiam peccatoribus inueteratis, necnon in confirmandis deſidibus, & afflictis, vt Dei placitum in infirmitatibus, & laboribus amplecterentur, imò plurimos corrigebat vnico vocis fulmine, & aliquando ipſos Prælatos, & ſæpiùs fratres deſides ad chorum accedere renuentes.

Secreta cordium agnoſcebat.

CVM multoties ſecreta cordium, conſcientiarúmve abſtruſa cœlitus ſibi cognita eſſent, reis ſæpè detegebat; monita ſalutis illis ſubinferens, vt à peccatis reſilirent ex integro. Hoc vt facilius, & feliciùs expleret, ſaluti animarum iugiter inhiabat, pro peccatoribus aſſiduè Deum exorans, & ipſos concionatores exercens ad orationem, & ſpiritus feruorem, vt ſic maiorem Domino meſſem reportarent. Ipſéque paruulos, & alios doctrinam edocebat Chriſtianam, fideíque ſymbola, vt exinde multos aucuparetur in ſalutem. De primo duo exempla referemus: Cùm aliquando iter ageret PASCHALIS cum Concionatore ſui Conuentus, cui nomen Bartholomæus Paſtor, domum cuiuſdam deuoti ſyndici deuenêre, qui fratres affabiliter recipiens, prandium diſponi curauit, & alacer cum ſuis hoſpitibus ad mènſam acceſſit. In medio poſtmodùm epuli, Dei ſeruus, ſyndicum intuens, eius arcana cordis agnoſcens, vidit hominem illum mortalis peccati maculâ coinquinatum; quem piâ voce admonens, ei dixit: Frater, protinus exomologeſin exple; quandoquidem Deus tibi in fratre noſtro, & ſocio, occaſionem ſuppeditat. Temporis intempeſtiui rationem in Venerabili fratre demiratus Concionator non ſine murmure, tamen ſubticuit, & Syndicus PASCHALI reſpondit: Pater, primâ Dominicâ venturâ Conuentum adibo, vbi profuſiùs peccata per confeſſionem expiabo. Pro tunc annuit Seruus Dei, ſed intra ſe periculum hoſpitis deplorans, charitatis feruore ſuccenſus, iterum, atque iterum hominem illum interpellauit, vt ad confeſſionem accederet, qui Dei auxilio illuſtratus, Concionatori intimos animi ſui ſenſus aperuit; addens ſe credere, fratrem illum per reuelationem, eius grauiſſimum cognouiſſe peccatum; quod & faſſus eſt Confeſſarius, cognitâ in cæteris modeſtiâ PASCHALIS, quam vincens pietas, hoſpitem per ſalutarem medicinam, maculas delere, ſuaſit.

Exemplum I.

Exemplum II.

IN Monaſterio quodam, cùm eius aliquando Ianitor eſſet, euênit, quòd quidam accola PASCHALI addictiſſimus, à quadam vxorata fœmina, cuius amore deperibat, ad adulterij patrationem, noctu, horâ aſſignatâ vocaretur. Tum ille alacer ad conſummationem peccati compoſitus, terminum expectabat. Maritus verò fœminæ illius, qui zelotypiâ laborabat, cum alijs conſanguineis, & amicis inſequebatur adulterum, & poſitis ſpeculatoribus occaſionem quærebat ad vindictam. Hæc omnia B. Viro in cubiculo exiſtenti præcognita fuêre, & Deum pro amico deprecans, obtinuit, quòd ille ad peccatum accurrens, ter audito, ſed non viſo à quo fieret, cymbali ſonitu,

monitus,

Digitized by Google

monitus, periculum intuens, à propoſito reſiliuit, & domum reuerſus, quieto animo noctem exegit. Mane facto ad Conuentum accedens; Ianitorem Sanctiſſimum expectantem inuenit, qui dixit ei: Parcat tibi Deus, frater, quot pro te hac nocte moleſtias perpeſſus ſum, ne in periculo deperires. *His auditis accola amicus gratias Viro Dei egit, cuius precibus ſe liberum euaſiſſe cognouit, & in poſterum virtuti adhærens, quietus, & honeſtus vitam tranſegit.*

Purgatorij animas iuuabat.

ANIMAS *purgatorijs pœnis detentas ſingulari pietate iuuabat, & alijs, vt pro eis exorarent, Miſſáſque offerrent, ſuadebat; vt euênit in Oppido de* Almanſa, *vbi Illuſtrem fœminam ſibi deuotiſſimam monuit, quatenus pro fratre defuncto aliquot ſacrificia offerri curaret, quibus (provt illi reuelatum fuerat) protinus fratris anima ad ſalutem egebat. Quod etiam hæc nobilis mulier cuidam ſuæ conſanguineæ retulit, quæ à B. Viro, quid de parentum ſuorum animabus actum fuiſſet efflagitans, reſpondit:* Alium ex parentibus ſuffragiis non indigere, alterum à pœnis liberatum iri, ſi intra Triginta continuos dies totidem Miſſas feciſſet celebrare, in quibus Collecta ab eo tradita recitaretur: *quibus abſolutis, nullam aliam præſtari diligentiam iuſſit.*

Plura ſpiritu prophetico prædixit.

HINC *ſpiritu prophetico exornatus, cuilibet prænuntiabat futura, ſanitatem, ſeu infirmitatem, mortem, vel pericula, niſi à malis protinus abſtinerent. Nam & ipſe de ſe ipſo Propheta, eius tranſitum præſciuit, & aliquando fratribus patefecit. Cùm Anno* M. D. XCI. *ad celebrandum Capitulum Prouinciale apud* Valentiam *congregarentur vocales,* B. PASCHALIS *dixit* F. Didaco de Caſtellon, *Villa-Regalis Conuentus Guardiano, qui ad Capitulum iter agebat, qualiter* F. Ioannes Scemenius, *(qui pòſt fuit Serui Dei Chronographus) Miniſter Prouincialis eligendus eſſet, & ipſe Guardianus, Diffinitor, & Nouitiorum Magiſter, provt euênit.* IN *ipſo Cœnobio* Villæ-Regalis, *illius Concionator, æger iacebat, qui cùm ſæpe Dei ſeruum rogaſſet, quòd in ſuis orationibus pro eo preces effunderet, & ei Dominus impartiri dignaretur ſalutem, reſpondebat continuò:* Faciam vtique, ſed fruſtra. *Huius vltimæ vocis ſonitus vix in aures penetrauit ægroti, quando ſibi perſuadens, quòd B. Vir aliquid circa ſuæ ſalutis opportunitatem præſciret, Guardianum interpellauit, vt ſeruum Dei conueniret, & obedientiæ nexu conſtringeret, donec vocis ſignificationem in corde retentam explanaret. Annuit Prælatus, & conuocato* PASCHALI *coram ipſo Concionatore, vt illi circa interrogata faceret ſatis. Tunc B. Vir oculos in ægrotum configens, ore rubicundo, & voce ſummiſſâ, dixit:* Frater, Deus quòd moriaris, ſtatuit; & quòd in poſterum amplius concioneris, recuſat; in aliis rebus affatim ſeruire valebis, aliquot Menſes vitæ huius ſpiritu frueberis, Domino gratias age, & hæc ſuſtine patienter. *Cuius verba vt prophetica amplectens infirmus, tandem omnia ſibi euenisſe punctuatim cognouit.* IN *eadem* Villa-Regali *erat fœmina mortali infirmitate depreſſa, & hæc Viro venerabili erat addictiſſima, quam cùm ille ſæpius viſitaret, & illa pro ſua ſalute B. Fratrem continuo precaretur, dixit ſubridens:* Eia ſoror præpara te, nam tu, & ego longiſſimum citò iter ſumus acturi. *Quod euênit, nam fœmina ſequenti die animam exhalauit, &* B. PASCHALIS *poſt diem Octauum ſpiritum Deo reddidit. Fratri cuidam, qui in Eccleſia Conuentus, noctu ſic ſe flagris cædebat, quòd diſciplinæ ſtrepitu ambitus ædificij repleret, dixit, quòd deinceps abſque fragore ſumeret diſciplinam, quia pœnitentia illa, potius ſub religionis ſpecie, diabolica tentatio erat, quàm meritum. Quod poſtea faſſus eſt frater ille, nam cognouit, quòd tempore, quo B. Vir accedebat ad eum, vt illa diceret, recedebat ab eo fœtor ſulphureus, eo paſſu quo Dei ſeruus properabat. Plures alias reuelationes à Deo accepit, quarum euentus aut ipſe præ modeſtia patefacere recuſauit, aut perière temporis lapſu.*

Exemplum I.

Exemplum II.

Exemplum III.

Exemplum IV.

Scientiam infuſam accepit.

SCIENTIA *fuit illi diuinitus infuſa, quâ & Theologiam apprimè callebat, & difficiliores quæſtiones explicabat, dubias verò clarè reſoluebat, de quo*

teſtes ſunt plurimi Magiſtri in ſacra Theologia eruditiſſimi, inter quos P. F. Emmanuel Roderici, *cuius ſingularia ſcripta vndequaque circunferuntur, qui aliquoties, vt S. Viri ſcientiã exploraret, argumentis, & variis propoſitionibus eius ſubtilitatem probabat. Sed teſtiũ omni exceptione maior fuit duplex codicis membrana, ſuis manibus exarata, ſacræ eruditionis plena, vbi ex Sanctorum ſententiis, tanquam apis artificioſa, apophthegmata delibabat, ad ſui ſpiritus recreationem, cuius hic erat titulus.* In nomine SSS. Trinitatis Patris, & Filij, & Spiritus-Sancti, qui in Trinitate perſonarum vnus eſt Deus, cœli, & terræ, viſibilium, & inuiſibilium creator, cui ſit gloria, & imperium in ſecula ſeculorum, Amen.

Codex ſententiarum ab ipſo conſcriptus.

IESVS ✠ MARIA.

Ego F. Paschalis Baylon ex oppido Turris-Formoſæ Cœnobij S. Mariæ Hortani oriundus, hunc codicem ad mei ſpiritus oblectamentum ſcripſi, quem ex multis Sanctorum libris fideliter extraxi. *Poſt ſingulari pietate multa congerit non inuenuſta, ad varia myſteria ſpectantia; ſed agens de eſſentia Dei, iſta compaginat verba.* Deus eſt puriſſimus ſpiritus, in quo nec materia, nec corpus ineſt. Deus perfectiſſima res eſt, in quo omnia perfectiora continentur, ſcilicet omnipotentia, auctoritas, maieſtas, ſcientia, pulchritudo, liberalitas, miſericordia, pietas, & gratia. Apud Deum, non poteſt diſtinctio partium diuerſarum, ob eius ſummam ſimplicitatem, inueniri, ita quòd eius natura, ſua eſſentia eſt; eius eſſentia, ſua omnipotentia; eius potentia, ſuum velle; eius velle, ſua voluntas; eius voluntas, ſua mens; eius mens, ſuus intellectus; eius intellectus, ſuum eſſe; ſuum eſſe, eius ſapientia; eius ſapientia, ſua bonitas; & eius bonitas, propria iuſtitia; & hæc ſua miſericordia, quæ licèt cum iuſtitia contrariantes habeat effectus, ſcilicet remiſſionem, & vltionem, tamen in Deo æqualiter exiſtunt, ita vt eius iuſtitia ſit eius pietas, & eius miſeratio ſit eius rectum iudicium. Tripliciter ad Deum memoriam applicare tenemur, ſcilicet ex potentia, quatenus ad opera creationis; ex ſcientia, quatenus ad opera redemptionis; ex bonitate, quatenus ad opera remunerationis, & glorificationis. Prima memoria referatur ad Patrem; ſecunda ad Filium; Tertia ad Spiritum Sanctum. *Hactenus codex MSS. in quo poſtmodùm proſequitur in probatione vnitatis diuinæ eſſentiæ, & perſonarum pluralitate, tantâ ſubtilitate, & eruditione, quòd ad comprehenſionem vniuſcuiuſque periodi, neceſſariò ſcientiam à Deo,* Paschali *fuiſſe infuſam credendum eſt.*

De vnitate diuinæ eſſentiæ ſcripſit.

Nec *tantùm hæc ſacra eruditio in relatis operibus ſplendebat, ſed etiam in aliis piis operibus, quæ ad ſui diſpoſitionem ante communionem meditabatur, & poſt communionem ſcribebat, noſcebatur; quarum Orationum ſeriem hic adnectere libet, vt aliquando religioſi, & pij fideles, illis ante, & poſt communionem vtantur.*

Oratio ante communionem ab ipſo compoſita.

ORATIONES QVIBVS VTEBATVR ante Communionem B. Paschalis *Baylon.*

O Immense Domine, Deus meus, & Creator cœli, & terræ, Rex omnipotens, qui tuâ validâ manu, ad imaginẽ, & ſimilitudinem tuam creaſti me. Quis ſum ego vt memineris mei? Quis eſt, Pater miſericors, homo, vt ſic magnifices eum? & apponas erga eum cor tuum? Statim vt eum coagulaſti, dominum conſtituiſti eum, & ei copioſam illam Paradiſi menſam dediſti; & eo redempto, poſt, iterum hanc indeficientem menſam apponis, vbi de te ipſo epulum cõficis, & illud hominibus elargiris. O Domine, qualis eſt hæc liberalitas tua, & quanta magnificentia tua, quam mihi tribuis, quòd cùm ſis Deus Omnipotens, & æternus, Creator, & Redemptor meus, iubes, vt te in cordis

Digitized by Google

dis mei viſceribus recipiam, & in pectoris mei abſcondam arcanis. O bone IESV! ô ſalus mea! pauperculam animam meam tibi offero, & cor meum tepidum trado. Sæpè ſæpiùs tuam immenſam Maieſtatem offendi, & velut alter traditor Abſalon, è regno cordis mei, Pater mi, te excludere non horrui. Fons aquæ viuæ munda me. Medice ſalutis meæ ſana animam meam. Fidei, & Spei tegmine indue me, & fac me dignum Templi tui typum. Fide Centurio te in domo ſua recipere trepidabat. Baptiſta, ſanctus antequam natus, in te Baptiſmatis miniſterium exercere timebat; vt quid non ego peccator recipere te Creatorem meum, & Angelorum iubar, & gloriam non formidabo? O cœleſtis Pater! da mihi virtutem, & fortitudinem ad opus hoc maximum perficiendum. O Fili, ſapientia Patris! da mihi intellectum, & prudentiam. O Sancte Spiritus, amor Patris, & Filij! accende cor meum, & animam meam igne tuæ charitatis purifica, vt hoc ſanctiſſimum Sacramentum viuâ fide recipiam. Amen.

ALIA ORATIO.

Alia oratio.

REX cœlorum, Domine IESV-CHRISTE, ego indignus peccator ad tuum ſanctum Altare accedere volo, tuæ diuinæ vocis iuſſu vocatus, & tuâ miſericordiâ fretus. Tu ad menſam, quam præparas, vocas me, vbi temetipſum das in epulo integrum. Hinc licèt paruulus, velut alter Benjamin, ad conuiuium, quod maior frater, ſcilicet Ioſeph, cuius typum geris, fratribus fidelibus præparat, accedere audeam. A te ſuppliciter peto, vt ex hac menſa immenſa illos percipiam fructus, quos hoc maximum Sacramentum in aliis tuis amicis aſſolet operari. Ecce infirmus ſum, & tu Medicus ſalutis meæ. Peccator ego, & tu peccatorũ iuſtificator. Pauper ego, & tu diues æternus: ergo Fidei augmentum, Charitatis plenitudinem, Spei fortitudinem, & omnium virtutum ſpecimen, quibus in hoc ſeculo per fidem ſeruiam, & benedicam tibi, & te in futuro per gloriam fruar, mihi retribue. Amen.

ALIA ORATIO.

Alia oratio.

DOMINE Deus meus IESV-CHRISTE, Fili Dei viui, qui in nocte Cœnæ, ob illam æternam, quâ erga nos ardebas, charitatem, Sanctiſſimum Corporis, & Sanguinis tui Sacramentum, in tuæ acerbæ paſſionis memoriam mirabiliter inſtituiſti, quo tuis Sanctis Apoſtolis, tuam ſacratiſſimam Carnem ad eſcam, & tuum pretioſiſſimum Sanguinem ad potum dediſti; ſuppliciter te oro, & humiliter peto, quatenus cordis mei duritiem emollire, & compunctionis lachrymas, quibus animam meam ab omnibus peccatis meis abluam, concedere digneris. Nam licet hucuſque cogitatione, verbo, & opere, meâ culpâ, meâ maximâ culpâ peccauerim, tamen verè confiteor, & firmiter credo, quòd tu Domine, tuâ infinitâ bonitate, & miſericordiâ, noxias meas ignoſcere potes. Ergo mi Domine, vniuerſis vtique parcito, ſiquidem me omnium pœnitet commiſſarum, & de cætero, firmo corde ab eis abſtinere propono. O Domine miſericors, mihi ſeruo tuo tantam ac talem deuotionis vim elargiri digneris, vt in hoc ſancto die, gratiâ tuâ, provt deſidero, temetipſum in hoc cœleſti pabulo recipiam. Tu enim Domine, tuo ſancto ore dixiſti: *Ego ſum panis viuus, qui de cælo deſcendi, quicumque manducauerit panem hunc viuet in æternum.* O panis ſuauis, palatum cordis mei cura, vt tui amoris ſalutem amplectar; omnem eius ægritudinem ſana, vt nihil aliud, niſi tuæ ſentiam dulcedinem Charitatis. O panis ſacratus, omne delectamentum in te habens, qui ſemper reficis, & nunquam deficis; te cor meum edat, vt ex voluptuaria ſuauitate tua, &

mellifluo ſapore ſubſtantiæ tuæ, animæ meæ viſcera repleantur. O panis ſanctus! O panis vitæ! O panis puriſſimus, qui de cœlo deſcendis, & vitam omnibus in mundo iacentibus confers, in cor meum veni, ſentiat anima mea iucunditatem præſentiæ beatificæ tuæ. Proiice à me omnes inimicos meos, qui inſidias mihi nectere non ceſſant: Fugiant ergo Domine à facie oris tui, & æternæ potentiæ tuæ, & anima mea à te, aduerſus conuentum malignantium, protecta, rectâ viâ ad regnum tuum proficiſcatur æternum, in quo facie ad faciem, tuam infinitam eſſentiam intuens, læta perſeculorum ſecula viuat. Amen.

ORATIONES POST COMMVNIONEM.

Alia poſt Communionem.

GRATIAS tibi ago, Pater æterne, qui mihi Vnigenitum Filium tuum dediſti, non ſolùm, vt me liberares à tyrannide Satanæ, ſed etiam vt in pabulo huius ſacratæ hoſtiæ ſolareris me. Gratias tibi ago Redemptor omnium, qui magnâ liberalitate, & munificentiâ tua animam meam tuo ſacrato Corpore, & Sanguine ditaſti. Gratias tibi ago Spiritus-Sancte, charitas perfecta, qui cor meum viſitans, illud ſancto tuo amore ſatiaſti. Omnes Angeli laudent te, Deum meum, vnum, & trinum, Patrem, Filium, & Spiritum-Sanctum; & omnia viſibilia, & inuiſibilia glorificent te. O Domine! vtinam ex vi, & virtute tanti Sacramenti anima mea per charitatem tibi penitus adhæreret! Maieſtatem ergo tuam ſuppliciter exoro, vt aduerſus te in poſterùm non delinquam. Sint, hoc epulo, mihi Mundus, & eius illecebræ in faſtidium; prorſus ſpiritus meus imperitet carni meæ; &, te duce, perfectum de diabolo comparem trophæum. Tua in me creſcat vbique charitas: Fidei, & Spei manipulos perfectiſſimè colligam; vt anima mea de virtute in virtutem percurrat, quouſque videat apertis oculis, quod hic per fidem adorat, & in gloria te perfectâ lætitiâ poſſideat, quem occultum, & inuolutum in hac ſacrata hoſtia feliciter ſumpſi. Amen, Ieſus.

ALIA ORATIO.

Alia oratio.

DOMINE Deus, & Creator omnium, gratias tibi ago, & laudes offero, qui me indignum peccatorem, non meis meritis, ſed gratiâ tuâ, pretioſi Corporis Vnigeniti Filij tui IESV-CHRISTI, Dei, & Domini Noſtri ſatiare dignatus es pignore. Ideò Maieſtatem tuam humiliter exoro, quatenus hæc ſacratiſſima Synaxis, & ſumptio glorioſa, non ſit mihi reatus ad pœnam, & animæ damnatio, ſed ſit aditus ad vitam, & ſcelerum ablutio. Sit mihi armatura fidei veræ, confirmatio ſpei, & bonæ voluntatis ſcutum. Sit criminum abſolutio, fomitis carnalis auerſio, totius vanitatis expulſio, linguæ meæ frænum, & formula cordis mei. Sit charitatis augmentum, humilitatis aculeus, honeſtatis, pacis, reuerentiæ, & perſeuerantiæ in omni bono, virtute, & ſanctitate profectio. Sit mihi aduerſus inſidias inimicorum meorum viſibilium, & inuiſibilium præſidium firmiſſimum; omnium motuum meorum carnalium, & ſpiritualium perfectiſſima animaduerſio, & Domino meo IESV-CHRISTO inſeparabilis adhæſio. Hinc à te peto Domine, vt me miſerum peccatorem ad conuiuium gloriæ cæleſtis, in quo tu Domine Sanctis tuis lumen es verum, perfecta lætitia, ſingularis beatitudo, & æternum gaudium vocare digneris. Amen, Ieſus.

ALIA ORATIO.

Alia oratio.

DOMINE IESV-CHRISTE Creator, Redemptor, Rex, ſpes, & gloria mea, gratias tibi ago ob admirabile beneficium, quod hac die

die, anima mea, & cor meum à te recepit, vt tuæ diuinæ Maiestatis efficeretur hospitium. Dic ergo ei, magnifice Domine, quod dixisti in domo Zachæi, cùm in ea diuersaberis: Hodie facta est salus in domo ista, & iste filius est Abraham. O Rex gloriæ! sana animam meam; in tribulationibus fortifica, & mihi gratiam tuam, ô fons gratiarum, tribue, vt semper, & in æternum te amet, vbique seruiat, & laudet in hac vita; & te in æterna fruatur per gloriam. Amen, Iesus.

ALIAS *etiam pijssimas Orationes ad* Virginem-Matrem, *& Sanctos, post Communionem recitabat, quarum seriem subjcere prolixum. Denique postquam B. Vir summè charitatem in Deum, & proximos exercuisset, sine qua (vt inquit Apostolus) licèt habuerit prophetiam, & nouerit mysteria omnia, & in eo omnis extiterit fides, ita vt montes transferret, nihil esset, cùm nihil sit excellentius charitate. Demùm postquam humilitatem, & paupertatem mirabiliter connexuisset; pœnitentiam, orationem, & meditationem profundâ continuatione fouisset; fidei, & spei virtutibus sublimi pietate vacasset; spiritualibus exercitijs*, B. Mariæ sine labe conceptæ *obsequio, & castitati, silentio, & mortificationibus adhæsisset, prauisâ per eum mortis die, & horâ, pleuritidis infirmitate correptus, in lectum incidens, & suo tempore Sacramentis vallatus, spiritum Deo, Dominicâ Pentecostes, placidâ dormitione dimisit, die* XVII. Maij, *Anno Domini* M.D.XCII.

Plures alias ad B. Virginem, & Sanctos recitabat. I. Corinth. 13.

Conceptionis Virginis mysterium extollebat.

Moritur.

IGITVR *è viuis sublato* PASCHALI, *eius facies specie decora, & omnes sui corporis nexus tractabiles, ita vt possent adhuc vbique dirigi, remansêre. Vix Sancti Viri mortem per Oppidi angulos, & vicorum circumstantium circulos fama vulgauit, cùm repentè ad Conuentum accolarum plorantium innumerabilis cucurrit caterua, vt Serui Dei faciem viderent, & oscula pedibus infigerent; quod in causa fuit, vt corpus in feretro compositum per triduum in Ecclesia iaceret, & venientibus homopolis, & cæteris variis infirmitatibus laborantibus, pateret. Nec sine mirabilibus; nam citra pallorem, quo mors solet induere, quos è vita subripit, per totum illud dierum spatiũ, ex fronte, capite, & gutture tantus sudor vndique fluebat continuus, vt riuulos aquæ, ex rosis liquatæ, & floribus, crederes. Huius sudaria, & plurima lintea tam pretioso liquore repleta sunt, quæ in posterum fuere febricitantibus admirabilis medicina. Gloriam Serui sui Deus amplius miraculis patefacere destinauit, & ideo hominem quendam exterum ex Oppido* Castellione, *tunc temporis ad Conuentum direxit, qui non sine difficultate, propter corporis sui contractionem; & labore, propter hominum circunstantium turbam, ad feretrum accedens, & manus S. Viri deosculatus, protinus dimisso baculo sanus exurgens, Ecclesiam replens laudibus, & populum vocibus, Dei misericordiam, &* PASCHALIS *sanctitudinem aperientibus, ad propria reuersus est.* HVIVS *quippe sanitatis rumore, monita* Elizabeth Cano, *fœmina* Villæ-Regalis *accola, quæ multo tempore brachium habebat truncum, & debile, ita vt illo nec vteretur, & ad Conuentum properans, sanctum corpus tangens, oratione facta, illico omnium admiratione sanata est. Alia etiam quamplurima miracula Deus in honorem Serui sui facere dignatus fuit in tribus illis diebus Pentecostes, quibus in Ecclesia Conuentûs iacuit inhumatum Corpus, quorum catalogum refert eius historiographus, & alia in posterum facta.*

Populi ad Conuentum accurrunt.

Sudor ex fronte per triduũ manauit.

Paralyticum sanatur.

Item alia fœmina.

VLTIMO *igitur Pentecostes die, de eius sepultura apud fratres actum est, & ideo corpus integrum, calce mixtum, & in habitu inuolutum intra cauum Altaris, immaculatæ Conceptioni Virginis* MARIÆ *dicati, cuius mysterij fuit integerrimus assertor dum vixit, & defensor, sepultum, de cætero innumera fecit miracula. Eius anima, eodem die, & horâ sui transitus visa est à nobili quodam Viro, in curru igneo, tanquam alter* Elias, *in cœlum rapi, quod & alteri per oculorum verum intuitum accidit, nec non & alteri glorioſus apparens cum illo conuersatus est familiariter. Postmodum eius Corpus inuentum est integrum, nec calce consumptum, nec temporis diuturnitate fœdatum, sed decorum & tractabile, ita vt super pedes erectum, sustentaretur per se absque vllo*

Sepelitur in Oratorio Immaculatæ Conceptionis.

Anima in curru igneo visa est in cœlum ingredi.

Digitized by Google

Tranſfertur Corpus integrum.

vllo alienæ manus fulcimine. Quo factum eſt, vt celebre erigeretur ſacellum, vbi ſacra pignora repoſita quieſcerent, ad quod non ſolum Villa-Regalenſes *ciues, ſed vicini, & remotiores populi, atque ex omni ferè* Hiſpania *fideles tanta deuotione confluunt, tot ibi vigiliæ fiunt, tot ſacrificia in eodem eius ſacello celebrantur, tàm multa, & illuſtria voti reddendi gratiâ offeruntur munera, vt hæc, conſtans & perpetua fama, & opinio, tantuſquè illorum fidelium, omnium generum, omnium ordinum conſenſus, magni profectò, & illuſtris teſtimonij loco habendus ſit, ad* B. PASCHALIS *ſanctimoniam comprobandam.*

Inquiritur de eius vita, & miraculorũ frequentia probatur.

Quibus, & ſimilibus prodigiis, quæ per eum edidit Omnipotens, patefactis, meritò diœceſanus Epiſcopus Dertoſanus *inquiſitionem de vita, moribus, ac ſanctitate Viri Dei, exequutus eſt, vt populorum votis ſatisfaceret, qui publicè ac certatim illum iam Sanctum acclamarent. Hinc Sedes Apoſtolica ſuper his conſulta, Paulus V. Pont. Max.* BEATVM *declarauit, ac Officium de eo celebrari conceſſit omnibus fratribus, aliùquè tàm ſecularibus, quàm Regularibus in Regno* Valentiæ *exiſtentibus: ſub Datum Romæ die* XXIX. Octobris *Anno* M. DC. XVIII. *Deinde Anno* M. DC. XX. *die* X. Februarij, *aliud Diploma dedit, quo idem priuilegium Regnis* Caſtellæ, *&* Aragoniæ *extendit. Tandem* Gregorius XV. Pont. Max. *illud idem conceſſit omnibus vtriuſque ſexus Religioſis Minoribus, vbique terrarum exiſtentibus, ſub Datum* Romæ *apud S. Petrum, ſub Annulo Piſcatoris, die* XXII. Martij, *Anno* M. DC. XXI.

Hinc Beatus à Sede Apoſtolicâ declaratur.

Quid de ictibus, qui audiuntur in capſa, vbi Corpus reconditur?

Hæc ſunt ACTA, quæ latina fecimus per ſynopſim, vbi nihil *de ictibus*, quibus ſæpè Corpus B. PASCHALIS thecam, quâ includitur, ab hinc Triginta annis tundere conſueuit: fortè quia Scriptorum rerum geſtarum B. Viri æuo, huiuſmodi ſonitus non euenêre. Huius continui miraculi ecphraſim, prout ex teſtimonio authentico, apud Nos adſeruato, *Fratrum Ieronymi Parte* Guardiani, & Commiſſarij Conuentus S. Ioannis de Ripa Valentiæ, Ordinis Excalceatorum S. Franciſci, Prouinciæ S. Ioannis Baptiſtæ; *Didaci de Alarcon* Prædicatoris, & *Laurentij Sancty* Nouitiorum Magiſtri, Apoſtolicâ auctoritate Notariorum, coram fratre *Ieronymo Sancto* Prouinciæ Secretario, ſub Datum, in relato Monaſterio, die XVIII. Februarij, Anno M. DC. XLV. patet, exſcribemus. Inquit enim auctographum, qualiter per ferè Triginta annos, omnibus, & ſingulis diebus, diſſimiles tunſiones, & ictus audiuntur in theca, vbi Corpus B. Viri iacet, aliquando plurimi & validi, maximè in notabilibus huius Monarchiæ Catholicæ euentibus, vt in die victoriæ *Fontis-Re[illegible]* & in ſubleuatione *Portugalliæ*, & quando auxilium fuit in vrbem *Tarraconenſem* [illegible]tromiſſum, & aliàs ſæpe. Aliquando pauci, & intermiſſi, quibus nonnunquam alicuius fratris mors euentura prædicitur. Nec tantùm ſacræ exuuiæ in arca hos ictus efficiunt, ſed etiam eius icones, & imagines, eaſdem tunſiones efficere ſolent [illegible]ibus ſæpe intra aliquorum viſcera, ad bona capeſſenda, virtutes ampl[illegible] pericula diffugienda feliciter mouent. Quod eſt valde mirabile, & nullibi in Sanctorum actis ſcriptum reperitur.

Topographia.

VILLA-REGALIS, Vrbs in *Hiſpania* Citeriori ſita, & intra fines Regni Valentiæ extructa, licèt in ſpiritualibus Epiſcopo pareat Dertoſano, cuius Sedes in Cathaloniæ Principatu ſubſiſtit: hodie dicitur VILLA-REAL. Illam Viciana in *Chron. 3. p.* vocitat VENECIA LA CHICA, in fertili *Burriano* campo à Valentia XL. M. P. in itinere, quo *Barcinonam* pergit, diſſita. De ea plura F. Ioann. Scemen. *c.* 42. qui eius hortos, & pomœria elegantiſſima deſcribit; ipſiúſque fidelitatem in ſuos Reges extollit, & multa alia ſcitu digna recenſet, ad quem circa hoc te miſſum facimus.

QVINTO

Digitized by Google

QVINTODECIMO KAL. IVNII.

DIES XVIII.

A. SPALI *in Vaſconibus Nauarræ non procul à Ronca-Valle Hiſpaniæ Citerioris, S.* FELICIS *Epiſcopi Accitani, qui poſtquam in Concilio Illiberitano præfuiſſet, & illius Synodi canones cum cæteris Præſulibus publicaſſet, ad confirmandos Citerioris Iberiæ populos à Patribus miſſus, Spali comprehenſus, animam in cruciatibus Chriſto viriliter obtulit.*

B. PALENTIÆ *in Pallendonibus Hiſpaniæ,* TRANSLATIONIS *feſtiuitas ſacrorum pignorum S.* ANTONINI *ipſius vrbis Martyris, & ciuis, feliciter repetitur.*

C. In Diœceſi Ciuitatenſi Hiſpaniæ ſupra arduum montis cacumen, quod adhuc PEÑA DE FRANCIA *dicitur,* INVENTIO *miraculoſa Imaginis* B.V. MARIÆ, *cuius nutu Venerabilis* SIMON *cognomento* VELA *origine Gallus, & ſanctitate illuſtris, illam poſt magnos labores mirabiliter inuenit.*

D. TOLETI *in Carpetania, anniuerſariâ repetitur lætitiâ feſtiuitas miraculoſæ* VICTORIÆ, *quam apud* AVRANVM *aduerſus Sarracenos Deus Eminentiſſimo, & Sanctiſſimo D. F. Franciſco Ximenio Archiepiſcopo Toletano, & S. R. E. Cardinali dignatus eſt elargiri.*

E. CORDVBÆ *in Bætica Hiſpaniæ, feſtum* DEDICATIONIS, *S. E. Cathedralis poſt vltimam è Sarracenorum manibus extractionem, Fernandi III. Caſtellæ, & Legionis Regis auxilio, in qua & honorifico apparatu redundat affectio, & venerabili plauſu ſupereminet cultus.*

NOTÆ.

SANCTVS FELIX Epiſcopus Accitanus,& Martyr.] Pro iſto *Tres* certant *Eccleſia* Martyre. SPOLETINA, de qua Martyrologium Romanum his verbis: *Spoleti S.* FELICIS *Epiſcopi, qui ſub Maximiano Imperatore Martyrij palmam adeptus eſt.* HISPELLENSIS, de qua Philippus Ferrarius in *Catal. SS. Ital. fol.* 290. vbi contendit, FELICEM, nec *Spoletinum*, nec *Spalitanum* Martyrem fuiſſe, ſed HISPELLENSEM. A. *Trium Eccleſiarũ pia contentio pro hoc S. Martyre.*

Tertia

TERTIA Eccleſia eſt Noſtra hæc SPALITANA in *Pyrenæis*, pro qua ſtat *Cardinalis Baronius*, licet mordicus in *Not. Martyrolog. Roman. h.d. lit. D.* aſſerens SPALITANOS *Hiſpaniæ* Martyrem hunc, vt ſuum vindicaſſe; & addit: *Vidimus de ea re literas Synodales ad* S. D. N. Sixtum PP. V. *vnà cum publica atteſtatione, de eiuſdem Martyris corpore, nuper refoſſo, & honeſtiori loco recondito.* Pro hac etiam Luitprand. *Aduerſ. num. 6.* hæc verba recenſet: *Dùm tranſirem per Pyrenæum in confinibus* Hiſpaniæ, S. FELIX *colitur in Ciuitate* SPALATENSI, *vel* SPALENSI, *qui miſſus ab* Hiſpaniæ *Epiſcopis ad prædicandum Euangelium, ſub Diocletiano martyrium conſummauit* XV. Kalend. Iunij. Sunt qui putant, hanc eandem ciuitatem eſſe *Spartucalenſem*; non rectè ij: Nam in oppido *Anzanego*, ſeu *Onzanego* S. Epiſcopus, & Martyr colitur. Hic FELIX creditur fuiſſe, qui cum aliis XIII. (repone XIX.) Epiſcopis Confeſſoribus interfuit Concilio Nationali *Iliberritano*, & præfuit Epiſcopus *Accitanus*: miſſus verò ab *Hiſpanis* Epiſcopis propter feruentem eius charitatem, prudentiam, ſcientiam, & leporem, ad confirmandos in fide populos *Hiſpanos*, iuitquè ad *Celtiberos Vaſcones*, & *Pyrenæum* accolentes. Item Petrus de Natalib. *in Catalog. SS. lib. 5. c. 13.* M. Rus-Puert. *Hiſtor. Giennenſ. 1. p. ſecul. 4. c. 3. n. 2. fol. 117.* P. Ieronym. de la Higuer. *in Martyrolog. MS. Hiſpan.* die XVIII. Maij. Sed vt Noſtrum S. Epiſcopum, & Martyrem ab erroribus *Italorum* liquidò vindicemus, Duarum Eccleſiarum concertantium motiuorum apices expendamus. Pro SPOLETINA ſtat dubia tantum lectio *Romani Martyrologij*, quam his diluit *Ferrarius* verbis: SPOLETINAM *Eccleſiam* S. FELICEM *ſuum Epiſcopum minimè agnoſcere.* Si hæc illum non agnoſcit, ergo pro Noſtra remanet lectio *Martyrologij Romani.* Sed nunc cum ſecunda Eccleſia HESPELLENSI contentio ſit. Hæc S. FELICEM ſuum fuiſſe contendit; ſi cauſam ſciſcitaris, audi pro ea *Ferrarium* dicentem: *Nam* HESPELLI *in Eccleſia Maiori ſub illius imagine in pariete depicta ſubſcriptio ſic habet:* S. FELIX EPISCOPVS DE HESPELLO, *&* SPOLETII *quoque in Eccleſia Cathedrali antiqua illius imago cum eadem inſcriptione viſitur.* Quod & repetit in *Topograh. SS. fol. 62.* Sed quis non videt hominis eruditi futilem perſuaſionem? Picturæ inſcriptiones opponit atteſtationi authenticæ, & literis ſynodalibus inuentionem Corporis S. FELICIS Epiſcopi, & Martyris continentibus ad Sixtum V. Pont. Max. miſſis. Cui ergo credet eruditio, inſcriptioni ad libitum poſitæ, ſine teſte, vel traditione; aut euidenti, & corporali S. Martyris collocationi? Ergo Eccleſia *Heſpellenſis* in ſua deuotione ſine noſtri præiudicio perſiſtat, & nos ad vlteriora pergamus. Acta Noſtri Martyris Epiſcopi periêre, illa ex *Luitprandi* relatione texemus.

Pro Spalitanis Vaſconibus Scriptores.

Interfuit Concilio Iliberitano.

Expenduntur rationes Eccleſiarũ Spoletinæ, & Heſpellenſis, quibus reſpondetur.

ACTA S. FELICIS EPISCOPI ACCITANI in Bætica, & Martyris Spalitani in Vaſconibus; ex Luitprando.

Origo.

FELIX *origine* Hiſpanus, *qui eius interuentione meritorum, & ob luculentam doctrinæ, & virtutum copiam Epiſcopalem* Accitanam *Cathedram fuit adeptus. Cuius tempore cùm Imperatorum Diocletiani, & Maximiani per totius* Hiſpaniæ *circulum perſecutionis extenderetur procella, quâ Chriſti aſſeclæ varijs cruciatuum agonibus, ad martyrium properabant inuicti, & Eccleſiaſticarum legum decreta, canonúmque volumina quærebantur aſſiduè, conuênit, vt fidelibus, aduerſus tantæ tyrannidis faſcinationem, amuletum conficeretur à Patribus, ſic pharmacis ſalutaribus abſolutum, vt penitus Catholicorum conſtantia, Gentilium eluderet maleficia. Hinc illud celebre abs Catholicis Epiſcopis Notionale* Illiberitanum *fuit inductum* Concilium, *quo & Eccleſiaſtica reformaretur diſciplina, & Chriſticolis per canonum efficaciam, & virtutem, ad pericula ſuſtinenda roboraretur ſpiritus. Conuênit autem in vnum Sanctorum Præſulum coadunata voluntas, & electâ* Illiberitanâ *apud Bæticos vrbe, ibidem Epiſcopalis eſt congregata confeſſio. Omnibus* FELIX Accitanus *præfuit Epiſcopus, cui ideo omnes tantum detulerunt honorem,*

Epiſcopus Accitanus.

Præfuit Cõcilio Illiberitano.

&

Digitized by Google

& propter ipſius celebre in operationibus teſtimonium, & propter illuſtre in virtutibus nomen, inſignem in populos charitatem, & innumeras in prudentia, & ſcientiarum cognitione lucubrationes. Expletis ergo Concilij canonibus, in publicum redactis, & fidelibus notis, fama per occiduos Batica circulos diffunditur, quòd Dacianus impius Imperatorum miniſter, Præſidis titulo ex Gallia *in* Hiſpaniam *aduerſus Catholicos dilaberetur intreptdus, eo conamine obteſtans, ſe igni, ferróque omnes Eccleſias, Chriſtianum nomen, legis volumina, & eius aſſertores penitus vaſtaturum. Cui vt occurreretur malo, inter Patres conuenit, vt ad confirmandos totius* Vaſconiæ *ad* Pyrenæi *iuga* Hiſpaniæ Celtiberos *populos in fide*, S. FELIX Accitanus *proficiſceretur Antiſtes. Qui protinus ſe accingens ad commiſſum opus, Pyrenæi culmina penetrans, feruenti ſpiritu populos fidem edocens, ad* Spalitanam *acceſſit vrbem Catholicus Eccleſiaſtes. Ibidem Daciani iuſſu comprehenſus, eo quod Chriſti verbum prædicaret inuictus, poſt continuata ſupplicia, gladio cædente, martyrij palmam adeptus eſt,* XV. Kalend. Iunij, *Anno Domini* CCC. I. *Cuius ſacra pignora à Diſcipulis ſepulta, poſtmodum tempore Sixti V. Pont. Max. ex humili eruta, ad honoratiorem locum tranſlata ſunt.*

Mittitur ad confirmandos Vaſcones.

Comprehẽditur & coronatur.

In hiſce ACTIS illud probandum venit, quòd S. FELIX fuerit Epiſcopus *Accitanus*, & præeſſet *Concilio Illiberitano:* Et licet hæc propoſitio communis ſit, attamen Dextri *in Chron. Ann.* 300. vbi P. Biuar. *n.* 5. *fol.* 319. illam auctoritate fulciamus: ILLIBERI *in Batica* (inquit) *Concilium multorum Epiſcoporum contrahitur; præeſt* FELIX *Epiſcopus* Accitanus. Hinc colliges, & notabis, quatenus S. FELICEM nequaquam fuiſſe Epiſcopum *Spalitanum*, ſed *Accitanum* in *Batica*, hodie GVADIX. Aſt quia in vrbe *Spalitana* in *Pyrenæis* conſummauit agonem, ideo *Spalitanus* vocitatur ab omnibus.

An Epiſcopus Spalitanus?

HINC etiam controuerſiam cum *Ferrario* ſedabis, qui ſuum S. FELICEM *Heſpellenſem*, vt ex Inſcriptionibus, & picturis liquet, Epiſcopum *de Heſpellas* tantum ſine martyrio conſignat. Noſter verò non Epiſcopus *Spalitanus*, ſed *Accitanus*, & martyrio coronatus inſpicitur; ideo ab illo diuerſus cenſendus.

Ferrario ſit ſatis.

SPALIS. Vrbs vetuſta in *Vaſconibus* ad iuga *Pyrenæi*, è cuius nomine SPALENSES, ſiue ISPALENSES Populos in Hiſpania Citeriori Plin. *lib.* 3. *c.* 3. enumerati de quibus etiam apud Dextr. *in Chron. Ann.* 308. mentio ineſt. Abrah. Ortellius *in Geograph.* P. Biuar. *vbi ſuprà, Comment.* 2. *num.* 6. *fol.* 367. & Roder. Car. *fol.* 117. *lit. Y.* ſitum penitus ignorant. Ego, ſi coniecturis eſt dandus locus, ex ſitus à *Dextro* deſcripti conſignatione, & nominis ſonitus conſeruatione, crederem hanc vrbem fuiſſe in *Vaſconibus Nauarræ*, vbi hodie inuiſitur Cœnobium *in Ronca-Valle*, S. Saluatori dicatum, circa Oppidum *Burguienſe*, quod Cœnobium adhuc dicitur HVRDA-SPALENSE. Huius Monaſterij meminit S. Eulogius *in Epiſt. ad VVilifind. Pampilonenſ.* vbi Ambroſ. Moral. *in eius Not. fol.* P. F. Anton. de Yep. *in Chron. Bened tom.* 4. *Cent.* 4. *c.* 2. *fol.* 75. *Ann.* 840. D. Prudentius de Sandoual *Hiſt. Pampilon. fol.* 16. Arnaldus Oihenart. *in Notitia vtriuſque Vaſcon. lib.* 1. *c.* 3. *fol.* 102. & 103. qui merito *Ambroſium Moralez* reprehendit, ex eo quod hoc *Hurda-Spalenſe* Cœnobium cum *Hurdaxenſe* confundit, provt & fecit *Yepius*, Moralem inſecutus. Ex quibus, meo iudicio, ſitum SPALIS antiquæ in *Pyrenæis* agnoſces.

Topographia.

TRANSLATIO S. ANTONINI *Martyris Pallentini.*] Sancta Eccleſia *Pallentina* hoc die feſtum repetit TRANSLATIONIS ſacrorum pignorum S. ANTONINI Martyris; ſed à quo loco, ad quem hæc TRANSLATIO facta fuerit, nec illa aperit in Lectionibus, nec Scriptores antiqui eius res geſtas recenſentes exprimunt. D. Franciſc. Sandoual. *in Diſcurſ. Apologet. pro S. Antonino.* §. 8. *fol.* 67. & 68. credit anamneſin huius TRANSLATIONIS non *Hiſpanicam* apud *Pallentiam*, ſed *Gallicam* apud *Apamiam*, eſſe; hoc eſt quando Corpus S. ANTONINI origine *Galli*, apud *Apamiam* in *Gallia* paſſi, ex Templo antiquo apud flumen *Aregiam* ſito, in Baſilicam *S. Martini* tranſlatum eſt. Quod vt probet, verba *Breuiarij Pallentini* in hac feſtiuitate *Lect.* 2. recitari ſolita, huiuſmodi recenſet: *Glorioſi Martyris* ANTONINI *Patroni Noſtri triumphale martyrium Eccleſia alio tempore potiſſimùm celebrat; at hodie eius ſanctiſſimi Corporis colimus* Tranſlationem.

B. *Nulla mentio in Lectionibus Pallentinis de loco, & tempore huius Tranſlationis.*

Sententia Sandoualy Canonici Pallentini.

Depoſitum namque fuerat primum iuxta flumen Aregiæ, *vbi paſſus fuit, ſed creſcente poſtea fidelium deuotione, in Baſilicam* S. Martini *prope flumen ædificatam tranſlatum eſt. Cùm autem proceſſu temporis, fluminis eiuſdem impetus Eccleſiam inuaderet, placuit Religioſis Viris in tutiori loco nouam Eccleſiam ædificare, in qua* Reliquias S. Martyris, *cum Corporibus SS. Martyrum Ioannis, & Almachij Sociorum, qui cum eodem paſſi ſunt, honorificè collocarunt.* Ex quibus verbis liquet hoc feſtum in *Pallentina* Eccleſia fore repetitum, non propter *Reliquias S. Martyris* ſuſceptas, & ex Gallia *Pallentiam* tranſlatas, quia de hoc altum ſilentium apud ipſam, ſed ob *Tranſlationem* ſacrarum exuuiarum factam de vna Baſilica ad aliam in *Gallia* tempore *Caroli Calui*, Anno DCCC. LXXXVII. vt refert Guillelmus Catell. *Hiſtor. Occitan. c. 15. tit.* du Pamies *fol.* 319.

Nulla Gallia Reliquias obtinlit Pallentinis.

Hæc Tranſlatio euênit in Gallia.

SED quæres: *Vt quid* S. E. Pallentina *illius Galli Martyris Tranſlationem recolit?* Cui Quæſito breuiter reſpondemus. Fuit in *Vaccæis Hiſpaniæ* vrbs, cuius nomen TELA, ſeu PAMIA, cui ſucceſſit PALLENTIA in Sede Epiſcopali, in illa martyrium conſummauit S. ANTONINVS ipſius Vrbis accola, tempore Diocletiani Imperatoris, in cuius Martyris honorem tempore Gothorum extructa fuit celebris Baſilica apud *Pallentiam*, & in eius ſacrario recondita fuêre ſacra illius lipſana. Sed poſtmodùm eueniente *Hiſpaniæ* excidio per Sarracenorum manus, Vrbs, Eccleſia, & Martyris memoria ſub ruinæ ſtrage ſepulta iacuerunt, ad Annum DCC. XIV. Aſt regnante in Caſtella SANCTIO cognomento MAIORI, *cùm fuiſſet magnus venator* (verba ſunt Roderici Palentini de Reb. Hiſp. 3. p. c. 25.) *aprum ſequutus eſt, vſque in Eccleſiam* S. ANTONINI, *quæ tunc in quadam ſylua nemoroſa ſita erat. Nec eo tempore aliqua populatio, nec Eccleſia Cathedralis ibi erat. Cùm verò aper ad Altare S. Martyris confugiſſet,* Sanctius *Rex conatus eſt illum venabulo percutere, ſed propter irreuerentiam ſacri Templi, &* Reliquiarum B. Martyris, *diuino flagello percuſſus, illicò obriguit brachium eius, nec potuit beſtiam percutere. Rediens igitur ad ſe, & proſtratus apud Altare, tandem precibus B. Martyris, vires brachij fuere ſibi reſtitutæ; ipſéque Eccleſiam mirificè ædificauit, & opulenter ditauit, atque in Cathedralem erigi obtinuit, & ciuitatem* Pallentinam *readificare, & populare incæpit.* Quod factum eſt, ſecundum veriorem opinionem, Anno M.XXXII. Cùm ergo temporum lapſu illius ſeculi eruditiores ANTONINI Martyris *Hiſpani*, cui olim in ipſa vrbe *Pallentina* Baſilicam extruxêre Gothi, Actorum ſeriem penitus ignorarent, euênit, vt *Noſtri Martyris* ignoratione ſuppreſſi, Gallum ANTONINVM, Anno DCC.LXXI. martyrio in *Gallia* coronatum, Patronum eligerent, omiſſo proprio, & hoc nullâ aliâ ratione moti, niſi quòd *Noſtrum*, vt antiquiorem ignorarunt, & *Gallum* vt recentiorem, abſque temporum ſunt diſcretione complexi. Nam quo pacto potuit ANTONINI *Galli* Eccleſia Gothorum ævo ſubſiſtere, & in eius Sacrario iſtius Martyris ſacrum Corpus adſeruari, ſi nondum erat natus? Ergo antiquorum Capitularium errore ducti ſequentes, prætermiſſo *Noſtro*, imò *Suo* proprio, & vetuſtiſſimo Patrono, & homopolo Martyre, exterum, alienum, & extraneum ſibi vindicare præſumunt; & hoc tantâ contentionis inſtantiâ, quòd cum *D. Franciſcus de Sandoual*, Abbas S. Saluatoris, & S. E. Pallentinæ Canonicus ſuum Capitulum ab errore contracto, antiquorũ Capitularium ignoratione, editâ eruditiſſimâ Apologiâ pro S. ANTONINO *Hiſpano*, vetuſtiſſimo S. E. Pallentinæ Patrono, diuellere conatus eſſet, nequaquã eos perculit tantus veritatis aculeus. Denique cognito per præſentes Capitulares huius meæ lucubrationis ſtatu, illius S.E. Capitulum *Abbati de la Banza*, in eadem Eccleſia Canonico, tunc temporis in hac Curia degenti, cõmiſit, quatenus mihi aliquot chartophylaciorũ volumina MSS. à ſeipſis exarata monſtraret, vt à *D. Franciſci de Sandoual* opinione recederem. Quibus viſis, & pẽſatis, prorſus in eorum ſententiam incidere recuſaui; quia ibidem tot inaudita, & ab hiſtoricâ veritate aliena penitus inueni, quòd pro rationis compulſus inſtantiâ *Defenſorium* ſcribere ſim coactus. Cuius apices, cùm *Abbati de la Banza* Capituli Pallentini Commiſſario dicerem, & cum eo conferrem, res fuit ad Arbitros remiſſa, & electus vnicè *D. D. Antonius Calderon*, S.E. Toletanæ Canonicus, Sereniſſimæ Infantis Hiſpaniæ Magiſter, omnia vtriuſque partis fundamẽta perlegit, diſcuſſit, & euiſcerauit, & pro Noſtro S. ANTONINO ſententiam tulit, quã prorſus reſpuit Capitulum, itavt in ſuo ſenſu perſiſtens, antiquorum errorem amplectitur.

Ratio huius feſti apud Pallentinos.

Error Capituli Pallentini in veneratione alieni Martyris, poſthabito proprio.

Vt ab errore deſiſteret Iudex Arbiter nominatus.

Qui pro me ſententiam dixit, at illam reſpuit Capitulum.

Sed

Digitized by Google

Sed quia huius rei ſymbola *Tom.5. Die 11. Septembr. infrà* recenſebimus,ideo conſultò ab hac controuerſia ceſſare compellimur.

NVNC feſtum TRANSLATIONIS, vt noſtri inſtituti eſt, reaſſumentes, probare conabimur, RELIQVIAS in Sacrario *S. E. Pallentina* ſeruatas, nequaquam potuiſſe è *Gallia* transferri. Probatur PRIMO ex ipſo *Sandoualio:* Eccleſia Pallentina, nec in Officio ſui Patroni ANTONINI Martyris *Galli*, nec in eius antiquo Breuiario die *11. Septembris*, nec in eius TRANSLATIONE, hoc die,nec in codicibus,& auctographis vetuſtis MSS. probat,quo tempore BRACHIVM,& SCAPVLA præfati Martyris, quæ hodie in Sacrario ſeruantur, in *Pallentinam* Eccleſiam aduecta,ſeu tranſlata fuêre; nec de hac TRANSLATIONE indicium, memoria, aut ſcriptura poteſt inueniri: ergo hæc TRANSLATIO nequaquam de RELIQVIIS *Sancti Martyris Galli* cenſenda eſt. Antecedens probatur: Nam ſi in Antiquo Officio, nec vlla Lectio huius TRANSLATIONIS identitatem ſignificans ineſt, quin potius in Rubrica dicitur, *quòd de* Tranſlatione *recitetur, vt in die*; ergo nec olim, nec nunc *S. Eccleſia Pallentina* aliquid de iſta *Tranſlatione Reliquiarum* authenticum agnouit; quia ſi agnouiſſet, dubio procul in *Lectionibus* huius feſtiuitatis inſeruiſſet. *Probationes quibus dignoſcitur Reliquias non fuiſſe ex Gallia tranſlatas. I. Ratio.*

SECVNDO probatur, nam ſi hæc TRANSLATIO fuiſſet introducta in *Officio Pallentino*, ob inuectas Sacras RELIQVIAS, & tranſlatas ex *Gallia* in *Hiſpaniam*, hoc eſt ex vrbe *Galliæ Apamiæ*, ad Ciuitatem *Hiſpaniæ Pallentiam*, huius *Tranſlationis* ſeriem in Lectionibus huius feſtiuitatis antiqui, & vetuſti Breuiarij Pallentini conſarcinatores radicitus explicarent; hoc omittunt,& tantùm cauſam *Tranſlationis* Corporis S. Martyris *Galli* ex Baſilica S. Martini ad nouam Eccleſiam compaginant; ergo hæc ſolemnitas Officij ad Tranſlationem RELIQVIARVM in *Pallentino* Sacrario ſeruatarum minimè reſpicit; nec iſta fuit intentio Capitularium Breuiarium Antiquum colligentium. Hoc & liquet ex *Lect.* 2. ſuperiùs relata,cuius verba dedimus. *II. Ratio.*

TERTIO probatur, quia ſacræ *Reliquiæ* quæ in Sacrario *Pallentino* venerantur, continent *Brachium Dextrum* cum eius *Scapula*, vt probat Sandoual *d.§.8. fol.69.col.* 2.Hanc Reliquiarum partem cum Capite integro S.ANTONINI *Galli*,Dei miniſterio,Angeli Aquilarum formam ſuſcipientes *Feſto* cuidam *Regulo* perduxerunt,vt inquiunt iſtius Martyris Acta in antiquis *Hiſpaniæ Legendarys:* ergo *Reliquiæ* repoſitæ in Sacrario *Pallentino* nequaquam eſſe poterunt illius *S. Martyris Galli*. *III. Ratio.*

QVARTO probatur, nam vt multi ex Scriptoribus *Pallentinis* fatentur, hæc ſacra lipſana iam tempore *Gothorum* in ipſa *Baſilica Pallentina* iacuêre, vt ex *Archidiaconi Pallentini* verbis in Libell.de *Antiquit.Eccleſ.Pallent.*§.12.liquet,cùm ait: *Templum* Pamienſi *Martyri* ANTONINO *dicatum fuit, cui & olim ſacrum fuerat,vſque ad Hiſpaniæ excidium; quod fuit Anno* DCC.XIV. (*etiam deſtructâ ciuitate, & fidelibus diſperſis*) *in quo ſeruatum fuit Altare huius glorioſi Martyris cum eius* RELIQVIIS *ſacris, inter infidelium cateruas.* Intentum augeat D.Rodericus de Areualo Epiſcopus Pallentinus *de Reb.Hiſpan. d.3.p.c.25.* hac clauſulâ: *Cum verò aper* (loquitur de miraculo Regis Sanctij) *ad Altare S. Martyris confugiſſet*, Sanctius *Rex conatus eſt venabulo illum percutere, ſed propter irreuerentiam ſacri Templi, &* RELIQVIARVM *S. Martyris, diuino flagello percuſſus, illicò obriguit brachium eius.* Canonicus Arze *in Antiquit.S.E.Pallent.*§.1. progrediatur vlteriùs, aſſerens: *Vtraque autem Vrbs,& Eccleſia paulo poſt Annum Domini DCC. ſub Sarracenica illa grauiſſima,& omnium atrociſſima clade funditus corruerunt. Baſilica tamen in honorem* S. ANTONINI *Regij Martyris erecta*, RELIQVIIS *adhuc ſuperſtitibus, vbi & Martyris memoria, honóſque, & conſtructum ibidem Altare, inter medios Chriſtiani nominis hoſtes, diu perſeuerauit.* Alia poſtmodùm ingerit *Sandoualius*, quæ vt prolixiora dimittimus. *IV. Ratio.*

HIS, & aliis argumentis reſpondere conantur recentiores illius Capituli anteſignani,dicentes,quòd S. ANTONINVS Martyr,ſub cuius tutela dicata eſt Eccleſia Pallentina,martyrium compleuit tempore *Theodorici* Gothorum,& Toloſatum Regis,circa Annum CCCC. L. qui tunc apud *Apamiam*,cuius erat ciuis, coronam accepit;quâ temporum extenſione,euaneſcunt argumenta à *Sandoualio* in contra- *Capituli Pallentini Reſponſio.*

Digitized by Google

rium adducta, maximè illa quibus probare nititur, S. ANTONINVM *Pallentinæ* Eccleſiæ Patronum in eadem vrbe Baſilicam habuiſſe tempore *Gothorum*, & in eius Sacrario ſacra recondita fuiſſe pignora. Aſt cùm hæc tergiuerſationis inſtantia à Capitularibus non probetur, quid vltra, ſi hæc & ſimilia confingant? Cæterùm quia dato, & non conceſſo quòd vera Capituli fuiſſet aſſertio, in peiorem incideret errorem Eccleſia, ideo quòd coleret Sanctum prorſus incognitum, nec in Romano Martyrologio notatum, & quòd magis eſt ſymbolo canonizationis deſtitutum. Patet, quia cùm apud Scriptores *Hiſpanos*, & *Gallos* duo tantum ſint Martyres ANTONINI *Apamia*, ſeu *Pamiæ* paſſi, alter tempore Diocletiani ad Annum CCC.VIII. alius tempore *Pipini* ad Annum DCC. LXXI. & neutrum admittat, imò vtrumque reſpuat Eccleſia *Pallentina*; à fortiori ſequitur, *Tertium*, quem proponit, nec adhuc cognitum, nec in Martyrologio conſcriptum, nec titulo canonizationis inueniri donatum. Non obſtat Officij noua reformatio ab ipſis Capitularibus coagulata, & à Pontifice approbata: Quia cùm ſit hiſtorialis narratio, quæ paſſim fallibilis eſt, haudquaquam ex illa reformatione, & approbatione argumentum ſumitur, ad tenendum, ipſam reformationem, etiam Pontificiâ auctoritate vallatam, eſſe fidei articulum, maximè ſi ab hiſtoriça veritate diſcedit. Quòd ſi non, vt quid Eccleſiæ *Pallentinæ* Capitulum contra omnium Eccleſiarum *Galliæ*, & *Hiſpaniæ* placitum, & traditionem contendere nititur, S. ANTONINVM ſuæ Baſilicæ Patronum, nequaquam eſſe illum celeberrimum Martyrem ſub *Diocletiano*, nec illum inſignem ſub *Pipino* paſſos, quorum Eccleſiæ *Gallicana*, & *Hiſpana* tutelam piis contentionibus ambiunt? Fortè *Pallentina* melioribus auris enauigabit Eccleſia, in eius Officio promens Martyrem à nemine cognitum? Sed quia de hoc, ſuo loco prolixiùs agemus, ideo ab eius proſecutione abſtinemus.

Cui opponitur defectus identitatis Martyris illius à Capitulo intruſi.

Reſpõdetur reformationi officij à Capitulo facte.

C. INVENTIO Imaginis Deiparæ PINNÆ FRANCIÆ.] De hac admirabili INVENTIONE integrum Libellum ſcripſit Conuentus Prædicatorum illius rupis, & eius nomine *F. Andreas Tetilla* Prior, Salmanticæ excuſum Anno M. DC. XLVI. Eius memoriam repetunt P. F. Ioann. Mariet. *Hiſt. SS. Hiſpan. lib. 6. c. 39. &* 40. P. Anton. Belinghen *in Kalend. Marian. h. d. fol.* 168. Georg. Coluener. *in Kal. Mart. tom. 1. h. d. fol.* 354. Spinellus *de Templis Deipar. n.* 61. Ex quibus hanc ACTORVM ecphraſim ſubiiciemus.

Scriptores.

ACTA INVENTIONIS SACRÆ IMAGINIS B. MARIÆ Virginis de Rupe-Franciæ in confinio diœceſis Ciuitatenſis, & aliarum in Hiſpania.

Simonis Rolandi patria.

VENERABILIS *quidam homo nomine* SIMON ROLANDVS *ex vrbe* Pariſienſi *in* Gallia *oriundus, patrem habuit* Rolandum, *& matrem* Barbaram, *ex nobili proſapia progenitos, diuites, & Dei timoratos, qui ex eorum coniugio etiam, extra* SIMONEM, *aliam habuerunt filiam,* Oppidam *nomine, quæ pòſt Nobili Viro* Paulo Brabantio *extitit copulata.* SIMON *verò in cælibatu perſiſtens, ex eo quòd haud induſtrius in rebus eſſet agendis, ita vt mundana hæc prorſus deſpiceret, licèt meliori aurâ cæleſtia meditaretur peritus, nam corde in obſequio Dei verſabatur, & animo ſimplici homo erat ſine querela. Eius cùm parentes cognoſcerent ingenij caliginem, ad literarum rudimenta illum applicuerunt, in quibus addiſcendis per Quinquennium deſudauit* SIMON, *ſed fruſtra, nam vix in toto hoc tempore ad illarum apicem peruenit. Ad Grammaticam, & Logicam poſtmodùm perdiſcendas acceſſit, ſed in vtraque facultate nec proficiens, cùm rudis eſſet, penitus eruditionem deſeruit. Hinc parentibus iam vitâ defunctis, & ad domum ſororis Oppidæ tranſlatus, ibidem nihil niſi in frequentia deuotionum peregit, donec Oppidâ ſorore, & Paulo leuiro è viuis ſublatis, patrimonium in pauperes, & in Eccleſias diſtribuere conſtituit. Quo facto, annum agens Quadrageſimum primum, in Monaſterio Tertij Ordinis Sancti Franciſci, nullo Religionis habitu ſuſcepto, aliquandiu*

Studia.

Digitized by Google

aliquandiu vixit, ſed ſemel atque iterum per quietem diuinitus eſt admonitus, vt in Gallicæ rupe verſus Occidentem, DEIPARÆ *imaginem ſtudiosè perquireret. Quo accenſus monitu, patriâ relictâ, per totam* Galliam, *Imaginem per Quinquennium quæritans, nec inueniens, in* Hiſpaniam *ad* S. IACOBVM *in* Compoſtella *peruenire decreuit, vbi voto ſoluto,* Salmanticam *profectus, ibidem aliquandiu commoratus, Deiparam Virginem impenſiùs orabat, atque obteſtabatur, vt ſibi* Rupem Gallicam, *vbi tandem locorum eſſet, certo aliquo indicio declararet.* *Admonetur vt Imaginem B. Virginis quærat.*

HAVD *ita multo pòſt carbonarij cuiuſdam ſigna, & aliorum reſponſa ſecutus, cùm ad eam* Rupem, *ſyluamquè peruenisſet, lætabundus, poſt preces illic enixè effuſas, per ſomnium oblata eſt ei Dei-Genitricis ſpecies, Filium geſtantis in vlnis, ac multo lumine circumfuſæ, quæ iuſſit ſuam ex eo loco effoſſam imaginem in ſummo montis apice collocari, ac ibidem Templum erigi præcepit. Itaque Anno noſtræ ſalutis* M.CCCC.XXXIV. *ætatis ſuæ* XLVII. *die* XIX *Maij, Feria IV. quorundam hominum ope adiutus, Imaginem effodit, effoſſámque in tuguriolum quoddam ex lignis raptim, ac ſubito excitatum, intulit, & repoſuit. Verùm tot, támque diuina miracula illic edi continuò capta ſunt, vt tribus duntaxat exactis menſibus, in Ædiculam, iuxta Deiparæ præſcriptum, in editiſsimo montis faſtigio extructam Imago ſit collocata: & tandem miraculis quotidie magis increbreſcentibus, ei* Templum *conſtructũ eſt, & à* Ioanne II. *Caſtellæ Rege Ordini Prædicatorum attributum.* SIMON *verò qui* VELA *cognomentum accepit Hiſpanicè, ob vigilias ad* S. Imaginis *aras aſſiduas, anno ætatis ſuæ* LIII. *ad præmia, vt par eſt credere, immortalitatis admiſſus. Cuius corpus in veneratione habitum, in maximo Sacello prope Altare vbi repoſita eſt ſanctiſsima Deiparæ* Imago, *ſepultum eſt.* *Inuenit.* *Conſtruitur Monaſterium.*

Hæc ſunt ACTA ad huiuſmodi INVENTIONEM ſpectantia, provt illa relati Scriptores recenſent: & addit *Libellus* de hac Inuentione *à P. Tetilla* euulgatus 1. *p. c.* 6. Quòd ante decennium quædam puella ex Oppido de *Sequeros* oriunda, hanc ipſam *Inuentionem* fatidica prædixerat.

RVPIS-GALLICA. Mons eſt præruptus in terminis Epiſcopatuum Ciuitatenſis, Salmanticenſis, & Caurienſis, quorum fines lambit, ſed ab vniuſcuiuſque exemptus iuriſdictione, nulli paret. Hic Mons à radice ad ſupercilium continuis ſaxorum verrucis ſeſe in altum extollentibus, & pyramidis in ſpeciem eleuantibus ſcatet, ita vt, ſi callem quæ ad Templum dirigit, amiſeris, vix locum vbi pedem figas inuenies. Hodie dicitur PEÑA DE FRANCIA in *Extremadura* limitibus conſiſtens, in cuius maioris Rupis vertice *Templum Regale*, vbi miraculoſa *Imago Deiparæ*, quæ totius *Hiſpaniæ* miraculorum frequenti admiratione terminos occupat, cuius rei teſtes ſunt innumera claudorum, paralyticorum & aliorum ægrotantium, qui à B. Virgine-Matre ſanitati reſtituti ſunt, ſalutis ſpolia. Quorum catalogum ſi legere cupis, adi *Tetillam.* *Topographia.*

VICTORIÆ AVRANIENSIS Feſtiuitas.] Celebris in *Toletanæ* Eccleſiæ ſacris *Tabulis* huius repetitio annua feſtiuitatis: Cuius meminêre hoc die Philip. Ferrar. in *Catal. General. SS. fol.* 206. Ludouicus Marmor. *Hiſtor. Afric. tom.* 2. *lib.* 5. *c.* 28. Aluarus Gomez. *de Rebus Geſt. Franciſci Ximen. lib.* 4. Auctor Primat. Tolet. *tom.* 2. *p.* 3. *c.* 31. *fol.* 913. Gundiſalu. de Illeſcas *in Hiſtor. Pontifical. tom.* 2. *l.* 6. *c.* 23. § 2. Omnia eruditè deſcripſit in peculiari Libello *Gundiſaluus Ægidius* hero[1]co carmine. ACTA ex *Gomezio* per compendium ſubiiciemus. D *Scriptores.*

HISTORIA AVRANICÆ EXPEDITIONIS; ex Aluaro Gomezio Toletano ſynopticè ſcripta.

POST *illam illuſtrem* Malſaquibiranam *victoriam, quam* Didacus Fernandus à Corduba, *Vir ſpectatæ virtutis, & prudentiæ,* Hiſpaniæ *Regibus dedit Catholicis, inſtante, & expendente* Illuſtriſſimo D. D. F Franciſco Ximenio de Ciſneros, *Archiepiſcopo Toletano, S. R. Ê. Presbytero Cardinali, & totius Hiſpanicæ ditionis Generali Inquiſitore: illicò iſte ſanctiſsimus* *Marſalquibir capitur.* *Occaſio belli, & Auctor.*

Purpuratus Dei ſeruitio, & Religionis Catholicæ propagandæ zelo, ad maiora capeſſenda accinctus, ad expeditionem AVRANICAM *in Africa, item manum, & animum extendens, innumeris difficultatum, & contrariorum motibus deuictis, milite inſtructo, copiis paratis, ad* Carthaginis Spartariæ *portum deuênit. Ibi claſſem inſtruxit, quæ Octoginta actuariis nauibus, Decem maximis triremibus, quas Regias* Galeras *vocãt, cõſtabat, præter multa nauigia minora, & ſcaphas maioribus ſeruientes. In his autem Decem Millia peditum, equitum verò Quatuor Millia, & lixarum, calonúmque numerus neceſſarius vehebantur. Poſtridie idus Maij ventum ſecundum nacta claſsis eſt; quare ſublatis anchoris, horâ fermè diei tertiâ è portu* Carthaginis *ſoluens, poſtridie eius diei, multâ iam nocte, in Africam ſecundis auris appulit Cardinalis. Claſsis cùm ſub meridiem à Mauris ſpiculatoribus viſa eſſet, omnia montium cacumina, ſigno ex arce dato, quæ* Facis *appellatur, fumare cæpêre, & Cardinalis eſt portum ingreſſus,* Marſalquibirano *Præfecto recipiente. Obtexerant iam omnia eraſſæ tenebræ, cùm fuit Archiepiſcopo nuntiatum, claſſem vniuerſam ad eundem portum ſaluam appuliſſe, & hoſtes eſſe magnopere conterritos, noſtrorum virtutem, & audatiam demirantes; maximè videntes qualiter noſtri locis ignotis, & hoſtilibus, per noctis caliginem ſeſe committerent; tantáque animorum præſtantiâ, non expectatâ luce, neque ſtationibus exploratis, portum tamen tenuiſſent. Mirum ſanè fuit, naues ſibi inuicem vicißim cladi non fuiſſe, dùm portûs angußtias, nocte illuni, ſubirent, altera in alteram impingente. Per totam illam noctem Cardinalis ſomnum non cepit, ſed ſolicitus in anchoris manens, ſingulis, quod poſtero die faciendum eſſet, per partes diuiſit. Comiti* Petro Nauarro, *cui totius exercitus imperium commiſerat, eius diei victoriam commendauit, qui vt imperatorem optimum decebat, forti ſermone, cunctos ordines ad prælium incendebat. Multi verò ex ducibus, eius alloquio, fiduciâ pleni, lucem non eſſe expectandam exiſtimabant; ſed inprimis Archipræſul, cui omnis mora, non modo longa, & grauis videbatur, ſed ſuis conatibus impedimento, & damno eſſe. Itaque inter omnes conuénit, quòd quoniam plurimùm momenti ad victoriam haberet prærupti cliui occupatio, qui inter* Auranum & Portum *inſurgere videbatur, de media nocte irruendum eſſe putabant; dum nihil tale hoſtes timebant, & præſidium in cliuo poſitum negligentiùs cuſtodiebatur. Nec eſſe* Numidarum *multitudinem expectandã, qui vigiliarum ignibus admoniti, ante auroram omnes illos colles eſſent præoccupaturi. Interea actuariis Nauibus, & Triremibus per oram maritimam, ad vrbem accedendum eſſe, vt eodem tempore, tormentis è nauibus* Auranum *quateretur, & præſidium è cliuo deturbaretur. Neceſſe enim eſſe, vt dum vni rei ſuccurrere laborabant, alteram deſtituerent; quare alterutram capi oportere. Sed poſtquam pedites omnes è Nauibus ante lucem egredi cæpiſſent:* Nauarrus, *incertus, quo conſilio, ſcaphis, & cymbis ablatis, quibus equi erant traiiciendi, oram legens ad Auranum contendit. Hic nunquã probauerat, claſſem tàm numeroſo equitatu onerari: eſſe enim ardua, dicebat, & difficilia loca, nihilquè minùs, quam equitatui apta. Ergo animi ſui ſententiam ſecutus, de egreßione equitum, vt parũ neceſſariâ, nunquam curauit, ſed vniuerſis nauigiis arreptis, eorum ad vrbem ſpecie, terrorem hoſtibus inicere voluit. Id poſtquam Cardinali renuntiatum fuit, exiſtimans* Nauarrum, *vt imperij æmulum, in ſuam id contumeliam feciſſe, indignabundus ex arce, quò ſe ad curandum corpus receperat, ſubitò exiliit, & equites quamprimùm, quâ ratione fieri potuit, egredi iubet, atque ad auxilium peditibus ferendum vrget. Ne quid tamen à mari, aut à tergo ex vallibus, quæ ad prærupti collis radices profundiſſimæ iacent, detrimenti Noſtris accideret (eſt enim gens Punica inſidioſa, & fraudulenta) oræ maritimæ, & vallium faucibus præſidium appoſuit. Hac cura, & diligentia plus exercitui ſalutis, & auxilij ad victoriam attulit, quàm cæteri omnes, dùm ſtrenuè pugnabant. Poſtea enim compertum fuit, complures ex Mauris in inſidiis collocatos fuiſſe, qui nihil hoſtile, ea de cauſa tentare ſunt auſi. Quod niſi Præſul prudentißimo conſilio cauiſſet, pauci ex hoſtibus repentè noſtros adorti, magnum terrorem inopinantibus*

Claſſem inſtruit.

E Carthaginenſi ſolvit portu.

Comes Petrus Nauarrus Dux.

Equites è nauibus egrediũtur.

Digitized by Google

nantibus,& perniciem intuliſſent. Multum alacritatis,& animi,præſentiâ ſuâ exercitui eo die Ximenius *attulit:nam è* Marſalquibirana *arce ſuorum caterua ſtipatus, cum ad portum egrederetur, nouitate, & inſolentiâ ſpectaculi ducum animos, & militum perculit. Neque enim imperatorem ſuum ſplendenti clypeo, aut caſside ex chimæra ignes vomente formidabilem intuebantur, ſed Pontificalibus veſtibus indutum, ſacerdotibus, & religioſis Viris ex vtroque latere ſtipatum,& Cruce argentea pro vexillo præeunte, quam* Algora *Canonicus Seguntienſis ex officio geſtare ſolebat. Igitur horâ fermè diei ſextâ omnis peditatus in quatuor agmina per Tribunos Militares diſpoſitus, totam illam planiciem occupabat, quæ ante arcem* Marſalquibiranam *eſt. Sed quia hæc die veneris patrata erant,nec quidquam præter carnes in eſculentis erat, Præſul ſtrenuus,militi facultatem carnes edendi dedit:qui poſtquam cibo refectus eſt, Cardinalis in medio omnium poſitus, illos in hunc modum alloquitur:*

Oratio Præſulis.

Si exiſtimarem,Hiſpani Viri,fortibus animis, vllis verbis,aut neceſſitudinibus fiduciam addi, haud ego vos in præſentia,homo parum ad loquendum inſtructus, & in caſtrenſi vita nunquam verſatus alloquerer; ſed vnus aliquis ex veſtris ducibus prodiiſſet, quem, & eloquentiâ præſtare, & vobis beneuolentiâ, & laborum communione coniunctum eſſe intellexiſſem. At ſatis mihi perſuaſum eſt, vos omnes ad hanc Africanam expeditionem inflammatos eſſe, in qua & Dei Opt. Max. cauſa agitur,& Reipublicæ conſeruatio vertitur;Quid autem Religioni,&Patriæ omnes debeamus,neminem veſtrûm arbitror ignorare;cùm bellum ſacrum geramus, vbi pro aris, & focis pugnatur. *Hæc & alia ob oculos ſtrenuis militibus ponens, aciem procedere iubebat,ſéque militibus comitem dabat. Cuncti præſulis oratione mirum in modum incitati circumſtetere, orantes vt pugnâ diſcederet, ipſiſque prælij periculum committeret:eam enim operam Religioni, & Reipublicæ nauaturos ſe, ardentibus ad pugnam animis indicantes, vt ipſum ſuſcepti negotij nunquam pæniteret. Ceſſit communibus omnium precibus Cardinalis, atque ætatis, & perſonæ ſuæ memor, in Petrum Nauarrũ eam curam reiiciens,in* Marſalquibiranam *arcem ſe recepit:ſacram ædiculam ingreſſus, quæ* D. Michaeli *dedicata eſt, in genua procumbens,paſſis manibus,in cælũ intentus,multis lachrymis Deum precabatur, vt ſuis Chriſtianis præſidio eſſet.* Nauarrus *verò,vt ingentem Maurorum,& Numidarum multitudinem colles occupaſſe vidit, ne Noſtri quos maritimi æſtus, & labor eius diei laſſauerant, impares in congreſſu eſſent,timuit: belli autem principio parum proſperè noſtris ſuccedente, fiduciam, & vires hoſtibus auctum iri non dubitabat. Quare ſecum deliberare cæpit,an in poſterum diem conflictum differret,intereáque hoſtes in timore contineret;an alacritatem militum ſecutus, tandem de ſumma belli eo die decerneret. Animi itaque dubius ad Cardinalem redire decreuit,eius ſententiam antequam quidquam tentaret,rogaturus. Is experientiſſimi Imperatoris dubitatione permultùm commotus, neque quid conſuleret ſatis certus,cum ſe collegiſſet:* In hac (*inquit*) Vir fortiſſime,pugna,Chriſtus ſummi Patris Filius,& ſeductor Maurorum Machometes in certamen deſcendunt; omnem cunctationem non ſolum damnoſam, ſed impiam eſſe arbitror. Quare omni depoſitâ formidine,milites tuos,vt cum hoſte manum conſerant iubeto: certa enim mihi ſpes eſt, te hodie victoriam magnâ cum laude reportaturum. *Diuinum id potius oraculum,quàm vllius hominis conſilium fuiſſe, quæ ſunt poſtea inſecuta declararunt:niſi enim eo die pugnatum fuiſſet,* Auranum *capi non poterat. Ergo* Nauarrus *ad exercitum reuerſus, qui in Quatuor agmina quadrata erat diuiſus, quorum ſingula bis mille & quingentis militibus conſtabant, ſibi vnum agmen aſciuit, quo per omnes partes diſcurrens, cæteris laborantibus auxilio eſſe poſſet.Tormenta bellica,quæ Cardinalis diligentiâ, ſimul cum equitibus in tanta feſtinatione,è nauibus educi potuerunt,puluere tormentario,reliquiſque apparatibus inſtructa, ſubſequi iuſſit. His ad hunc modum conſtitutis, tubis claſſicum concinentibus, & omnibus* IACOBVM *diuum Hiſpaniæ Tute-*

Nauarrus dubitat de congreſſu.

Agmina diuidit.

tam; aut à IACOBO Noſtro Hiſpaniarum Apoſtolo, aut ab eius Diſcipulis, licèt de eius fundatione primæua adhuc non conſtet. Quidquid ſit, hoc die eius DEDICATIONIS feſtiuitas quotannis peragitur pompa celeberrima. Ipſius Præſulum Catalogum hic ſubiicere, & moris noſtri neceſſitas perſuadet, & debiti mei penſum dubio procul conſtringit.

CATALOGVS EPISCOPORVM
Sanctæ Eccleſiæ Cordubenſis in Batica Hiſpaniæ.

I. SEVERVS huius nominis I. Epiſcopus Cordubenſis I. cui ſanctiſſimus Dionyſius Pont. Max. Epiſtolam ſcripſit, facultatem concedens, vt ſeruato ordine Eccleſiaſtico, circa Parœciarum formam quæ ſunt peragenda diſponat, vt ex *c. Nemini*, 15. *q.* 1. liquet. Eius memoria ad Annum Domini CC. LXX. 270.

II. OSSIVS huius nominis I. Epiſcopus Cordubenſis II. interfuit Concilio Iliberitano, vbi eius canones ordinauit. Pòſt Conſtantino Imperatori adhæſit. Eccleſias toto Orbe ædificari curauit, præcipuè in Hiſpania S. Helenæ expenſis, cui chariſſimus fuit. Præeſt Concilio Nicæno, & Symbolum Miſſæ componit. Sanctè moritur. Cuius feſta dies, vti de Confeſſore Pontifice ab Eccleſia Syriæ celebratur. Obiit Anno CCC. LX. ætatis ſuæ C. X. cum à S. Syluestro Pont. Max. feſtum Exaltationis S. CRVCIS celebrandum popoſcerit. 360.

III. AGIDIVS huius nominis I. Epiſcopus Cordubenſis III. qui cùm primùm Priſcillianum hæreticum perſequeretur, pòſt illi adhæſit. Eius memoria ad Annum CCC. LXXX. 380.

IV. GREGORIVS huius nominis I. Epiſcopus Cordubenſis IV. qui in eius Eccleſia Martyrologium Sanctorum primus decantari præcepit: quam conſuetudinem in poſterum Vniuerſalis Eccleſia recepit. Eius memoria ad Annum CCC. XC. 390.

V. S. ISIDORVS huius nominis I. Epiſcopus Cordubenſis V. cognomento *Senior*, in diſcrimen Hiſpalenſis. Scripſit in Libros Regum IV. Volumina, *quæ Paulo* dedicauit *Oroſio*. Item alia ſuper Acta Apoſtolorum, & ſuper Euangelia. Eius memoria ad Annum CCCC. XX. 420.

VI. STEPHANVS huius nominis I. Epiſcopus Cordubenſis VI. interfuit Concilio Romano V. tempore Symmachi Pontificis maximi ad Annum Domini D. IV. 504.

VII. AGAPIVS huius nominis I. Epiſcopus Cordubenſis VII. ex milite effectus; interfuit III. Concilio Toletano; & I. Hiſpalenſi ad Annum Domini D. XC. qui Corpus *S. Zoili* diuinâ reuelatione ieiuniis interpoſitis inuenit. 590.

VIII. ELEVTERIVS huius nominis I. Epiſcopus Cordubenſis VIII. interfuit Concilio, quod Toleti congregatum fuit Anno Domini D. XCVII. 597.

IX. HONORIVS huius nominis I. Epiſcopus Cordubenſis IX. interfuit Concilio II. Hiſpalenſi ad Annum DC. XIX. 619.

X. LEVDIFICVS huius nominis I. Epiſcopus Cordubenſis X. interfuit Concilijs IV. VI. & VII. Toletanis. Eius memoria ad Annum Domini DC. XLVI. 646.

XI. EVFORVS huius nominis I. Epiſcopus Cordubenſis IX. interfuit Concilio VIII. Toletano ad Annum DC. LIII. 653.

XII. HELECA huius nominis I. Epiſcopus Cordubenſis XII. ex Diacono Hiſpalenſi, quem *S. Heladius* Toletanus Antiſtes, vt Primas Hiſpaniæ, miſſum à *S. Iſidoro* Hiſpalenſi, in Concilio depoſuit: obiit circa Annum DC. LIX. vt teſtatur Iulianus Archipresbyter in *Chron. ad Annum* 659. *n.* 312. *fol.* 70. 659.

XIII.

Digitized by Google

XIII. MVMVLVS huius nominis I. Epiſcopus Cordubenſis XIII. interfuit Conciliis XIII. & XV. Toletanis ad Annum Domini DC. LXXXVIII. 688.

XIV. ZACHEVS huius nominis I. Epiſcopus Cordubenſis XIV. interfuit XVI. Concilio Toletano. Poſt eueniente Sarracenorum in Hiſpaniam exercitu, à Sede pulſus, cum aliis Sarandulam oppidum Vettoniæ aufugiens, ibidem gladio Arabum occubuit Martyr, Anno Domini DCC. XIV. 714.

Hucvſque memoria Præſulum Cordubenſium, *vſque ad Annum* M.CC.XLVIII. *quo* Ferdinandus *Rex cognomento* SANCTVS, *expulſis Sarracenis, vrbem ſuo dominio viriliter adiecit: licèt non dubitem, ipſo tempore Sarracenorum, etiã Præſules habuiſſe, etſi eorum ignoremus nomina, cùm conſtet ex Actis S. Eulogij, fuiſſe ſuo æuo Reccafredum Epiſcopum, cuius maleuolentiâ S. Martyr carceribus mancipatus fuit. Hinc etiam animaduertendum duximus*, M. Ægidium Gonzalez *in ſuo Catalogo horum Pontificum* Cordubenſium *MS. quem* Tom. 4. Theatri *in lucem edere parat, conſignare poſt* Stephanum *VI. Epiſcopum* Cordubenſem, *quendam* HIGINIVM *ipſius Eccleſiæ Præſulem, auctoritate Iuliani Archipresbyteri* in Aduerſar. n. 553. fol. 128. *ſed abſque ratione hiſtorica, quia ſi adhæſit Priſcilliano, qui vixit ad Annum* CCC. LXXX. *quo pacto illum conſignat Annis Domini* D. *Crederem mendum irrepſiſſe in Codice edito* Iuliani, *& loco* AGIDINI *quem III. Epiſcopum ſupra poſuimus*, HIGINIVM *reposuit editor, confundens hos Præſules. Nunc ad aliorum Epiſcoporum ſeriem veniamus.*

XV. D. GVTERIVS huius nominis I. Epiſcopus Cordubenſis XV. interfuit obſidioni vrbis Hiſpalenſis cum Rege Sancto, quem comitatus eſt, quando vrbem ipſam ingreſſus eſt: nec non in deditione Gienij, in cuius Eccleſia primam celebrauit Miſſam. Eius memoria ad Annum Domini M. CC. XLVIII. 1248.

XVI. D. LVPVS huius nominis I. Epiſcopus Cordubenſis XVI. Eius memoria ad Annum M. CC. LIV. 1254.

XVII. D. PASCHALIS huius nominis I. Epiſcopus Cordubenſis XVII. ex ipſa Eccleſia Canonicus. Xenodochium in ipſa vrbe conſtruxit, in quâ obiit, circa Annum M. CC. LXXX. 1280.

XVIII. D. ÆGIDIVS huius nominis I. Epiſcopus Cordubenſis XVIII. Cuius memoria ad Annum M. CC. XCV. pertingit. 1295.

XIX. D. GVTERIVS huius nominis II. cognomento *Meſa*, Epiſcopus Cordubenſis XIX. cuius memoria in Priuilegiis Regum ad Annum M. CCC. XXXV. 1335.

XX. D. MARTINVS huius nominis I. Epiſcopus Cordubenſis XX. Eius memoria in Priuilegijs Regum ad Annum M. CCC. LXX. 1370.

XXI. D. ANDREAS huius nominis I. Epiſcopus Cordubenſis XXI. Eius memoria in Priuilegiis Regum ad Annum M. CCC. LXXIX. 1379.

XXII. D. IOANNES huius nominis I. cognomento *Pantoxa*, Epiſcopus Cordubenſis XXII. cuius memoria ad Annum M. CCC. LXXXIX. 1389.

XXIII. D. ALFONSVS huius nominis I. Epiſcopus Cordubenſis XXIII. cuius memoria ad Annum M. CCC. XCVI. 1396.

XXIV. D. FERDINANDVS huius nominis I. cognomento *Meſa*, Epiſcopus Cordubenſis XXIV. adhuc in viuis erat Anno M. CCCC. XXVIII. 1428.

XXV. D. GVNDISALVVS huius nominis I. cognomento *Vanegas*, Epiſcopus Cordubenſis XXV. cuius memoria ad Annum M. CCCC. XXXII. 1432.

XXVI. D. SANCTIVS huius nominis I. Epiſcopus Cordubenſis XXVI. cuius memoria ad Annum M. CCCC. XLIX. 1449.

XXVII. D. F. GVNDISALVVS huius nominis II. cognomento *Illeſcas*, Epiſcopus Cordubenſis XXVII. ex ordine S. Ieronymi, Caſtellæ

Digitized by Google

ſtellæ Gubernator: Obiit Anno M. CCCC. LXIV. 1464.

XXVIII. D. TELLVS huius nominis I. cognomẽto *Buendia*, Epiſcopus Cordubenſis XXVIII. ex Archidiacono, & Canonico Toletano: eius memoria ad Annum M.CCCC.LXXX. 1480.

XXIX. D. F. ALFONSVS huius nominis II. cognomento *Burgos*, Epiſcopus Cordubenſis XXIX. ex ordine Prædicatorum, pòſt Conchenſis, & demum Palentinus; in cuius Sede perſiſtens, Collegium S. Gregorij in vrbe Valliſoletana conſtruxit: Obiit Anno M. CCCC. XCIX. eius tranſlatio ad Eccleſiam Conchenſem Anno M. CCCC. LXXXII. 1482.

XXX. D. FRANCISCVS huius nominis I. cognomento *Sanchez de la Fuente*, Epiſcopus Cordubenſis XXX. ex Toletano Inquiſitore, pòſt Abulenſis Præſul, & S. Cruciatæ Commiſſarius, obiit Anno M. CCCC. XCIX. 1499.

XXXI. D. IOANNES huius nominis II. cognomento *Rodriguez de Fonſeca*, Epiſcopus Cordubenſis XXXI. ex Archidiacono & Canonico Hiſpalenſi Pacenſis Præſul, pòſt Palentinus, deinde Burgenſis ex Cordubenſi ad Annum M.D. V. cum titulo Præſidis Regij Indiarum Conſilij. Ad eum facetè ſcripſit *Epiſtolam* 39. Epiſcopus Mindonienſis: Obiit Anno M. D. XXIV. 1505.

XXXII. D. IOANNES huius nominis III. cognomento *Daza* Epiſcopus Cordubenſis XXXII. qui primò fuerat Ouetenſis, pòſt Carthaginenſis, & Supremi Senatus Præſes, obiit Anno M.D.X. 1510.

XXXIII. D. MARTINVS huius nominis II. cognomento *Angulo*, Epiſcopus Cordubenſis XXXIII. ex Archidiacono Toletano, Valliſoletanus Præſes, deinde Carthaginenſis Præſul: Obiit Cordubæ vbi ſepultus iacet, Anno M. D. XVIII. 1518.

XXXIV. D. F. IOANNES huius nominis IV. cognomento *Toledo*, Epiſcopus Cordubenſis XXXIV. ex ordine Prædicatorum; pòſt Burgenſis, & S. R. E. Cardinalis, demum Archiepiſcopus Compoſtellanus: Obiit Anno M. D. LVII. & è Cordubenſi tranſlatus Anno M. D. XXXVII. 1537.

XXXV. D. ALFONSVS huius nominis III. cognomento *Manrrique*, Epiſcopus Cordubenſis XXXV. ex Canonico Toletano, Scholaſticus Salmantinus, pòſt Epiſcopus Pacenſis, ac demum Archiepiſcopus Hiſpalenſis, S. R. E. Cardinalis, & Hiſpaniæ Generalis Inquiſitor: Obiit Anno M. D. XXXVIII. 1538.

XXXVI. D. INIGVS huius nominis I. cognomento *Manrrique*, Epiſcopus Cordubenſis XXXVI. S. R. E. Cardinalis, qui cùm Romanam ſequeretur Curiam, ibidem obiit Anno M. D. XL. 1540.

XXXVII. D. LEOPOLDVS huius nominis I cognomento *Auſtria*, Epiſcopus Cordubenſis XXXVII. obiit Anno M. D. LVII. Cordubæ, & in eius Eccleſia ſepultus iacet. 1557.

XXXVIII. D. DIDACVS huius nominis I. cognomento *Alaua Equiuel*, Epiſcopus Cordubenſis XXXVIII. primò ex Præſide Granatenſi, & Valliſoletano, Aſturicenſis Præſul, deinde Abulenſis: Obiit die XVII. Martij, Anno M. D. LXII. 1562.

XXXXIX. D. F. BERNARDVS huius nominis I. cognomento *Fernandez de Freſneda*, Epiſcopus Cordubenſis XXXIX. ex ordine Minorum, Philippi II. Regis Catholici Confeſſarius; hinc Epiſcopus Conchenſis, demum Archiepiſcopus Cæſarauguſtanus: Obiit Anno M. D. LXXVII. cùm nondum hanc Sedem vidiſſet. 1577.

XL. D. CHRISTOPHORVS huius nominis I. cognomento *Roxas*, Epiſcopus Cordubenſis XL. primò Epiſcopus Ouetenſis, deinde Pacenſis, demum Archiepiſcopus Hiſpalenſis, ad quam fuit tranſlatus

tranſlatus Anno M. D. LXXVIII. obiit Anno M. D. LXXX. 1578.

XLI. D. F. MARTINVS huius nominis III. cognomento *Cordoua*, Epiſcopus Cordubenſis XLI. ex Ordine Prædicatorum, primò Dertoſanus, pòſt Placentinus: obiit Anno M. D. LXXXI. 1581.

XLII. D. ANTONIVS MAVRICIVS huius nominis I. cognomento *Pazos*, Epiſcopus Cordubenſis XLII. primò Epiſcopus in Sicilia, pòſt in Hiſpania Abulenſis, Caſtellæ Præſes, obiit Anno M. D. LXXXVI. 1586.

XLIII. D. FERDINANDVS huius nominis II. cognomento *Vega* & *Fonſeca*, Epiſcopus Cordubenſis XLIII. ex Canonico Carthaginenſi, S.G. Inquiſitionis Conſiliarius, pòſt Rationum Regalium Præſes, pòſt Indiarum: obiit Anno M. D. XCI. 1591.

XLIV. D. IERONYMVS huius nominis I. cognomento *Maurrique*, Epiſcopus Cordubenſis XLIV. ex Salmantino Præſule, licèt obierit abſque poſſeſſione Anno M. D. XCIII. 1593.

XLV. D. PETRVS huius nominis I. cognomento *Portocarrero*, Epiſcopus Cordubenſis XLV. ex Canonico Hiſpalenſi, Valliſoletanus Senator, Gallæciæ Regens, Caſtellæ Conſiliarius, S. G. Inquiſitionis à conſiliis, S. Cruciatæ Commiſſarius, Epiſcopus Calagurritanus, & Generalis Hiſpaniæ Inquiſitor: obiit die XX. Septembris, Anno M. D. XCIX. 1599.

XLVI. D. FRANCISCVS huius nominis II. cognomento *Reynoſo*, Epiſcopus Cordubenſis XLVI. ex Magiſtro Cameræ Sanctiſſimi Pontificis Pij V. Archidiaconus *Sepulueda* in Eccleſia Segobienſi, pòſt Toletanus, pòſt Abbas *de Vſillos* in Palentina: Vir vndequaque perfectiſſimus, pietate celebris, ſanctitudine conſpicuus, eleemoſynarum diſpenſatione ſingularis, Literatorum amator, propriarum ouium cognitor, Eccleſiarum zelator, omnium Parens, & Munificus largitor; obiit Cordubæ, die XXIII. Auguſti, Anno M. DC. I. 1601.

XLVII. D. PAVLVS huius nominis I. cognomento *Laguna*, Epiſcopus Cordubenſis XLVII. ex Archidiacono *de Cuellar* in Eccleſia Segobienſi, Prior *Portus-Regalis*, Granatenſis Senator, Caſtellæ Conſiliarius, & S.G. Inquiſitionis, Regalium Rationum Conſilij Gubernator, & Regij Indiarum Præſes, obiit Madridij die XXX. Iulij Anno M. DC. VI. 1606.

XLVIII. D. F. DIDACVS huius nominis II. cognomento *Mardones*, Epiſcopus Cordubenſis XLVIII. ex Ordine Prædicatorum Philippo III. Regi Catholico à ſacris confeſſionibus: obiit Anno M. DC. XXIV. 1624.

XLIX. D. CHRISTOPHORVS huius nominis II. cognomento *Lobera*, Epiſcopus Cordubenſis XLIX. ex Canonico Placentino Abbas Leramæ, Epiſcopus Pacenſis, deinde Oxomenſis, pòſt Pampilonenſis, hinc Cordubenſis, poſtmodum Placentinus, & demum Archiepiſcopus Compoſtellanus electus: obiit die XXI. Octobris Anno M. DC. XXXII. & eo ipſo Anno tranſlatus ad Placentinam ex Cordubenſi Sede. 1632.

L. D. IERONYMVS huius nominis II. cognomento *Ruiz de Camargo*, Epiſcopus Cordubenſis L. ex Canonico Magiſtrali Abulenſis Eccleſiæ Ciuitatenſis Præſul, pòſt Caurienſis, fuit in Hebraicis, & Græcis literis conſummatiſſimus: obiit die III. Ianuarij, Anno Domini M. DC. XXXIII. 1633.

LI. D F. DOMINICVS huius nominis I. cognomento *Pimentel*, Epiſcopus Cordubenſis LI. ex Ordine Prædicatorum, primùm Oxomenſis Præſul, deinde Cordubenſis, demùm Archiepiſcopus Hiſpalenſis, quâ Sede dimiſsâ purpurato Galero donatus, S.R.E.

Digitized by Google

S. R. E. Patribus coaptatur, Cordubenſem Sedem reliquit, Anno M. DC. XLIX. 1649.

LII. D. F. PETRVS huius nominis II. cognomento *Tapia*, Epiſcopus Cordubenſis LII. ex Prædicatorum ordine Segobienſis, pòſt Seguntinus, deinde Cordubenſis, demum Anno M. DC. LII. Hiſpalenſis Archiepiſcopus inauguratus; adhuc viuit. 1652.

LIII. D. IOANNES FRANCISCVS huius nominis V. cognomento *Pacheco*, Epiſcopus Cordubenſis LIII. ex Decano, & Canonico Gienenſis Eccleſiæ, & Philippi IV. Regis Catholici Cortinæ Subminiſtro, ad hanc S. E. Cordubenſis inſulam meritò euocatus, per tranſlationem ſui Illuſtriſſimi Deceſſoris, adhuc in viuis eſt.

Hactenus Catalogus Præſulum *Cordubenſium*, in quorum conſignatione *M. Ægidij Gonzalez Davila* Regij Chronographi ecphraſim ſumus inſecuti; licèt aliquando ab ea diſcedere compellimur, ob interuerſam annorum ſtruem, contra hiſtoricæ veritatis rationem. Cætera, quæ hic de Actis horum Pontificum deſiderantur, apud ipſum pete *Tom. 4. Theatr. Eccleſ. Caſtell.* quem adhuc MS. ſub limæ ferula corrigit.

QVARTODECIMO KAL. IVNII.

DIES XIX.

A. *Apud* FIRMVM *Piceni Italiæ perantiquam vrbem, depoſitio ſacrorum pignorum* B. BERTERAGMI *Monachi Auguſtiniani, natione* Hiſpani, *qui è patria diſcedens, vt liberiùs cœleſtem quæreret, ibidem monaſtico mancipatus famulatu, virtutibus, & miraculis admirabilis, depoſito carnis tegmine, glorioſam in cœlis chlamydem induit æternitatis.*

B. TARRACONÆ *in Hiſpania celebris eſt feſtiuitas Tranſlationis Brachij* S. THECLÆ *V. & M. ipſius vrbis Conciuis, & Patronæ; quod ex Armenia Iacobo II. Aragonum Rege efflagitante protractum eſt, & honorificè in Cathedrali collocatum Eccleſia.*

NOTÆ.

BEATVS BERTERAGMVS Confeſſor Monachus.] Olim in Fratrum Eremitarum Auguſtinianorum apud Firmum *cœnobio*: de huiuſmodi Sanctiſſimo Confeſſore fuere Officium, lectiones, & hymni in Breuiariis. Nunc quotannis eius ſacrum, populis deuotè concurrentibus, Corpus oſtenditur; cuius interuentu innumera Deus ægris impartitur beneficia. Eius Acta ſcripſit *Thomas de Firmo* S. Theologiæ Lector, S. Viri ſynchronos, quæ hactenus periêre. Quidquid dixero, à RR. P. M. F. Thoma de Herrera in *Alphabet. Auguſt. lit. B. fol.* 98. mutuatus ſum, eique ſunt dandæ grates, qui tantum Confeſſorem *Hiſpaniæ* patriæ reſtituit. A. *Scriptores.*

Digitized by Google

ACTA S. BERTERAGMI MONACHI Auguſtiniani Confeſſoris; ex RR. P. M. F. Thoma Herrera.

Origo. B. BERTRAMVS *natione* Hiſpanus, *genere nobis incognitus, meritis cœlo notus, cùm ex* Hiſpania *metallis auri, & argenti diuite, ſed tot Sanctorum inæſtimabilibus margaritis ditiore, in Italiam Presbyter ſecularis veniſſet, & pluribus annis in Hoſpitali* Firmano *deuotiſſimè, & ſanctiſſimè miniſtraſſet, ab Anno* M. CCCC. LII. *vt Deo arctiùs, & fortunatiùs inhæreret, in Conuentu* Auguſtinianorum *eiuſdem vrbis, militiæ* Auguſtinianæ *nomen dedit. Ibi poſt multos annos pœnitentiæ, & perfectiſſimæ vitæ, cum magna opinione Sanctitatis de deſerto huius mundi ad Ieruſalem cœleſtem anno* M. CCCC. XC. *clarus miraculis tranſmigrauit. Manet tamen B. Viri celebris memoria; eiuſque meritis Deus plura opem implorantibus confert beneficia. Feria III. in Pentecoſte, eius* Corpus *deuotis populis, quotannis ſolemniter oſtenditur: & adhuc extant Hymni Eccleſiaſtici in eius honorem, qui non leuiter indicant* BERTRAMVM *ante reformationem* Breuiarij, *cultu publico diuini Officij à Fratribus honoratum. Quos ad perpetuam S. Viri memoriam ſubijcimus.*

Eremita Auguſtinianus.

Moritur.

Miracula.

IN VIGILIA B. BERTERAGMI ad Veſperas. Hymnus.

FIrmana *tellus iubila,*
Hiſpaniæ, *qua munere*
Ditaris, pellens nubila
Iam lucis orto ſydere.
Sydus micans ſacra reddit,
BERTERAGMVS *compendia*
Vitæ, verbo clarus pandit
Beata nobis gaudia.
Hoc gaude turba pauperum
Sub Auguſtini *notula,*
Tota pelluntur ſcelerum
Nox, tenebræ, & nubila.
Nam vt nubila prodigus
Lucis illuſtrat radius;
Sic ſuis dat ſuffragijs
Diuinum lumen cordibus.
Hunc nuntium in latice
Antro profuſum Numinis
Pſallentem alit myſticè
Splendor paterni luminis.
Lumen relucens ordine
Patris Doctoris prouidi,
Extollitur iam agmine
Ad cœnam agni prouidi.
Per te Pater cum Filio
Conſolatórque Spiritus,
A criminum contagio
Nos hic emundet funditus. Amen.

AD NOCTVRNVM, HYMNVS.

PAngat *Regi cœleſtium*
Chorus melos lætitiæ,
Qui BERTERAGMO *præmium*
Æternæ dat militiæ.
Dum iſte Chriſto militat,
Vincendo ſe non vincitur;
Sic contra hoſtes dimicat
Qui bello non concutitur.
Nouus Colonus ponitur
In Auguſtini *vinea,*
Qua culta, dum recolitur
Surgit vbertas dulcior.

Oppreſſis

Digitized by Google

Oppreſsis à languoribus
Sacra impendit ſtudia,
Cæcis, effuſis precibus
Pius donat ſuffragia.
Alliſos à dæmonijs,
Voto ſalutis, excutit;
Sic facto vota ſtudio
Confert, cùm virtus ſuppetit.
Patri, Nato, Paraclito,
Decus, honor, & gloria,
Sint BERTERAGMI *merito*
Nobis æterna gaudia.

AD LAVDES, HYMNVS.

ATholeta Chriſti colitur
BERTERAGMVS *Eccleſiis,*
Qui multis iam prouehitur
Miraculorum radijs.
Artus reuirent aridi,
Vſus naturæ redditur,
Vouent ſalutis cupidi,
Et morbus omnis pellitur.
Nam morbum, Lupam nomine
A collo roſo abijcit,
Ao phreneſim in flamine
Sacro pro voto deijcit.
Addamus ergo precibus
Preces, qui nunc faſtigio
Polorum gaudet ſedibus
Nos iuuet in exilio.
Patri, Nato, Paraclito,
Decus, honor, & gloria, &c.

Hactenus RR. P. in ſuo *Alphabeto*. Quid addam penitus ignoro, quia licèt Philippum Ferrarium in *Catalogo Generali*, & in *Memoriali Sanctorum Italiæ* conſului, ab aliiſque Italiæ Scriptoribus, ſcilicet *Leandro Alberto*, *Vghellio*, & *Caetano*, aliquid, vt mihi de iſto S. Viro ſuppeditarent, expetiui; nec nomen penitus ab illis dignoſcere potui. *Italorum Scriptorum obliuio.*

FIRMVM, ſeu FIRMIVM vrbs olim celebris in *Picenis*, & Romanorum Colonia, totiúſque *Piceni* caput. Strabo, Mela, & Appianus, illam FIRMVM appellitant: Ptolemæus autem, & Procopius *lib.* 2. & 3. *de Bell. Goth.* ipſam FIRMIVM vocitant; & *Plinius* eorum accolas FIRMIANOS nominat. T. Liuius in enumeratione XVIII. Coloniarum, quæ Populo Romano ſubſidia bello Punico II. dedêre, hanc conſignat vrbem. Eius memoriam repetit Facius *lib.* 3. *Cant.* 2. his carminibus: *Topographia.*

In dies meum iter continuando,
Vidi Aſculum, FIRMVM, *& Ricinetum,*
Anconem, Fanum, Ariminum, & Vrbinum.

Ciuitas eſt Archiepiſcopalis, quæ FERMO dicitur, alia, quoad ſitum, ab antiqua, vt notauit Leander Albert. in *Deſcript. Ital. Region.* 13. *verb. Picenum fol.* 423. vbi plura de ea.

TRANSLATIO BRACHII S. THECLÆ.] Huius feſtiuitatis diem alij in antecedentem, alij in præſentem reiiciunt, quia *Eccleſia Tarraconenſis* die Dominico poſt Pentecoſtem V. conſueuit hoc celebrare feſtum. Illius Eccleſiæ, & ciuitatis erga S. THECLAM deuotio ex eo emanare viſa eſt, quia ab vrbe, & Eccleſia, ab antiquiſſimis eſt ſeculis electa in *Patronam*; licèt adhuc illius Præſules, & Ciues maiorem non agnoſcerent inſpectionem, quam retulit Luitprand. *Aduerſ.* 46 Qui in *Aduerſ.* 47. aſſerit: *Anno Tertio* Siſenandi *ſub* Audace *Tarraconenſi Pontifice*, Arca *per mare Mediterraneum, Angelo duce, deuecta eſt* Tarraconem *cum parte Corporis* S. Theclæ V. & M. *Diſcipulæ S. Pauli, cùm inſcriptione intus reperta, quæ ſignificabat hoc. Anno* DC. XXXIII. *excepta eſt cum ingenti gaudio Præſulis, & Ciuium: & re ſcripta, per Epiſtolam ab Audace Præſule, Regi Siſenando, miram Hiſpaniæ lætitiam attulit.* De hac *Tranſlatione* dies proprius à *Luitprando* non conſignatur, ideo relatione contenti, ad præſentem, hoc die, factam pergamus. De *Patronæ Tarraconenſis.* B. *Scriptores.*

ea prolixè ſcripſit P.F.Anton.Vincent.Domenec *Hiſtor. SS.Cathalon. lib.* 1. *fol.*47. *col.* 2. A quo hic per compendium,quæ ad Acta pertinent,tranſcribemus.

ACTA TRANSLATIONIS BRACHII B. Thecla Virginis, & Martyris ex Armenia Tarraconem.

Iacobus Rex Aragonia Legatos mittit pro Reliquijs S.Thecla.

IACOBVS *huius nominis* II. *Aragonenſium Rex, inſtantibus Illuſtriſſimo Dom. D.* Eximeno de Luna *Archiepiſcopo , Priore , & Capitulo Ciuitatis* Tarraconenſis , *Oratores ad Armeniæ Regem dimiſit, vt aliquot* B.Theclæ *V. & Martyris concederet exuuias , pro exornanda ipſius Ciuitatis Baſilica, ipſi Virgini dedicata;ad quas conſequendas, huiuſmodi Armenum Regem epiſtola interpellauit.*

Epiſtola ad Onſimum Regem Armenia.

Illuſtri, & Magnifico Principi; amico noſtro chariſſimo *Onſimo,* Dei gratia Regi Armeniæ, IACOBVS per eandem gratiam Rex Aragonum,proſperorum incrementa ſucceſſuum cum ſalute. Serenitati veſtræ præſentium ſerie notum fiat, nouiter ex fide dignorum relatione, ad noſtrum peruenisſe auditum:Quòd Corpus B. THECLÆ Virginis & Martyris ſeu pars ipſius Corporis habetur in partibus Regni veſtri. Sanè cùm in Ciuitate Tarraconæ infra Regni noſtri limites ſituata Metropolitana Eccleſia, ſub ipſius B. THECLÆ titulo , ſit fundata ; cuius fundatio à prædeceſſoribus noſtris initium habuit ab antiquo ; anxia nos deuotionis cura ſolicitat,vt,quia præfata Metropolitana,quæ multum honorabilis eſt , quæque multis in his partibus antiquitate præfertur, adeò quòd ab eius fundatione anni M. CC. & vltra lapſi ſunt , vt certis comperitur ſcripturis, & intitulata eſt ſub prædictæ Virginis nomine;aliquæ de eius Reliquiis in præfata Eccleſia haberentur , ex quibus & noſtra,& ſubditorum noſtrorum,& cunctorum declinantium ad has partes fidelium, erga ipſam Virginem deuotio augeretur, fides reformaretur , eique honor, & reuerentia intenſiùs præberetur. Et ſi hoc vigilanter appetimus deuotè , agimus quod eſt pium , prædeceſſorum noſtrorum inſequentes veſtigia,qui piè,& deuotè antefatam Metropolitanam Eccleſiam ſub nomine, & honore præfatæ Virginis fundauerunt. Igitur Serenitatem,& charam amicitiam veſtram,præcordiali & intima affectione, prout charius poſſumus , deprecamur, quatenus ob honorem,& reuerentiam Omnipotentis Dei, ac exaltationem , & gloriam prædictæ B. THECLÆ Virginis,attento quòd nedum ad huiuſmodi reliquias in his partibus, verum etiam ad totum ipſius Virginis corpus, erga partes, vbi tumulatum quieſcit, harum partium fidelium incolarum deuotio peraugebitur, nec non ob ſpecialem noſtri gratiam, velitis,& placeat vobis de Reliquiis prædictis B. Virginis aliquam magnam partem tranſmittere , de qua nedum præfatam Metropolitanam , verum etiam alias Cathedrales Eccleſias ei ſuffraganeas ornare, & ædificare ad honorem,& exaltationem Domini Noſtri , & prædictæ B.Virginis ac deuotionem,in meritum noſtri,ac omnium fidelium,valeamus. Et ſi fortè ſub diſtrictu veſtro præfatum Corpus, ſeu eius Reliquiæ habentur, placeat Serenitati veſtræ de his procurare habere totaliter,vt cum effectu nobis,vt præmittitur,tranſmittatis , credentes , ſi libet , circa hæc, his , quæ *Simon Salzeti* ſubditus, & fidelis Noſter , lator præſentium (quem propter hoc ad veſtram deſtinamus præſentiam) duxerit verbaliter referenda. Porrò quia huiuſmodi ſanctuaria non ſic honeſtè poſſunt per laïcos,ſicut per Clericos miniſtrari,propterea duos ClericosPreſbyteros,Viros vtiquè honeſtæ vitæ,& cõuerſationis laudabilis,prædictæ Tarraconẽſis Eccleſiæ Beneficiatos,ad partes veſtras,vnà cum dicto Simone prouidimus deſtinãdos;qui prædictas Reliquias,ſub ſigillo

ſigillo veſtro, deuotè recipiant, eáſque honeſtè tractent, & ad Nos deferant ſimul cùm Noſtro Nuntio ſupradicto. Ex hoc quippe Deo, & prædictæ Virgini reddetis obſequium; & bonorum, quæ proinde ſubſequentur, operum efficiemini participes; Nóſque id vehementer habebimus placitum, & regratiabimur vobis multùm, in agendíſque vobis placidis reputabimus pro hoc ſpecialiter nos adſtrictos. Datis Barcinonæ II. Non. Septemb. Anno Domini M. CCC. XIX. *Bernardus de Fonte Mandato Regio facto per Præpoſ. Tarracona.*

His igitur Oratores Epiſtolis inſtructi, dantes vela ventis, incolumes in Armeniæ *portum latabundi ſoluentes, ad* Onſini *Armeniæ Regis pedes pronoluti, de negotio ſibi commiſſo referentes, Epiſtolam* Iacobi, *Regi humiliter tradiderunt. Qui illos benignè ſuſcipiens, & Regis Aragonum amicitiam faſſus, ipſius deuotionem laudans, de negotio cum Proceribus, & Regni Conſiliariis tractando, promittens, illos in proprium à Rege deſignatum dimiſit hoſpitium. Poſt aliquot dies, conſilio indicto,* Onſinus *Iacobi petitionem, eiúſque in armis fraternitatem, & amicitiam propoſuit, & à Proceribus, & Conſiliariis quid eſſet agendum efflagitauit. In vnum omnes conuenêre, & quòd Regi Aragonum* Brachivm B. Thecl*æ eſſet tranſmittendum, vnanimi reſpondêre ſuffragio. Hoc expleto, & aſcitis in Regis præſentiam Oratoribus, illos de deliberata in Conſilio* Brachij *B. Virginis, & Martyris conceſſione certiorauit, Qui latabundi, deoſculatis Regis manibus, domum receſſêre. Extracto demum S. Virginis* Brachio, *Onſinus (reſeruato ſibi pollice) illud aureo velamine coopertum, in argenteam recondi iußit, inſpectantibus Oratoribus, capſam; quæ poſtea clauibus obſerata, intra aliam incluſa cupreßinam, authenticis teſtimoniis vallata, Oratoribus traditur cuſtodienda. Qui acceptis literis Regiis, protinus Nauem conſcendentes, proſpero vento, Barcinonis portum intrantes,* Iacobo, *qui illic diuerſabatur, de omnibus rationem ſedulò reddidêre.*

Oratores benignè ſuſcipit Rex.

Brachium S. Virginis, & Martyris offert Iacobo.

In Hiſpanias transferunt.

Tanto ergo Iacobus *theſauro latus, poſtquam* Brachium *B. Virginis ſumma eſt deuotione veneratus, argento illud inſeri iußit, & in Salon portum tranſmiſit, demum in Goſtantin, vbi quouſque* Tarraconem *accederet, ſeruaretur. Quo expleto, tandem* Iacobus *Rex (conuocatis per epiſtolas Regni Proceribus, vt vnuſquiſque in diem literis deſignatum* Tarraconem *accederet, quò honorificentius ſanctiſſimum reciperetur* Brachium *B. Virginis) ipſam eſt ingreſſus antiquiſſimam vrbem. Quæ ſolemni apparatu, ad diem conſignatum, loca publica, per quæ Sanctæ Martyris* Reliquia *tranſportanda erat, exornata propoſuit. Igitur* S. Brachium *vrbem ingreditur, inſigni præeunte proceſſione, in qua vtriuſque ſexus accolæ, Confraternitates, Religioſi Clerici, Canonici, Nobiles, Equites, Comites, Proceres, & ipſe Catholicus Rex* Iacobus, *qui cum* Alphonſo *filio à dextris & ſiniſtris Archiepiſcopi qui in vlnis ſanctiſſimũ portabat* Brachivm, *ſub vmbella penſili aurea purpurata, cuius ſudes argenteas ferebant Infans Petrus, Comes de Prades, Armengaudis, Vrgelenſis Comes, & Vice-Comes Cabreræ ab vno latere, & ab alio Infans, Raymundus Berengarius, Comes Ampuritanus; Hugo Mataplana Comes Pallenſis, Raymundus Folch Vice-Comes Cardonæ; & Vice-Comes Rochaberti, ſumma veneratione pergebant. At vbi ad Metropolitanam eſt ventum Baſilicam, ſuper* S. Fructuoſi *Martyris Aram, repoſita* Reliquia *eſt, & Archiepiſcopus aſcitis Cæſarauguſtano, & Ilerdenſi Epiſcopis, ſacroſanctum Miſſæ ſacrificium deuotiſſimè, magna muſicæ modulatione interueniente, peregit.*

Pignora ſuſcipit honorificè Iacobus.

Qui pignora ſacra deferebant.

A quibus Miſſa Sacrificium peractum.

Nec defuêre tantæ Tranſlationis *feſtiuitati miracula: Nam Sacerdos* Raymundus Caſtellon *nomine, qui per Sexdecim annos, oculis orbatus incedebat, inuocato* S. Thecl*æ V. & Martyris nomine, & numine, protinus viſum oculorum, ſtupentibus Rege, Infantibus, Præſulibus, Proceribus, & omni plebe, recepit.*

Sacerdos cæcus viſum recepit.

Quædam fœmina, vxor Raymundi Palmer *de* Valls, *quæ per biennium epilepſia laborauerat, cùm in Eccleſiam duceretur, vt ante Aram, vbi* Reliquia *condita erat, pernoctaret, emiſſo voto, de offerendo S. Virgini, & Marti-*

Epileptica curatur.

ri ſex librarum Cereo, in eeſtaſim inuoluta, demum excitata, libera, & ſana reperta eſt. Ab incurſibus militaribus defendit S. THECLA *ſuæ iuræ Eccleſiæ: quod expertus dicitur* Petrus *huius nominis* IV. Aragonum *Rex*; Qui *diſtrahere* Tarraconenſis *Cathedralis Eccleſia poſſeſſiones cupiens, militem aduerſus eas armatum dimiſit, qui penitus omnes deuaſtauit. Quod B. Virgo, & Martyr ſacrilegium vindicauit; nam noctu Regi apparens, illi alapam inflixit, qua infauſtus Rex breui è viuis diſceſſit.*

Virgo & Martyr iura ſuæ Eccleſiæ defendit.

Hactenus TRANSLATIONIS Acta, provt illa ex antiquis monumentis Eccleſiæ *Tarraconenſis* P.F. Anton. Vinc. Domenec eruit, qui addit, illam factam fuiſſe Anno Domini M. CCC. XXIII. & conueniunt Anni cum Regno Iacobi II. qui vt aſſerit Ieronymus Zurita in Annalib. Aragon. tom. 2. lib. 6. c. 43. hoc eodem Anno erat Iacobus Rex in vrbe Tarraconæ, hac fortè occaſione inter alias, eadem Ieronym. Blanc. in Commentat. rer. Aragon. Ann. 1323. Sed nullus ex his verbum vllum de hac Tranſlatione profatur.

TERTIODECIMO KAL. IVNII. DIES XX.

A. OVETI *in Camera Sancta, vbi ille admirabilis theſaurus Corporum, & reliquiarum Sanctorum aſſeruatur: itidem* S. BAVDELII *Diaconi, & Martyris Nemauſenſis in Gallia, exuuiæ honorificè coluntur; quæ primò* Rodam, *&* Toletum *Hiſpaniæ tranſlatæ, pòſt in Maurorum ingreſſu,* OVETVM *aduectæ cum aliis fuêre.*

B. BRIXIÆ *in Cenomanis* S. ANASTASII *ipſius vrbis Epiſcopi, qui tanto ardore Catholicæ veritatis contra Arianos exarſit, vt innumerabiles Prouincias luſtraret, ob refutandas illorum impiiſſimas opiniones. Hac de cauſa in Hiſpaniam deuenit, & peragratis Valeria, Cæſarauguſta, Salmantica, & aliis vrbibus, fidem Nicani Concilij prædicans, plurimos ad illam conuertens, vt meritò Prædicator Hiſpaniæ diceretur, & Doctor, tandem in patriam reuerſus glorioſo fine quieuit.*

C. Apud CERESENSES *Hiſpaniæ populos* TRANSLATIO *ſacrorum pignorum* B. VICTORIS *Martyris, de antiquo & humili, ad illuſtriorem & ſublimem locum, inſtante* D. Ludouico de Velaſco, *Caſtellæ Comeſtabuli auunculo, & permittente* D. Ludouico de Acuña *tunc Epiſcopo* Burgenſi.

NOTÆ.

Digitized by Google

NOTÆ.

TRANSLATIO S. BAVDELII Diaconi.] Hoc die eius Natalis colitur, vt indicat *Mart. Rom. Bedæ, Vsuardi, Adonis, Fillucij, Ferrarij,* & aliorum recentiorum, à quibus Andr. Saussay in *Martyrol. Gallic. tom. 1. fol. 293.* Renat. Benedict. & Iacob. Tigeottus in *Vit. SS. Gall.* De Miraculis S. BAVDELII agit S. Greg. Turonens. *de Glor. Martyr c. 78.* Petr. de Natal. *in Catal. SS. lib. 5. c. 24.* P. F. Anton. Vincent. Domen. *Hist. SS. Cathalon lib. 1. fol. 50. col. 2.* Luitprand. *Aduers. 63.* vbi hæc formalia verba: *Reliquiæ* S. BAVDELII *Diaconi, & Martyris* Nemausensis, *sub* Iuliano *passi pro fide, delatæ sunt* Rodam, *Ciuitatem maritimam prope* Indigetes, & Toletum, *quæ post delatæ sunt in Arcam Sanctæ, Ouetum.* Hinc lucem accipiet origo deuotionis, qua hunc S. Martyrem prosequuntur *Cathalonia* accolæ, inter quos nomine S. BOY, eius festum colitur, & oppidum, & Ecclesiæ extructæ reperiuntur, vt notauit Domenec *in Summario ad ipsius Vitam.* Quia cùm aliquot S. Martyris lipsana ex *Nemausensi* extracta vrbe, in *Hispaniam* deferrentur, primò apud *Rodam* prope *Indigetes Populos*, qui ad maritimam *Cathaloniæ* partem è *Sambroca* flumine ad *Caput Crucis* protendebantur, quieuêre; vbi miraculis diuites Sanctissimi Martyris nomen, & numen *Cathalani* venerati sunt. Pòst, inquit Luitprandus, *Toletum*, demùm *Ouetum* in Arcam Sanctæ aduecta fuisse: quod verum est, vt constat ex *auctographo authentico*, cuius copiam dedimus *die XIII. Martij*, cùm de *Translatione*, & *Veneratione Reliquiarum Ouetensium* egimus, *tom. II.* Nec in Nostris antiquis *Breuiariis* deficit istius Martyris anamnesis, provt videre est in *Barchinonensi*, licèt perperam Martyrem Episcopum faciat: *Hispalensi*, in quo vxoratus inuenitur: *Abulensi*, & *Burgensi*, à quo hæc Acta recensui. A. *Martyrologia.* *Scriptores.* *Peregrinatio Reliquiarum.*

ACTA S. BAVDELII MARTYRIS, & Diaconi Nemausensis; ex antiq. Breu. Burgensi.

BAVDELIVS *qui apud* Nemausum Galliarum *vrbem passus est, cùm quadam die super caput Sancti* Eursij *Ecclesiam consecrantis, lucem cælitus effusam, & manum Domini eum benedicentis, ad martyrium quasi diuina inspiratione animatus est.* *Lect. I. Patitur apud Nemausum.*

AVDIENS *namque* Gothorum *rabiem in* Galliis *perstrepere*, Nemausum *continuò accessit, & Gentilium frequentem turbam sacrificantium, idola gentili suo ritu adorantium, intuitus, eos acerbè nimis arguere orsus est.* *Lect. II.*

SED *detentus ab eis, diru supplicijs afflictus, fustibusque cæsus, & in equuleo suspensus, cùm in fide immobilis inter omnia tormenta persisteret, nouissimè bipenni capite percussus est.* *Lect. III.*

DE *cuius Corpore lac pro sanguine manauit, & multos ægros, eodem perfusos statim sanauit. Hora etiam decollationis voces Angelicæ psallentes audita sunt.* *Lect. IV.*

CORPVS *autem à fidelibus in eadem vrbe tumulatum, & Ecclesia desuper ædificata est: de cuius tumulo laurus exorta, longo tempore perduranit, cuius foliis tacti languidi curabantur, dæmonésque ex obsessis corporibus pellebantur.* *Lect. V.*

EIVS *Reliquiarum pars in* Hispaniam *delata, primo* Rodam *prope Indigetes, pòst* Toletum, *demum in Arcam Sanctæ* Ouetum *peruenêre, vbi inter cætera Sanctorum lipsana in* Camera Sancta *honorificè seruantur.* *Lect. VI.*

Iam vides ex *Burgensi* peruetusto Acta *Breuiario*, cui VI. *Lectionem* addidimus, vt integram ecphrasin constitueremus. In hisce quinque *Lectionibus*. Primò notandum est, nomen Episcopi cõsecrantis, non *Euursium*, sed *Euurtium* fuisse, vt indicant *Saussayus, Renat. Benedict.* & Cæteri Galli Scriptores. Item notandum est, quod *Breuiarium Hispalense* Ann. 1525. illum *vxoratum* hisce verbis, nominat: *Sanctus itaque*

An vxoratus? BAVDELIVS *Nemauſenſis vrbis proprius Martyr, cum* coniuge ſua *ad habitationem vrbis Nemauſenſis, ex aliis regionibus aduenit.* Quæ prærogatiua in *Gallicis* Scriptoribus reticetur. Quid tenendum, ipſi videant. Demum Annus agonis apud omnes ſub ſilentio eſt. *P. Domenec* ſuſpicatur fuiſſe ad Annum CCCC. LII. Imperante Martiano; *Baronij Annotator* circa Annum D. XXX. contendit. Ego pro *Luitprando* ſto, qui tempore *Iuliani Apoſtatæ* Martyrem agonizaſſe deſcribit *d. Aduerſ. 63.* cuius ſuprà verba dedimus, ſicque ad Annum CCC. LXII. martyrium reiiciendum eſſe, non leuia ex Baronio *tom. 4. hoc anno n. 78. & ſequentibus*, indicia ſuadent. Et probatur ex Claudij Robert. computo, *in Gall. Chriſt. de Epiſcop. Aurelian. fol. 243.* vbi *S. Euurtium* Epiſcopum *Aurelianenſem*, quem Eccleſiam conſecrantem, & ſuper eius caput lucem cœlitus effuſam, vidit S. BAVDELIVS, infulas Aurelianenſes induiſſe refert poſt annum CCC. L. & ad annum CCC. LXXXV. pertigiſſe. Ergo fatendum eſt, hoc medio tempore Noſtrum BAVDELIVM ad martyrij peruenisse coronam; & ſi tempore *Iuliani* ad citatum annum CCC. LXII. quo *Iuliani* perſecutio exarſit.

Annus agonis?

Topographia. NEMAVSVS, ſiue NEMAVSVM Volcarum Arecomicorum vrbs, ſub Archiepiſcopatu Narbonenſi, Ciuitas Epiſcopalis apud *Ledum* amnem, inter illum, & *Vardonem*; media inter Arelatum, & Montem-Peſſulanum, hodie NYMES, vrbs clariſſima, vti antiquæ eius magnitudinis monumẽta teſtantur, in quibus Amphitheatrum adhuc, aquæductus, arcus, & ſtatuæ marmoreæ viſuntur. Inter quas hæc:

L. IVLIO. Q. F. VOL. NIGRO.
IIII VIR. AB AER. IIII VIR.
AVG. CORP. NEMAVSENS.
L. D. D. D.

B. *Martyrologia.* S. ANASTASIVS Epiſcopus, & Confeſſor.] Ex Tabulis *Eccleſiæ Brixienſis* huius Sancti Confeſſoris nomen repoſuit *Cæſar Baronius* in albo Sanctorum Eccleſiaſtico h. d. ſic: *Brixiæ* S. ANASTASII *Epiſcopi.* Ab eo Philipp. Ferrar. *in Topograph. ſacr.* & in *Catal. SS. Ital. fol.* 295. Martyrol. Caſtellan. P. Vazq. & Luſitan. ſuis idiomatibus, Petr. Galeſin. & Capreol. *in Annal. & Monum. Eccleſ. Brixienſ.* Noſter S. Marc. Maxim. *in Chron. Ann.* 612. *fol.* 221. vbi hæc verba: *Mirificè florebat memoria* S. ANASTASII *Pontificis* Brixiani, *qui contra Arianos prædicauit in Italia, in Africa, & in* Hiſpania, *præcipuè in vrbibus Celtiberiæ.* Et paulo poſt proſequitur, *Valeriæ prædicat* S. ANASTASIVS, *Libanæ, Villæ-Excuſæ, Cæſarauguſtæ, Valentiæ, Salmanticæ, & in aliis vrbibus Hiſpaniæ.* De eo adeſt memoria apud Rambertum Epiſcopum Brixienſem in *Sermon. de Tranſlat. S. Philaſtri Hiſpani.* Eius Acta licèt diminuta ſcripſit Philipp. Ferrarius *in Catal. SS. Italiæ*, ignorans B. Viri aduentum in *Hiſpaniam*, quæ abſoluta dabimus.

Scriptores.

ACTA S. ANASTASII CONFESSORIS, Epiſcopi Brixienſis, ex Philippo Ferrario, & S. M. Maximo.

Epiſcopus Brixienſis. ANASTASIVS *Epiſcopus* Brixienſis XXV. *S. Paterio ſubrogatur. Is Eccleſia Brixiana optimè conſtituta, in Africam proficiſcitur, vbi multos ad Chriſtianam, & Catholicam fidem prædicatione, & miraculis reduxiſſe fertur. Peragratâ autem magnâ Africæ Minoris parte, rebúſque in ea diuinè geſtis,* Hiſpaniam *adiit, Gothos tunc Ariani labe conſperſos ad fidei Catholicæ veritatem reducere verbis, & operationibus deſtinauit. Ad id* Valeriæ, Cæſarauguſtæ, Valentiæ, Salmanticæ, *& alibi miro fidei prædicat zelo, plurimos abiuratis hæreticorum dogmatibus ad Catholicæ veritatis firmitatem miraculosè reduxit, ex quo ſeculis futuris eius doctrinæ, & ſanctitatis memoria mirificè in* Hiſpania *floruit. Demum ad propriam rediit Eccleſiam, in qua circa* Gregorij Magni *Papæ tempora, ſiue paulo antequam ad Pontificatum aſſumeretur, multis cumulatus meritis, ex hac vita,* S. Dominico *ſibi ſuccedente, migrauit,* XIII. Kalend. Iunij. *Cuius Corpus in Baſilica Cathedrali conditũ eſt.*

Hiſpaniæ adiit.

Prædicat.

Brixiam rediit.

Moritur.

Circa

Circa tempus,quo *Hiſpaniæ* Ciuitates perluſtrauit,ſub ſilentio eſt,cùm id nõ aperiat *S. M. Maximus*. Sed ſi tempore Arianorum hic fuit aduentus,& tempore *S. Gregorij*, à fortiori ad Vvitize,ſeu Leouigildi Regum Arianis fœtoribus conſpurcatorum regnum,conſignandus eſt. Nam tunc temporis fere omnes Eccleſiarum Prælati in exilium miſſi, vix erat, qui pabulum ſacri verbi ouibus impartiretur. Ab hinc crederem, quòd hac occaſione arreptâ, S. ANASTASIVS, ex Africa,in *Hiſpaniam* traiiciens, exulum Prælatorum vices, prædicando fidelibus, & hæreticis, aſſumeret. Si ergo hoc ita ſit, eius in *Hiſpanias* aduentus deſignandus eſt ad Annum Domini D. LXXX. Quo etiam Anno, *Adnotator Marginalis* ad *Baronij Martyrologium*,eius S.Epiſcopi tranſitum annotauit. Philipp. Ferrar.in *Notula Catalogi SS. Ital. fol.* 195. reprehendit optimè *Galeſinium & Capreolum*, qui circa annum CCCC. vixiſſe S.Confeſſorem tradunt, quia ſi illi ſucceſſit *Dominicus*, & iſte ſub *Gregorio Magno* vixit, quo inquam modo anni CCCC. videre potuit exordium,cum de vno ſeculo ad aliud fere CC. anni interfluxêre. *Quo Anno in Hiſpaniam venit.*

BRIXIANVM hunc ANASTASIVM confundit P. Biuar. *in Not. ad Max. Comment. final. n.* 26. *fol.* 730. cum *Athanaſio* Monacho *Vallis-venerenſi*, de quo egimus *ſupra hoc Menſe die* III. Sed proculdubio fallitur eruditiſſimus Scholiaſtes; nam quis inter *Athanaſium*, & *Anaſtaſium* connexionem inuenit? Quis credet tot ſeculis erraſſe Benedictinos in nomine? Nouare enim abſque probationis fulcro non licet,etiam ſacræ Hiſtoriæ Primoribus; ideo abs talis erroris confutatione abſtineo. *Biuarij error.*

BRIXIA. Ciuitas antiqua in *Cenomanis* ad Alpium Rheticarum radices, de qua Strabo *lib.* 5. *Geograph.* Plin. *lib.* 3. *c.* 18. Conditam ab *Hercule* tenent nonnulli. Videndus Helias Capreolus *Antiq. Brixienſ. lib.* 1. Leand. Albert. *in Deſcript. Ital. Region.* 10. *verb.* Lombardia Tranſpadana. *fol.* 617. *Topographia.*

TRANSLATIO S. VICTORIS Cereſenſis.] Præcipuus iſtius *S. Martyris* dies natalis conſignatur ab Eccleſia *VII. Kalend. Septembris*, quo eius agonem deſcribemus. Nunc ex antiquo *MS. Codice* Hiſpanè conſcripto eius tranſlationem Latinè dabimus. C.

ACTA TRANSLATIONIS SACRI Corporis S. VICTORIS *Martyris Cereſenſis; ex MS. Codice antiquo.*

ELAPSIS *multis temporibus, poſtquam* S. VICTOR *pro Chriſti fide ad martyrij coronam acceſſit, & eius ſacrum* Corpus *in Eccleſia ſuo nomini dicata, noſcitur tumulatum; Deus eius interuentu plurima voluit perficere miracula,tàm in loco ſepulturæ,quàm in aliis circumiacentibus oppidis; quorum ſeriem retexere longum erit, quia multa ſunt geſta, & quotidie geruntur innumera, in quo tempus terere, cùm de* TRANSLATIONE *ſumus acturi, erit aliud pro alio ſumere. Anno igitur Dominicæ Natiuitatis* M. CCCC. LXVI. *die Dominica* XIII. Kalend. Iunij *facta eſt* TRANSLATIO *Sacri* Corporis *cum ingenti deuotionis affectu, & ſolemni Oppidanorum apparatu. Nam licèt ſacra pignora glorioſi* Martyris *in loco honeſto iacerent; attamen, poſtquam domus, & cœnobium, eleemoſynis piorum virorum, amplitudinem recepêre, deuotus, & multùm Magnificus Dominus* D. Ludouicus de Velaſco *omnem poſuit operam in transferendis* S. Martyris *exuuiis. Quod vt perficeret impetrauit à Reuerendo, & multùm Magnifico Domino* D. Ludouico de Acuña *Epiſcopo* Burgenſi, *licentiam,pro ſacro* Martyris *Corpore transferendo; & quia eius Dominatio actui intereſſe non poterat*, Tranſlationis *opus Reuerendo Domino* D. Eneconi *cœnobij* S. Petri Caradinenſis *Abbati commiſit. Qui aſcitis quamplurimis Eccleſiaſticis perſonis, tàm ſecularibus, quàm regularibus, Sanctiſſimas tranſtulit* Reliquias B. VICTORIS *Martyris, de loco,in quo iacebant,ad Maiorem Capellam præfati Cœnobij, quod in diœceſi* Burgenſi,*in territorio* Villæ, *quam* Velforado *dicunt, à pluribus annis conditum*

Annus Tranſlationis.

Cuius interuentu facta.

Cuius auctoritate.

Digitized by Google

conditum inuenitur. Ad huiuſmodi ergo Sanctæ Tranſlationis *actum ex omnibus proximis oppidis, ac vicis innumeræ cum ſupplicationibus, & proceſſionibus Confraternitates, cum crucibus, & inſigniis, plurimam deuotionem demonſtrantes, deuenêre. Inter alias nobiles perſonas* D. Bernardinus de Velaſco *primogenitus Comeſtabuli Caſtellæ Petri Fernandez de Velaſco*, D. Didacus Sarmiento *Comes de Salinas, &* D. Sanctius de Velaſco; *necnon* D. Maria de Mendoza, *vxor D. Ludouici de Velaſco*, D. Anna de Velaſco *eorum filia, &* D. Eleonora Oſorio, *vxor Adephonſi Diaz Bolcier, itidem iſtum cohoneſtarunt actum, quo expleto vnuſquiſque in domum ſuam reuerſus eſt. Et ego à S. Martyre veniam efflagito, propter non dignè eius contextam hiſtoriam, & Tranſlationis modum, prout eius merita, & meum expetebat obſequium. Faxit Deus Opt. Max. quòd talia in hoc mundo opera peragamus, vt tanti* Martyris *precibus ad ſuprema cœli culmina transferri mereamur, Amen.*

Nobiles Viri qui ei interfuere.

Hæc ex illo *Codice Antiquo* circa Tranſlationem S. VICTORIS deſumpſimus, in cuius relatione nihil, quod ad probationem attineat, inuenimus. Circa Epiſcopi *Burgenſis*, cuius ævo hæc ſolemnitas peracta eſt, identitatem, vide M. Ægid. Gonzal. Chronograph. Reg. *tom. 3. Theatr. Eccleſ. fol. 82.*

DVODECIMO KAL. IVNII.

DIES XXI.

A. S. VALENS *Ciuis, & Epiſcopus* Pampilonenſis *Hiſpaniæ propter Chriſti fidem, cùm viriliter, fortitérque pugnaret, carceri mancipatus, tandem cum tribus Pueris martyrium conſummauit.*

B. CORDVBÆ *in Hiſpania paſſio* S. SECVNDINI *eius vrbis ciuis, & M. qui à* Diogeniano *Diocletiani Imp. Præſide contra Chriſti cultores, tentus, & variè tentatus, vt Veri Numinis reſpueret cultum, fortiter obſtitit; & tandem poſt glorioſam verborum, & verberum palæſtram ad immarceſſibilem æternæ Vitæ palmam peruenit.*

C. *Apud* NERTOBRIGAM *in Celtiberia Hiſpaniæ*, SS. THEOPOMPI *Epiſcopi, &* SYNESII *paſſio renouatur: Quorum Ille, cùm multoties in ignem iniectus alacer, & illæſus egrederetur; à Iudice* Syneſius *Magus fuit interpellatus, vt Epiſcopum præſtringeret, quouſque ipſius necromantiam addiſceret; qui felix piæ Magiæ ſectator, & fidem agnouit, & cum Sanctiſſimo Epiſcopo cœleſtem Hieruſalem, illuſtri martyrio, adſcendit.*

D. *Prope* Carthaginem Spartariam *ad Montem* Larinum TRANSLATIO *ſacrorum pignorum* B. ADELHARDI *cognomento* GENESII *Abbatis, ex vrbe* Corbeia *Gallia, vbi*

Digitized by Google

vbi eius Sanctitas insigni mirabilium frequentiâ floret.

E. VALLIS-OLETI *in Hispania Citeriori annuo repetitur cultu, ac solemni apparatu festum* DEDICATIONIS *Ecclesiæ Cathedralis.*

NOTÆ.

SANCTVS VALENS Episcopus, & Martyr.] Eius nomen restituere curauimus in diptychis *S. E. Pampilonensis* suprà *die VII. Aprilis.* Tanti Præsulis memoriam absque consignatione Ecclesiæ repetunt *Beda, Ado, & Martyrologium Romanum* cum recentioribus, quibus conueniunt *Castellanum, Lusitanum*, & *Hispanum* P. Higuera, & Ioan. Molan. *in Addit. ad Vsuard.* Noster *Flau. Dext.* & locum insulæ, & situm coronæ manifestauit in *Chron. Ann.* 300. his verbis: *Pampilonæ* S. VALENS, *Pampilonensis Hispaniæ Episcopus, & Martyr, quocum passi sunt tres Pueri comites coronæ.* Irrepsisse mendum in *Dextri* Chronico Cæsaraugustæ excuso, & in Codice *Roderici Caro*, cum Biuario *Com. 4. fol.* 356. suspicamur, vbi in nomine variatur. Apud illos VALERIVS; apud Nos, & rectiùs VALENS, scripturam *Bedæ, Adonis*, & aliorum sequentes, qua hoc die sic innuitur: *Eodem die* S. VALENTIS *Episcopi, qui cum TRIBVS PVERIS necatus est.* Eius Acta periêre. Illa sic assuemus. A. *Martyrologia sine nomine Sedis.* *Restituitur Pampilonæ.*

ACTA S. VALENTIS PAMPILONENSIS Episcopi, & Martyris; ex Flau. Dextro, & aliis.

VALENS *patriâ* Pampilonensis *in* Hispania, *temporibus Diocletiani, & Maximiani Imperatorum*, Pampilonensis *Ecclesiæ pontificatum obtinebat. Quorum cùm per totius Imperij circulos grassaretur immanitas, quousque Christicolarum deleretur nomen in Orbe, plurimos sui erroris vnusquisque ministros, per sui diuisi vrbes, & prouincias Imperij velociter amandauit.* Hispania *Daciano Præsidi contigit, qui Diogenianum, Olibrium, Ruffinum, & alios Iudices dimisit per illius Regiones, vt Imperatorum edicta efficaciter contenderent obseruari. Vnus ex eis Pampilonam aduênit: & quia primò vrbium Pontifices, tanquam fidei firmamenta, perquirebant; protinus* VALENTEM *ipsius vrbis Episcopum ad suum iussit deuenire conspectum. Quod vt factum, cùm à fide dimoueri haud valuisset, cum* tribus Pueris *martyrio coronatus est,* XII. Kal. Iunij *Anno Domini* CCC. *Patria.* *Episcopatus.* *Comprehenditur.* *Coronatur.*

Hæc sunt quæ possunt ad *Acta* referri, cætera Deus scit. *P. Biuar.* ex *Molani* versiculo, in huius S. Martyris elogio, conscripto, sic:

Augia quem lætus ducit per gaudia votis,

Credit *Molanum* asseruisse, quòd in *Augensi* Monasterio prope *Constantiam* ipsius Martyris festum celebratur, concludítque: *Et credo, quod Corpora SS. Martyrum* VALENTIS *Episcopi, &* Puerorum *à Carolo Magno Imperatore Pampilonâ, Augiam translata fuêre.* De quo dubito, quia debili nititur calculo. *Error Molani.*

PAMPILONA, quæ & POMPEIO-POLIS, id est *Pompeij Ciuitas*, corrupta voce POMPELON. Ciuitas Episcopalis antiqua Hispaniæ Tarraconensis in Vasconibus ad Pyrenæi Montis radices sita, Nauarræi Regni caput, & Metropolis. Hodie PANPLONA. Sunt qui dicant vocatam fuisse diuersis temporibus IRVNIAM, siue MARTVAM, vel ATANAGRIAM. Conditam alij credunt *à Tubale* ab Anno Orbis conditi M. DCCC. XL. De ea plura Garibay. *in Compend. Histor. lib. 3. c. 8. lib. 4. c. 8. lib. 6. c. 18. lib. 7. c. 5. lib. 21. c. 46. & 9. lib. 22. c. 1. & 24. lib. 23. c. 9. lib. 26. c. 16. lib. 27. c. 40. & 43.* Moral. *lib. 9. Hist. Hispan. c. 14.* Alibi alia dicemus. *Topographia.*

S. SECVNDINVS Martyr.] *Cordubam* Hispaniæ Bæticæ suo sanguine fœcundauit B.

Digitized by Google

Quære Eccleſia Cordubenſis eius memoriam, & officiũ omittit?

cundauit Sanctiſſimus iſte Martyr, cuius feſtum olim coluit illius *S. Eccleſia*; nunc fortè aliorum recentiorum implicata Sanctorum officiis, tanti Agoniſtæ reſpuit anamneſim. Haud ſcio, quid pietatis habeat antiquorum commemorationes omittere, nouorúmque officiis lætari, cùm Deus maiora, multiplicatis interceſſoribus, largiatur. Heu quantùm noſtros arripit ſenſus nouitas! Sancti ergo SECVNDINI meminêre *Vſuardus, Galeſin. Conſtant. Felic.* Petr. Equilin. *lib.* 11. *Catalog. c.* 130 *n.* 145. S. Eulog. in *Memor. SS. lib.* 2. à quibus Martyrol. Roman. *h. d.* Caſtellanum *P. Vazq.* Luſitanum, *S. I.* & Hiſpanum, *P. Higuera.* Item Breuiaria Antiqua Hiſpaniæ, *Cordubenſe, Zamorenſe, Conchenſe,* & alia. Ex Noſtris Ambroſ. Moral. *lib.* 10. *c.* 25. Marian. *lib.* 2. *c.* 28. Marieta *de SS. Hiſpan. lib.* 2. *c.* 28. Padilla *Hiſt. Eccleſ. Hiſpan. tom.* 1. *cent.* 4. *c.* 23. Sanctorus, Villegas Trugillo, & alij *flor. Sanctor.* Scriptores. Vaſſ. *in Chron. Ann.* 306. Flau. Dext. *in Chron. Ann.* 300. vbi P. Biu. *Com.* 4. *n.* 5. *fol.* 354. Roder. Car. *fol.* 110. P. Mart. de Roa *Hiſt. SS. Cordub. fol.* 86. & in Libello Latin. *de Auctoritat. SS. MM. Cordubenſ. c.* 1. §. 3. *fol.* 32. Eius acta ex *Breuiario* peruetuſto *Cordubenſi* deſcribemus.

Martyrologia.

Scriptores.

ACTA S. SECVNDINI MARTYRIS
Cordubenſis; ex Breuiar. Antiq. Eccleſiæ.

Perſecutio in Hiſpania.

QVO *tempore Diocletianus infenſiſſimè Eccleſiam,* & Hiſpaniam *perſequebatur, & vndique Imperatorum edicta percrebreſcebant ſacrilega aduerſus Chriſtianos, quibus immania imminebant tormenta; quorum bona fiſco, & vita mucroni, igni, & beſtiis tradebantur audaciùs: Vbicumque Chriſti prædicabatur nomen, produxit Orbis illuſtres Heroas, qui deſpectis mundi illecebris, liberaliter ſua obtulerunt corpora ſupplicijs, quibus fidei veritatem exaltantes, illam ſuo ſanguine commendarunt. Tunc igitur* Hiſpania *numero, & qualitate* Martyrum *effloruit, inter cuius Regiones* Bætica, *in qua ſingulari prouidentia* Corduba, *illis tunc ſeculis Ciuitas memorabilis, quamplurimos Deo ſacrauit cines, qui pro Chriſti nomine, oblatis ceruicibus, patriam miro lumine colluſtrarunt. Inter tot verò Sanctorum Martyrum agmina,* SECVNDINVS *ferueſcente Imperatorum perſecutionis procella, magnam cum Iudice contentionem adiuit. Nam Iudex per varias verborum ambages, non ſolùm Idolorum vanitatem in* S. Martyris *viſcera immittere, ſed & debitum Chriſto cultum, & honorem diſcindere concupiuit. Quod vt efficeret, communes Orbis, & Vrbis tot ſeculis amplexatos aſſenſus, tantorum Philoſophorum, & Poëtarum placita, & encomia, & tot inſignium Imperatorum leges, decreta, & ſtatuta, diſertis ſermonibus afferebat. Omnibus hiſce S. Martyr reſpondens argutiis, communem ſeculorum præteritorum errorem demonſtrauit. qui potius in Gentilium cæcitate, Diabolique malitiâ, quàm in veritatis perſiſtebat eſſentiâ: Philoſophorum, & Poëtarum præſtigiis, & fabulis fecit ſatis, ex ipſorummet ſcriptis, & carminibus, in quibus nil niſi inhoneſtum, ſacrilegum, & fœdum inueniri contendit, quæ ſi in quolibet homine penſarentur, pro diuinitate ſupplicium, & pro cultu foret indubiè adhibenda coërctio: Quoad Imperatorum leges eſt dicere auſus, illas iniuſtas, & minimè eſſe ſeruandas; quia oſtium veritati occludebant, & meliora capeſſere interdicebant, abſque alia ratione, quàm immoderata Auctorum, dæmone inſtigante, libido. His ſic auditis Iudex ad verbera, verbis deſcendit exploſis. Omnia contempſit* SECVNDINVS. *Iudex ad honores, & opes perrexit. Itidem* Martyris *conſtantia deſpexit; qua Iudicis calliditatem deuincens, ad tormentorum experimenta, illum efficaciter prouocabat. Irâ igitur, & crudelitate correptus Iudex, variis cruciatibus ſanctum Agoniſtam exercitauit; donec inſpecta in confeſſione fidei firmitate, & in Idolorum contemptu perſeuerantia, mortem* Martyri *intulit temporalem, per quam ille glorioſus ad vitam laureatus deuenit æternam, die* XXI. Maij *Anno Domini* CCC. VI.

Comprehẽditur.

Argumentis Iudicis reſpondet.

Cruciatur.

Coronatur.

Quale nomen Iudici?

Circa huius hiſtoriæ ecphraſim, quæ notanda primò comperi, nomen eſt Iudicis, qui à Flau. Dextr. *Ann.* 300. *Diogenianus* vocitatur. Iſtæc eius ſunt verba: *Corduba in Bætica*

Digitized by Goog

Bæticæ, S. SECVNDINVS *Martyr, & Ciuis Cordubẽsis, qui sub* DIOGENIANO *Iudice, per certaminum agitationes, superatáque Iudicis sæuitia, & multis cruciatibus fortiter toleratis, palmam martyrij reportauit.* Quæ circa cruciatus verba, eadem profert Galesin. sic: *Corduba* S. SECVNDINI, *qui per varias certaminum vices, superata aduersarij nequitia, demùm palmam tulit.*

Item circa *Annum* agonis notandum est, quod Nostri Historiographi; *Vassæi* sententiam sectantes, eius martyrium ad annum CCC. VI. reiecerunt, cum ex *Dextro* passioni propinquiore, Annus certaminis CCC. consignandus venit. Sed & existentiam huius S. Martyris in Corduba Bæticæ probat P. Mart. de Roa *vbi supra c.* 4. *fol.* 42. hisce verbis: *Beatorum Martyrum* SECVNDINI, *atque* Sandalij *Historiæ penitùs ignorantur. Sed* D. Franciscus de Reynoso *Episcopus* Cordubensis *spirituali recitantium solatio consulens, vetustissimis* Floribus Sanctorum Hispaniæ, *atque omnibus* Martyrologiis *conquisitis, iussit suas cuique* Lectiones *adscribi, in quibus illa ipsa, quæ reperta erant, inscriberentur. Ita factum.* *Quo Anno patitur?* *An ex Corduba Hispania.*

CORDVBA, Vrbs PATRITIA, de qua superius *Tom. I. die XIII. Ianuarij fol.* 146. & *Tom. II. Mens. Martio. fol.* 177. *& fol.* 225. & *Mense April. fol.* 691. *&* 695. plura diximus, & infra ad amussim dicemus. *Topographia.*

S. THEOPOMPVS Episcopus, & SYNESIVS Martyres.] Locum agonis horum Martyrum adhuc delituit, etsi Equilinus in *Catal. SS. lib.* 5. *c.* 33. *THEOPOMPVM* somniet fuisse Episcopum *Nicomediæ*; quem secutus *Maurolycus*: sed vterque à veritate deuiauit, vt notauit Baron. *in Not. ad hunc diem*, probans tempore persecutionis *Diocletianicæ*, nullum fuisse Ecclesiæ *Nicomediensis* Episcopum illo nomine insignitum, quin potius eo tempore *Cyrillum*, & *Antimium*, vnum post alium infulas induisse illius Sedis. Ex quo veniunt corrigendi *Equilinus*, & *Maurolycus*, & loco *Nicomediæ reponendum NERTOBRIGÆ*, vt postea ex *Flauio Dextro* probabimus. De eis Molan. *ad Vsuard.* Constant. Felic. & Galesin. licèt iste in nominibus Sanctorum discrepet, quos *Gensium* pro *Syneso*, & *Theopontium*, pro *Theopompo* vocitat. Eorum Acta correctiora à P. Biuar. *in Not. ad Dextrum Ann.* 300. *Com.* 4. *n.* 6. *fol.* 356. *damus.* C *Error Equilini, & Maurolyci.* *Scriptores.*

ACTA SS. THEOPOMPI EPISCOPI, & SYNESII Martyrum Nertobrigensium; ex Equil. & Dextro.

THEOPOMPVS *Episcopus* Nertobrigæ *passus est cum quodam* SYNESIO *sub Diocletiano Augusto. Cùm* THEOPOMPVS *Episcopus ad phanum eductus, simulacra adorare noluisset, missus est in elibanum ignis, in quo die, & nocte illæsus permansit. Nocte verò inde exiens, luce cælesti prænia ad palatium Iudicis deuenit, omnibúsque ianuis reseratis diuinitùs, vsque ad lectum suum accessit, séque vinentem protestans, ad elibanum redyit; in cuius medio, mane psallens, & omnino inustus repertus est. Quod dùm Iudex magiæ ipsius adscriberet, vt experiretur, canem in furnum mitti fecit, qui subitò incensus est. Post hæc* THEOPOMPVS *diebus viginti duobus in carcere sine vllo cibo detinetur, sed à Domino confortatus, vultu hilari inde producitur. Tunc iussu Iudicis oculus illi dexter effoditur; sed ipso ad carcerem redeunte, sibi à Domino restituitur. Quod dùm ille iterum magicis artibus deputaret, accersito ad se quodam Ægyptio maximo Mago,* Theona *nomine, induxit eum ad Episcopum suis præstigiis occidendum; sed voluit primò artem eius videre: Qui taurum ferocissimum à se ductum, dùm in aure ipsius aliqua verba dixisset, subitò in duas partes discerpsit, quæ in lance pensatæ, æqualis ponderis reperta sunt. Tunc Magus* THEOPOMPO *obtulit spirulas farinales artis magicæ, & venenum in calice dæmoniis plenum. Et cùm ille hæc omnia sine læsione gustasset, Magus conuertitur, & cum eo carceri traditus, ab eodem baptizatur, nomenque sibi* SYNESIVS *imponitur. Inde* *Episcopus fit.* *Comprehenditur.* *Confortatur à Domino.* *Tauro obiicitur.* *Magus cõuertitur ad fidem.*

Sanctus eductus, & in terram ſupinus extenſus, atque ad ſtipites ligatus, lapis magnus, vix ab octo viris portatus, ventri eius ſuperponitur: ſed elevatus lapis à ſe ipſo, vltra quindecim cubitos proſiliuit. Dehinc in eminenti ſuſpenſus pedibus, capite deorſum, ſaxóque ingenti ad eius ceruicem alligato, funeque quoque, quo tenebatur, præciſo, vt raptim tractus ad terram diſrumperetur, ſine vlla laſione in pedibus ſtetit. Nouiſſimè autem decollatus eſt. Cruciatur.

Cerui̇̃tur. SYNESIVS *verò in defoſſo terræ poſitus, humóque opertus, equis ſuperinductis, vt calcibus terram premerent, migrauit ad Chriſtum. Quorum corpora* Nertobrigæ *in eodem tumulo ſepulta ſunt*, XII. Kalend. Iunij, *Anno* Domini CCC.

Cuiuſnam ſuit Sedis Epiſcopus. Iam diximus pro *Nicomedia* reponendum eſſe in Actis Epiſcopi Equilini *Nertobrigæ*, quia *Fl. Dextrum* ſic teſtatum reliquiſſe, ipſiſſima eius ſic indicant verba: *Nertobrigæ in Celtiberia Sanctorum Martyrum* SYNESII, *&* THEOPOMPI. Quo loco obiter notandum eſt aduerſus *Biuarium*, Dextrum non dixiſſe S. THEOPOMPVM fuiſſe Nertobrigenſem Epiſcopum, ſed illius vrbis tantùm Martyrem.

Biuarij lapſus. Nam cùm ipſe *Dexter* Sedem Martyri conſignare decreuiſſet, opinionum varietate implicatus, in hæc verba prorumpit: *Nec deſunt, qui putent hos* (Syneſium, & *Probatur I.* Theopompum) *duarum Ciuitatum* Hiſpaniæ *Epiſcopos fuiſſe, quamuis non declarent, quanam illæ fuerint.* En in *Dextro* Sedis ignoratio. En apud *Biuarium* error in conſignatione Epiſcopatus *Nertobrigenſis*, à qua Lectorem abſtinendum, cupio.

Probatur II. Nec minus circa illa vltima verba *Biuarij* in illo *num.* 6. vbi ex hiſce clauſulis *Dextri* elicuit, quòd ſi hi SS. Martyres ambo Epiſcopi fuêre, *neceſſum eſt* (inquit) *vt non ſimul occiderentur; ſed* SYNESIVS *aliquo tempore ſupervixerit, & quòd tandem* Nertobrigæ *quoque occiſus fuerit*: illud quoque deſidero. Quia nullam in vtrius inſimul agone, vno die, menſe, & anno, diſcrepantiam conſidero; quia licèt ambo Epiſcopi fuerint ex opinione illorum à *Dextro* relatorum, non ex hoc conuincitur, illos *Nertobrigenſes* Epiſcopos fuiſſe; ſi hoc non probatur, quis prohibet duos iſtos Epiſcopos incognitæ Sedis, vno haud poſſe mucrone feriri? Vt euènit *Martiali*, & *Simplicio* Epiſcopis, & Martyribus, de quibus die ſequenti; *Epitatio* & *Baſileo* Pontificibus, & Martyribus, de quibus die XXIII. huius Menſis, & aliis compluribus, quorum exempla non ſunt in promptu. Ideóque in Actis à ſe correctis, vt amphibologiam fugerem, in initio reponerem: THEOPOMPVS *Epiſcopus paſſus eſt* Nertobrigæ *cum quodam* SYNESIO, *ſub Diocletiano Auguſto.* Qua lectione locus Martyrij, non Sedis deprehendetur, & vt ad *Dextri* ſenſum clauſula magis videretur accommoda.

Annus agonis. Annus agonis ex Dextro CCC. eſt, imperantibus Diocletiano, & Maximiano, ſub Daciano Hiſpaniæ Præſide, & eius Iudicibus.

Topographia. NERTOBRIGA vrbs antiqua Hiſpaniæ in Celtiberia apud Ptolom. *in Europ. Tabul.* 2. *lib.* 1. de qua mentio eſt apud Appianum *de Bell. Hiſpanenſ. fol. mihi* 935. vbi de Legatis *Nertobrigenſibus* ad Marcellum miſſis pro comparatione pacis, agit. P. Biuarius, & Roderic. Caro *in Not. ad Dextr. d. fol.* 110. *lit. M.* contendunt hodie dici ALMVÑA oppidum titulo Marchionatus condecoratum, licèt vterque nullam pro ſua ſententia auctoritatem adducat. D. Ioann. Briz Martin. *Hiſtor. S. Ioann. Pinnatenſ. lib.* 5. *cap.* 20. *fol.* 766. *col.* 2. in fine, agens de Oppugnationibus Regis Alphonſi I. Aragonum refert, *hac vice etiam Regem expugnaſſe* RICLAM *oppidum, quod olim fuit antiqua illa* NERTOBRIGA *Celtiberiæ.*

D. *Scriptores.* TRANSLATIO S. *Adelardi cognomento* Geneſij.] Eius Acta dedimus *die II. Ianuarij Tom. I.* huius Operis. Eius TRANSLATIONEM hoc die conſignat Iulian. Petr. Noſter Archipreſbyter Toletanus in *Chron. num.* 420. *fol.* 101. & *Aduerſ.* 253. his verbis: *Tranſlationis* S. GENESII *cognomento* ADELARDI, *feſti, Corbeiâ in Hiſpaniam, meminit Vſuardus in Martyrologio, Die XXI. Maij, & eiuſdem Sancti cum alijs, qui eodem die celebrantur.* Et in Chron. *num.* 461. *fol.* 110. proſequitur: *Per quoſdam Monachos Gallos allatum eſt corpus S. Abbatis* ADELARDI,

vel

vel GENESII *ad litus Carthaginenſe, ex vrbe Corbeia antiqua eius domo, S. Viri Abbatis.* Et antea *num.*420. *fol.*101. dixerat de eo agens: *Tandem reuerſus in ſuum Monaſterium Corbeienſe* (moritur) *& ſepultus ibidem eſt. Inde poſt* centum annos, *ad eremum in litore maris prope* Carthaginem Spartariam, *vbi viuens degerat*, tranſlatus eſt, *vbi mira circumiacentium oppidorum Muzarabum frequentia viſitur.* His ſic prælibatis venio ad huius *Tranſlationis* Acta, quæ licèt à nemine contexta, tàm ex dictis Iuliani, quam ex traditione illius Regionis, in qua corpus deliteſcit, cum aliquibus miraculis, illa compaginanda decreui.

ACTA TRANSLATIONIS S. ADELARDI Geneſij, Corbeiâ, Carthaginem Spartariam; ex Varijs.

E VIVIS *placida dormitione ſublatus Sanctus ille Vir* ADELARDVS *cognomento* GENESIVS *Anno Domini* DCCC.XXVI. *vel circiter, in proprio à ſe conſtructo* Corbeienſi *cœnobio, eius ſacra pignora, per vnum ferè ſeculum, mirabili Monachorum, & Oppidanorum deuotione quieuere. Sed eueniente quorundam Gallorum Cœnobitarum, ex illa domo in aliam diſceſſione (fortè Dei nutu) ſacra ſanctiſſimi Abbatis lipſana ſecum exportare decreuerunt, & illa è ſarcophago extracta, aliò nauigantes, ad Portum* Carthaginis Spartariæ, *qui* de Palos *dicitur, in Montem* Larinum, *vbi vaſta eſt eremus, in qua S. Vir, deſpectis mundi illecebris delituerat, deuenêre. Ibidem in cœnobio, Eremitorio* S. GENESII, *proximo, à Monachis illic degentibus, Galli hoſpitio piè recepti ſunt. Inæſtimabilem, quem ſecum è Gallia* Corbeia *deferebant theſaurum, aut pœnitudine, aut Dei prouidentia, detegentes, Monachis hoſpitatoribus partem exuuiarum pro charitate recepta liberaliter offerebant. Quos Abbas Cœnobij de excurſu vitæ* S. ADELARDI *ſanctiſſimè acto in illis partibus, déque eremitorio ab ipſo proximè conſtructo, cum alijs actionibus illic perfectis luculentiſſimè certiorauit. Quo viſo Cœnobitæ* Galli *exuuias ſacras in S. Abbatis eremitorio conditas relinquere ſunt compulſi: omnia Dei diſpoſitione facta exiſtimantes, vt locus ille qui in vita fuit palæſtra virtutum, mirabilium in poſterum operationum remaneret theatrum. Sic ſacra pignora in Oratorij Eccleſiæ cauo, per aliquod venerata temporis ſpatium iacuerunt, publica accolarum, & peregrinorum acclamatione.*

Corbeiæ ſacra pignora quieuere.

A Monachis exportata in Hiſpaniam.

Eain Mõte Larino relinquunt.

POSTMODVM, *Noſtrorum inquit traditio, cognito per* Corbeienſes *ſepulchri loco, aliquos, vt ſacras repeterent glebas, Monachos dimiſêre, qui portum pertingentes, à piſcatore de Tumulo edocti, in Oratorij ambitum ingreſſi, & ad ſepulturæ angulos prouoluti, lacrymis obortis, Sanctum* B. ADELARDI *nomen, multiplicatis ſingultibus, inculcabant. Tunc repentè ſepulchri compagines reſoluta, brachium S. monſtrauit* GENESIVS, *in cuius manu chartula erat, quam Monachis ſtupore correptis obtulit, in qua hæc legebatur clauſula:* Ad propria Deo duce reuertite, fruſtra me quæritis. *Quo inſpecto miraculo mœſti Monachi in patriam repedarunt. Ex tunc ſacrum abſque perturbatione ibidem Corpus quieuit, de quo fidem hoc facit Eptaſtichon.*

Miraculũ.

SAt memor in terris, quàm ſint mortalia cuncta,
Fluxa, caduca nimis, quàm peritura breui.
Regnum, & Imperium moriturum ſponte reliqui,
Rectius, vt poſſem ſic meruiſſe Deum.
Aſpera montis erant noſtri domicilia lecti,
Diſceret vt corpus dura ferendo pati.
Hiſpida membra gelu contexit dura melotes,
Præbuit atque dapes herba reuulſa manu.

Digitized by Google

Potus erant lacrymæ, contriti flumina cordis,
Quas ego ſæpè bibi, nocte, diéque gemens:
Scilicet, vt poſſem flendo penetralia cœli
Rumpere. Nam lacrymis flectitur ipſe Deus.
Oſſa ſepulta iacent tumulo, ſub monte Larino;
Aſt anima in cœlis conſidet Empyreis.

Ad Noſtri ergo S. Abbatis *tumulum, innumera Deus operatur prodigia, tanti Præſulis interuentu; Quorum aliqua breuiter perſtringemus. Anno* M. D. LIII. *Nauis è portu ſoluens* Carthaginenſi, *à ventis impetita validis, vltimam ruinam expectabat, cùm Nauarchi famulus particulam lapidis de Sepulchro* S. GENESII *extrahens, illámque, eius nomine inuocato, in mare proiiciens, protinùs tempeſtas ſedata eſt.*

Tempeſtatem ſedat.

ANNO *Domini* M. D. LXI. Franciſcus Xorquera, *& alij Tres ſocij, qui piſcatione victum querebant, paratis à Mauris inſidijs, in captiuitatem redacti ſunt. Illi inuocato* S. GENESII *nomine, & auxilio, ſeſe in mare proijcientes, liberi ad portum, poſtquam per Quatuor ferè leucas abſque periculo, & anxietate nataſſent, reuerſi ſunt.*

Captiuos liberat.

FERE *ſimile obtigit miraculum ſexdecim ciuibus Carthaginenſibus, Anno* M. D. LXIII. *nam cùm ipſi è portu ſoluerent, & littus quærerent Numidicum, vt excurſionibus factis, in patriam ſpolijs redirent onuſti, euênit, quòd à Maurorum celoce intercepti, libertatem deplorarent deperditam; ſed oratione ad Deum, meritis* S. GENESII *factâ, extemplò validus exurgens ventus, ſic Maurorum arripuit celocem, vt nec amplius fuerit à quoquam viſa, & illi in* Hiſpaniam *peruenêre latantes.*

Item alios.

QVIDAM *Equitis Murcienſis filius, anginæ morbo laborans breui interuallo deceſſit, cuius pater dolore mortis filij compunctus, Deo, &* S. GENESIO *promiſit (ſi filius huius vitæ luce frueretur) ſe per annum, filium verò per ſexennium, in Cœnobij miniſterijs continuò ſeruituros. Hoc peracto voto, filij cadauer in lectica poni iubens, ad Eccleſiam, in quâ S. Abbatis pignora quieſcunt, pergens, & illud ſuper Aram imponens, repetitâ per triduum oratione, eleemoſynis, & voto, adoleſcentem filium, viuum recepit. Alia plura qui legere cupit miracula, adeat* P. F. Melchiorem à Huelamo *Minoritam* in *Vit. S. Geneſ. lib.* I. *à c.* 14. *& ſeq.*

Angina morbo laborantem ſanat.

Etiam Corbeia Reliquia. NON dubito quin & apud *Corbeienſes* extent ſui ſanctiſſimi Abbatis, & Patroni aliquot exuuiæ, cùm pro ipſorum ſententiâ ſtet continuata traditio. Nec minus noſtræ obeſt ecphraſi relatio conſcripta per *Huelamum*, quia cùm tempore codicis eius excuſi, ſolùm inter Regionis *Carthaginenſis* accolas ipſa confuſa traditio diuagaretur, necdùm *Luitprandi*, & *Iuliani* opera lucem viderant, quidni, ſi dicteriis, & fabellis inter veritatis perceptæ ſplendores inueterata niteretur opinio?

E.

Fuit Eccleſia Collegialis.

DEDICATIO S. E. VALLISOLETANÆ.] Fuit olim hæc *Eccleſia Collegialis* ab Anno M. C. XVIII. Gelaſio II. Pont. Max. illam erigente, ſupplicationibus Comitis *Petri Anſurij*, qui ipſius Oppidi primus fuit reparator, & conditor ex ruinis, vt aliqui contendunt, antiquæ vrbis *Pintiæ* quam in *Vacceis* conſignant Ptolomæus, & Carol. Cluſius. Titulo Collegialis extitit ad Annum M. D. XCVII. quo Cathedralis effecta inſtante *Philippo II. Rege Catholico* per *Clementem VIII. Pont. Max.* Epiſcopali cœpit faſtigio frui. Continet Abbatiam *Metinæ-Campenſis*, Archipresbyteratus *Portillenſem, Septimacenſem, Tordeſillenſem*, & antiquam *Valliſoletanam* Abbatiam: Extra Decanatum, Prioratum, Cantoratum, & Theſaurariam, ſunt Archidiaconus *Valliſoletanus, Septimacenſis, Tordeſillenſis*, cum viginti duobus Canonicis, & Doctoralis, Magiſtralis, Lectoralis, & Pœnitentiariæ Quatuor. Sunt itidem Sex integri Portionarij, & Duodecim dimidij, cum cæteris aliis miniſtris ad Eccleſiæ ſeruitium, tam in choro, quàm extra, pertinentibus. Dicata B. MARIÆ Virgini, Dei-Genitrici, ab initio eius erectionis conſpicitur.

Hæc

Digitized by Google

Hæc in exordio Monachis Cluniacenſibus paruit, cuius Abbas ex eodem ordine fuit. Horum ne depereat memoria, hic ſubiicere curauimus, prout illa refert M. Ægid. Gonzal. *Tom. 1. Theatr. Eccleſ. Caſtell. fol. 656.* qui tanquam Regius Chronographus Catalogum integrum accepit.

CATALOGVS ABBATVM S. ECCLESIÆ Valliſoletanæ ab eius initio, quouſque fuit Cathedralis.

Abbates Valliſoletani qui?

I. D. ASALTVS Abbas Valliſoletanus I. ex Ordine Benedictino Cluniacenſium, eius memoria ad Ann. M. C. XXXIII. 1133.

II. D. MARTINVS Abbas Valliſoletanus II. eius memoria ad Annum Domini M. C. LX. 1160.

III. D. DOMINICVS cognomento Dominguez Abbas Valliſoletanus III. Adephonſi VIII. Regis Secretarius, Anno M. CC. VIII. 1208.

IV. D. IOANNES cognomento Dominguez Abbas Valliſoletanus IV. eiuſdem Adefonſi VIII. Cancellarius, eius memoria ad Ann. M. CC. XXXV. 1235.

V. D. PHILIPPVS Infans Caſtellæ Regis Ferdinandi, cognomento Sancti, filius, Abbas Valliſoletanus V. ad Annum M. CC. XLVIII. quo Archiepiſcopus Hiſpalenſis fuit electus. 1248.

VI. D. IOANNES Abbas Valliſoletanus VI. qui & fuit Abbas S. Emeterij, & Epiſcopus Oxomenſis.

VII. D. GONDISALVVS cognomento Garzia Abbas Valliſoletanus, VII.

VIII. D. MARTINVS Alphonſus filius Adefonſi Regis, cognomento Sapientis, Abbas Valliſoletanus VIII.

IX. D. GOMETIVS cognomento Garzia de Toledo Abbas Valliſoletanus IX. Sanctij IV. Caſtellæ Regis Notarius Maior, cui ex aulicis chariſſimus fuit, Orator ad Regem Galliæ. A Regis expulſus gratiâ præ mœſtitia occubuit.

X. D. IOANNES cognomento de Medina Abbas Valliſoletanus X. Epiſcopus poſtea Oxomenſis, deinde Burgenſis, ac demùm Archiepiſcopus Toletanus.

XI. D. SANCTIVS Aragoniæ Infans filius Iacobi Regis, Abbas Valliſoletanus XI. poſtmodùm Archiepiſc. Toletanus, ad Ann. M. CC. LXVI. 1266.

XII. D. PELAGIVS cognomento Perezius Abbas Valliſoletanus XII. ad Annum Domini M. CC. LXXXII. 1282.

XIII. D. ÆGIDIVS cognomento Gomezius, Abbas Valliſoletanus XIII. ad Annum M. CC. LXXXV. 1285.

XIV. D. RODERICVS cognomento Diaz, Abbas Valliſoletanus XIV. Sanctij IV. Caſtellæ Regis Secretarius ad Ann. M. CC. LXXXVII. 1287.

XV. D. FERDINANDVS cognomento Sanchez, Abbas Valliſoletanus XV. Orator ad Pont. Max. ab Alfonſo XI. deſtinatus, ad Ann. M. CCC. XXXI. 1331.

XVI. D. FERDINANDVS cognomento Gomez, Aluarez de Albornoz Abbas Valliſoletanus XVI. qui fuit Commendatarius Montisalbani, & XIII-VIR Ordinis S. Iacobi, Archiepiſcopus Vlyſſiponenſis, & Hiſpalenſis, S. R. E. Cardinalis. *M. Ægid. Gonzal.* illum vocat PETRVM, *in Theatr. tom. 2. fol. 57.*

XVII. D. GVNDISALVVS cognomento Ibañez, Abbas Valliſoletanus XVII. Epiſcopus Conchenſis. Fortè qui à *M. Ægid. Gonzal.* cognominatur AGVILAR, *tom. 1. fol. 461.*

XVIII. D. PETRVS cognomento Fonſeca, Abbas Valliſoletanus XVIII. Epiſcopus Seguntinus, & S. R. E. Cardinalis. *M. Ægid.* nihil de eo in Eccleſia Seguntinâ.

XIX. D. ALPHONSVS cognomento Fonſeca, Abbas Valliſoletanus XIX. Archiepiſcopus Hiſpalenſis. De eo in *Theatr. tom. 2. fol. 72.*

Digitized by Google

XX. D. DIDACVS cognomento Fuenſalida, Abbas Valliſoletanus XX. Epiſcopus Zamorenſis. De eo *tom.2. fol.405. Theatr.*

XXI. D. ALPHONSVS cognomento Madrigal, vulgo el TOSTADO, Abbas Valliſoletanus XXI. Epiſc. Abulenſis. De eo *Tom.2. Theatr. fol.262.*

XXII. D. ALPHONSVS cognomento Velaſco, Abbas Valliſoletanus XXII.

XXIII. D. F. IOANNES cognomento Torquemada, Abbas Valliſoletanus XXIII. Epiſcopus Aurienſis, S.R.E. Cardinalis. De eo in *Theatr. tom.3. fol.392.*

XXIV. D. LVDOVICVS cognomento de Acuña, Abbas Valliſoletanus XXIV. Epiſcopus Segobienſis, Burgenſis, & Giennenſis. De eo *tom.3. Theatr. fol.81.*

XXV. D. RVPERTVS cognomento Moya, Abbas Valliſoletanus XXV. Epiſcopus Oxomenſis.

XXVI. D. PETRVS cognomento Gonzalez de Mendoza, Abbas Valliſoletanus XXVI. S.R.E. Cardinalis Archiepiſcopus Toletanus.

XXVII. D. GARSIAS cognomento de Mendoza, Abbas Valliſoletanus XXVII.

XXVIII. D. ALPHONSVS cognomento Enrriquez, Abbas Valliſoletanus XXVIII. Epiſcopus Oxomenſis.

XXIX. D. ALPHONSVS cognomento de Mendoza, Abbas Valliſoletanus XXIX. poſtea Abbas Alcalæ Regiæ.

Iſtos ſic conſignat M. Ægidius Gonzalez Regius Chronographus ſine Annorum computatione, ideóque & Nos illos ſubiicimus. Nunc ad huius S. E. Epiſcopos deueniamus.

CATALOGVS EPISCOPORVM Sanctæ Eccleſiæ Valliſoletanæ.

I. D. BARTHOLOMÆVS huius nominis I. cognomento *de la Plaza*, Epiſcopus Valliſoletanus I. qui ex Collegio Seguntino ad SS. Eccleſiarum Biacenſis, & Granatenſis Magiſtrales euectus, pòſt in Tudenſem Sedem ſublimatus eſt, è qua PRIMVS huius Valliſoletanæ Eccleſiæ abs Clemente VIII. Pont. Max. factus, vt Collegialem, in Cathedralem erigeret, & gubernaret. Obiit die x. Octobris Ann. M. DC. 1600.

II. D. IOANNES BAPTISTA huius nominis I. cognomento *Azeuedo*, Epiſcopus Valliſoletanus II. qui ex Epiſcopo Galiopolitano, & Dertoſano quibus fuerat electus, ad huius Sedis faſtigium venit; pòſt ad Inquiſitoris Generalis cum Indiarum Patriarchatu munus adſcitur; deinde ad Regalis Conſilij Præſidentiam ſublimatur. Obiit Anno Domini M. DC. VIII. D. Ferdinandus de Azeuedo eius frater in eius ſarcophago in Parœcia S. Ioannis Hoznayenſi hoc Epitaphium poſuit: 1608.

✠

FELICITATI. ET MEMORIÆ.
ILLVSTRISSIMVS DOMINVS IOANNES BAPTISTA AZEBEDO. A PHILIPPO. III. CVI VERE CHARVS, VALLISOLETANVS EPISCOPVS. INDIARVM PATRIARCHA. PRO FIDE CATHOLICA GENERALIS INQVISITOR. CASTELLÆ PRÆSES. PRO MERITIS DESIGNATVS. RELIGIONE, ET MORVM PRÆSTANTIA CLARVS. A MORTALITATE AD IMMORTALITATEM SECVRE SECVRVS ABIIT ANN. M. DC. VIII. ÆTATIS SVÆ. LIII.
ILLVSTRISSIMVS DOMINVS FERDINANDVS AZEBEDO ARCHIEPISCOPVS BVRGENSIS. CASTELLÆ PRÆSES. FRATRI PIENTISSIMO. IVSTA SOLVENS. SVIS SVMPTIBVS. LVCTV. ET LACHRYMIS.
C. E.

III.

Digitized by Google

III. D. IOANNES huius nominis II. cognomento *Vigil de Quiñones*, Episcopus Vallisoletanus III. apud Salmanticenses Cathedram rexit, Supremi Consilij S. Inquisitionis Consiliarius, primò huius Ecclesiæ Antistes, pòst Segobiensis Episcopus ad Annum Domini M. DC. XVI. & vix sequenti expleto è viuis discessit. Cuius corpus tunc in Cathedrali depositum, modò ad propriam in Ouetensi translatum Capellam quiescit ibidem. 1616.

IV. D. FRANCISCVS huius nominis I. cognomento *Sobrino*, Episcopus Vallisoletanus IV. qui ex eadem vrbe oriundus à Cæcilia Enrriquez matre, & magistra vnà cum sex fratribus Latinam, & Græcam eruditionem, Rhetoricam, & Philosophiam didicit, ita vt Canonicus Magistralis huius S. E. & in eius Academia Scripturæ Magister renuntiaretur. Obiit Anno M. DC. XVII. 1617.

V. D. IOANNES huius nominis III. cognomento *Fernandez de Valdiuieso*, Episcopus Vallisoletanus V. qui ex Collegio Seguntino, ad S. Crucis Vallisoletanum translatus, & S. E. Zamorensis Canonicus Magistralis renuntiatus postmodum huius S. E. infulas induit. Obiit Anno M. DC. XVIII. 1618.

VI. D. HENRICVS huius nominis I. cognomento *Pimentel*, Episcopus Vallisoletanus VI. huius S. E. Præsulem egit ad Annum M. DC. XXIII. post ad Conchensem translatus, adhuc in munere militat. 1623.

VII. D. ALPHONSVS huius nominis I. cognomento *Lopez Gallo*, Episcopus Vallisoletanus VII. primùm Episcopus Lucensis, pòst huius S. E. in pauperes liberalis. Obiit die XVIII. Septembris, Anno M. DC. XXIV. 1624.

VIII. D. IOANNES huius nominis IV. cognomento *Torres Osforio*, Episcopus Vallisoletanus VIII. ex Iudice Monarchiæ Siculæ Archiepiscopus Syracusanus, pòst Cathanensis Antistes, deinde Ouetensis in Hispania Præsul, hinc huius S. E. & Præses ipsius Cancellariæ, necnon Granatensis Visitator, Obiit electus Malacitanus Episcopus, die XXIV. Septembr. Anno M. DC. XXXII. 1632.

IX. D. F. GREGORIVS huius nominis I. cognomento *Pedrosa*, Episcopus Vallisoletanus IX. ex B. Ieronymi instituto condecoratus, cuius Generalem gessit, è quo, ad Legionensis Ecclesiæ Sedem ascitus, post ad Vallisoletanam. Plenus dierum hanc in manus Pontificis renuntiauit, vt in religione quietus obiret: adhuc viuit.

X. D. F. IOANNES huius nominis V. cognomento *Merinero*, Episcopus Vallisoletanus X. ex Minorum Ordine alumnus, & totius Generalis qui per renuntiationem anteceſſoris Episcopi huius S. E. infulas induit. Celebris doctrina, & religione, si ordinem inspectas Monachum, si baculum scrutaris Antistitem; qui in onere necdum fatigatus laborat adhuc.

En Episcoporum *S. E. Vallisoletanæ* ad hunc vsque Annum M. DC. LIII. series. Componitur isthæc Cathedralis Basilica ex nonnullis, & celeberrimis Capellis, & Oratoriis. In eius sacrario est *Corpus S. Mauritij Martyris*. In Cœnobio Prædicatorum S. Pauli, *Corpus S. Benigni*. In Anniagensi Carthusianorum *Corpora SS. Exuperantij, & Marcelli Martyrum*. In Conuentu Fratrum Excalceatorum SSS. Trinitatis *Corpus S. Antonij Martyris*, dispensante Vrbano VIII. Pont. Max. vt suo loco dicemus. De quibus omnibus videndus M. Ægidius Gonzal. Regius Chronograph. *d. tom. 1. Theatr. Eccles. fol. 641.* *Reliquiæ in S. E. Vallisoletana*

Digitized by Google

VNDECIMO KAL. IVNII.
DIES XXII.

A. ADVRÆ *in Carpetania Hiſpaniæ* S. QVITERIÆ *Virginis & Martyris, quæ Angelo monente, cum aliis Triginta Virginibus, & Octo Viris Catholicis,* Belcagiâ *Gallæciæ in* Columbanum *Montem Carpetaniæ viam carpens, illuc aduênit, & à* Leuciano *Regulo cum ſociis comprehenſa, & vt à fide diuerteret impetita, non ſolum non reſiliuit, ſed & ipſum Regulum, qui à Chriſto defecerat, ad Chriſtum conuertit, & tandem martyrio coronata cælum conſcendit.*

B. IBIDEM *vnà cum S. Quiteria paſſio* SS. LEVCIANI *Reguli*, Columbani, Valentiniani, Romani, *necnon* MARTIALIS, *&* SIMPLICII, *Epiſcoporum, qui cum aliis etiam ad palmam peruenerunt agonis.*

C. In Conuentu VALLIS-VMBROSÆ *in Italia* S. ATTONIS *eiuſdem Cœnobij Generalis VIII. qui ex vrbe Pacenſi in Extremadura oriundus, apud Italos illuſtre ſanctitatis dedit ſpecimen, ita vt poſt plurimos annos eius fuerit Corpus integrum odorum ſuauitatem exhalans repertum.*

D. ROMÆ *natalis* S. PVBLII BEBII VENVSTI *ex vrbe* ORETO *oriundi; & Hiſpaniæ Vicarij à Iuliano Apoſtata deſignati, qui pro fide Chriſti ſuſceptâ comprehenſus, cum* FAVSTINO *&* TIMOTHEO *ad martyrij lauream viriliter properauit.*

E. In AFRICA *etiam* SS. CASTI *&* ÆMILII RECTI *Martyrum, qui illuc ex* ASSOTA *vrbe Hiſpaniæ traiicientes à Proconſule Carthaginis tenti, licèt primùm tormentorum metu vacillarent inertes, poſtmodùm ad agonis gloriam cucurrerunt inuicti.*

NOTÆ.

Digitized by Google

NOTÆ.

SANCTA QVITERIA, Virgo, & Martyr.] Vna ex *Nouem Sororibus*, vnico editis partu, de quibus prolixè scripsimus *supra Tom. 1. die XVIII. Ianuarij fol.* 183. Quarum Parentes *C. Attilium*, Regulum *Gallaciæ*; & *Calsiam* vxorem fuisse probauimus, ipsasque pro Christi fide Martyres seruato virginitatis flore, diuersis diebus, variisquè in locis agonizasse mõstrauimus. QVITERIAM verò provt sororum antesignanam hoc die agonem impleuisse perhibent *Martyrol. Roman.* his verbis: *In Hispania* S. QVITERIÆ *Virginis & Martyris*; & conueniunt Martyrologia Lusitanum *P. Lupi*, Castellanum *P. Vazquez*, & Hispanum *MS. P. Higuera.* De ea, & sociis Martyribus hæc Iulian. Petr. *in Aduersar. n.* 381. *fol.* 84. concisè descripsit: *Regulo Carpetanorum* Leuciano *perfido, fides Christiana cœpit labefactari. At veniente ad eam regionem* S. QVITERIA, Leucianus *resipiscens, cum multis aliis Sociis martyrij coronam accepit.* Qui in *Chron. n.* 80. cæteros iungens, prosequitur: *Floruerunt cum* QVITERIA *sub Adriano Toletanorum Regulo*, Columba *Virgo*, Martialis, & Simplicius *Antistites.* De quo antea dixerat *n.* 57. & 79. Plura coniunxere P. Biuar. *ad Dextr. Ann.* 138. *n.* 6. D. Prudent. Sandou. *Histor. Tudens. à fol.* 35. *vsque ad* 45. Roder. Car. *ad Dextr. fol.* 70. *lit. X.* D. Roder. de Acuña *Histor. Braccar. 1. p. c.* 24. F. Ludouic. ab Angel. *in Viridar. Portugall. 1. p. à c.* 6. *fol.* 33. Balthas. Porreño *Hist. S. Liberatæ c.* 2. & *seqq.* Marieta *Histor. SS. Hispan. lib.* 4. *c.* 16. Morales *lib.* 10. *Histor. Hisp. c.* 18. Padilla *Hist. Eccles. Hisp. Cent.* 4. *c.* 26. Truxillo *in Thesaur. Concionat. t.* 2. *fol.* 1130. Vasconcell. in *Descript. Portugall fol.* 445. Eduard. Nunn. *in eod. Tractat. c.* 43. Georg. Cardos. *in Offic. SS. Portugall. c.* 18. Brito in *Monarch. Lusitan. lib.* 5. *c.* 18. Sanctius in *Anacephal. Hispan. lib.* 2. *c.* 2. D. Thom. Tamayo *ad Luitprand. fol.* 221. Fere omnes *Florum SS. Scriptores*, Æmillianus, Sanctorus, & Villegas. Item *Breuiaria* antiqua, *Toletanum, Compostellanum* Ann. 1569. *Granatense* Ann. 1543. *Palentinum* Ann. 1533. *Pampilonense, Conchense, & Cæsaraugustanum.* Ann. 1544. & 1556. Eius ACTA nouissime scripsit P. Antonius Quintana-Dueñ. *Hist. SS. Toletanor. Secul.* 3. *fol.* 445. Hispano sermone, deducta ex Historia antiqua, quam de hac Virgine, & Martyre scripsit *Ælius Antonius Nebrisensis* in fine Legendarij Sanctorum, quod *D. Ioanni Fonseca* Episcopo Burgensi dicauit Anno M.D. XV. vt Clericos suæ diœcesis erudiret. Hanc Historiam ex suo originali desumptam Latinam, provt illam *Nebrisensis* scripsit, damus.

A. *Qua hæc S. Virgo & Martyr.*

Martyrologia.

Scriptores.

HISTORIA S. QVITERIÆ VIRGINIS, & Martyris Aduensis in Hispania ad agrum Toletanum, cum alijs Virginibus, Episcopis, & Socijs Martyribus; per Ælium Antonium Nebrisensem scripta, & typis mandata.

S. QVITERIA *licèt ex parentibus à Christianâ religione alienis, tamen nobilissimâ stirpe orta fuit. Nam* C. Attilius *erat ei pater Regulus super omnes* Hispaniæ *Occidentales; & vxor illius nomine* Calsia, *qui genuerunt Nouem filias, quas* Calsia *vno edidit partu. De istis verò nulla tantam gratiam inuenit coram Domino sicut* B. Quiteria, *quæ antequam nasceretur benedictionem accepit, & post natiuitatem coronam martyrij, in qua etiam sorores pares fuêre. Cui cùm quadam die, dum pro more suo intenta esset in cælum, ecce Angelus Domini apparuit, & ait:* Virgo beata, benedicta tu, pro merito namque tuæ sanctitatis sponsa vocaberis æterni Regis. Nunc ergo in Montem *Oriam* me sequere; ibiq. Dominum non desistas exorare, vsquedum reuelem tibi, quid te oporteat facere. *Ad hanc verò vocem B. Virgo diuinitus inflammata, Angelo comitante, protinus Montem illum conscendit, vbi cæpit orare Dominum quotidie, dicens*: Domine propter nomen tuum, & propter

Origo, & Parentes.

Apparuit ei Angelus.

propter magnam miſericordiam tuam, fac me viuere in pœnitentia vera, & in charitate non ficta, in patientia, in orationibus, & in miſerationibus tuis multis, & ita perſeuerare, vt ineffabili maieſtati tuæ dignè merear placere. *Peractâ igitur oratione rurſus Angelus alloquitur eam dicens*: Surge, & vade, vbi Dominus præparauit tibi coronam martyrij. *Ipſa autem reſpondit*: Domine da mihi benedictionem tuam, & ambulabo vbicunque volueris. *Et benedixit eam dicens*: Benedicta eris ſi in præceptis Domini ambulaueris, & iſtam pœnitentiam tenueris: Vitâ viues, & non morieris in æternum. *Benedictione acceptâ de monte deſcendit, & Angelicæ admonitionis colloquia ſecum in mente conferens, in vrbem* Belcagiam, *vbi parentes erant, rediit. Cúmque ante conſpectum parentum ingrederetur, dixerunt ad inuicem:* Deſponſemus feſtiuè filiam noſtram iuueni Germano. *Et cùm vidiſſet* B. QVITERIA *eos talia narrantes, cæleſtis Sponſi dilectione perfuſa:* Non (*inquit*) licet mihi alicui alteri coniugari, quoniam iam Immortali Sponſo virginitate perpetuâ me deſtinaui, & Sponſus meus Chriſtus eſt. *Cùm autem Regulus audiſſet*, B. QVITERIAM *coniugium tantopere aſpernantem, non paternâ ſeueritate, ſed irâ effreni commotus, iuſſit militibus ſuis, vt in arcto carcere, & vinculis ferreis ligata cuſtodiretur. Ingreſſa verò* B. QVITERIA *in carcerem, dixit:* O benedicte carcer, diù te deſideraui, ac volui in te eſſe conſtricta. *Protinùs Angelus Domini adfuit ei, cùmque ad inuicem loquerentur, viſus eſt carcer claritate repleri, apparuitque Virgo pulcherrima, candidâ veſte refulgens, Virginum choris micantiſsimis ſtipata, ac Beatorum ſpirituum cæleſti turbâ vas quoddam odoriferis plenum liquoribus, ac* CRVCIS *ſignum afferens; Cui Virgo* QVITERIA *inquit*: Vnde hoc mihi, vt Mater Dei mei veniat ad me. *Perunxit verò Dei Genitrix* B. QVITERIAM *vaſculi aromatibus, donauítque* CRVCEM, *quâ à perſecutoribus liberaretur, anulúmque pudoris eius manibus inſeruit, conceſſit etiam cuicumque eam inuocanti, ab omni inſaniæ, & furoris morbo liberationem: atque his peractis in cælum Dei Genitrix migrauit. Protinùs* Orianum *Montem aſcendit Angelo comite, liberata à carcere & vinculis, munere cæleſti, ibíque orauit, & dixit:* Domine antequam ad coniugium veniam, da mihi quod promiſiſti. *Tunc cæleſtis Nuntius dixit ei*: Noli timere, antequam ad coniugium venias magnalia Dei videbis, & nunquam in iſta Prouincia adquires quod quæris; ſed ſurge, & egredere de finibus iſtis, & vade in *Burgum*, in Valle *Aufragiæ* ſitum, vbi erit decapitatio tua. B. QVITERIA *dixit*: Domine da mihi aquas quotidie, & ego in pœnitentia ero, vſque ad obitum meum. *Et dixit Angelus*: Vbicunque bibere volueris, ibi erit fons. *Et dixit illa*: Ille fons nunquam minuatur. *Et ait Angelus*: Ne timeas, quia ego tecum ero vſque ad obitum tuum; & ille fons erit benedictus, & conſecratus. *Hæc in Monte Oriano* B. QVITERIA *colloquente cum Angelo, nuntij patris aduenerunt, eámque ad patrem deſcendere præcipiunt. Cúmque ante eum peruenisſet, dixit ei:* Filia accipe in virum *Germanum* nomine. *Et reſpondit*: Pater iam dixi tibi, quòd nolo habere virum terrenum, nec ſponſum, ſed Chriſtum qui in cœlis eſt, ipſum habeo amatorem. *Et cùm audiſſet filiam ſic loquentem, iratus eſt valde, & miſit nuntios ad* Germanum, *notum ei faciens, ſponſam ſibi ab eo promiſſam, iam eſſe magam, & Chriſtum Crucifixum dicentem ſponſum eſſe ſuum, & non alium velle; oránſque per eos, vt ſi nollet cum ipſo matrimonio iungi, ipſe dignaretur caput à corpore euellere. Et cùm hæc fierent, cæpit habere* B. QVITERIA *ſpatium, & elegit puellas Triginta, & Viros Octo, & nocte exiit de* Belcagia *ciuitate, & pergit ad montem, & inuenit ibi Angelum, cui Angelus ait*: Vade in Vallem *Aufragiam*, vbi dominatur Regulus quidam *Leucianus*, & in illa ad Montem *Columbanum* videbis Angelum Dei in ſimilitudinem hominis ſancti, qui te expectat benedicere, & ſanctificare, & contra Orientem videbis Montẽ *Colganum*, & contra Occidentem, Montem *Vnguli*, vbi eſt diabolus

A parentibus deſponſari iubetur.

Cõtradicit.

Incarceratur.

Apparet ei B. Virgo Maria.

A carcere liberatur ab Angelo.

In vallem Aufragiam fugit.

Digitized by Google

diabolus expectans animã Regis *Leuciani*, quia Christianus fuit, & nunc in Deum non credit. *Et cum peruenisset ad Vallem Aufragiam, & videret illos montes, & Burgum, & flumen; cum gaudio magno dixit*: Verè iam cognosco, quoniam propè est dies, quam Dominus mihi promisit. *Et transiunt illud flumen nomine* Alisanum, *& venit ad ostium* Leuciani *Reguli. Qui tunc dixit eis*: Vos puellæ, & pueri vnde estis? aut vnde venistis? vel quid quæritis? B. QVITERIA *respondit post multa*: Tecum nolo vllam rationem habere, quia diabolus expectat animam tuam, nisi pœnitentiam egeris, & ad fidem reuersus fueris. *Cùmque talia, & similia loqueretur, iratus Regulus iubet eam mitti cum sequentibus in carcerem, vsquedùm dicerent, vnde venirent, aut quò tenderent. Ingressa carcerem ait*: O benedicte carcer, diu te desideraui; volo in aliqua constrictione hic habitare. *Et cùm esset sic in oratione, venit Angelus, & illuminauit carcerem per mediam noctem, quasi Sol per meridiem; & solutus est lapis carceris, & vincula ferrea confracta sunt, & in illo loco nihil aliud remansit de carcere, nec de vinculis, ac si nunquam fuisset impositus lapis in eo. Videntes hæc Triginta custodes, qui eam custodire venerant, crediderunt dicentes*: Tecum volumus pariter credere, & habitare, quia nullum alium volumus habere Dominum, nisi qualem tu habes modo. *In paucis diebus conuersa est multitudo gentium; & omnes leprosos, qui ad eam venerant, mundauit Dominus; cæcos illuminauit, surdos audire fecit, & mutos loqui; dæmonia de corporibus eiecit propter castitatem, & ieiunium eius. Et cùm à carcere soluta esset*, Leucianus *obcæcatus est voluntate diuinâ, & non videns lucem ait*: Roga Deum tuum ô B. QVITERIA, vt restituat lumen oculorum meorum. *Quæ postquam iter vitæ ostendit ei, orauit, & oratione completâ, tetigit eum, & aperti sunt oculi eius, & vidit, & ait*: Da pauperibus thesaurum quem habes absconditum, & possessiones istius vitæ, & videbis regnum Dei, & depone coronam capitis tui. *Quæ omnia fecit sicut* S. QVITERIA *præcepit. Tunc diabolus qui animam Reguli expectabat, cum magna voce ait*: O QVITERIA, quare contra nos tantam malitiam præparasti? aut quis tibi permisit docere Regulum in hac Prouincia? Ego autem multùm desideraui Reguli animam, & sequentium eum, & ipsos tu nobis tollis. Væ mihi! in seruitio hucusque meo permansit, & in vno momento eum perdidi. *Quæ vox audita est per omnem prouinciam. Tunc B. Virgo cùm esset iterum cum Regulo, ait ad* B. Columbanam: Vade & ascende in montem, & si videris populum contrà venientem, renuntia mihi, quia ibi coronam martyrij volo accipere, sicut promisit mihi Dominus. *Cui* Leucianus *ait*: Hominem times de mea Prouincia? *Respondit*: Timeo patrem, & exercitum suum, & puerum, qui me voluit habere sponsam. *Regulus intuens eam ait*: Verè ista Virgo nunquam de carne humana fuit concepta; & si de Spiritu-Sancto fuit, ad ipsum pergat; & si de carne humana, cœlestia regna possideat: *Et tunc dimisit eam, ne iter sanctum impediret. Et cùm ascendisset in montem cum* B. Remedio *&* Simplicio, *& aliis sociis suis, venit Angelus Domini in similitudinem hominis senis super vnum lapidem, & posuit benedictionem, & fons egressus est benedictus: & venerunt duo Angeli, & benedixerunt illam terram, & fontem, sicut promissum ei fuerat, dicentes.* Domine, iste fons non crescat, nec decrescat. *Et in hunc modum seruatur iuxta sepulchrum ipsius Virginis, vsque in hodiernum diem; & nunc vocatur ab incolis ciuitatis Aduensis* FONS SALVTIS, *ex eo, quòd plurimi aquam ipsius bibentes, salutem consequuntur, & in tali die nullum periculum patiuntur, vt experientia probat, & multorum fama hoc experientiâ comprobantium. Et dixit illa ad* B. MARTIANVM, *& ad* B. Valentinianum: Benedicite monumentum istud. *Et dixerunt*: Benedictio, claritas, honor, & virtus, & fortitudo Deo nostro, & repleat locum istum benedictionibus suis. *Et dixerunt Angeli*: Amen. *Cúmque appropinquasset iam dies passionis eius, stabat vsque ad vbera in aqua, & cubitis*

Leucianum Regulum monet vt ad fidem reuertatur.

A Regulo comprehenditur.

Multitudo magna conuertitur.

Leucianus obcæcatur, & à B. Quiteria sanatur.

Montem ascẽdit ornãdi gratiâ.

Fons sanctus.

Digitized by Google

cubitis in terram fixis intenta in oratione, venit Angelus, & ait: Hodie poſſidebis coronam, quam tibi Dominus promiſit. *Cui ait*: Deum meum laudabo, quoniam diu eſt quòd deſidero videre. *Tunc venerunt omnes perſecutores eius, cum* Germano *amatore ſuo, & tranſierunt flumen, & cum introiſſent in vallem, vbi* S. QVITERIA *erat, miſit* Germanus *ſpiculatores ſuos, vt quiſquis eam inuenire poſſet, gladio trucidaret. Ipſa autem die inuenit eam* Dumanus, *& dixit ei:* Tu quis es? *At illa:* Ego ſum QVITERIA. *Et dixit:* Oppreſſa à dæmone, infirma rabido morſu, & à morbo caduco, ego interficiam te. *Et extendit gladium, & amputauit caput eius. At illa dixit cum gaudio*, Domine accipe ſpiritum meum, & defende ab his infirmitatibus, omnes in mea defenſione ſpecialiter exiſtentes. *Et audita eſt illicò vox cœlitus miſſa dicens:* Ita conceſſum eſt in cœlo à Domino, ſicut petis in agone poſita. *Et cùm in terram cecidiſſet, ecce Angeli acceſſerunt, & dixerunt:* Surge, eamus ad monumentum tuum. *Et accepit* B. QVITERIA *caput ſuum in manibus ſuis, & portauit illud per Septuaginta & duo ſtadia, & venit cum Angelis, & ſequentibus ſe ad monumentum. At* Dumanus *poſtquam decollauit eam, narrabat* Germano *& omnibus, mirabilia, quæ Dominus miniſtrauit ſuper eam, & non crediderunt ei; ſed magis iratus* Germanus *ait ad eos, qui eum ſecuti fuerant:* Quare non occidiſtis omnes qui cum ea venerunt in iſtam Prouinciam? Ite, & occidite eos qui ſecuti ſunt eam. *Interea ecce* Adrianus *Regulus* Toletanorum, *audita factorum fama* B. QVITERIÆ *& ſuorum, exiens de ſua ciuitate iuit ad montem* Columbanum, *vbi inuenit ſanctos Dei diſperſos cum multitudine, quæ conuerſa fuerat ad fidem, ob prædicationem* S. QVITERIÆ *Virginis, & propter miracula quæ viderant, & occidit omnes illos quos inuenit, & dimiſit canes in eos, vt illorum carnes deuorarent, dicens furibundo ore:* Ego Rex terrenus ſum, videamus ſi illorum Deus poterit eos liberare de manibus meis. *At* B. Columbana *vt vidit eos appropinquare, ait:* Exercitus multus adeſt, qui nos interficere veniunt. *Et* B. Martianus *Epiſcopus videns illorum timorem, ait:* Nemo vos ſeducat de credulitate Dei propter tormenta, quia ſi corpora perdideritis, animas ſaluas faciet Dominus ſuper nos paucos fideles ſuos, quàm ſuper illos paganos, qui Deum credere nolunt. *Tunc* B. Columbana *dixit*: Domine IESV-CHRISTE nunquàm me deſerere digneris in hora martyrij. *Et* B. Valentinianus *dixit*: Verè ſi prædicamus Euangelium, multi credituri erunt in Dei miſericordia. *Sed* B. Romanus, *qui venerat de ciuitate* Belcagia *cum* B. QVITERIA *ait:* Melius erit ad martyrium carnem noſtram præparare, quàm his rebus operam dare, qua illi freti crudelitate ſuâ, dignam mortem potius pro CHRISTO nos ſubire facient, quàm prædicationem noſtram audient; & ipſi nihil ſunt contra nos, & nos aduerſarij ſumus contra illos; Facite ergo dilectiſſimi voluntatem Patris, & intus lampades parate veſtras, quia filij Regis eſtis. Omnis ergo gloria veſtra ab intus ſit; & intus habete quod foris luceat. Propterea quæ ſurſum ſunt ſapite, quò B. QVITERIA peruenit, & non quæ ſuper terram. Quia veſtra conuerſatio in cœlis eſt, illuc dirigite mentes, illic abſcondite vitam veſtram, donec furor perſequentium pertranſeat. Ibi namque habebitis ſponſum, ibi pontificem, ibi omnia quæcumque quæritis. Illuc dirigite mentem, vt cum CHRISTVS Virginis Filius apparuerit in fine ſæculi, cum ipſo vos appareatis in gloria. *Hac eo dicente* B. Columbana *fugit ad locum vbi corpus* B. QVITERIÆ *erat humatum; & tunc inuenerunt eam genibus flexis in oratione* Adriani *milites, & dixerunt:* Tu quis es? *Quæ reſpondit:* Chriſti ſerua ſum. *Quod cùm audiſſent, vnus eorum amputauit gladio caput eius. Et tunc dixit Adrianus.* Nunc videant omnes, quia ego ſum Rex qui te poſſum occidere, & decapitare, & quia alius non eſt, qui de manibus meis te poſſit eruere. *Et immolauerunt eam, & omnes quos inuenerunt credentes in Chriſto; & ipſa eadem die interfecti ſunt* LEVCIANVS *Regulus, & Martianus,*

Aduerſus Virginem exercitus Patris accurrit.

Coronatur.

Virgo ſuis manibus caput portat.

Plures Martyres occidit Regulus.

& Martianus, & Valentinianus *Episcopi*, & Remedius *Eremita*, & Romanus *socius* S. QVITERIÆ *qui cum ea de* Belcagia *venerat*, & *etiam occiderunt multitudinem credentium in Christo*, & *sic immanitatem in omnem terram exercentes*, *nulli parcentes*, *hæc*, & *his similia facientes*, *ceciderunt mirabiliter in infirmitatibus variis*. *Nam alij ardebant quasi lignum*, & *ignis*. *Alij verberabantur à dæmonibus mutis*. *Alij à dæmonibus loquentibus*. *Alij à dæmonibus percutientibus in frigore*. *Alij rabie diabolicâ affligebantur*. *Istæ quinque passiones significant castitatem* S. QVITERIÆ, *quæ in quinque sensibus corporis sui casta fuit*, & *virgo*. *Per hos quinque sensus corporis*, *quos*, *dum vixit*, *fideliter custodiuit*, *dedit Dominus persecutoribus suis has quinque passiones super eos*; & *ideo habet Beata* QVITERIA *quinque dona à Domino Nostro* IESV-CHRISTO *super istis prædictis quinque infirmitatibus gene aliter vbique terrarum*, & *specialiter super omnibus in sua defensione existentibus*. *Intelligamus ergo fratres*, *vt nullus præsumat dicere*: *virgo sum in quinque sensibus corporis mei*, *videat ne proferat mendacium*; *qui ergo virgo permanserit*, *vitâ viuet*, & *non morietur in æternum*. *Post hæc Angelus Domini venit ad quendam Dei amicum*, *nomine* Honoratum, & *ait*: Honorate, vade ad montem, qui vocatur *Columbanus*, vbi multa Corpora Sanctorum trucidata propter Deum, & fac ibi quod Dominus iusserit tibi, & sepelies B. QVITERIAM in Ecclesia *Beati Petri* ad Occidentalem partem in sarcophago marmoreo, & non longè *B. Martianum* Episcopum, qui dignus est Deo, & *Valentinianum* Episcopum, & *Leucianum* Regulum, qui per doctrinam B. QVITERIÆ dereliquit seculum, & secutus est Dominum. *Venit autem* B. Honoratus *in montem*, *sicut Angelus imperauerat*, & *sepeliuit* B. QVITERIAM, *omnésque illos*, *quos dura infidelium manus occiderat*. *Et non post multos dies* Germanus *vidit quòd Dominus ostendebat multa miracula per* B. QVITERIAM, & *dixit*: Domine in cuius nomine B. QVITERIA confidit, ac credidit, ostende viam mihi salutis, & da mihi pœnitentiam, quia tantam malitiam feci, & permisi facere contra te, propter hoc pœnitere cupio, quia ego præcepi, vt quisquis eam prior inuenisset, gladio trucidasset. *Tunc Angelus adfuit*, & *ait*: Si veram pœnitentiam quæris, veram indulgentiam habebis, & si patrem tuum Adrianum Regulum manibus baptizas, erit saluus in conspectu Dei. *Et ipse fecit sic*, & *stetit insuper pœnitens à* IV. *Kalendas Maij*, *vsque ad IV. Idus Ianuarij*. *In istis diebus vinum*, & *siceram non bibit*, *nec alias epulas comedit nisi tantum panem & aquam*, & *sic meruit peruenire ad gloriam promissam*; *ipso adiuuante*, *qui sine fine viuit*, & *regnat per infinita seculorum secula*, *Amen*.

Occisores varijs pœnis cruciantur.

Angelus apparet Honorato.

Qui B. Quiteriam sepeliuit.

Hactenus ACTA genuina ex Codice *Nebrissensis*, in quorum probationem quatenus ad Natiuitatem S. Virginis vnà cum sororibus, iam ad amussim egimus suprà *Tom.* 1. *die XVIII. Ianuar. fol.* 183.

CIRCA *Translationem* sacrorum pignorum S. QVITERIÆ è Monte *Columbano*, ad Ecclesiam *S. Petri* per *Honoratum* Præsulem, quem perperam *Florum SS.* Scriptores vocitant *Liberatum*, patet ex Actis, quorum clausulas roborat Iulian. *in Chron. num.* 79. [illegible] serie: *In Tractu* Toletano *celebris habetur memoria* S. QVITERIÆ [illegible]*nis*, & *Martyrij*, *prope* Margelizam *passæ*, *quam* S. HONORATVS *Episcopus* Toletanus *sepeliuit in Æde S. Petri Principis Apostolorum*. Quod & confirmat hoc vetustum *Epigramma Acrostichum* in meo Codice MS. Carminum suprà memorato, in quo licentiis poëseos benigne ignoscito:

Quis ille Honoratus qui sepeliuit Quiteriam.

S. QVITERIÆ VIRGINI, ET MARTYRI Adurenſi in agro Toletano paſſæ, Sacrum.

Hoc ubiacet inculto Martyr QVITERIA *ſaxo;*
Quæ manibus propriis ſignatam hic condidit vrnam,
Vt ſacrúmque quieſceret æua per omnia Corpus.
Illius at Sanctus Honoratus *pignora Præſul*
Tranſtulit, & linquens vmbroſa cacumina, teſtes
Eximios, qui Virginis vnica nomina ferrent
Amorum ſonitu, ad tria iam diſcrimina mundi:
Inquè ſacram Magni conſignat pignora Petri
Idem, quâ populis confert magnalia Chriſtus.

Conuerſio Leuciani Reguli. QVATENVS ad conuerſionem *Leuciani* Reguli, & populi *Adurenſis*, poſt Acta, & Scriptores *Flor. SS. Hiſpan.* adeſt Collecta ſequens in Antiquo Breuiario Toletano: PRÆSTA *quæſumus omnipotens Deus, vt qui* B. QVITERIAM *virginitate, & martyrio decoraſti, & ſicut tua virtute diabolum colligauit, &* Regulum *cum infinita plebe conuertit, ita & à rabie diabolicâ, & à cunctis infirmitatis fraudibus, eius aſſiduis precibus, nos facias liberari. Per Dominum noſtrum.*

Eccleſia S. Petri tẽpore VVambani. DE Eccleſia S. Petri, quâ *S. Honoratus* repoſuit S. Virginis & Martyris pignora, hoc ſcriptum reliquit Iulian. *in Chron. num.* 79. his verbis: *Quam* (S. Petri ædem) *S. Marcus Marcellus erexit, Rex autem* VVamba *Gothorum, Virginis* (QVITERIÆ) *inuictæ deuotiſſimus reparauit, ſub Pontifice Toletanorum, ſanctiſſimo Viro, & doctiſſimo* Quirico. Cuius etiam ſententia firmatur ex antiquiſſimo monumento, in eadem Eccleſia inuento, tempore *Iuliani*, vbi hæc carmina:

Erigit has Marcus *ſedes ab origine* Petro.
VVamba *has reparat Rex, poſt, inſtante* Quirico,
Obquè tui ſummum, QVITERIA, *pignus amoris;*
Cuique preces ſemper fundit, quòd Numina places.

De cæteris poſtea agemus, poſtquam *B. Leuciani* Reguli, & ſociorum Acta repetemus, nam diuiſis tantorum Martyrum rebus geſtis, maturius eaſdem *Lectori* diluemus.

B. *Martyrum numerus.* SS. LEVCIANVS Regulus, & Socij Martyres.] Ex Actis ſupra recenſitis S. QVITERIÆ martyrio fuiſſe ſimul cum ea coronatos, MARTIANVM, VALENTINIANVM Epiſcopos, SIMPLICIVM, ROMANVM, COLVMBANAM Virginem, & alios innumeros Socios cum LEVCIANO Regulo, liquet, ideo eius memoriam, & aliorum hîc repetere curauimus. De omnibus agunt Iulian. *in Chron. n.* 80. & *in Aduerſ. n.* 381. Brit. *in Monarch. Luſit. lib.* 1. *c.* 18. *& lib.* 5. *c.* 19. Vaſconcellos, Quintana-Dueñas, & cæteri quos ſupra citauimus. En Acta ſeparata.

ACTA S. LEVCIANI ADVRENSIVM, & Carpetanorum Reguli cum ſocijs; ex Actis S. Quiteriæ.

Origo. FVIT *temporibus Adriani Romanorum Imperatoris in partibus* Hiſpaniæ, *quidam illuſtris Vir nomine* LEVCIANVS, *qui vrbem* Aduram, *& partem* Carpetaniæ *Reguli titulo moderabatur. Iſte acceptâ Catholicâ religione, per aliquod tempus in eius extitit confeſſione, ita vt Chriſti per illam regionem augeretur nomen, & Eccleſiæ donarijs augerentur fidelium. Sed cùm Regulus auaritiæ morbo laboraret, à fide receſſit, vt Eccleſias ſpoliaret; quod non ſolùm fecit, ſed & Iulianum Toletanæ, Iulium Abulenſis, Martialem Tyraſonenſis, & Valentinianum Valerienſis Eccleſiarum Epiſcopos violenter induxit, vt impia facinora eius cõfirmarent, laudaréntque, ex quo fides, & religio*

Seducit Epiſcopos.

in

in illis partibus cœpit labefactari. Sed veniente S. QVITERIA, *Angeli admonitione, in vrbem* Aduram, *Reguli insolentiam redarguit virgo, & magno feruoris spiritu incensa* LEVCIANVM *incœpit interpellare, & vt thesauros Ecclesiis restitueret, & vt ad Deum humiliter reuerteretur, si animæ suæ æternam euadere damnationem amaret.* *Redarguitur à S. Quiteria.*

TANTAM *igitur Regulus execratus audaciam, illam cum sociis in carcerem recludi fecit, & à cibo, & potu quatriduanâ abstinentiâ mulctari. Vix in custodia includitur* Quiteria, *cùm, mirabilibus interuenientibus, Carceris custodes, & Reguli ministri, tot miraculorum frequentiâ excitati, Christo nomina dedêre, & Virgini adhærentes, Reguli odium propter insigne facinus concitarunt. Qui, vt audiuit quæ euenerant,* QVITERIAM *cum ipsius sociis, & nouiter conuersis, neci tradere decreuit; sed protinus visum perdidit, pariter & auditum. Huius miraculi vix sunt efficaciam intuiti cæteri Reguli Aulici, & Proceres, cùm* LEVCIANVM, *prauia de restituendis Ecclesiæ donariis, & de Christi fide reassumendâ, factâ promissione, Virgini obtulerunt; quæ eius pœnitentiam considerans, illi protinus visum & auditum restituit. Tunc* MARTIALIS, & VALENTINIANVS, *qui adhuc deuij à muneris obligatione perstiterant, necdum fuerant* Iuliani *Toletani*, & Iulij *Abulensis resipiscentiam imitati, auditâ Reguli conuersione, & S. Virginis sanctitate, pœnitentiâ commoti, & lacrymarum imbre perfusi, ad Virginem accedentes, quæ sibi euenerant propalarunt, & Regulum ad constantiam in fide viriliter retinendam induxere. Quo facto* Quiteria, *& qui cum ea erant* SIMPLICIVS, COLVMBANA, *& socij in montem secedentes, & orationi vacantes, gratiásque Domino mirâ deuotione soluentes, Angelicis visionibus illustrati, agonis præcogniti tempus expectabant. Quod vt agnouerunt Regulus, & Antistites, ad montem, vbi* Quiteria, *& socij orationi vacabant, ascendentes, etiam ibidem sua peccamina deplorantes, martyrium cum cæteris viriliter exposcebant. Tunc peruenit* Germanus, *cui in matrimoniũ promissa à Patre* C. Attilio *fuerat* Quiteria, *cum magnis militum copiis, aduersus Virginem, Regulum, Episcopos, & cæteros, qui Christo nomina dederant, ab ipso* C. Attilio *Patre Virginis missus, vt omnes cruento gladio trucidaret.* Germani *aduentum vt didicit* Quiteria, *ad martyrij constantiam omnes efficaciter inuitauit. Cuius feruorem perscrutans* MARTIALIS *Episcopus dixit:* Estote firmi fratres, & nolite timere, nam ille coronabitur qui legitimè certauerit. *His dictis ad orationem accensi martyrium absque trepidatione petebant. Breuì* Dumanus *Germani Dux cum militum validâ manu in fideles erumpens, totam illam sanctissimam cohortem, nimiâ ferocitate interfecit,* XI. Kalend. Iunij *ad Annum circiter* C. XXXVIII. *Neque tanti sceleris longè abfuit vindex Numen, ita enim repentè, cælo vndique fulgurante, fœdissima orta est tempestas, vt nullus piaculi fuerit particeps, quin pœnas debitas non senserit; nam aly subitò, alij rabie, alij insaniâ, aly pauidi, & cæteri frigore mortem crudelissimam degustarunt. Diuorum omnium Martyrum Corpora, in eo Martyrij loco sepulta sunt, ab Eustachio æquè nobili ac pio homine, qui ab Angelo admonitus, illis sepulturam parauit. Postmodum* SS. MARTIALIS *Episcopi, &* LEVCIANI *Reguli sacra pignora ad vrbem* Viccensem *in* Cathalonia *translata fuisse creditur, vbi honorificè coluntur. Sanctæ* Quiteriæ *verò lipsana post sepulchrum in monte, quo martyrio coronata est,* in Sancti Petri Ecclesiam *aducta, demumque Vasatum in Vasconia traducta sunt.*

Comprehendit S. Quiteriam.

Obcecatur.

Sanatur, & conuertitur cum aliis.

Coronãtur.

Corpora sepulta.

Transferuntur Viccum.

Hucusque Acta. Quæ in ipsis notanda veniunt breuiter expendam. Et primo de Martiali, & Sociis Episcopis, quos cadere impulit LEVCIANVS, audi Iulian. *Aduers.* 381. *fol.* 84. sic loquentem. *Regulo Carpetanorum* LEVCIANO *perfido, fides Christiana cœpit labefactari;* & Iulianus *Toletanus Episcopus*, Iulius *Abulensis*, Martialis *Tyrasonensis*, Valentinus *Valeriensis, cadunt.* Primi postea resipiscentes ad Ecclesiæ gremium reuersi sunt, sic prosequitur Iulianus: *At* Iulianus *missis à B. Clemente literis cum* Iulio *resipuit.* De eo scripsimus *die VII. Ianuarij.* Secundi scilicet MARTIALIS, & VALENTINIANVS, itidem hoc die martyres effecti, maculam profuso sanguine luerunt

Quis Martialis Episcopus.

luerunt, ſicque omnes demum beatitudinis gloriam perceperunt.

An Simplicius fuerit Epiſcopus?

QVEM Socium B. Quiteriæ SIMPLICIVM referunt Acta ſuperiùs exſcripta, Iulianus Petr. in Chron. n. 80. fol. 25. Epiſcopum fatetur, ſic: *Floruerunt cum Quiteria ſub Adriano* (LEVCIANO repone) *Regulo*, COLVMBA *Virgo*, *Martialis*, & SIMPLICIVS, *Antiſtites*. Iuliani opinionem, illo non viſo, tuetur P. F. Bernard. Brit. *in Monarch. Luſitan. tom. 2. lib. 5. c. 19. fol. 92. col. 4.* Acuña *tom. 1. Hiſt. Braccar. c. 27.* VALENTINIANVM, & COLVMBANVM omiſit Iulianus. Illos martyres cum *Quiteria*, & Sociis indicant Acta ſuperiùs relata, ex *Vega*, *Æmiliano*, & *Anonymo*.

Quo tempore tranſlata corpora SS. Leuciani, & Martialis?

De *Tranſlatione* Corporum SS. LEVCIANI, & MARTIALIS *Adurâ*, *Vicum Cathaloniæ* dubius ſcripſit Luitprandus *in Chron. Ann. 902. n. 323.* his verbis: S. *Luciani Pontificis & Martyris, comitis S. Dionyſij Areopagitæ, oſſa Bellouaco ad vrbem* Vicenſem *tranſlata ſunt. Alij putant* LEVCIANI *Reguli* Carpetanorum *corpus, paſſi cum* Quiteria, *cum corpore* S. MARTIALIS *allatum*. Ego pro Anton. Vincent. Domenec *Hiſt. SS. Cathal. lib. 1. fol. 99. col. 2.* Pujad *Hiſt. Cathalon. lib. 4. c. 55.* ſto, quia iſti ex antiquis *Vicenſis* Eccleſiæ monumentis probant, ſacra corpora ibidem condita SS. LVCIANI, & MARTIANI Ciuium *Vicenſium*, & Martyrum eſſe, (quorum Acta compaginant) à Noſtris Toletanis, ſiue *Adurenſibus* Martyribus diuerſa; ex quo, & ex dubiâ *Luitprandi* relatione ſuademur, LEVCIANVM Regulum, & MARTIALEM Tyraſonenſem Epiſcopum cum *Quiteria* paſſos, nullibi è prima ſepultura tranſlatos, ſed ibidem requieſcere non inanes Coniecturæ compellunt, quas *die XXVI. Octobris* Deo duce ſubiiciemus.

Sauſſay aſſertio de tranſlatione S. Quiteriæ Vaſatum, improbabilis.

CIRCA Corpus B. QVITERIÆ Toleto, *Vaſatum Vaſconiæ* tranſlatum; Andr. Sauſſayus in *Martyrol. Gall. tom. 1. fol. 299.* hæc ſcripſit: *Vaſati in Vaſconia, natalis* S. QVITERIÆ *Virginis, & Martyris, cuius in* Hiſpania *coronatæ ſacra hinc tranſlata pignora, pro patrocinij iure illic magnam venerationem receperunt.* Quo titulo hoc ſcripſerit penitus ignoro, licèt à me interpellatus per literas, ſit vſus ſilētioſo diffugio. Item hoc die agit de altera QVITERIA Galliæ paſſa, quam perperam *Alphonſus Villegas in flor. SS.* cum Noſtra *Toletana* confundit, & hoc in cauſa fuit, quatenus abſque diſcrimine harum Martyrum, ſolo nominis tinnitu compulſus, vnicam QVITERIAM nominauerit, illámque *Gallam* ſcripſerit. Quo, P. Vaſconcellos in *Deſcript. Portugall. fol. 447. n. 12. & 13.* qui contra Villegas inſurgit, iſtius errorem compertum habebit.

Alphonſi Villegæ error.

Topographia.

ADVRA, ſiue MARGELIZA. Oppidum in *Carpetania*, ad *Vettonum* oras pertingens. De eo plura P. Quintana-Dueñas *Hiſt. SS. Toletan. Secul. 3. §. 2. fol. 449.* qui plurimos de hoc oppido loquentes recenſet; necnon Templa S. Virginis nomini, & numini dicata, quorum Catalogum ſi videre, & legere deſideras, illum adi: Qui de Templo S. QVITERIÆ iuxta MARGELIZAM conſtructo, & à Virginibus Benedictinis poſſeſſo, & tempore Hiſpanij excidij ſubuerſo, Sanctimonialium orationibus, ne in Sarracenorum deuenirent manus, vbi audiuntur ſubtus terram ſonitus campanarum, teſtatur ex Iulian. *in Aduerſ. n. 550. fol. 127.*

C. S. ATTO *Epiſcopus* Piſtorienſis *Confeſſor.*] Venerabilis ex ordine *Benedictino* apud *Vallem-Vmbroſam* alumnus, cuius VIII. Generalis fuit, & ſucceſſor S. Bernardi Parmenſis Epiſcopi, & Cardinalis in generalatu, pòſt Epiſcopus Piſtorienſis; de quo Philipp. Ferrar. in *Catal. General. h. d. fol. 212.* & in *Catal. SS. Ital. fol. 302.* & in *Topograph. SS. fol. 101. col. 2. Martyrol. Monaſt.* & *Hugon. Menard.* De eo *Chron. Vallis-Vmbr.* Saluianus Razzius *de SS. Hetrur.* Volaterran. *lib. 20.* Yepes *Chron. Benedict. tom. 7. fol. 253.* VVion *in lign. Vit. 1. p. lib. 1. c. 34.* Eudox. Lancellot. *in Vit. S. Ioann. Gualter. lib. 2. c. 15.* Theſaur. Velius *in Vit. S. Bernard. de Vbert. c. 10.* Sozomen. Protonotar. *in Chron. Ann. 1145.* Eius elogium ſcripſit Chryſoſtom. Talenti, & alij. Eius vitam Com. Bricciola Protonotar. Apoſtolicus, Ludouic. San-LLorente Romæ typis excuſam Anno 1613. Metricè Pancratius Florentin. Monachus. Horum duorum Acta tranſcribemus, quia elegantiora, & correctiora nobis viſa ſunt.

ACTA

Digitized by Google

ACTA S. ATTONIS ABBATIS, ET Episcopi Pistoriensis Hispani; ex Ludou. San-LLor.

B. *igitur* ATTO *fuit natione* Hispanus (*vt & ipsemet sibi testis est*) PACENSI *vrbe natus, quæ postquam fuit* Beja *Arabum cladibus deuastata, Episcopalem Sedem accepit.* Pacensis *Latinè, vsitata verò voce* BADAIOZ *appellatur. Vrbs, siue antiquitate celebris, siue quia naturæ artificio Ana fluuio irrigatur,* Hispanis *optimè nota. Dubium tamen adhuc est, quibus fuerit ortus parentibus, & quamuis multæ coniecturæ suadeant, eum nobili procreatum fuisse prosapia, non refert nunc generis nobilitatem, ad laudem indagare: cùm eius vita sanctissimè acta, quampluribus illustrata miraculis, longè illum clariorem reddiderit, quàm clara progenies efficere potuisset. Puerulus præterea dùm esset disciplinarum studio traditus, vt in ætate, sic in humanarum, & sacrarum literarum scientia (qua fuit egregie instructus) progressus faciebat in dies; ac ne, vt solet, inflaret, hanc cum morum grauitate, Christianarumque virtutum ornamentis, perpetuò coniunxit. Si quidem* Pacensis *Ecclesiæ electus* Canonicus, *Ordinibus Ecclesiasticis gradatim susceptis, ad apicem sacerdotalem tandem promotus est. Quo in munere obeundo, ita se* B. ATTO *aliquando gessit, omnia sui officij exercitia laudabiliter adimplens, vt charitatis, humilitatis, castitatis, & cæterarum Clericalium virtutum, & suæ Ecclesiæ, & Populi ciuibus non pauca quotidie specimina exhibuerit.*

I. *Origo.*

CÆTERVM *cùm S. Vir perfectionis vitæ institutum adire, secum meditaretur, patriam (quæ impedimento esse solet) relinquens,* Italiam *versus peregrinari decreuit. Sed* Romam *potissimum Religionis gratiâ sibi inuisendam proposuit: Sanctorumque Apostolorum liminibus deuotè visitatis, solitudinis desiderio captus; ecce elongauit effugiens, & mansit in* Valle-Vmbrosa *ad radicem Apennini in Hetruria eremo, ob arborum densitatem, & amœnitatem sic appellata, & à* Florentia *commendatissima vrbe, ex parte, quæ Orientem respicit* XVI. *Mill. distanti: in qua vitam eremiticam plures Monachos ducere, fama nuntiabat vbilibet. Ibi Christo militaturus, habitum S. Ioannis Gualberti, Vallis-Vmbrosanæ Congregationis Fundatoris, suscepit; ac Sancti Benedicti monasticam formam, normam, regulamquè communem cum aliis circa annum Dom.* M. C. XXV. *expresè profitetur. Vnus quidem erat omnibus habitus, vna omnibus regula, dispar tamen eius obseruationis exercitatio. Nam* S. ATTO *inter alias eius virtutes, seculo adeò se abnegauit, reliquit & mundana omnia, vt ne suorum quidem parentum, consanguineorum, affiniumvè nomina, toto suæ vitæ curriculo vnquam protulisse tradatur.*

II. *Peregrinatio.*

ET *quidem sic obedientiam, castitatem, ac paupertatem regularem, præ cæteris B. Monachus obseruauit; horariis precibus Monachorum primus adfuit, eas studiosè pariter, ac deuotè concelebrans, ieiuniis feruidè vacauit, ciliciis & disciplinis indefessè incubuit, vt nemo inter Monachos* ATTONE *fuerit obedientior, nemo castior, pauperior nemo, nemo feruentior, nemo abstinentior, perfectior denique nemo in regularis vitæ actionibus iudicaretur. Quapropter non post longum temporis spatium designatur in Abbatem* Vallis-Vmbrosanæ *Monasterij, ac VIII. Generalem totius Ordinis, & Bernardo de Vbertis Episcopo Parmensi, & S. R. E. Cardinali, Sancto Sancto suffectus est.*

III. *Prælatura.*

SED *quia diuersis virtutibus, præclarisque facinoribus in Generalatus munere constitutus S. Monachus enituit; operæ pretium duxi, ab humilitate, omnium virtutum radice, prius narrationem inciperc. Illum, vt diximus,* Vallis-Vmbrosani *Ordinis VIII. Generalem constituerunt Monachi; non igitur, tam cui obedirent, quàm quem imitarentur sibi proposuerunt; quia ita humilem se præbuit in cunctis, vt non alium quàm peccatorem, se ad omnia indignum, scriptis firmaret, & ore. Vsus est præterea sancta in conuersando grauitate, in præcipiendo prudentia, & in castigando humanitate. Mallebat*

IV. *Humilitas.*

Digitized by Google

ergo deflectentes à regula, & inſtituto, paternis quibuſdam conſiliis, & admonitionibus, quàm minis, & acerbitate reuocare. Maximè vero patrem ſe in iis recipiendis oſtendit, qui religione deſerta, habitum abieciſſent, quam ob cauſam, aliquas obortas perſecutionum procellas, non minus fortiter, quàm ſapienter ſuperauit. Erat etenim patientiſſimus, animo conſtans, mente deuotus, inceſſu maturus, & ſicuti ſibi difficilis, & ſeuerus, ita aliis facilis, & benignus exhibebatur. Verum filium etiam ſe prabuit illius, qui Parens Congregationis, fundator, ac propagator extiterat: quamplurima enim Monaſteria per Hetruriam à fundamentis extruxit, multa inchoata perfecit, & perfecta alia (vt eſt illud S. Vigilij de Lugana in Veronenſi diœceſi) impetratis priuilegiis ab Innocentio II. Rom. Pont. ſuo Ordini aggregauit. A quo etiam multarum immunitatum Vallis-Vmbroſanæ *Congregationi, à diuerſis Pontificibus conceſſarum confirmationem obtinuit, datis Piſis per manum Aymerici S. R. E. Diaconi Cardinalis, & Cancellarij Anno Incarnationis Dominicæ* M.C.XXX. *Indictione* VIII. *Pontificatus verò D. Innocentij PP. II. Anno I.*

V. *Epiſcopatus.*

Dvm *hiſce temporibus, his & ſimilibus* S. Atto *fulgeret virtutibus, ex hac vita migrauit* Ildrobandus *Piſtorij Epiſcopus (hac in Hetruria XX. Mill. Florentiâ diſtat) in cuius ſedem* Attonem, *iam Virum in religione probatum, eius ſanctitate mota Piſtorienſis Eccleſia, Præſulem deſignauit, & deſignatum, de eiuſdem Eccleſiæ obſecratione, Innocentius II. Anno* M. C. XXXIII. (*quidquid alij dicant*) *confirmauit. Qui licèt maximè doluiſſet, ne diuinæ tamen obſiſteret voluntati, onus illud non recuſauit. Immò animaduertens, non tàm ad honorem, quàm ad onus à Deo fuiſſe vocatum, ex tunc & Monachi, & Paſtoris curam habere cepit. Monachi quidem, quia ſemper habitum, ſemper regulam Monachorum tenuit; Congregationibus, & Comitiis generalibus ſui Ordinis vocatus ſemper interfuit, & eiuſdem Conuentus, vnà cum Superioribus viſitauit; quo tempore in Monaſterio S. Sepulchri Affini Bergomenſis diœceſis,* Manfredi *Abbatis precibus annuentem Altaria duo, & alia per diuerſa Tuſcia loca, ſacraſſe legimus. Paſtoris verò, ſiquidem, ad pauperum, egenorúmque refectionem, ad pupillorum, & viduarum inopiam ſubleuandam, Hoſpitale* S. Iacobi, *quod in Burgo portæ* Gaialdaticæ *Piſtorienſis Ciuitatis conſtructum manet, propriis bonis locupletare curauit. Verbo præterea Dei gregem reficiebat, aliquando maximo cum fructu id muneris præſtans, ob donum, quod à Patre luminum in declamandis concionibus ad populum, inſignitus fuerat Eccleſiaſtes egregius. Quo denique in munere tùm ſe ſtrenuum, & vigilantem Paſtorem oſtendit, cùm publica peccata, ſimoniam præcipuè, omnem tunc ferè Italiam fœdantem, magna libertate, vſqueadeo acriter increparet, vt eadem de cauſa, ſemel atquè iterum perſecutiones tolerauerit, opprobria pertulerit & iniurias; quas omnes pro Chriſto-Ieſu, quem vnicè diligebat, ita animo conſtanti ſuſtinuit, vt nunquam à pio, ſanctoque propoſito quidquam ſe reuocari paſſus fuerit. Quapropter non ſolum ab Innocentio II. & eius ſucceſſore Cœleſtino II. PP. Max. verum à quampluribus Coëpiſcopis, præter morem, conſuetudinémque reliquorum, conſuli, & ſumma veneratione haberi cœptus eſt.*

VI. *Reliquiam Sancti Iacobi impetrat.*

Charvs *inprimis* B. Atto *Piſtorienſibus ſuis tunc, & eo maximè fuit, cùm non minimam Reliquiarum de* Capite *Beatiſſimi* Iacobi *Apoſtoli, fratris S. Ioannis Euangeliſtæ, partem, incognitus ab incognito, per literas fuerit adeptus; eamque in Sacello Cathedralis Eccleſiæ, debita cum veneratione collocatam, ipſis colendam dederit. Quarum notabilium* Reliquiarum *Tranſlationem (quia ignota* Hiſpanis *hactenus eſt) conſultò libuit, vt ex MM. SS. fide dignis, & Anonymi præcipuè hiſtoria (qui* B. Atto*ne familiariſſimè vſus eſt) quàm ſuccinctè recenſere.*

Erat *hac tempeſtate apud* Compoſtellam *Leuita quidam* Raynerus *nomine,* Compoſtellanæ *Eccleſiæ* Cardinalis-Canonicus, *ac Scholarum Magiſter; Vir, ſiue humilitate, ſiue doctrina pollens. Cui (licèt ſibi ignoto, diuina tamen, ad multorum Salutem, ita ordinante ſapientia) per* Mediumvillanum, *&*

Digitized by Google

num, & Theobaldum, *Ciues Pistorienses ad* S. IACOBVM *religionis causâ, proficiscentes,* B. ATTO *proprias literas direxit rogans, & enixè postulans ab eo, vt si in conspectu diuinæ Maiestatis placeret, de pretiosissimo Reliquiarum thesauro* B. IACOBI *Apostoli, fratris Ioannis Euangelistæ, ac* Hispaniarum Patroni (*qui Pistorij etiam Titularis esset*) *aliquid ei dignaretur emittere. Cuius Venerandi Præsulis petitio, cùm* Didaco *tunc temporis* Compostellano *Archiepiscopo, vnà, & eius sanctitatis fama innotuisset, non potuit talis, ac tanti Viri precibus, piisque petitionibus non adquiescere. Siquidem quodam die de Anno Dom. M. C. XLV. suæ Ecclesiæ Canonicorum stipatus agmine, multis etiam suffusus lacrymis, summa cum deuotione, ac debita veneratione, sumens non minimam* Reliquiarum *partem de Capite* S. IACOBI *Apostoli, diligentérque in quadam capsa recondens, per prædictos vrbis* Pistorij *Viros, sequenti Epistola, Venerando* ATTONI *direxit.*

DIDACVS DEI GRATIA COMPOSTELLANÆ Sedis Archiepiscopus, totiúsque eiusdem Ecclesiæ Canonicorum Conuentus,

ATTONI

Pistorienſis Ecclesiæ Reuerendissimo Præsuli, omnibúsque eiusdem Ecclesiæ Canonicis, Vrbis Consulibus, & vniuerso Populo, salutem, & Benedict. in Christo.

SCIATIS pro certo, & in nullo dubitetis, Magistrum Raynerum, nobis familiarissimum Dominum, vestræquè Ecclesiæ filium verum, dicere de Reliquiis Corporis Beatissimi IACOBI Apostoli, quas accepit à Nobis cum summa difficultate, benigna tamen charitate, vobísque misit; scilicet, quod audiuerit à prudentissimis, & senioribus Viris B. IACOBI Ecclesiæ Canonicis, & in rei veritate à Nobis, illud Caput Beatissimi IACOBI Apostoli, fratris Ioannis Euangelistæ, vnde cum summa veneratione à Nobis sumptæ sunt; & ita apud Nos creditur esse, dicitur, ac pro certo tenetur. Proinde obsecramus vos, quatenus honorificè supradictas Reliquias prædicti Apostoli suscipiatis, & honestissimè tractetis. Vale.

Tandem cùm Medius villanus, *&* Theobaldus *Pistorium peruenissent, thesaurum vno, & altero miraculo à Deo condecoratum in via, S. Episcopo præsentauerũt. A quo, & Clero debito honore susceptum, in Sacello, quod ipse à fundamentis, propriis sumptibus extruxerat, perfecerat, atque sacrauerat, Ciuibus suis venerandum dedit. Vbi, vt* Eugenius III. *Romanus Episcopus tradit, cæci, claudi, contracti, & alij diuersis languoribus debiles, in eodem loco per* B. IACOBI *preces, & merita, optata salutis remedia percepêre. Sed ego desinens de his, prosequar institutum.*

POSTQVAM *verò* B. ATTO *sacellum, & Altare ad* B. IACOBI *Apostoli* Reliquias *collocandas consecrauit; virtutum Dominus, qui non priuat bonis eos, qui ambulant in innocentia; quíque aues cæli inobedientes, non obedienti præceptis suis nostro Protoparenti fecit; ipse, legis suæ obedientissimo, ac fidelissimo* ATTONI (*vt innocentiam serui sui manifestaret*) *in hunc modum obedientes reddidit. Quadam scilicet occasione, innocens & S. Pontifex super Cancellum* S. IACOBI *Altare circumiens, palumbem torquatum imposuit, qui sese Beato ita obedientem præbuit, vt à siti, faméque oppressus, ab hominibúsque perterritus (ô dictu certè mirabile, ac visu mirabilius!) per quindecim dierum spatium ex Ecclesia non auolauerit. Sed postea auolauit? Absit: Virorum enim, ac mulierum ad inauditum spectaculum occurrentium, siue op-* VII. *Innocentia.*

preſſione, ſiue pennarum ſpoliatione (quas pro Reliquiis, ſeu prodigij monimento vnuſquiſque haberet) mortuus eſt. Tantum verò miraculum columba aërea in eodem ſitu ſeruata æternæ memoriæ mandat. Sancti ergo innocentiam, quam Deus diuinitùs ad cælum vſque efferre voluit, Reynerus Leuita, vitáque præclarus, ne laudes S. ATTONIS diminueret, laudare timuit.

VIII. *Scripta opera.*

PRÆTEREA ingenij ſui pia monumenta relinquens B. ATTO; conſcripſit Latinè Epiſtolarum, non minus piarum, quàm doctarum, Librum I. De Tranſlatione Reliquiarum, & Miraculis S. IACOBI Apoſtoli, Librum I. De Vita, & Miraculis S. Ioannis Gualberti, Vallis-Vmbroſanæ Congregationis Inſtitutoris, plerumque rogatus à fratribus, Librum I. De Geſtis S. Bernardi de Vbertis, Epiſcopi Parmenſis, ac S. R. E. Cardinalis, Librum I. Concionéſque reliquas ſimul.

IX. *Obitus.*

TANDEM cùm ſanctiſſimè per XX. annos B. ATTO ſuæ præfuiſſet Eccleſiæ, peruulgata per diuerſas orbis regiones eius ſanctitatis fama, ſedente Eugenio III. Rom. Pont. boniſque omnibus in pauperes diſtributis, pauper ipſe ſpiritu, & in Chriſto diues, XXVIII. poſt diſtributionum diem, dterum, ac virtutum plenus, claruſque miraculis obdormiuit in Domino XXII. Maij, Anno poſt Chriſtum natum M. C. LIII. Cuius pretioſiſſimum Corpus, celebriori, quo potuit, funere fuit à Clero, Monachatu, & Populo, omnibus S. Viri memoriam lachrymis proſequentibus, in ſuburbana Piſtorij vrbis Eccleſia S. MARIÆ (S. Ioannis Rotundi hodie vocitatur) religioſè ſepultum.

X. *Miracula.*

IVNC ſupereſt vt ad miracula, quæ diuerſis temporibus, interuentione B. ATTONIS operari dignatus eſt Deus; quorumque magna eſt auctoritas (vt nulla deſiderentur eorum, quæ fidelia eſſe cognouimus) quamcitiſſimè properemus.

Mulier quadam Bandina nomine, Guidonis Normani vxor, cùm graui infirmitate oppreſſa, iamiam animam ageret, ſtatim ac ſe B. ATTONI (vt potuit) commendauit humiliter, interuentu eiuſdem S. Epiſcopi, nullo tranſacto tempore, vitæ pariter, & ſaluti reſtituta eſt.

Bartholomæus quidam ex Florentia ciuitate oriundus, cùm Piſis eſſet, vlcuſque incurabile in tibia haberet, & ab eo per XVI. Annorum ſpatium maximè fuiſſet agitatus, votum emiſit peregrinandi ad B. ATTONIS ſepulchrum, ſi valetudini reſtitueretur, quod meritis S. Epiſcopi à Deo præſtitum eſt, & votum perſoluit.

Ricouero (ita vulgo quidam ciuis Piſtorienſis appellabatur) cùm filiam haberet quartum annum agentem, & hæc magnis febribus correpta decubaret, illam Deo, & B. ATTONI commendauit; per cuius ſancti merita valetudinem recuperauit.

Mulier alia Viuola nomine, Ioannis Nardi Ciuis Piſtorienſis filia, cum ob membrorum contractionem, ſeu ariditatem, per multum temporis, manuum officio fungi non potuiſſet, certior facta de miraculis, quæ interceſſione S. ATTONIS patrabat Deus, ad eiuſdem Beati ſepulchrum ſe contulit, ac ſtatim, vt manibus ſacrum Corpus tetigit, manuum ſuarum vſum recepit.

Non diſſimili modo, alio tempore accidit Vanno Portino cuiuſdam Buonvaſalli adoleſcenti filio, qui cùm ita incurabili infirmitate cubaret, vt geſtari quidèm poſſet, incedere ipſe non poſſet; ad S. ATTONIS ſepulchrum, humeris ſe aſportari fecit, vbi cùm priùs Deo funderet preces; ſupplexque poſtea ſacrum B. Epiſcopi corpus tangeret, in priſtinam ex tunc fuit reſtitutus ſanitatem.

Cum Matthæus quidam à Bernardo cognominatus, patria Florentinus, officio ſutor, à pia quadam muliere nouiſſet, multa accidiſſe diuinitus, inuentione B. ATTONIS, & hic ita podagra laboraret, vt incedere non poſſet, votum emiſit, ſe nudis pedibus veniendi Piſtorium, & inuiſendi B. Viri ſepulchrum, ſi priſtinæ valetudini reſtitueretur, qui interuentu Sancti, ſanitati reſtitutus, votum perſoluit.

Bonacurtius à Nero Ciuis etiam Florentinus, cùm Piſis multis detineretur infirmitatibus, ita vt, quò ſe conferebat, peruenire non poſſet, cognoſcens

quòd

quòd in Inuentione Corporis S. ATTONIS *fuerant multa ſubſecuta miracula, ſe humiliter illi, ac deuotè commendauit; cuius Beati interuentu incolumis ab omni infirmitate, quambreuiter redditus eſt. Sicut & multi alij, diuerſis languoribus, podagrâ præcipuè oppreſſi ſanati ſunt.*

XI. *Miracula alia apud Pacem-Aug. patrata.*

Poſt multa ſecula agnouit Pax-Auguſta *Ciuitas tantum Ciuem, & eius Eccleſia tantum Canonicum, ſed cum tarda non ſint obſequia, quæ retroduxit ignoratio, protinus, vt vnaquæque Eccleſia, & Ciuitas* S. ATTONEM *& ſuum fuiſſe Ciuem, & Canonicum indagauit, Eremitorium, in quo Altare cum Sanctiſſimi Epiſcopi effigie, nimia venuſtate decora, ſupplicationibus præeuntibus debito condidit apparatu. Ex hinc Ciues, & Comprouinciales apud Deum mirabilem in ſuis neceſſitatibus habent Patronum. At cùm hæc ſcriberem, in manus peruenit meas catalogus* XLI. *miraculorum à* S. ATTONE *patratorum, poſt eius apud* Pacenſes *Imaginis eleuationem. Quæ quia probata, & in* MS. Codice *relata ſunt, ne tanto fraudetur honore Sanctus Noſter, aliqua hic ſubiicere propoſuimus.*

D. Eleonora de Contreras, *quondam* Ioannis Adame *vxor, cùm, morbo intercedente correpta, Extremum Eccleſiæ Sacramentum accepiſſet, voto emiſſo ad* S. ATTONEM, *de viſitando eius Eremitorio, ſi priſtinæ valetudini reſtitueretur, protinus ſanitati reſtituta, votum perſoluit.*

Petrus Garcia de Vera, & Silua, *Presbyter, & Eccleſiæ Beatæ* MARIÆ del Caſtillo *Parochus, cùm à Phyſicis de eius ſalute deſperaretur, ex quo ſe morti proximum agnoſcebat; corde, & ore* B. ATTONEM *interpellauit, & eleemoſyna oblata ad eius Eremitorium, ſubitò ſanitatem accepit.*

Franciſcus Ximenes de Vera, *cùm filium vix ſeptem hebdomades agentem, pleuritidis morbo laborantem haberet, & iamiam ſupremum ſpiritum exhalantem, contuſis oculis, & vltimo vitæ deliquio iacentem, ita vt iam cadauer ſub linteo inuoluere ſatagebant; cucurrit paterna pietas ad* B. ATTONIS *merita, à quo & puerum repente ſanitati reſtitutum, & omnium admirationem promeruit.*

Ioannes Sanctius Valverde *in audientia Epiſcopali* Pacenſi *Procurator,* S. ATTONIS *addictiſſimus Seruus, cuius curæ Eremitorium, & omnia quæ ad deuotionem deſiderantur augendam, commiſſa ſunt: Cum oculorum fluxum pateretur, emiſſo voto, Miſſa peracta, è S. Epiſcopi Eccleſia liberatus diſceſſit.*

P. F. Didacus Ximenes *ex Dominicanæ familiæ alumnus, cùm propter eryſipelam, qua in cruribus laborabat, ferè omni carne conſumpta, vix tibiæ, vena, aut nerui viderentur, ita vt ad vltimum vitæ terminum peruenisſet; ex quo omnibus Eccleſiæ Sacramentis vallatus, iamiam nihil niſi ſepulchrum ſupereſſet, fidelis quidam amicus nouendiale Sacrum* S. ATTONI *promiſit, & vltimo peruenientè voti die, infirmus ſaluti reſtitutus, laudes Domino, qui eſt mirabilis in Sanctis ſuis, latabundus perſoluit.*

Franciſcus Rodericus Suarez *puerulum filium hernioſum cùm haberet, & ad ſanitatem reducere, ope Medicorum, illum ſtatuiſſet; conuocatis Aliptis, vt illud miniſterium ferro, & igne perficerent: ſubito dolore correptus Chirurgos dimiſit, puerulum ad* S. ATTONEM *perduxit, & voto facto, ſubitò, liganinibus ſolutis, puerulus ſanitatem accepit.*

Alios QVATVOR *puerulos huiuſmodi morbo laborantes, ad perfectam ſanitatem diuerſis temporibus* S. ATTO *perduxit. Cuius ſi miracula omnia referrem, prolixum catalogum texerem: dicta ſufficiant, vt Dei omnipotentia laudetur.*

XII. *Cultus exhibitus Piſtorij, & Pace-Aug.*

Poſt S. ATTONIS *obitum, & ante eius ſacrati Corporis Inuentionem, & Tranſlationem iam debitus S. Epiſcopo exhibebatur cultus, quia in Sanctorum numerum relatum fuiſſe ſuadent Miſſalia, & Breuiaria vetuſtiora* Vallis-Vmbroſanæ *Congregationis, in quibus titulo Sanctitatis decorabatur, & ſub feſto, & Officio Duplici recitabatur. Poſt inuentionem,* Alexander V. Pont. Max. *Piſis peſte coactus, cum* XVI. S. R. E. *Cardinalibus Piſtorium adiuit, vt ſupplex* B. ATTONIS *veneraretur Corpus, quod vt fecit,*

S. Viro,

Digitized by Google

S. Viro, ſe, & Romanam Eccleſiam commendauit, Menſe Nouembri, *Anno Dom.* M. CCCC. IX. *Eadem feciſſe traditur* Eugenius PP. IV. *cùm Florentiam Ferrariâ, ad cœptum Concilium celebrandum, veniret,* Menſe Ianuario, *Anno Dom.* M. CCCC. XXXI. *Poſtmodum* Clemens VIII. Pont. Max. *pro Piſtorienſi diœceſi, & Vallis-Vmbroſanæ Congregatione, hanc ſuam perpetuo valituram expedire dignatus eſt Sanctionem.*

CLEMENS. PP. VIII.

AD perpetuam rei memoriam. Pietati, ac deuotioni dilectorum filiorum Ciuium, & Populi Ciuitatis Piſtorienſis, ac vniuerſæ Congregationis Vallis-Vmbroſæ, quantum cum Domino poſſumus, ſatisfacere cupientes, pijs ac deuotis eorum ſupplicationibus, Nobis ſuper hoc humiliter porrectis, inclinati. Ex voto Ven. Frat. Noſtr. S. R. E. Cardinalium ſuper ſacris ritibus, & ceremoniis deputatorum, quibus hoc negotium examinandum commiſimus, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium, Vt in *Ciuitate, & Diœceſi Piſtorienſi*, ac in omnibus *Congregationis Vallis-Vmbroſæ*, tàm Monachorum, quàm Monialium, Eccleſiis, & Monaſteriis, vbicunquè exiſtentibus, Officium, & Miſſa de B. ATTONE, qui dictæ Congregationis *Vallis-Vmbroſæ* VIII. Generalis, & poſtea Piſtorienſis Epiſcopus fuit, tanquam de Vno Pont. Confeſſ. die XXII. Maij (qua in Domino requieuit) iuxta Regulas &c. liberè, & licitè recitari poſſit &c. licentiam perpetuò concedimus, & indulgemus. Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XXIV. Ianuarij M. DC. V. Pont. Noſtr. Ann. XIII.

SED *ne Ciuitas* Pacenſis, *à qua originem traxerat Beatus* ATTO *tali defraudaretur fauore,* Paulus PP. V. *aliud ſimile diploma pro diœceſi* Pacenſi *liberaliter conceſſit,* ſic:

PAVLVS. PP. V.

Bulla Pauli V. Pont. Max. pro Officio S. Attoni exhibendo Pace-Angustâ.

AD perpetuam rei memoriam. Decet Roman. Pontificem, quem Dominus Omnipotens, in perſona Principis Apoſtolorum, Militanti Eccleſiæ, Sponſæ ſuæ, dignatus eſt præficere, ea benignitate concedere, quæ ad SS. Chriſti Confeſſorum memoriam recolendam, ac diuini cultus, & deuotionis fidelium, quomodolibet noſcuntur pertinere. Exponi ſiquidem Nobis nuper fecerunt Venerab. Frat. Epiſcopus, & Clerus, necnon & Magiſtratus, Ciuéſque, & Incolæ Ciuitatis *Pacenſis*; Quòd ipſe ex ſingulari, quem erga B. ATTONEM, *qui ex dicta Ciuitate originem traxit*, & qui poſtea Abbas Generalis Congregationis Vallis-Vmbroſæ, & demum Epiſcopus Piſtorienſis fuit; & cuius Corpus in dicta Ciuitate Piſtorienſi adhuc integrum aſſeruari aſſeritur, gerunt, deuotionis affectu, in feſto illius Officium, & Miſſam de Communi Vnius Confeſſ. Pont. (vt infrà) celebrare poſſe, ſummoperè deſiderant, ſi Noſtra ad id ſuffragetur licentia. Nos igitur Epiſcopi, & Cleri, ac Magiſtratus, Ciuiúmque, & Incolarum prædictorum laudabile huiuſmodi deſiderium, plurimùm in Domino commendantes, illóſque ſpiritualibus fauoribus, & gratiis proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas à quibuſuis excommunicationis &c. huiuſmodi ſupplicationibus inclinati de Ven. Frat. Noſtr. S. R. E. Cardinalium ſacris ritibus præpoſitorum, conſilio: *Vt in Ciuitate & Diœceſi Pacenſi* à (pro tempore exiſtente) Epiſcopo, ac toto Clero Eccleſiarum Ciuitatis, & Diœceſis prædictarum, Officium & Miſſa de eodem B. ATTONE de Communi Vnius Confeſſ. Pontificis, abſque tamen Lectionibus Propriis de vita eiuſdem Beati, iuxta Rubricas Breuiarij & Miſſalis Romani, in die feſto dicti B. ATTONIS liberè, & licitè recitari poſſint, & valeant,

Digitized by Google

& valeant, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium concedimus, & indulgemus. Nonobſtantibus &c. Datum Romæ apud S. MARIAM Maiorem ſub annulo Piſcatoris die VIII. Aprilis, Ann. M. DC. XIV. Pontificatus Noſtri Anno IX. S. Cobellutius.

NECNON Vrbanus VIII. *Pont. Max. efflagitante* Ioanne Sanctio de Valuerde *in Epiſcopali* Pacenſi *Curia Procuratore, conceſſit, vt* Eremitorium *in dicti* Ioannis Sanctij *prædio extrueretur, ibidémque effigies* B. ATTONIS *eleuaretur, Sacrum conficeretur, arbitrio, viſitatione, & interuentu Ordinarij: vt ex* Breui *Romæ expedito apud* S. MARIAM *Maiorem, ſub Annulo Piſcatoris* die XXIII. Nouembris *Anno* M. DC. XXIV. *Pontificatus ſui Anno* II. *liquet.*

Hactenus Acta à *Ludouico de San-LLorente*. Cordubenſi, & à me collecta; in quibus aliqua notanda ſunt, vt aliquorum extirpetur ſcrupulus, quo circa illorum fidem laborarunt.

ET circa aſſertionem *S. LLorente* in *c.* 1. aſſerentis BADAIOZIVM à BEIA Epiſcopalem Sedem accepiſſe, Primò notandum eſt, quòd *San-LLorente* de re non bene inſtructus credidit ab vrbe BEIA olim PAX-IVLIA Arabum cladibus deuaſtata; BADAIOZIVM, quæ olim PAX-AVGVSTA fuit, Epiſcopalem Sedem accepiſſe: Ex quo à vero deuiat. Nam *Pax Auguſta*, hoc eſt BADAIOZ Epiſcopali Sede olim & hodie ſolummodò decorata fuit, non *Pax Iulia*, hodie BEIA. Quod probauit eruditè Roderic. Doſma in *Hiſtor. Badajozenſ. fol.* 20. Corroboratur hæc ſententia, nam *Domitianus* Epiſcopus, qui interfuit Concilio Sardicenſi in Illirico ſubſignatur *Epiſcopus Pacis-Auguſtæ*, non *Iuliæ*: ideóque Sedes non *Pacis-Iuliæ*, ſiue BEIA; ſed *Pacis-Auguſtæ*, hoc eſt BADAIOZ fuit ſita. Quod & probat Flau. Dext. *Ann.* 64. agens de quodam *Martyre Pacenſi*, vt thautologiam fugeret, ſitum vrbis, quo martyrium perceperat indicauit, ſic: *In* Pace-Auguſta *vrbe Hiſpaniæ ad* Anam *fluuium appoſitum vrbi præclaræ*. Quæ verda non BEIÆ conueniunt, cùm diſtet ab *Ana* fluuio, XXIV. Leucarum Hiſpanicarum ſpatio. Omnino S. Marc. Maxim. *in Chron. Ann.* 529. difficultatem diluit, qui agens de *S. Apringio Pacenti Epiſcopo*, illius Sedem exprimens, inquit: *Apringius Epiſcopus* Pacis-Auguſtæ *in Hiſpania, non procul ab vrbe Emerita Auguſta, quæ* Pax *Anæ fluuio appoſita eſt*. Et *Ann.* 55. agens de Opido OSSET vbi in peruigilio Paſchatis fontes Baptiſmales excitabantur, de quo S. Gregor. Turon. *de Glor. Martyr. c.* 24. & nos in *Not. ad Aulum Halum. fol.* 36. aſſerit fuiſſe *Oppidum Luſitaniæ in Diœceſi* PACIS-AVGVSTÆ. Et *Ann.* 604. ſcribens de VRSO Epiſcopo, affirmat fuiſſe *Antiſtitem Pacis-Auguſtæ*. En indubitabilia teſtimonia pro Epiſcopatu *Pace-Auguſtano*, Cuius Epiſcopi *Domitius*, & *Vrſus* fuère; non *Pace-Iuliani*, hoc eſt *Bejenſes*, ſed *Badajocenſes*. Pro BADAIOZ ſubſcribunt P. Ioannes Marian. *lib.* 3. *c.* 25. Vaſſæus, Tarrapha, Moletius, Roder. Doſma. P. Biuar. Roder. Caro & M. Ægid. Gonzal. Dauila. Ex his *Ludouici de San-LLorente* errorem agnoſces, dum *Bejam* Epiſcopali Sede decoratam ante Maurorum excidium fuiſſe contendit, poſtque Arabum cladem, & *Bejæ* ruinam, in vrbem *Badajocenſem* tranſlatam ſomniauit.

S. LLorente error circa ſitum Pacis Auguſtæ.

SECVNDO ab aliquibus de Canonicatu S. ATTONIS in Eccleſia *Pacenſi* dubitatur. Inquiunt enim, hanc Ciuitatem ſub Sarracenorum iugo iacuiſſe oppreſſam ad annum vſque M. C. LXXX. quo *Ferdinandus II.* Legionis Rex illam à captiuitatis nexu liberauit, XXVII. annis poſt S. ATTONIS obitum. Sicque non eſt cur credatur, illo tempore, quo S. Vir à Patria diſceſſit, adhuc Eccleſiam Cathedralem, Epiſcopum, Canonicos, & Miniſtros inter Mahometicæ ſpurcitiæ aſſeclas perſeueraſſe. Nam facilis eſt obiectionis ſolutio. Primò, quia hæc vrbs in Maurorum excidio, de conſeruandis Epiſcopo, Eccleſia, & Clero, Muzarabibúſque, in deditione pacta eſt; ideóque in ſucceſſiuis temporibus, adeſt Epiſcoporum, Martyrum, & Mixtarabum memoria. Probemus hæc. Ann. DCCC. VI. tempore *Alphonſi* cognomento *Caſti*, Epiſcopus *Pacenſis* erat *Iſidorus*, qui Chronicon ſcripſit Anno DCCCC. XXXII. *Pacenſis* erat Epiſcopus *Iulius*, qui in Priuilegio Ranimiri II. ſubſcripſit. Ab hoc anno ad annum M. C. XXXV. paulo magis, aut minus enumerantur *Septem Epiſcopi Pacenſes*, quos marmorea tabula

An Canonicus Pacenſis.

Acroſtichis

Acroſtichis verſibus eructauit, à *Daniele* huius nominis II. *Pacenſi Epiſcopo* conſcriptis. Cuius tabulæ inuentio in area domus quondam *Aluari Perezij Doſma* Canonici *Pacenſis* perfecta eſt, dum à fundamentis illam extrueret, vt refert eius Nepos Roder. Doſma *fol.* 41. En Carmen:

D *eſerit funera* Daniel *horrida,*
A *thletis iungitur rite cœleſtibus.*
N *exus militibus, qui fuit optimus,*
I *mmunis populis, ac venerabilis,*
E *t iacent Præſulis membra Purifici*
LIS *imathi ecce tectáque caſpite,*
E *xceptus ſpiritus arce Dominica.*
PIS *cator obiit Prillula feritus,*
C *oruſco fruitur cœlitus gaudio.*
O *btutu Domini Menſe Ianuario*
P *raceps ducitur Æra Milleſimo*
I *n & Triceſimo, bis quateraddito.*

Ab Anno Milleſimo, cuius meminit tabula marmorea ad M. C. XXXV. ſilent monumenta *Pacenſia*. At ipſo Anno M. C. XXXV. antequam à Mauris *Pax-Auguſta* eriperetur XLV. annis, & XVIII. ante obitum S. ATTONIS, *Adephonſus Caſtellæ* Rex cognomento Imperator conceſſit Epiſcopo, Clero, & Muzarabibus, in vrbe *Pacenſi* exiſtentibus, nonnulla priuilegia, quæ continentur in confirmationis charta à *Sanctio* Rege die XI. Maij, Æra M. CCC. XX. expedita, de qua mentio eſt apud Doſma *fol.* 41. *col.* 2.

An Muzarabes tempore S. Attonis in Pace-Iulia.

De *Sanctio*, & *Muzarabibus*, præter relatos in priuilegio proximè relato, teſtis omni exceptione maior adſit S. Eulogius *in Memor. SS. lib.* 2. *c.* 5. qui *S. Siſenandum* Leuitam *Pacenſem*, Anno DCCC. LI. è patria *Cordubam* intuitu diſcendi auectum, ibidem martyrio coronatum XVI. die Iulij. Nec obſtat Notula *Ambroſij Morales* referens huius S. Martyris originem ad BEIAM, quia pro BADAIOZ ſtat communis aſſenſus.

Nunc pro coronide *Acta* venuſto carmine conſcripta à *R. P. D. Paneratio* Florentino Monacho Vallis-Vmbroſæ, Lectori dare compellor, tam pro honore Comprouincialis mei Sanctiſſimi ATTONIS, quàm pro ſubleuando carminis dulcedine, meo, & Lectoris ſpiritu.

S. ATTONIS EPISCOPI

Vita metricè à R. P. D. Paneratio Florentino Vallis-Vmbroſæ Monacho.

H*Vc ades præſens celebrande miris*
Laudibus, dulci, nouitérque cantu
Nomen includi, precibus vocari
Annue noſtris.
Thura iam ſacris, Arabúmque coſtum
In focis guttas adolens Sabæas,
Nomen ATTONIS *precibus Beati*
Myſta frequentes.
Tu ſuper cœli reſidens coruſcis

Ignibus,

Digitized by Google

Ignibus, fixè Triadem tuendo,
Vota, quæ noſtris labiis & ore
Fundimus, audi.
Nos tuum cunctì genus, & nepotes
Anxij, præſens petimus leuamen;
Comis extenſas mediis procellis
Accipe dextras.
Propter id noſtrum Deus appuliſſe
Fecit ad littus, reſonis ab vſque
Tunc Anæ *ripis, vbi* Luſitanos
Bætica *finit.*
Hic lares geſtis celebres auitis
Vidit ATTONIS *teneram iuuentam,*
Imbuit claris, Ana, Paxque *dudum*
Iulia *factis.*
At truces Mauros, Arabéſque molles
Sacra fœdantes monumenta paſſim,
Ritibus prauis, veluti Colubros
Lauit vbique.
Sed grauis cunctis nimium videtur
Barbari rerum feritas potiti;
Qua ſolum multi proprium coacti
Vertere tentant.
Inter hos ATTO *patriæ, propinquis*
Nuntium, pergens Latium, *remiſit;*
Martyrum buſtis, Cathedræ daturus
Oſcula Petri.
Hic ſacras ædes ruderum Quiritum.
Magna priſcorum monumenta, cultu
Splendido dites, opibuſque ſanctis
Viſitat omnes.
Hæc agens, toto volitare famam
Protinus ſenſit Latio, probata
Vallis-Vmbroſæ *monachos vigere*
Integritate.
Mox eò greſſus, meliora dona
Æmulans, vertit; cupiens ſacrato
Nomen adſcribi numero Virorum
Séque, ſuúmque.
Annuit iuſtè Deus obſecranti,
Fecit in cœtum recipi petitum;

ATTO *iam gaudet cecidiſſe fauſto*
Omine votum.
Cœpit arcanis documenta curis
Strenuè ſecum reputare Patrum;
Scita maiorum ſibi ſarta tecta
Vſque capeſſit.
In breui cunctis vigili labore
Ad Deum caſta prece præferendus,
Corporis luxum cohibet flagellis
Eſuriéque.
Iamque virtutum titulis coruſco
Proximis aquè, celebrique longè
Diſsitis, rerum ſtatuêre ſummam
Tradere Patres.
Quando Bernardus *decoratus oſtro*
Et ſacrum tractans onus infulatus
Adminiſtratas ſociis regendas
Liquit habenas.
Inuicem ſciſcunt, moderamen omnes
Cuius intacta fidei daturi
Sint gregis ſancti; ſubitò recurrit
Integer ATTO.
Inde concordi ſtudio regendos
Offerunt ſeſe (licet ipſe nolit)
Tunc ſacris proni manibus pudicè
Oſcula figunt.
ATTO Ioannis *patris inſtituta*
Præſes effectus, rata mandat eſſe,
Comiter cunctos monet, allicítque
Reddere vota.
Ad tuum cœlis regimen relictis
ATTO *deſcendit pietas, amórque,*
Paxque; diuino ſociata cultu
Te duce creuit.
Térque felices, quater & beati,
Hac quibus Chriſtus dedit intueri;
Qui tuos mores imitantur, horum
Gloria maior.
Ad Deum cunctos ſtimulas amandum,
Comiter quoſdam monitis ciendo
Molliens dictis grauibus proteruos

Ladere

Ladere monſtras.
Sedibus tamen ſuperûm relictis
Ima virtutes petiiſſe cunctas
Feceras, quarum cupidus fuiſti
Semper amator.
Fama virtutum penetrat tuarum
Accolas omnes, ſimul & remotos.
Qua tua cuncti fidei libenter
Se, ſua credunt.
Clara Tyrrhenas nitet inter vrbeis
Nomen à cura capiens fideli.;
Spondylo Sancti, tonitruque nati
Clara Iacobi.
Hæc ſuas ſupplex capias habenas,
Et gregis curas, apicéſque ſacros,
Qua datur, monſtres iter ad ſalutem
Anxia poſcit.
Reſpuas quamuis onus, ac honores
Pauper, oblatas neque dignitates
Æſtimas pluris, leue quàm putamen
Vel quaſi floccum.
Pertinax cœpti manet ipſa voti,
In tua fidens mage comitate;
Qua ſoles cunctas animi decoras
Vincere dotes.
Præſulem cœpit rogitare Summum,
Qui Dei terris regimen, vicéſque,
Et datas claues gregis adminiſtrat,
Gramine paſcit.
Vt gregis ſacrum moderamen vni
Tendat ATTONI *pietate claro,*
Integro vita, ſophiæ perito
Iuſta petenti.
Annuit votis Populi, piáſque
Audiit voces Deus, vniuerſum
Ante qui ſumma regit, & gubernat
Numine complet.
Pontifex tantum regimen benigno
Cenſet ATTONI *fore largiendum;*
Conſecrat ſancta caput vnctione,
Corpus amictu.

Digitized by Google

Qualis ex denſis nebulis coruſcus
Phœbus exertans faciem comatam,
Ore ſe mundo manifeſtat omni
Splendidiorem:
Non ſecus fulgens decus, atque nomen
Proximis aquè, ſimul ac remotis
Fama virtutum varias pererrat
Orbis in oras.
Confluit fusè genus omne vulgi,
Nobiles, necnon procerum caterua,
Patris auditum documenta Sancti,
Oráque viſum.
Erudit verbis populum diſertis,
Arguit durus facinus virorum,
Criminis blando citò pœnitentes
Excipit ore.
Hac ſibi mentes hominum benignas
Arte deuinxit, pepulit proteruos,
Ne pecus morbo vitiata ſanctum
Fœdet ouile.
Inter hæc ATTO *populum vereri*
Vrbe cum tota reperit IACOBVM,
Cui pio cultu ſacra nuncupare
Vota ſolebat.
Vt queat cultum cumulare ſacrum,
Et pium ritum populi ſecundet,
Spondylum ſanctum minio ex Ibero.
Duxit in Vrbem.
Hic iugis curâ vigili fouebat.
Creditum ſancta fidei popellum,
Nec minus clara veneratur ortos
Nobilitate.
Spiritum caſtis precibus leuabat,
Nec pedem ſacra remouebat ede;
Donec à cunctis agitur Synaxis
Suppliciumquè.
Pauperes blandis, inopéſque verbis
Mulcet, ac eſcis agape referta
Nutrit, & morbis grauibus medetur.
Supplice dextra.
Hiſque virtutum titulis onuſtus,

Obſitis

Obſitis longo ſenio lacertis,
Nec tamen feſſus ſolito labore
Deſtitit vnquam.
Vt diem tandem properare nouit
Qua Deum ſiccis oculis tueri
Corporis geſtit ſpolio relicto,
Ludere mundum.
Tunc Deum fixè gemebundus orat,
Soſpites quotquot dederas regendos
Ne tuo quaſo ſpolies amore
Méque, meóſque.
Hunc gregem tanto pretio redemptum,
Morſibus nolis rabidis luporum,
Et nec hoſtili manui patere,
Te, Deus, oro.
Inſuper Fratres tuearis omnes,
Qua ſoles charos pietate Chriſte,
Quos in Vmbroſa *genuêre* Valle
Publica vota.
Proximus cœlis, animus reliquit
Membra lethæo rapienda ſomno,
Inde pernici ſuper aſtra curſu
Scandit Olympum.
Te Dei vultu petimus fruentem,
Vt tui ſias memorum patronus,
Neve nos mitti patiare Chriſto
Crimine velli.
Neve permittas nimiis procellis,
Quas graues noſtræ meruêre culpæ
Obrui, ſed da miſeris leuamen
Omnibus aptum.

Hic etiam obiter notandum eſt, quanta laborarint ignoratione Topographiæ locorum Hiſpaniæ *San-LLorente*, & Auctor iſtius carminis, ſiquidem BADAIOZIVM, *Pacem-Iuliam* appellauêre, quod reuera eſt *Pax-Auguſta*. Nec BEIAM, patriam S. ATTONIS dixiſſe credendum eſt, quia vterque pro BADAIOZIO loquitur. Iſte illo Carmine.

—— Reſonis ab vſque
Tunc ANÆ *ripis, vbi* Luſitanos
Bætica *finit.*

Quæ verba nunquam *Paci-Iuliæ*, ſiue BEIÆ conuenêre; cùm vt ſupra diximus, *Pax-Auferè* XXIV. leucis diſtet BEIA à flumine ANA, & Bæticæ finibus. Ille in *gueſta differt Vitæ S. Præſulis in principio, cap.* 1. his verbis: PACENSIS *Latinè, vſitatâ verò a Beia.*

voce BADAIOZ *appellatur*, Vrbs, *ſiue antiquitate celebris, ſiue quia naturæ artificio* ANA fluuio irrigatur, *Hiſpanis optimè nota*. En quo modo ipſe *San-LLorente* neutiquam de BEIA loquitur; imo vterque Scriptor tàm Hiſpanus, quàm Italus Patriam S. ATTONIS Epiſcopi Piſtorienſis BADAIOZ agnoſcunt: licet perperam ignoratione (vt diximus) Topographiæ Vrbium Hiſpaniæ, *Pacem-Auguſtam* pro *Pace-Iulia* tenuerint, & illam cum iſta confuderint. Qui anſam Scriptoribus Portugallenſibus præbuêre credendi S. ATTONEM Noſtrum *Pace-Iulienſem*, non *Pace-Auguſtanum* fuiſſe, contra mentem rationis, & in præiudicium veritatis.

D. *Scriptores.* S. PVBLIVS BEBIVS VENVSTVS, Martyr.] Hunc fuiſſe *Oretanum* ex *Hiſpania*, & cum *Fauſto*, & *Timotheo* Martyrem Romæ, hoc die, ſingulariter teſtatur Iulian. Petr. in *Chron. n.* 208. his verbis: *Floret Romæ memoria* S. VENVSTI, *Hiſpaniæ Vicarij, pòſt, vt creditur* Martyris, *qui à Iuliano Apoſtata creatus Vicarius*, Chriſtianus *cognitus, occiſus eſt* XXII. Expreſſiùs in *Aduerſar. n.* 150. *fol.* 37. hac periodo: S. VENVSTVS, *qui paſſus eſt Romæ, cùm multis functus eſſet muneribus publicis*, XXII. *die* Maij, *cuius aliàs memini, creditur dictus* PVB. BÆBIVS VENVSTVS Oretanus, *fuiſſe, qui pontem in honorem templi* B. MARIÆ *condidit, petente ordine* Oretanorum, *vt pateret aditus ad Templum.* XXC. HS. Hæc de origine S. VENVSTI Iulianus. De Martyrio audi Bedam h. d. *Romæ SS. Martyrum Fauſtini, Timothei*, & VENVSTI. Quem ſequuntur *Ado*, *Notkerus*, & alij recentiores, à quibus *Martyr. Romanum, Luſitanum, Caſtellanum*, & *Hiſpanum MS.* De eo ſcripſit M. Franciſc. Rus-Puerta *Hiſt. Giennenſ. tom.* 1. *Secul.* 12. *c.* 6. *fol.* 271. *col.* 2. Eius Acta periêre, at ex *Iuliani* ſpicis qualemcunque manipulum colligemus.

ACTA S. PVBLII BÆBII VENVSTI
Vicar. Hiſpaniæ Martyris; ex Iuliano, & alijs.

Origo. P. BÆBIVS VENVSTVS *Natione* Hiſpanus, *ex antiqua Vrbe* ORETO *oriundus; patrem habuit* P. Bæbium Venetum: *A primis incunabulis militiæ nomen dedit, in qua tales creditur exegiſſe profectus, vt temporibus* Iuliani *Imperatoris Apoſtatæ, Romam delatus, eius per Principem cognita virtus eſt, & in negotiis agendis dexteritas, in bello ſtrenuitas, & in pace prudentia. Quæ omnia in cauſa fuêre, vt* Hiſpaniarum *Vicariam Principis munificentiâ perciperet. In* Hiſpaniam *reuerſus, & officij oneribus incumbens, cùm Conciuium* Oretanorum *Catholica religio templum* B. MARIÆ *Virgini ad ripas* Sabalonis *fluuij, iuxta vrbem à fundamentis erexiſſet antiquitus; quod tempore Diocletiani dirutum, poſtmodùm ex Conſtantini decreto exſtiterat reſtitutum; ſupplices ad eum preces, tanquam Chriſtiana fide imbutum, porrigere decreuêre, vt in honorem Matris Virginis, commodum fidelium, & ſuæ religionis memoriam, pontem extruere dignaretur. His annuens iuſtis precibus* Venuſtus, *ob egregiam in Diuæ Deiparæ deuotionem, celeberrimum extruxit pontem, in quo, vt ne temporum obliuione periret, ſuæ pietatis huiuſmodi in viſceribus lapidis monumentum reliquit.*

Romam adiit.

Conſtruit pontem in honorem Templi B. Virginis Matris.

P. BÆBIVS VENVSTVS. P. BÆBII
VENETI. F. P. BÆSISCERIS NEPOS.
ORETANVS. PETENTE ORDINE
ET POPVLO, IN HONOREM DOMVS
DIVINÆ. PONTEM FECIT. EX. HS.
XXC. CIRCENSIBVS EDITIS.
D. D.

Templum in excidio Hiſpano corruit. *Cuius Templi ſtructura Maurorum irruptione collapſa, adhuc Pontis fabrica perſeuerat. Ad* Iuliani aures *tale pietatis peruenit opus, & quantâ* VENVSTI

NVSTI *constantiâ Christi nomen prosequeretur affectus; ex quo Romam accersitus, & de religione interrogatus, cùm se esse Christianum fateretur, in carcerem deductus, cum* Faustino, & Timotheo; *quos itidem* Hispanos *fuisse credendum est, aut comites, aut familiares; ibidem carceris incommoda perpessi sunt; donec* VENVSTI *& Sociorum per* Iulianum *intellecta in confessione fidei constant..., & in agonibus perferendis instantia, quibus sese humili destinatione offerebant, aduersus illos capitis sententia prolata est. Tunc* VENVSTVS, *& Commilitones Deo gratiis actis, ad supplicium attracti, & Cæsaris mucrone percussi coronam in cælo Martyres acceperunt æternam,* XI. Kalend. Iunij, *Anno Domini* CCC. LXII.

Comprehenditur.

Coronatur.

QVÆ hic probanda veniunt, absoluamus. Circa originem *Oretanam* iam ex *Iuliano* & inscriptione satis eam probatam reliquimus. Quatenus ad *Vicariam Hispaniæ*, à Iuliano Apostata adeptam, post nostrum Archipresbyterum *Iulianum* suprà, videndus Ammianus Marcellinus in Iuliano Apostata *lib.* 23. *in princip.* vbi hæc scribit: *Apronianum Romæ decreuit esse Præfectum, Octauianum Proconsulem Africæ,* VENVSTO *Vicariam commisit* Hispaniæ, *Rufinum Arabium Comitem Orientis, in locum auunculi sui Iuliani, recens defuncti, prouexit.*

An Oretanus?

DE Antiquitate templi D. Virgini MARIÆ ab *Oretanis* extructi ad fluuium *Sabalonem*, eiúsque instauratione ex Decreto *Constantini Magni*, patet ex iis quæ dixit Iulian. *Aduersar.* 150. & quæ prosequitur *Aduersar.* 151. sic. *Id templum* (Oretanum) *restitutum est, ex lege Imperatoris Magni Constantini Christiani.* Si tempore *Constantini Magni* fuit restauratum, ergo à præteritis seculis extructum. Et VENVSTI vicariatu illi pons adiectus, petente *Oretanorum* ordine, vt ex Inscriptione liquet, quam referunt Ambros. Moral. *in Antiquit. Hispan. verb.* Oretum. Ian. Gruter. *fol. C. LXIII. num.* 4. Rus-Puert. *Histor. Giennens. secul.* 12. *cap.* 6. *num.* 11. *fol.* 272. P. Martin. de Roa *Histor. Astigitan. cap.* 9. *fol.* 43. Quintana-Dueñas *Hist. SS. Toletan. secul.* 4. *fol.* 425. vbi de martyrio, & de familia BÆBIA.

Antiquitas Templi Oretani.

QVOD adhuc Templum titulo S. MARIÆ DE ORETO perseueret, legendi Rades de Andrada *in Origin. Ordin. Calatrauens. c.* 1. Rus-Puert. *d. c.* 6. *fol.* 271. *n.* 8. Qui contendit *Imaginem Virgineam*, quam iuxta BAILEN, titulo Dominæ Nostræ de *Zucueca* veneramur, fuisse ex Templo translatam *Oretano*, in cuius vertice pedis hæ characterum formæ, à nemine hactenus intellectæ, visibiliter percipiuntur.

Baylen oppidum vbi Imago B. Mariæ.

Quæ in causa fuêre, vt *Rus-Puerta* huic adhæsisset sententiæ: & symbola ab ipso enumerantur, licèt meum veritatem non capiat iudicium. Nostri non est instituti illa prosequi, doctis ergo relinquo.

AGONIS tempus ad *Ann.* 362. reiicimus, quia eo *Iulianus* persecutionem in Aulicos Christianos, Milites, & Præfecturis, sublimioribusque Dignitatibus ornatos, excitauit, vt probat Baron. *tom.* 4. *Annal. Eccles. Ann.* 362. *n.* 16. *Ast cùm* VENVSTVS Vicariatus *Hispanici* dignitate fulgeret, inter huius persecutionis Martyres, agonem compleuisse fatendum est.

Annus agonis.

ORETVM. Ciuitas peruetusta Hispaniæ, de qua plura diximus Tom. 1. die II. Ianuarij fol. 33. & die III. Februar. fol. 41. & die XXIV. Februar. fol. 246.

Topographia.

SS. ÆMILIVS RECTVS, & CASTVS Martyres.] Horum Sanctorum Martyrum memoriam repetunt *Martyrolog. Romanum*, à quo *Castellanum* P. Vazq. *Lusitanum* P. Lupi, & *Hispanum MS.* Higuera, hoc die, qui omnes illorum agonem desumpsere ex antiquis *Vsuardi, Bedæ, & Adonis*, cum cæteris recentioribus. Iulian. Petri *in Aduersar. num.* 82. *fol.* 22. ipsos *Hispanos* ex vrbe *Assota* in Agro *Laminitano* consignat; en eius verba, postquam de Sancto Indaletio *num.* 81. egisset: *Conuertunturque ibi Parentes* L. ÆMILII RECTI, *qui*

E.

Martyrologia.

Quo iure Hiſpani?

etiam fuit Chriſtianus, & reliquit Reipublicæ Aſſotanorum *agri partem, ſuo teſtamento, pro Chriſtianis; & ſub* Antonino Pio, *iam ſenior cum* CASTO *traiciens in Africam, à Proconſule Carthaginenſi comprehenſi, metu ignium primò defecére; pòſt à Deo confortati, pro* CHRISTO *combuſti, mirabiliter paſſi ſunt martyrium* XXII. Menſis Maij. *Quorum mentio eſt celebris apud Sanctum Cyprianum.* Huius nominis Virum inuenimus in lapide apud *Carthaginem Spartariam*, cuius meminere Ambroſius Morales *in Antiquit. Hiſpan.* & Ioan. Gruter. *fol. C. LXXIV. num.* 4. Sic:

Inſcriptio.

L. ÆMIL. M. F. M. NEP.
QVIRINA.
RECTVS.
DOMO. ROMA.
QVI. ET NARN. ET
SICCELLITANVS. ET
ASSOTANVS. ET
LACEDÆMONIVS. ET
BASTETANVS. ET
ARGIVVS. ET SCRIBA
QVÆSTORIVS.
SCRIBA. ÆDILICIVS.
DONATVS. EQVO. PVB.
AB IMP. CÆSARE
TRAIANO HADRIANO
AVGVSTO.
PATRONVS. REIP.
ASSOTANÆ.
TESTAMENTO SVO
REIP. ASSOTANÆ
H. AGR. FIERI IVSSIT.
EPVLO ANNVO ADIECTO.

Si ergo iſte fuit qui martyrium cum CASTO apud *Africam* compleuit, proculdubio intentum habemus, & vtrumque fuiſſe *Hiſpanum* fatebimur; licèt

Quo Anno paſſi?

diſſenſio ſit inter *Iulianum*, & *Cæſarem Baronium*; Nam ille tempore *Antonini Pij* Imperatoris martyrio coronatos affirmat, & *iſte Annal. Eccleſ. tom. 2. Ann. 253. num. 97.* Decij Imperatoris æuo agonem ſubiiſſe contendit. Quid de eo ſcribere poſſimus, meritò dubitamus, cùm eorum ACTA perierint, & pauca Sanctus Cyprianus *de Lapſis*, de eis ſcripſerit, his verbis. *Sic ſic* CASTO, *& ÆMILIO aliquando Dominus ignouit: ſic in prima congreſſione deuictos, victores in ſecundo prælio reddidit, vt fortiores ignibus fierent, qui ignibus ante ceſſiſſent, & vnde ſuperati eſſent, inde ſuperarent.*

Topographia.

ASSOTA, vrbs antiqua *Hiſpaniæ*, de qua Iulian. in *Aduerſ. num.* 70. 81. 82. 85. *&* 199. Luitprand. in *Chron. num.* 27. vbi plura D. D. Laurent. Ramir. *fol.* 302. & D. Thom. Tamayo *fol.* 38. *&* 39. qui etiam Inſcriptionem ſuperius poſitam appingunt. Circa nomen huius vrbis, & cui hodie reſpondeat variè cruciantur Scriptores Noſtri, eſſe nunc Oppidum VAL-ASOTO probant P. Pancoruus in *Diſquiſit. pro SS. Vrgabonenſib.* D. Martin. de Anaya *in Apolog. pro SS. Hiſpal.* 3. *p.* §. 8. *fol.* 19. Alphonſus de Requena *de Aduent. S. Paul. in Hiſpan.* 1. *p. c.* 8. *fol.* 47. *& c.* 11. *fol.* 95. Qui etiam ex Iulian. *in Aduerſ.* 199. eius Conditores aſſignat, & fuiſſe Sedem Epiſcopalem fatetur.

DECIMO

Digitized by Google

DECIMO KAL. IVNII.

DIES XXIII.

A. AMBRATIÆ *in Vettonibus Hiſpaniæ Vlterioris,* S. EPITATII, *eiuſdem vrbis Ciuis, Epiſcopi, Apoſtoli, Martyris, & Patroni, qui ad fidem à* B. Petro *Ratenſi* IACOBI *Diſcipulo, & Braccarorum Antiſtite I. conuerſus, illum eſt inſecutus; & Tudenſium Pontifex factus, totius ferè illius regionis accolas, verbo, exemplis, & miraculis fecit eſſe Chriſtianos: Poſt in patriam redux, indutis Præſulatûs ipſius inſulis, cùm Chriſti nomen per vrbis plateas extollere inciperet, à proprijs Conciuibus tentus, carceri mancipatus, demùm grauiſſimis tormentis ſuperatis ad coronam Martyr inclytus acceſſit æternam.*

B. IBIDEM, S. BASILEI *Epiſcopi Braccarorum II.* B. Petri *Ratenſis ſucceſſoris, qui à* IACOBO *Apoſtolo, cuius erat Diſcipulus, Portuenſium Pontifex I. deſignatus, multis peragratis vrbibus Hiſpaniæ Braccarenſem inſulam induit; pòſt* Ambratiam *deuenit, vt S. ſolaretur* Epitatium, *carceri mancipatum, & Chriſti gregem, paſtore deſtitutum ſalutaribus paſceret incrementis; ſed à Gentilibus in ergaſtulum coniectus, poſt grauiſſima cruciatuum ſupplicia, tandem per martyrij anguſtias, ad Auguſtas cœlorum ſedes triumphans inſignis euolat Agoniſta.*

C. *Apud* Forum-Liuij *in Italia* S. MERCVRIALIS *qui in* Hiſpaniam *veniens, vt* Turiſmundum *Gothorum Regem ab inſanabili curaſſet morbo, quod diuinitus fecit; populos ſub Ariana ſecta implicitos prædicauit, & demum captiuos omnes* Liuienſes, *& finitimos, quos* Turiſmundus *in Atilæ diruptione, prædæ nomine abduxerat, reduxit: demum miraculis clarus, Confeſſor in Domino obdormiuit.*

NOTÆ.

NOTÆ.

A. *Scripſi Vitam Anno M. DC. XLVII.*

SANCTVS EPITATIVS Epiſcopus, & Martyr.] Eius Vitam ſermone Hiſpano, vnico ſum volumine complexus, Madridij typis edito Anno M. DC. XLVII. Eius memoria apud Noſtros celebris, licèt S. Viri Acta penitus obliteraſſet temporum ingluuies. De eo elogium adnectunt fere omnes Martyrologiorum Scriptores, tàm antiqui, quàm recentiores, tàm editi, quàm MSS. Aliquas eius actiones in memoriam reuocarunt Flau. Dext. *Ann.* 268. & *Anno* 277. Athanaſ. *in fragment. apud Biuar. in Prolegom. ad Dextr.* Iulian. *in Chron. n.* 22. & *Ann.* 252. & 584. & in *Aduerſ. n.* 25. Illos ſecuti ſunt D. Prudent. de Sandou. *Hiſt. Tudenſ. fol.* 15. Don Roder. de Acuña *Hiſtor. Portuenſ. 1. p. c.* 2. & *Hiſtor. Braccar. 1. p. cap.* 14. P. Biuar. *in Not. ad Dextr. Ann.* 268. *n.* 4. & *Ann.* 277. *num.* 7. & ibidem Roder. Caro *expreſſè Ann.* 268. Barnab. Moreno de Varg. *Hiſt. Emeritenſ. lib.* 2. *c.* 2. P. Claud. Clemens *in Tabulis Eccleſ. Geograph.* Carrill. *Annal. Eccleſ. Hiſpan. Ann.* 57. D. Thom. Tamayo *in Not. ad Paulum Emeritenſ. fol.* 143. Ex floribus SS. *Truxill. Villeg. & Sanctor.* Moral. *Hiſtor. Hiſp. lib.* 10. *c.* 28. Mariet. *Hiſt. SS. Hiſpan. lib.* 2. *c.* 32. Padill. *Hiſtor. Eccleſ. Hiſpan. tom.* 1. *Cent.* 4. *c.* 31. P. F. Didac. Morill. *Hiſtor. Cæſaraugust. 1. p. c.* 21. *fol.* 182. Georg. Cardoſ. *in Officijs SS. Portugall. c.* 4. Vaſconcell. *in Deſcript. Luſitan. fol.* 438. Roman. Martyrol. *h. d.* iſta habet: *Sanctorum Martyrum* EPITATII *Epiſcopi, & Baſilei in Hiſpania.* MS. Martyrolog. Placent. clarius: *In Hiſpania* SS. EPITATII, *& Baſilei Epiſcoporum, illius Noſtri Tudensiſque Epiſcopi, Petri Braccarenſis Epiſcopi Diſcipuli.* Breuius in *Kalend. Placentino MS.* h. d. S. EPITATII *Epiſcopi Tudenſis, & Ambratiæ.* Eius Acta ex Lectionibus, quas pro eius Officio in Eccleſia, & Diœceſi *Placentina* recitando, Illuſtriſſ. ac Reuerendiſſ. Dominus, ac Dominus meus *D. Didacus de Arce Reynoſo* ipſius vrbis Epiſcopus, & in Hiſpaniarum Regnis Generalis Inquiſitor, Romam miſit, breuiter exſcribemus.

Martyrologia.

Scriptores.

ACTA S. EPITATII EPISCOPI Ambratiani & Martyris; ex Dextro, Iuliano, & alijs Legendar.

Lect. III. Origo.

EPITATIVS *Græcam ducens originem, apud* Ambratiam *Vettoniæ in Hiſpania Vlteriori, antiquiſſimam Vrbem, Epiſcopali, & Apoſtolica Sede decoratam, quæ hodie* Placentia *dicitur; ex patribus Ethnicis, etſi nobilibus, viſiuæ lucis radios conſpexit. Paternos ab infantia ritus ebibens, ad virilem vſque prætextam Idolorum facibus inſeruiuit; donec meliore ſeculo edoctus, ad æternos Euangelicæ facis fulgores, viuificæ claritudinis profuſione, intrepidus, calcatis renuentium morum obſtaculis, toto corde peruenit. Luſtrauerat ergo* S. IACOBVS *Zebedæi filius, &* Hiſpaniarum *Apoſtolus totius regionis ciuitates, vbi plures ad fidem Diſcipulos conuertens, ſingulos ad prædicandum dimiſit, qui vniuerſam prouinciam ſeduli peragrarunt, & erectis Eccleſijs plurimos Chriſti nomini pepererunt.*

Lect. IV.

INTER *tot verò Diſcipulorum ſegetem, ad huiuſmodi Euangelici opus vocatam miniſterij, vnus nomine* Petrus, *poſtea* Ratenſis *dictus*, Braccarenſium *Epiſcopus eligitur, qui vrbem ingrediens* Ambratienſem, *fidei myſteria Catholicæ, feruenti per plateas exponebat ſpiritu; ad cuius commotus* EPITATIVS *fulmina veritatis, cæleſtis lumina Spiritus omnia, ſitibundus exhauſit, & ad fontem accurrens, vitali lympha perfuſus candidam fidei, & innocentiæ ſuperinduit ſtolam. Hocce ergo nouus homo lotus vndamine, & velamine cinctus, relictis patriæ illecebris, patrijs curis, & paternis opibus, vt nudus nudum inſectaretur Magiſtrum*, B. Petrum Ratenſem *ad vſque* Braccaram *eſt inſecutus.*

S. Petrus Ratēſis prædicat Ambratiæ.

Conuertitur Epitatius.

POST

POST *grandia hic experimenta virtutum* EPITATII, *quæ* S. Petri Ratenſis *continuò deſideria complebãt, ne tanto miniſtro fraudaretur Eccleſia, in* Tudenſium *illicò Vir Beatus Sedem aſcendit Antiſtes; vbi Chriſti Domini fidem ſic verbo, & exemplo perduxit, vt totius penè regionis accolas baptizaret. Quo expleto, in patriam redux, ipſius Apoſtolus deſignatur, & Pontifex. Hic proprios, vt Chriſto lucrifaceret, feruentibus & aſſiduis ſermonibus debellabat vbique. At ab ipſis comprehenſus, & in carcerem coniectus, agonem vitæ vltimum expectabat.* Baſileus *verò primus* Portucalenſis *Epiſcopus, pòſt* Braccarenſis, *audita* EPITATII *cuſtodia*; Ambraciam *adiuit, vbi ſimiliter tentus, tandem per varia tormentorum certamina, indeficiens martyrij corona iugiter coniunxit vtrumque,* XXIII. die Maij, *Anno* LVII. *in prima* Hiſpana *perſecutione Neronis. Eorum corpora à Diſcipulis tumulata, diu delituerunt, donec* Anno D. XXXIV. Neuphila *Tudenſis Epiſcopus ex ruinis* Ambratiæ *Sacrum* B. EPITATII *corpus extraxit, & Tudem tranſtulit, vbi erecta eius nomini Baſilica, ad vſque* Hiſpaniæ *excidium, à fidelibus & circumſtantibus populis extitit veneratum.*

Lect. V. Fit Epiſcopus Tudenſis.

Pòſt Ambratianus Pontifex.

Comprehenditur, & coronatur.

Transfertur Tudem.

Huc vſque Acta ex Lectionibus. Aſt cùm poſtmodùm in *Sacra Rituum Congregatione* Sanctorum Noſtrorum *Vitæ Libellum* à me *Hiſpano* ſermone conſcriptum, vnà cum ſupplicationibus *Illuſtriſſimi Domini mei Epiſcopi Placentini Generalis Inquiſitoris Hiſpaniæ*, & DD. Decani & capituli S. E. Placentinæ, eorum procuratores Romæ humiliter præſentarent, diſcuſſis omnibus, quæ circa *in Libello* allegata verſabantur, ad vnguem, placuit Eminentiſſimis illius Congregationis Cardinalibus, & Iudicibus, vt ſequens LECTIO pro Noſtrorum Sanctorum Officio recitando propria concederetur.

S. R Cõgregatio Officium conceſſit cum propria hac Lectione Duplex.

LECTIO PROPRIA IN FESTO SS. EPITATII, & Baſilei Epiſcoporum, & Martyrum Ambracenſium in Hiſpania, recitanda; ex Decreto Sanctæ Rituum Congregationis.

EPITATIVS, *Græcis ortus parentibus in* Ambracia, *antiquiſſimæ* Hiſpaniæ *Vlterioris Ciuitate, per* B. Petrum Ratenſem, IACOBI *Zebedæi Diſcipulum*, Braccarenſium *Epiſcopum, à Gentilium erroribus ad Fidem conuerſus, parentibus, patriâ, opibuſque relictis, illum continuò ſequi conſtituit, à quo Chriſtianæ veritatis lumen accepit. Adeò verò ſub tanti Præceptoris diſciplinâ profecit, vt dignum Petrus iudicauerit, quem* Tudenſi *primùm, deinde* Ambracianæ *Eccleſiæ præficeret Epiſcopum: Vtrobique ea, quæ bonum decent Paſtorem, ſedulò perficiens, ab* Ambracianæ *Vrbis Præfecto coniectus in carcerem, poſt varia tormenta ſimul cum* BASILEO *Epiſcopo* Braccarenſi, *ſub Nerone Imperatore martyrium conſummauit. Celebris eſt vtriuſque memoria in Vrbe* Placentina, *quæ illic conſtructa dicitur, vbi* Ambracia *olim conſtiterat.*

Lectio propria pro SS. Epitatio, & Baſileo.

Quod patet ex Teſtimonio à *Ieronymo Boncompagno* S. R. C. Secretario, expedito, his verbis: *Supraſcriptam Quartam Lectionem ab Eminentiſſimo* D. Cardinali Ludouiſio *recognitam, & relatam, Eminentiſſimi Patres ſacris ritibus præpoſiti, approbarunt, vt in Eccleſia, & diœceſi* Placentina *in* Hiſpaniis *die* XXIII. Maij *feſto* SS. EPITATII, & BASILEI *Epiſcoporum, & Martyrum recitari poſſit, & valeat. Die VIII. Octobris, Anno M. DC. L. A. Card. Capponius.* Huius rei occaſione, celebris feſtiuitas *Placentiæ* die XXIII. Maij, Anno M. DC. LI. me diſponente, & *Illuſtriſſimo D. ac D. meo Epiſcopo* ordinante peracta eſt, quæ anſam multis poëtis ſcribendi præbuit, inter quorum carmina *R. P. F. Marcus Cuneus* Germanus ex ordine *Minorum*, ſequentia heroicè pangit.

Teſtimoniũ S. R. Congregationis.

ADVMBRATIO

Digitized by Google

ADVMBRATIO METRICA

Alia metricè conſcripta.

Vitæ, Conuerſionis, & Martyrij S. EPITATII Apoſtoli, & Antiſtitis Tudenſis, CIVISque, Epiſcopi, & cum S. BASILEO Portucalenſi & Braccarenſi Præſule, Ambraciæ, hodie Plaſencia, Martyre.

Ad Illuſtriſſ. & Reuerendiſſ. D. D. DIDACVM DE ARZE REYNOSO *Vigilantiſſimum S.E.Plac. Antiſtitem, Inquiſitorem Generalem, & Regis Hiſpan. Conſiliar.*

Per F. MARCVM CVNEO Germanum, Ordinis B. P. N. Franciſci de Obſeruantia alumnum.

Facem præferente deſcriptione

D. D. IOANNIS DE TAMAYO SALAZAR V. I. C. & Illuſtriſſimæ Dominationis ſuæ SECRETARII.

Præfatio.

FORTIA *geſta canam geminorum & clara trophæa*
Paſtorum, cœptis ô dux fortiſſime Chriſte
Aſpirare meis dignare, retexere laudes
Vt dignas poſſint palmas recolentia verba.

§. I.

Vrbis Ambratiæ primordia.

Aëra *fama ſecans Graiorum præpete pennâ*
Vix tetigit terram, ſic orſa eſt ore ſonoro;
Diuitijs omnes alias Hiſpania *terras*
Vincit, parturiunt montes, & flumina Ditis
Munera, nec tellus eſt vlla potentior auro;
Auri quando fames præcordia perculit æſtu
Irrequieta, & opes ſperantibus addidit ignes.
Heſperium luſtrare ſolum, volitare per alta
Æquora contendunt, ſecum & portare Penates:
Néve piget duris animum ſupponere rebus.
Sæuior ingenijs pars horrida præparat arma,
Æquoreóque libet pro auro decernere bello;
Verum alij, quos aut metus, aut melioris origo
Natura Marti ſubtraxit, mercibus illas
Mutatis cupiunt, ſtudióque adquirere gazas;
Conficiunt naues, deductis littore curuo
Vnanimes gaudent ſpumantes findere fluctus.
Dulcem linquentes patriam, Graióſque Penates,
Mutantes illos ad Iberas *appulit oras*
Tandem ſacra fames, flauíque cupido metalli.

Annus quo Ambratia condita.

Septingenteſimo Græcus fuit aduena primùm

Anno,

Digitized by Google

Anno, addes Quatuor cum sexaginta; potentis
Armis bis Quinto, Tres iunge, ab origine Roma,
Felici partu VIRGO *non læsa priusquam*
Proferret lucem mundo, culpaquè medelam.
Oppida mox firmis cœperunt condere muris
Conspicua, huic operi donis Cerealibus aptos
Quærentes agros, Bacchíque ad munera pingues
Montes; at quæstus, lucrique cupidine ducti
Delegêre solum mutandis mercibus aptum.
Non habitata inter, sed pinguia cætera rura
Cepit Græca cohors, ædes pertæsa paternas
Adducta Epiro *famâ super æthera notâ*
(Epirus Pirrho multos regnata per annos
Est Asiæ regio, fuerat Molossia quondam
Dodona, Oricia; at nunc est Albania dicta,)
Fertilitate agros aliis herbísque priores,
Quos antiqua tenet Lusitania; *quæ modò partes*
In geminas secta est; vni Vettonia *nomen*
Imposuêre, vetus retinet nunc altera nomen;
Montibus obiectos vastis, sempérque niuosis,
Solaris radius quà primùm lumine terras
Exortus spargit, tenebris, stellísque fugatis,
Gramina terra gerit riuos, syluásque feráſque.
Hîc Epirotis sedes, placidámque quietem
Figere complacuit, collatis viribus altas
Construxêre domos, quibus horrida frigora Brumæ
Vitarémque æstum, quando canis ore frementi
Euomit in terras ignes & naribus efflat.
Sic struxêre vrbis primordia pulchra decore,
Arcéque munitam muris cinxêre superbis,
Cui memores patriæ tribuêre, AMBRACIA, *nomen*
Gratum, & defessis afflans solatia rebus,
Felix vt patriæ fines decus inde referrent,
Perpetuâque suos celebrarent secula laude.
Res exinde suas auxêre ab origine Graja
Hesperiis inhians opibus gens facta recentis
AMBRATIÆ *Ciues fortunâ ritè fauente.*
Dum res Hispanûm *variâ (sic fata volebant)*
Sorte gerebantur, (Nam clara propago Quirini,
Atque ferox bello gens Punica fœdera soluens,
Vettones armis vario inuasêre cruentis

Græci Epiræta conditores.

Ambracia dicta, ob memoriam alterius Græcæ, cuius erant oriundi.

Marte) eadem tunc, quæ ſubierunt fata vicini,
Suſtinuêre, ſuo Romana ſuperbia victam
Vſque illam ſceptro regionem, arctíſque ſubegit
Legibus, atque dedit Grajos qui fœdere certo
Hiſpanóſque *ſimul premeret, communis vt illis*
Norma foret vitæ; generum namque ordo duorum
Iam confuſus erat commixto iure iugali;
Diſcrimen ſolùm ſeruante ſuperſtite famâ,
Græcorum extruxiſſe manus hæc oppida, & illa,
Primùmque Ambraciam *Grajum coluiſſe ſuperbum.*
Batica Prætori ſuberat, moderamine legum
Qui ius dicebat cauſis, Ambracia *eidem*
Paruit; atque fuit ſignata Colonia quondam
Scallabis; Emeritam tandem Vettonica turba
In cauſis adiit, populíque ibi Curia Iudex
Diſcreuit lites, coluit qui rura propinqua
Anæ; dicuntur Vettonia nomine noto.

Romanis paret.

Naſcitur Chriſtus.

Tempora fauſta, quibus ſoboles æterna ſuperni
Regis naturam ſibi noſtram vniuit in alvo
Virginis; & caſtæ quibus illam viſcera Matres
Progenuêre; quibus nos morte redemit iniqui
Dæmonis à laqueis; quibus Orbi vt tertia Titan
Lumina præbuerat, barathro ſurrexit ab imo,
Et victrix rediit; quibus & ſuper æthera lata
Reppetiit Patris ſedem; & quibus almus ab aſtris
Spiritus effulſit linguarum munere largus,
Aduenêre Orbi, Chriſti placuítque Miniſtris
Legem, & iuſſa Dei populis edicere paſſim.

S. Iacobus Hiſpaniæ luſtrat.

Hiſpanas *oras felici ſorte* IACOBVS
Obtinuit, palmâ primus qui ſanguine fuſo
Claruit. O felix Regnum, quod præſide tanto
Et cultore viges fidei victoréque Mauri!

Petrũ Ratenſem ſuſcitat.

Incepit verbo percellere Nuntius aures
Diuino Heſperiis; verbum miracula firmant;
Namque Ratiſtenſem Petrum (mirabile dictu)
Exanimem tumulo rediuiuum iuſſit ab imo
Ire foras rursúmque frui cœleſtibus auris;
Hinc ſubito ſeſe in venas tenuiſſimus infert
Halitus, infundítque agilem per membra vigórem.
Hinc calor atque cauis actæ pulmonibus aura
Incipiunt tremulis agitare tepentia fibris.

Digitized by Google

Pectora, & infuſo compleri ſanguine vena.
Cui, expectat cæcis te Braccara *merſa tenebris,*
Inquit, Doctorem fidei cui dulcia monſtres
Paſcua; iam pietas rogitat; iam debita ſancta
Iuſtitiæ cultura vocat; iam noſce Magiſtrum;
Auctorem iam noſce tuum; pro talibus auſis
Expectat te ſyderei iam Regia cœli.

Ordinat Epiſcopum Braccarenſem.

Dixerat hæc Petro Zebedæi clara propago
Granata; edoctus Chriſti noua dogmata legis
Paruit inferuens operi, mora nulla, profectus
Ventura cœpit tentare pericula palmæ,
Atque ſolum peragrans Vettonum ſpargere verbi
Diuini ſemen: ne ve inclyta Braccara *ſola*
Perculſa eſt ſancti Præconis voce canorâ;
Gens ſed cuncta viam circumſita; namque ſalutis
Turbæ, non lucri quærendi ſedula cura
Traxit eum, finis fuit vnicus iſte, labórque,
Duceret vt mentes cæcas ad gaudia cœli,
Vtque manu largâ committit ſemina terræ
Sparſa auidus cultor, nec lato eſt rure priori
Contentus, ſed emit campos conſtante vicinos
Spe ductus frugum, quos vomere ſcindit acuto;
Haud aliter Petrus *diſpergens fertile ſemen*
Inuictæ fidei, quamplurima rura peragrat.
Nec contentus erat mandato munere fungi
Præſidis Hiſpanûm, *ſed zelo ductus honoris*
Numinis excelſi, fortis patiénſque laborum
Oppida Braccaræ *vt & præmiſit plura docenda*
Quæ colerent Ieſum, *contempto numine nequam.*

Ambratiæ prædicat Petrus Ratenſis.

Conſtitit Ambraciæ *claris virtutibus auctus*
Antiſtes, certus veluti reperire fidelem
Seruum, cui munus myſteria ſacra docendi
Aſſumptæ fidei committeret; ordine ciues
Ex omni, populum illuſtrem, magiſtúmque Senatum
Conſpiciens iunctos blandis hortatibus inſit.
Veſtra ſi mentem tangit modò cura ſalutis,
Ne noſtras, ne, quæſo, pias contemnite voces;
Tu modò Lethæo recubans demerſa ſopore
Gens miſera, ignoras, quò te fabrefecerit olim
Cura Dei, vel quos Genitor produxit in vſus?
Annè vt ad effictos lapides, truncóſque dolatos

Dextrâ hominis, rueres? Cultum ſoli annè decentem
Conferres; ſolus qui finxit ſydera cœli,
Qui te, & quod claudit formati machina mundi?
His, alia, atque alia accumulat, verſátque monendo.
Numinis vnius, tres præmonet eſſe colendas
Perſonas; Patrem, Natum, Flaménque ſacratum;
Baptiſmúmque vias aperire ad regna polorum;
Plurima de Chriſto, de Flamine plurima prodit;
Nunc ſtygium, Phlegethonta, & Auerni ſubiicit ignes,
Nunc fortunatos ſuperûm proponit honores,
Atque ſua ex imis memorat reuocata ſepulchris
Membra, & viuifico rurſum vegetata calore.
Talia narrantis Petri pendebat ab ore
Auditi Epitatiu Sermonem Petri.
Ciuis EPITATIVS *Grajorum ex ſanguine natus.*
Viuificans placuit ſermo, pondúſque canentis
Iuſſa Dei, & ſacro fulmen iaculantis ab ore;
Auditu fidei ſacræ diſcrimen adeptus
Erroríſque, ſuum qui pectus ceperat olim,
Inſanámque videns vrgentia nubila mentem,
Diuini ſuadelâ animi, rationéque victus
Succubuit, ſubeuntque admiſſa piacula vitæ;
Et pudet innumeros Orci coluiſſe colubros,
Numina quos Ciues habuerunt, atque ſubacti
Sceptro Romano; ſomnum quoque mente profundum
Diuinæ radius cæpit depellere lucis;
Illorúmque vicem, ſibi quos coniunxerat arctus
Nodus amicitiæ, & generis communis origo,
Euoluens animo, ſortem eſt miſeratus acerbam;
Illis, atque aliis claræ noua munera lucis,
Inque ſuos omnes optat deſcendere ſenſus,
Vt comitante fidem rectam virtute, futura
Gaudia dona Dei nunquam peritura referrent.
Inuenit lucem, & vitæ ſecuritatem.
Aurora vt primùm venturi nuntia Phœbi
Summis orta rudem ſplendorem montibus effert,
Orbis nec penitus latebræ reſerantur opertæ,
Tuncquè imperfecti veniunt hebetéſque colores
Rebus, lux radiis totum patefecerit vſque
Orbem, ita EPITATIO *primùm placuêre fideles*
Petri ſermones, & eis ratione notatis
Aſſenſit, dubiust amen intima pandere cordis,
Æthereæ vſque domus lumen deſcendit ab aſtris,

Illapſúmque

Illapsúmque imas peruenit ad vſque latebras.
Sed primùm variis luctantur pectora curis,
Aſpera vita recens terret ; ſed blanda voluptas
Præterita inuitat, retrahunt nouitaſque pudorque
Legis contemptu facili pronatus habendæ ;
Diſſuadétque ſimul præuiſa inſania vulgi
Deceptâ hoc turpi leuitati mente daturi,
Dicturíque ſibi : Noua cur veſtigia calcas
Non noti cuiquam, facies cui ſqualida, ſuntquè
Nudipedi, pelles tegmen, ſpoliúmque ferarum,
Propoſitam legem nullo fundamine certo
Firmantis, malè ſed nugis ſolidare parantis ?
Hos pius obſtantes patitur ſub pectore motus,
Et ſubitos totâ præſenſit mente timores.
Quiſnam, *ait*, ô Superi, tantos quis concitat æſtus
Corde metus ? quâ membra nouâ formidine torpent ?
At verò diuina Pater deflexit ad illum
Oráque, cæleſteſque oculos, quibus æthere ab alto
Tartareáſque domos, imúmque Acheronta ſubintrat,
Quóque ſolet cœlum aſpectu ſuperóſque beare,
Quóque magis mouet ille oculos penetrantia vibrat
Tela, ſalutiferis configit corda ſagittis ;
Ignem animo penitúſque accendit in oſſibus ignem,
Plurimus vnde illi ſenſus deſcendit ad imos
Ardor, quo ſeſe penitus fundente medullis
Secum ait : O demens, ſanctas ne reſpue voces
Fuſas ore Dei ; nec opem maleſane recuſa
Qui deieciſti terrena ad gaudia mentem,
Quíque immerſiſti terræ caput, & male dulces
Illecebras, fruſtráque inter ſpineta petendas
Delicias poſcis, deſiderio quid inani
Indulgere iuuat ? Cunctas huc flectito curas,
Transferque huc animum, libeat mutare caducæ
Sortis opes, vilémque extremæ fæcis amorem
Æternas in diuitias, & munera Diuûm
Semper inexhauſta, & cœleſti nectare plenos
Ambroſiâque cados paſsímque fluentia mella,
Inque perennis aquæ fluuium, qui gurgite viuo
Incitus & purâ fertur cryſtallinus vnda.
En tu deliciis aliis, aliiſquè fruêris
Et lautis epulis, potis eſt quas promere nemo

Contradictiones in corde ſentit.

Loquitur ſecum.

Voce, latent tantùm tacito ſub pectore opertæ.
Ne timeas furias, ſtolidi & conuicia vulgi,
Spernéque notorum, cognati & ſanguinis iras,
Nec te pœniteat vitam pro lege recenti
Fundere, namque caret labe: & memor eſto ſuaui
Chriſti ſolantis charos ſermone miniſtros.
Vos, ô Vos nimium felicibus vndique fatis
Progeniti, cùm dira meis pro legibus olim
Intulerint vobis homines: odiíſque nefandis
Accincti veſtrum properent extinguere nomen,
Illa dies vos æterno ſacrabit honore,
Veſtráque perpetuis vulgabunt nomina ſeclis.
Ergo animos tolerare decet, ſpes ſumere cœlo
Ingentes, vbi digna manent vos præmia factis.

Hæc *memorant dixiſſe* Petrum, *ſimul inde profectus*
Pérque vias, vicóſque vagans, Vrbíſque plateas
Saluificæ fidei Doctorem quærit anhelans.
Repperit, ardentis cui pectoris abdita pandit,
Et deſiderio vehementi afflatus ab alto,
Spondeo ritè, inquit, meus hos dùm ſpiritus artus
Commouet, hanc adamare fidem, monſtraréque facto,
Legis ſectando normam; nunquámque verebor
Quaſcunque ærumnas, ipſam toleraréque mortem
Pro Chriſto, fidei mea quam mens anxia quærit.
Ne me ne ſpernas, quæſo, concede ſalutis
Ingreſſum, mora nec cœptum moleſta retardet;
Pectus firma meum ſolidat ſpes, namque recentem,
Quam tradis legem fateor, certámque fatebor,
Inquè illa mundi conſiſtere credo medelam.
Audiit hæc Petrus *latóque in pectore voluit.*
Dicta probat, placidíſque aperit pia pectora verbis
Diuus Epitatio, *verbis ſolamina plenis:*
Et pulſante hilari præcordia lubrica motu
Procidit, & magnum Numen veneratus adorat.
Mox primis fidei rudimentis imbuit illum,
Et ſacri membris ſparſit baptiſmatis vndam,
Vndam, quæ excluſos ad Regna beata reducit.
Gaudia quis memoret, laudéſque ferentia verba
Inclyti Epitatii? *Sic intonuiſſe videtur:*
Iam non fert grauitas animum terrena deorſum
In ſordes, curaſque humiles, abiectáque vota,

Adhæret Petro, à quo tingitur.

Linquere

Linquere geſtit humum, volucreſque aſſumere pennas
Et ſeſe in morem niuea librare columba.

§. II.

ORAS Ambraciæ *linquens* Braccarius *Heros*
Braccaram *petiit, fido comitante Magiſtrum*
Diſcipulo; quam dum tetigerunt, ordine recto
Diſponunt quidquid petit agri cultus herilis.
Illum Braccaram vſque ſequitur.
Anxius vtque infans dilecta pectora matris
Diſquirit ſugenda, manu ſibi ne excidat ore
Comprimit: haud aliter ſincero è pectore Petri
Clarus EPITATIVS *virtutum, operumque liquorem*
Sanctorum trahit, & chari veſtigia quærit.
Cognita Doctoris, Vitâ præſtante: ſequenda.
Ille præit, ſecúmque animi rapiebat amorem
Diſcipuli; promptè Petri ſubit iſte vocantis
Imperium, ſequitúrque ducem: velut aurea Phœbi
Flammarum Clytie circunſpicit ora, ſequénſque
Vertitur ad radios, & cum duce lumina mutat.
Braccaræ *Antiſtes prudenti mente recenſens*
Inclytum EPITATII *Zelum, mox voce canorâ*
Egregias cœpit laudes reſonare benigno
Regi, quòd dederit, cui recta integraque vita
Atque ſalus hominum cordi eſt, comitémque fidelem.
A quo Tudenſis Epiſcopus ordinatur.
Cui, tua flecte, inquit, claram veſtigia Tydem,
Illi te populo Paſtorem dono, ſacróque,
Ereptum Stygij diris quò faucibus Orci
Ad Chriſti tutum conducas, mitis, ouile.
Sic fieri placuit, nam Græca ab origine ducta
Incolit illam vrbem, prioráque rura propago:
Communis vobis patria eſt, communis & vſus
Lingua, multorum ſic eſt ſpes magna ſalutis.
Paruit imperio Tydenſis *Apoſtolus, atque*
Primus ibi Præſul, duplex quem cauſa, ſaluti
Vt benè proſpiceret gregis, vrſit, namque relicta
Hinc telluris amor patriæ, Paſtoris & illinc
Sollicitum inuitant munus prodeſſe paratum.
Mox commiſſa ſibi rectè noua munia obire
Cœpit, & inſolitum gelidis inflauit alacris
Ignem pectoribus; vibratáque tela retorſit,
Communire quibus ſatagebant numina falſa:
Linguâ illis Græcâ Chriſti pia dogmata legis

Exprimit, & cultum validis rationibus vtens
Idolûm euertit, iungens miracula dictis:
Verbáque conſolidans vitâ ſine crimine tanto
Præſule condignâ; ſermones namque docentis
Ni comitetur opus, fruſtra, incaſſúmque laborat.
Sic facilè euulſit turpis mala ſemina cultus,
Eluit & vitium ſoti lethale veneni,
Æternam cladem miſeris & triſte minantis
Exitium; multíque Tydes fera dogmata ciues
Hoc duce liquerunt, & turpia fana Deorum,
Rectum iter ingreſſi, feſſos vbi ſemita ducit
Ad patriam, quæ tacta Deum ſine fine tueri
Concedit, ſummóque bono lætarier æquè.
Accipiunt & inexpertæ noua munera lucis
Oppida plura Tydem *circumſita, ibi inclytus Heros*
Atque Tydes *Miſſæ magnum, & venerabile Sacrum*
Obtulit, vt viſu fruerentur luce carentes
Obſcurâ ſub nocte oculi, perſæpe precatus.
Sacramenta gregi fidus quoque cætera Paſtor
Contulit, in cunctis ſupremo Rege fauente.
Sic alium iunxiſſe gregem ſub monte relictum
Chriſti ouibus meruit, cingi & ſua tempora lauro
Ob meritum fidei profuſo ſanguine tandem.

Poſt Ambracienſis.

Braccaræ *inſomnes Antiſtes ducere noctes*
Conſueuit, Zelo, curâque ſalutis adactus
Cunctorum: imprimis noctuquè diuquè volutat
Ambraciæ *miſeram ſortem, clademquè perennis*
Exitij: natiuus amor, virtuſquè benignæ
Genti innata mouent, ſubeunt blandæque loquelæ
Auréque ſermones illos hauſiſſe lubenti;
Et memorans illic ſeruum reperiſſe fidelem
Paſtorem Tydes, *fidei ſuccenſus amore,*
In patriam voluit reducem tranſmittere natum:
Verùm conſpiciens, ſolers atque impigra cura,
Sedulitáſque pij quòd Tydè *adduxerit amplos*
Fructus, tunc reuocare illum non cenſuit æquum:
Iniunctum munus de frugi auferre Miniſtro
Haud equidem liceat; Præſul nam talia conans
Vel bene cæpto operi perfectum imponere finem,
Munere veſanus, vel digna pætrare recuſat.
At Pater æthereus vacuas ſub pectore curas

Voluere

Voluere non paſſus Petrum, *vel inane petîſſe,*
Ambraciæ *fauſtam tibi maturare ſalutem*
Conſtituit, fideíque ducem tibi reddere natum.
Namque videns Petrus *ſacrata lumina multis*
Doctrinæ Tydes EPITATI *parta labore*
Illuxiſſe, locúmque Dei lege eſſe receptâ
Inſignem, ſtudio cultoris meſsis abundans
Namque fuit frugum, repleuit & horrea Tydes,
Inſpirante Deo fidei ſacra dogmata ritè
Edoctum Euaſium *Paſtoris ab ore* Tydenſis
Doctorem fidei Tydes dedit eſſe Secundum.
Præfecítque gregi manſura in ſæcula iura
Laturum (Cæli leges, conſultáque Diuûm
Nouerat, & ſacros ritus EPITATII *alumnus,*
Victrix Caſaræ cui cinxit tempora laurus
Morte fidem Chriſti faſſo. Caſara *propinqua eſt*
Vrbi, quam dicunt Cacéres, *vbi iuraque ſacra*
Antiſtes fanxit Caurienſis) *reſtituitquè*
Ambratiâ *exortum patriæ dans primus vt eſſet*
Illic Antiſtes, quò ſacra oracula legis
Panderet ignaris, cœptoquè adhibere labori
Chriſticolas iußit ſocios, operíque miniſtros.

Euaſius II. Epiſcopus Tudenſis.

§. III.

LÆTVS EPITATIVS, *digno & veneratus honore*
Numen, reppetiit patriam, patrióſque Penates.
Cùm tetigêre animum communi ſanguine creti,
Et ſibi amicitiæ conſtantis fœdere iuncti,
Sollicitus curas, vireſque Vir inclytus omnes
Impendit, caliganti quò nubila viſu
Pelleret indigenis, cœlum & luſtrare doceret.
Inſtitit Ambraciæ *ſolidâ pietate colendus:*
Irradiare oculos denſâ caligine preſſos
Cuilibet, & nebulas atras depellere ab ore
Ambraciotarum, *patrioſque reuiſere lares,*
Et natale ſolum diuinâ à lege profectum
Conſpiciens, reditúmque ſuum iußiſſe Magiſtrum
Prælucere illis morum grauitate proborum
Conſtituit, radióſque piæ diſpergere vitæ.
Nam vitæ ſine labe decus ſermonibus addit
Pondus, & inſignem tribuit ſeruátque nitorem.
Elucet pietas, & amico gratia vultu,

Ambratiâ repedat Epitatius.

Gratia

Digitized by Google

Gratia nata Deo, & gremio nutrita Tonantis,
Et ſincera fides, & non violabile iuſtum.
Concipit inde animos, magnúmque ad fortia pectus,
Per populos, pérque immites in prælia gentes
Seſe agit intrepidus, nec magna pericula terrent,
Ne vè quod in denſas ſeſe arment Tartara pugnas,
Non furiæ, non ira mouet truculenta Tyrannum:
Seque infert populo, pérque omnia compita paſſim
Intonat eloquio mirandis incita verbis
Soluens ora animis emollitura rigentes.
O Amor æternâ qui ducis origine cauſas!
Supremæ bonitatis amor violentior igne,
Ignéque & excuſſa quæ fertur ab æthere flamma,
Quanta tua eſt cæleſtis amor diuina poteſtas!
Quanta tua eſt virtus! Per te patefacta pericla
Spreuit EPITATIVS, *turpi illi pectora nunquam*
Sunt concuſſa metu, tranſit per tela, per ignes,
Lethi per caſus ruit imperterritus omnes.
Tanta gregis fuerat venerando cura ſalutis,
Quanta eſt Paſtori, à grege ſi fors deuiet vnquam,
Aut agitata lupis, aut fœta in valle relicta
Lanigerum pecus inter, ouis ſpectanda nitore
Velleris, aut niuei ſucco ditiſſima lactis:
Paſtor vbi ad numerum bis térque recenſuit agmen
Abſentem gemit, & reliquas in rupe ſorores
Immemor, aut gelidâ procul in conualle relinquens
Amens illam vnam ſuſpirat, & omnia luſtrat
Circùm oculis, quin clamantem per frigora noctis
Mænalia rupes, vel Thracius audiit Hermus:
Quòd ſi ſe notis prodat gemebunda querelis,
Accurrit, latúſque humeris ad ouilia portat.
Sæpe tonat præcepta Dei, repetítque labores
Sanctus EPITATIVS: *Sed Sancto ingrata Magiſtro*
Gens ſtruit inſidias; inſignem dotibus illum,
Culturâque ingenij veſana ignaráque vidit;
Inde animos rabies, & edit mala pectora liuor.
Verberat obliquum ſpectantia lumina virtus,
Et morum probitas, rara pietatis imago,
Et veræ fidei zelus perfectáque vita:
Hinc diris infeſta odiis, maleſidáque turba
Innocui tentant placidam infeſtare quietem:

Prædicat libere Chriſtum per vrbem.

Ingratus populus S. Præſuli ſtruit inſidias.

Relligione

Digitized by Google

Relligione graui impietas ſine lege virorum
Illudit. Nunquam ſanè virtutibus iſtis
Falſa & iniqua loquens iaculatrix lingua pepercit:
Promptius illa ferit pulchra virtute decoros
Et pietate viros, primis quos nouit ab annis.
O Patria eximiis perſæpe iniuſta nouerca
Natis! Te rarò tua ſuſcepiſſe Prophetas
Pignora, quis dubitet? Tyde *te læta Magiſtrum*
Ambraciæ *natum veneratur; Præſule dignos*
Offert ſolerti pro cura laudis honores
Plebs Tydes, *vulguſquè rude exhilareſcit, & vltrò*
Aurea felici gratatur ſecula Mundo.
Ambracienſe *genus durum, impatienſquè moneri:*
Infractâ ceruice iugum, obluctantia colla
Vſque repugnatis? Veſtramquè arcere ſalutem
Tenditis? Haud mirum: peregrinum admittere Tyde
Doctorem placuit; ſed non admittere ciuem
Ambraciæ, *teneris ſecum qui luſit ab annis:*
Néve malam mutat melior ſententia mentem;
Vitam at longæuam, multos & Neſtoris annos
Paſtori exoptat Tyde, *quòd munera vitæ*
Diuinæ hauſerunt ſtudio, curâque Magiſtri
Membraquè vixerunt triſti torpentia morte
Flaminis æterni vitali afflata calore.
Pandit in agminibus denſis præcepta Tonantis
Diuus Epitatvs, *mentes quo plebis inertes*
Attrahit, arrectis capiendæ intenta ſaluti
Auribus, aſſiſtit ſancto, pleno ore, Tonanti
Supremi conſulta Dei: nam regna polorum
Sæpius abiectæ ſortis gens obtinet; exul
Nec primos aditus inflata ſuperbia tangit.
Expers illa doli iaculantia verba Magiſtri
Excipit, & ſophiam mundi fundamine nixam
Infirmo refugit, pugnax quod iecit iniquè
Affectus: factis & voce potente docentis
Tacta ducis recolunt & verba, & facta ſequenda,
Mirantúrque Virum; furiis ſed concita turba,
Et diris agitata odiis auerſa tuetur
Conſpicuum pietate Virum, iuſſumquè ferentem
Eius qui æthereæ moderator præſidet arci,
Damnat de verâ ſophiâ pia dicta profecta,

Attrahit ad fidem humiles.

Ingemindtque

Ingeminátque dolos, & artes mille nocendi
Quærit. EPITATIVS *mentes ad pocula vitæ,*
Cœleſtéſque vocat limphas; licet inuida contra
Se rabies intendat, inani & dente laceſſat
Criminis expertem, fruſtráque furore petendum.
Suſtinuit rabiem, ſæuos tolerauit & auſus
Inuiſæ gentis, Doctori ſponte ſtruentis
Exitium, & reliquæ tulit imprudentia turbæ
Crimina, quam rapuit perſuaſio falſa potentum.
Sæpius interea ſequitur mirantibus Heros
Orſa prius cœptúmque operis finire laborem.
Tormento velut incluſus Vulcanus aheno,
Si nequit effractis victor prorumpere clauſtris
Æſtuat, atque intus latè furit impete magno,
Huc rotat atque illuc vibratam pondere molem,
Impatiens donec furiarum igníſque frementis
Machina deſiliit: victor diuerberat auras
Ille volans, tonitrúque ſolum procul omne tremeſcit.
Sic preſſus zelus vires capit: interea ſe
Format (vt impurum excoquitur fornácibus aurum,
Contuſum ſplendet magis) inuicti ducis ardor
Incluſus ſtrictè fremit, igneſcitquè retentus,
Vſque per ora grauem reſonatia verba fragorem
Erumpunt, magniſquè ſtrepit clamoribus aër:
Vſque ſuo ſub corde latens multùm incitus ardor
Incaluit, rapidoſquè tonans effulminat ignes.
Gens, inquit fidei totus ſuccenſus amore,
Gens hominum quò cæca ruis? Lucemquè peroſa
Incurrentem oculis vltro ſectare tenebras?
Nec metus exitij, nec te rata gaudia Diuûm
Tangit iners? animo quamuis ſtimulante proteruam
Argueret, verbíſque vltrò increparet amaris;
Illa tamen duram tenet impenetrabilis aurem,
Excludítque ſonos, flauâque incanduit irâ.

Contra S. Virum inſurgit populus.

Bullato interea cœtus quem gloria faſtu
Extulit, inſanóque ſui ſtupefecit amore,
Fulgentis radio tenebras offundere lucis
Tendit, & expreſſi vires infringere verbi;
Sollicitos hoſtes incaſſum hæc cura fatigat.
Sæuitia inſequitur, tormenta, necémque minantur;
Sed furias ſpernit, mortémque, minantia verba:

Namque

Namque Deo bellum fremebundum inferre furorem
Non ſibi, cognouit; firmat patientia mentem:
Et diræ mitis patitur conuitia linguæ,
Nec reddenda putat pro damnis damna viciſſim.
Liuor edax, atrâque tumens inſania bile
Diſſimulant crimen falsâ ſub imagine cultus
Antiquæ legis, quam Graja propago tenebat:
Prætendunt cauſas alias, alióſque requirunt
Prætextus, fœdúmque volunt abſcondere crimen.
Mox furias vulgi fera concitat ira potentum.
Naſcitur hinc rabies, odiiſque accincta nefandis
Inuidia exoritur pronata furore Senatus.
Nititur irradians mentes extinguere lumen,
Lumen condecorans animam veſana propago.
Per populos iterum cœleſtibus incita flammis
Vox Diui reſonat Virtutem, & nomen IESV.
At Stygius coluber, ſeptem reuolutus in Orbes,
Et ſeptemgemino reuomens è gutture flammas,
Peruigil, inſomnis, criſtato vertice fulgens
Sibilat, horrendum & tetro vomit ore venenum;
Ingens ſollicitam verſat dolor, iraquè mentem,
Dùm meminit, Paſtor quas fuderit ore loquelas
Ad populum, metuítque diu ne fluctuet actus
Forſan, & abiecto properet reſipiſcere cultu:
Protinus ad ſeſe fidum iubet ire miniſtrum,
Cui irarum cura eſt in corde accendere flammas,
Quíque agitare ſolet furias, bellúmque ciere.
Adſtat fronte minax, roſtríque immanis hiatu.
Et tetris horrens ſquamis, atque vnguibus vncis,
Tunc igitur ſtridens ore intonat, atque ita fatur:
Vade, age, & alato volucer prælabere niſu
Ambratiam, *inſignem noſtris altaribus vrbem,*
Nomen vbi noſtrum celebratur thuris honore,
Et votis; multùm iam pridem eſt nota miniſtris
Illa meis, tibíque inprimis mihi fide ſatelles.
Conſuetas exercè artes, & pectore cæcas
Inſpirato iras, mentíque infunde furorem,
Dedecus vt reprimat noſtrum, regnóque ruinam
Noſtro impendentem; reuocet ſua dicta Magiſter
Ille, & ſuccumbat pœnæ, mortíſque timori.
Vix ea fatus erat, ſubitò cùm deuolat actus

Diaboli inuidia aduerſus S. Virum.

Digitized by Google

Præcipitante fugâ, & nigris ſecat æthera pennis.
Ille volans longo deſignat limite ſulcum,
Tetráque fumanti veſtigia linquit odore.
Sulphurea veluti quoties violentia flamma
Æthereas ſecat alta vias, cælóque coruſcat,
Quam puer incluſam tunicis, textáque papyro
Strindentem ad ſuperas interritus expulit auras.
Illa magis curſu furit, igneſcitquè volando,
Et ſe cum ſtrepitu denſa inter nubila condit;
Haud aliter tenebras noctis ſcandebat opacæ
Nuntius infernæ volitans triſtiſsimus aulæ.
Ventum erat Ambratiam, *cùm ſeſe in pectora vertit*
Nota diu procerum charûm, magníque Senatus.
Inſignes virtute Viri, quibus inclyta (dixit)
Pallas multa dedit, potioráque munera mentis,
Conſiliis ſolertem animum, præſaga futuri
Pectora, & euentus dubios prænoſcere ſenſus,
Cor ſine vafritiæ prudens, agilémque vigorem
Mentis, & immenſas facilem componere curas:
Et quibus eſt curæ ſacratas condere leges,
Iura dare, & patrios hominum componere mores,
Et cultus nouiſſe Deûm, ritúſque ſacrorum:
Ne tolerate virum ſciolum, falsámque docentem
Legem, irriſorem veſtri, veſtrûmquè Deorum;
Doctrinâ excultos erroris qui improbus audet
Accuſare viros, vulgo ſua dogmata laudans:
Néve palæſtra decet rixoſis digna ſophiſtis,
Pectora, nam vobis doctam coluiſſe Mineruam
Conſtat; ſed vinclis præſtat terrere, miníſque
Horribilis mortis, laniaréque viſcera flagris.
Dixit; & inſpirans læſuras concitat iras,
Et penitus rapido liqueſiunt corda furore.
Ille velut victor celeres ſe tollit in auras
Stridulus, & motis plaudens ſe proripit alis.
Animos Ciulum irâ incendit aduerſus S. Præſulem.
Maiores animo Prætor conceperat iras,
Conciliúmque vocat, cuius nil iuſſa morati
Conueniunt omnes iuſſo parere parati.
Talibus inde modis ora indignantia ſoluit:
Noſtis EPITATIVM, *qui nos, noſtrûmque Deorum*
Irridet cultum, falsámque inducere legem
Audet; ſe populi miſcens medio agmine voce

Intonat

Digitized by Google

Intonat, & multâ decepit ſubdolus arte
Sacrorum expertes; texiſſéque nubila mentes,
(Proh ſcelus!) eloquitur, noſtras, me vindice, pœnas
Aut luet, aut Chriſtum reſipiſcens eſſe negabit
Numen, quod terram regit, & moderatur Olimpum.
Confremuêre omnes, ſed Prætor voce, manúque
Murmura compreſſit, rumpénſque ſilentia voce:
Antro, inquit, clauſi (ſic ſtat ſententia) tetro
Carceris, ipſius tenebras quod vincit opaca
Noctis, quod Phœbi eſt, & Phœbes muneris expers,
Ni mentem mutet, lacerari terga iubebo
Flagris, & vinclis duris vincirier artus,
Principis en noſtri, qui ſeruat ſceptra, diuquè
Seruet, facta ſequi placeat præclara Neronis,
Chriſticolas contra temnentes iura Deorum,
Ille modos reperit varios, artéſque nocendi,
Gens noſtris addicta Diis ne errore trahatur.
Aſſensêre omnes, tenuit mora nulla frementes.
Mox Lictor magnâ vulgi comitante cateruâ
Per vicos vrbis, locáque omnia publica Diuum
Traxit, EPITATIVM *què in opacum carceris antrum*
Comprimit anguſtis vinclis, religatquè catenis:
Atque minas addit, potior ſententia mentem
Ni mutet, pœnâ victus, veniámque precetur.
Intrepidus Paſtor nil talia dicta moratur;
Dulcia ſèd duris infigit baſia vinclis,
Et laudes reſonare Dei, Chriſtúmque tonare
Perſtat: ſic fidei claro luxêre nitore
Lumina in Athletâ, firmumquè ad fortia pectus.
Sicquè magis rabies patuit turbaquè furentis
Fraudes, ladendiquè probum maleſana cupido.
O felix animi mitis patientia, namque
Sola poteſt domitare feras, rerumquè potiri
Imperio, & victo paſſim dominarier Orbi.
Vincula dura iuuant vinctum, male dulcia mundi
Gaudia contemnit, ludos, riſuſquè ſolutos
Reffugit, æternæ ſecura ſilentia vitæ
Appetit, atque moram palmæ, clariique trophæi
Increpat, atque dolet tempus retinere volantem.
Chriſticolæ turbæ murmur circumſonat atri
Carceris acceſſum, gemitúſque & verba loquentûm:

Ad carceris pœnam damnatur S. Vir.

Comprehẽditur.

Hoc vbi cognouit, placidis pia pectora verbis
Mulcet, ſicquè viris timidis præcordia firmat,
Degeneres firmate animos, vanumquè timorem
Ponite, ne chari, qui ſola in corpora vires,
Imperiúmque tenent, ne formidate Tyrannos.
Quem deceat timuiſſe, feram, qui corpora poſtquam
Perdiderit, potis eſt ipſas mulctare perenni
Morte animas: Cumquè ad ſolium Regumquè ſuperbos
Ventum erit aſpectus, ne vnquam diſquirite mente
Qualibus eloquiis, vel quo ſermone reatum
Diluere, ac veſtram liceat defendere cauſam,
Vltrò aderit, qui vos animis præſentibus eſſe,
Et iubeat vobis aperire potentibus ora.
Quid mirum ſi vos diro gens impia ferro
Perdere, & inſanis agitare furoribus ardet?
Hæc eadem molita prius, cùm cæde nefanda
Sacra Deo manibus violarunt corpora Vatum.
His, aliiſque monet timidos Ambracius Heros.
Sollicitâ Vincti diſquirunt crimina mente
Gens irata Viri crudeli morte pianda;
Necquidquam apparet, quod ſit vel carcere dignum.
At Chriſti nomen venerari, magna videtur
Sacrilegis culpa, hanc mulctandam morte nefandâ
Cenſent; ſed fidei Dux imperterritus ardens
Ignibus, intrepidis iterumque, iterumquè ſonabat
Vocibus, extollens præclarum nomen IESV.
Quem non horribilis ſonitus, ſtrepituſquè catenæ
Nec nimium grauium vinclorum pondera terrent;
Cuius nec mentem tenebroſi carceris antrum
Mutat, neve modi torquendi corpora mille
Eripiunt animum; ſuadentes impia voces
Blandiſonæ nunquam potuerunt frangere pectus;
Sed ſonitus mentem ſtimulat, roburquè catenæ
Excitat, & carcer iuuat, & fomenta miniſtrat
Lætitiæ numerus tormentûm, & robora cordi
Adiiciunt maleſuadorum conſulta Virorum.
His conuicta fuit viſis inuiſa propago,
Non tamen innocuo curarunt vincula ſolui,
Erroris potius conſueti ardore retenti
(Nempe haud eſſe decens, errantem voce monenti
Corrigere, aut natum de errore oſtendere crimen

In carcere fideles roborat, & omnes fidem docet.

Variè eius captura probatur.

Cenſent)

Digitized by Google

Cenſent) quàm dura pœna, mortiſquè timore.
Lætus in anguſto, ſed dulci carcere Paſtor
Egit, cùm mundi ſe cinctum mille periclis,
Ærumniſquè videt dextra lauáque tuendum
Numinis auxilio, clara ne munera palma
Eripiant, ſeclumquè frui te Chriſte per omne.
Fortior explorat pugnæ, belliquè pericla
Athleta; aſt animos accendit, tela miniſtrat
Fida Deus, ſtrictóque docet concurrere ferro.
Inuigilat clemens, & partes ſedulus omnes
Obſeruat, claudítque aditus, monitúſque nefandos
Delet, & inducit ſuſpenſæ obliuia menti.
Inſidias Heros callet, ſed pectora nullo
Sunt turbata metu, patiénſque per aſpera currit
Compita, pérque æquor, quoties ſe murmure tollit,
Et quoties fragor horreſcens exaſperat vndas;
Dúmque ferox Boreas reſonat, violentus & Auſter;
Lætitiâ exultat fortíſque & criminis expers.
In vinclis inopem magnos toleraſſe labores
Mitia corda putant, quem naſo appendit adunco
Notus amicitiâ, dictis lacerare malignis
Quem conſanguineus properauit concitus æſtu
Irarum, inquè necem patriæ furor arma miniſtrat.
Interea cunctis fidei expoſuiſſe colendæ
Credibile eſt, vires, manſuráque gaudia cœli
Conferri veræ fidei ſine munere nulli.
Corda aliûm fidei radius penetrauerit almæ;
Arctius aſt aliûm torpentes frigore mentes
Preſſerit, hinc raptam vota in contraria turbam
Videris; illorum calidos diuoluere riuos
Lumina, durorum miſerentum ſigna laborum
Conſtricti vinclis; rapidis aſt ignibus iſtos,
Fulmineâque ipſum rabidos iacularier irâ,
Inquè repentinos verti clamore tumultus.
Conclamare omnes, pereat, moriatur iniquus.
Non timuit mortem, metuit neque dura laborum
Fata, nec afflicti fregerunt vincula mentem:
Nam manere iſtos olim ſolatia caſus
Dulcia, non latuit Diuum: mortemque proborum
Inſignem eſſe notam, referendaquè præmia pulchræ
Virtutis ſciuit, nomen, laudeſquè requiri

Lætus catenam oſculatur.

Concinium anguſtias ſpernit.

Inde, & pro palmâ ſperari dona repoſta.

§. IV.

Baſilem II. Epiſcopus Braccarenſis nouit capturam S. Epitatij.

Tempora adornabat Baſileo *clara ſecundo*
Inſula Paſtori Braccaræ, *vbi concita fama*
Vincula EPITATII *cecinit, durósque labores;*
Soluitur in lacrymas mitis Braccarius *Heros,*
Dum ærumnáſque Ducis, fideíque pericla volutat,
Chriſticoláſque nouos ſpargendos eſſe luporum
Actos ſæuitiâ; ſocius cupit eſſe laborum
Paſtoris, ſparsóſque agnos ad ouilia Chriſti
Colligere, inuitâquè Orci de fauce ſolutos.

Ambratiã adiit.

Infert ſe Ambraciam, *& fœdas carceris ades*
Ingreditur, ſanctúmque audit clamoribus aures
Æterni Patris, & precibus Cœlum omne cientem.
Conſpicit, alloquitur, tendit ſua brachia collo
Proſtrati vinclis; ſed non contingere collum
Conceſſum eſt: collum circundat ferreus orbis:
Tendere nec potis eſt ſua brachia, pondere preſſa
Vinclorum: feſſum de terra attollere corpus
Nititur, erectum reprimunt fera vincula corpus.
Nulla tamen lacrymis, linguæquè repagula nulla
Obiecêre hoſtes, felices ire per ora
Et poſſunt lacrymæ læto de corde ſuborte,
Atque valet ſanctas lingua efformare loquelas.

Loquitur Epitatius Baſileo.

Vrget amor, cogítque alias abrumpere curas,
Háſque ciet voces: Frater tu dedite nobis
Accedis geminus frater, qui corpore iunctus
Mente magis iungendus eris, ſolamina noſtra
Dimidiumque animæ, miſero quam corpore clauſam
Liberiore iuuat volitare per æthera pennâ;
Quas grates referam frater tibi? Nam hoc neque noſtræ
Eſt opis, aut pietas repetit tua. Qui mihi lumen
Infudit cœleſte oculis; qui me mihi totum
Eripuit, penitúſque ſibi coniunxit amore,
Ille poteſt ſolus, ſolus tibi digna rependat
Præmia, quæ maneant, donétque euincere fata,
Quæ non æqua forent, furias, mundíque pericla.
Excipit hinc Heros Braccaræ; O digne Tonantem

Reſpondet Braccarenſis Præſul.

Aſpicere, atque oculos æterno intendere Soli,
O geminis geminas liceat ſi adquirere palmas
Quos coniunxit amor, iungat commune trophæum

Deprecor

Deprecor, atque ſimul, cœli potiamur honore.
Dixit, & amborum firmantia pectora verba
Talia voce refert: Cœlo ſpes noſtra repoſta eſt;
Pectora tuta Deo, vos non Acherontia regna
Non Stygij turbent hoſtes, non ianitor antri
Tartarei, non qua intortis accincta colubris
Exercens pœnas in verbera pendet Erynnis.
Quid referam tantos ſalienti in pectore motus
Ambraciæ *Herois, voces vt promere nullas*
Quiuerit, & tacito lateant in pectore verba?
Pectora cum placidam ceperunt mota quietem,
Excipit: O fauſtos, ô terquè, quaterque beatos,
Queis licet æthereas auditu haurire loquelas
Præſentíſque Dei datur ora, oculóſque tueri.
O! mihi ſi tali licuiſſet ſorte potiri,
Non ego diuitias Arabum, non Creſsia quidquid
Gaza tulit, non qui Lydos Pactolus inundat,
Quique ſecat mediam te Carpetania lymphis.
Pellucens Tagus auriferis (crede) anxius optem.
Hinc ſe cœperunt armare in prælia fratres
Aſsiduis precibus penetrantes atria cœli:
Cordáque Chriſtiadum percuſſa timore nouorum,
Roborat hortatu multo vaga Paſtor vterque.
Sed flagrans odiis diſtento damon hiatu
Horrendum rugiit crudelis more leonis.
Ac veluti Paſtor, tepefacto corpore, quando
Immemor euentus ignem ſub tegmine quercus
Liquit, & emiſſus Boreas fremebundus adactam
Impellit foliis flammam, ligníſque vicinis,
Tum furit, & tenſus loca per diuerſa vagatur,
Augetúrque citus, ferit aurea ſydera cœli.
Fit fragor, & ſtrepitu latè nemus omne tremeſcit.
Haud aliter damon, magis, & magis excitat iras
In Sanctos, animíſque æſtus ardentibus inflat.
Gens furioſa colens falsûm ſimulacra Deorum
Corripiunt Diuum Baſileum *multa loquentem*
De virtute Dei, & de IESV nomine multa:
Charo coniungunt ſocio ad loca fœtida truſum,
Atque eius ſtringunt vinclis æqualibus artus:
Quóſque fides olim conduxerat alma ſeorſum
Ad Chriſtum, ſubito ſociabat & vna catena.

Comprehẽditur S. Baſileus.

Gloria victores coniunxit & vna triumphi.
Quis furias, iráſque feras, & verbera, fando
Exprimat? Vndabant ſacrato ſanguine terram
Torquẽtur. *Carnifices lacero fuſo de corpore Diuûm*
Verbere nodoſo, nudabant viſcera flagris,
Equuleo appenſûm diris cruciatibus artus
Eneruant tractos immenſo pondere ſaxi
Adſtricti pedibus: carnes aquè vngula adunca
Dilacerat; fortis ſed non patientia Diuûm
Concutitur (ſola eſt omnis, quam turba Tyrannûm
Horreſcit) ſuperi vſque pius regnator Olympi,
Robora, qui membris ad fortia facta patranda,
Contulit, in ſublime animas, ductíſque triumphis,
Agminéque eximio Diuûm comitante, leuari,
Signa manu toto victricia ab orbe ferentes
Iuſſit, & æthereâ victrices arce reponi.
Coronantur. *Athletæ* Iunij Decimo *vicêre* Kalendas,
Cùm Quinquageſies annum voluiſſet ab alta
Arce nitens Phœbus, Septem ſuperadde, recurrens,
Æternam prolem poſtquam peperêre Parentis
Viſcera ſublimis. Regnum cepêre Secundo
Crudelis Claudî poſt ſceptra accepta Neronis.
Hæc *en* EPITATII *vita Illuſtriſſime Præſul,*
En flagra, en mors Martyris, en quâ culmina cœli
Per pœnas conſcendit ouans, quo ciuibus alta
Virtutum à Domino impetrauit munia ſemper.
Enquè BASILEI *comitíſque corona Beati:*
Quorum tu prius ACTA *Sacer de rudere pura*
Eruis antiqui Succeſſor codicis; hincquè
Cæca vetuſtatis caligo incognita ceſſat.
Tantorum Patrum tu ſolus in vrbe reducis
Nomina, tu ſolus ſanctorum numina pandis
Pontificum; tu primus Præſul in arce locaſti
Effigies Diuûm ſacratâ, & prouidus illos
(Sede iubente æterna) Antiſtes ritibus ornas.
Eximiis, proprio Officio quo ſacra Senatus
Cleri pura cohors quoquo anno munera ſoluat
Præſulibus ſanctis, quos hinc tua vota ſequuntur.
Nunc rudibus parce Illuſtriſſime Præſul *(vt Auctor*
Contextus noſtri) calamis, quibus onera Vatis
Soluere conatum fuit & iam ſoluere gratum.

Haud

Haud aliter mihi fas erat hinc aquare canendo
Pontificum vita res priſco tempore geſtas.
Igitur excelſi noſtra hac ne temnite Diui
Carmina, præceptum noſtræ ſit venia vocis.

Quorum Sanctorum ecphraſim breuiter comprobabimus. De GRÆCA origine ex ipſomet vrbis AMBRATIÆ nomine colligitur; cuius conditores Græcos fuiſſe, plurimæ, quas in vnum coaceruauit P. Fern. *Hiſt. Placent. lib. 1. c. 2.* Sandoual *Hiſt. Tudenſ. fol. 15.* coniectationes ſuadent; & probat P. Biuar. *ad Dextr. Ann. 268. Com. 1 n. 4.* dicens: *Quod autem inquit AMBRATIAM à GRÆCIS fundatam, conſonum videtur ei, quod in Ptolomæo, Strabone, & Plinio legimus. In Epiro Græcia prouincia Vrbem olim extitiſſe, nomine* Ambratiam, *nunc* Larta, *& ſinum maris ab ea* Ambraticum *nuncupatum. Conſtat verò* Græcos *in* Hiſpaniam *traiecciſſe, inibique vrbes non paucas ædificaſſe, nominibus ſuarum vrbium, nouis inditis, quo patriæ memoriam vtcumque conſeruarent.* Quod etiam faſſus eſt Iulian. *Aduerſ.* 342. vbi agens de reſtauratione Oppidi *Paſſaron*, quod ab *Ambratia* vix V. leucas diſtat, proſequitur: *Hac ætate reparatum eſt in* Luſitania *prope* Boduum, *oppidum* Paſſaron, *à Græcis* Epirotis conditum. *Probatur origo ex Græcis.*

QVOD AMBRATIA conderetur in *Luſitania*, ſeu *Vettonia*, innumera ſunt teſtimonia, quæ videre ſi velis, adeas *Vitam S. Epitarij* à me conſcriptam *c. 2. n. 3. fol. 61.* Iulian. *de Eremitor n. 16.* Luitprand. *in Chron. n. 45. fol. 310.* vbi P. Higuer. & D. D. Laurent. Ram. D. Thomas Tamayo *ibidem fol. 49.* Dextr. *Ann. 268. Ann. 424.* & *Ann. 384.* Moren. de Varg. *Hiſt. Emerit. lib. 2. c. 2.* Sandoual Acuña, Caro, & alios ſuperiùs relatos conſulas. *Ambratia vrbs fuit in Vettonia.*

DE ADVENTV *S. Petri Ratenſis Ambratiam*, audi *Caledonium* ex relatu *Hugonis Portuenſis*, in fragment. apud *Biuar. in Prolegom. ad Dextr.* his verbis: *Et ad eius exemplum, non in vna tantum ciuitate commorabatur* (S. PETRVS) *ſed zelo fidei, mediterranea citra, & vltra Tagum, populoſque ſibi commiſſos ambiens, Ægitaniæ, Callenſiæ, Emeritæ, AMBRATIÆ, & in aliis Vettonum, & Luſitanorum vrbibus, verbum Dei diſſeminat.* Quòdque inibi ad fidem traxiſſet EPITATIVM expreſſa ſunt Sandoualij verba: *Poſtquam prope Illiberim* S. Petrus Ratenſis *eſt Braccarorum Apoſtolus ordinatus à S. IACOBO, ſuam prouinciam adire compellitur, & cùm prædicando AMBRATIAM progrederetur, inibi* EPITATIVM *conuertens, ſecum nouum duxit Braccaram Chriſtianum.* *S. Petrus Ratenſis Ambratia prædicat.*

CIRCA primum apud *Tudenſes* S. EPITATII Epiſcopatum, locus eſt inſignis S. Athanaſij Cæſarauguſtani Præſulis *in fragmentis*, vbi agens de *S. Petro Ratenſi*, proſequitur: *Hic Vir Apoſtolicus, epiſtolas Apoſtolico plenas ſpiritu ſcripſit ad Eccleſias, in quibus Epiſcopos conſtituit, vt Irienſem, Amphilochenſem, Eminienſem, Portuenſem, vbi* S. Baſileum *condiſcipulum poſuit* &c. *&* EPITATIVM *in* Tudenſi. Dext. *Ann. 277.* clarius: *Floret memoria* Tude *Primi Epiſcopi* (S. EPITATII) *diſcipuli S. Petri Braccarenſis.* Et P. Biuar. *Ann. 268.* itidem: *Ex ruinis AMBRATIÆ vbi* S. EPITATIVS *primus Epiſcopus Tudenſis paſſus eſt.* Iulian. in *Chron. Ann. 251. &* 584. ex Sandoual. vbi ſuprà. *Martyrol. MS. Placentin.* S. EPITATII *primi Epiſcopi* Tudenſis. Cum quibus conueniunt ſupra citati, & Nos in *Vit. S. Epitat. c. 2. n. 7.* vbi *Iuliani* antinomiæ reſpondimus. *S. Epitatius Epiſcopus I. Tudenſis.*

PERREXIT in patriam S. EPITATIVS titulo & infulis Præſulatus ornatus, inibique Euangelium prædicare incepit. Expreſſa ſunt *S. Athanaſij* verba; *Iſti Viri diuini* (inquit) *planèque Apoſtolici, inſtar Apoſtolorum non in vna ſemper vrbe morabantur, ſed vbi rapiebat eos Spiritus Sanctus, ferebantur, vt* EPITATIVS *qui non ſolum in* Tudenſi *diſtrictu, ſed in vrbe Luſitaniæ* AMBRATIA *prædicauit.* De quo etiam videndi *Sandoual.* & alij. *Deinde Ambratianus I.*

DE *Ciuilitate* apud *Ambratiam* Dext. *Ann. 268.* ſic: AMBRATIÆ *in Luſitania* S. EPITATII *eiuſdem ciuitatis* CIVIS. Iulian. *Aduerſ. 22.* Martyrol. Placentin. P. Biu. Sandoual, Acuña, & cæteri à me relati *c. 2. §. 4. fol. 81.* *Fuit Ciuis Ambratia.*

DE MARTYRIO apud *Ambratiam.* Dextr. *Ann. 268.* integrè ſic: AMBRATIÆ *in Luſitania* S. EPITATII *eiuſdem Ciuis, & Pontificis, & Martyris Chriſti.* Iulian. *Ann. 584.* *Martyr in eadem vrbe.*

Digitized by Google

Ann. 584. *ex* Sandoualio, AMBRATIÆ *vbi* S. EPITATIVS *primus Epiſcopus Tudenſis paſſus eſt*: & in *Aduerſ.* 22. AMBRATIÆ (S. Epitatius) *martyrium paſſus eſt*. Conueniunt Sandoual, Acuña, & Georg. Caroloſo. Nec obſtat Acuñæ *in Hiſtor. Braccar.* 1. *p. c.* 14. variatio, quia (cùm poſtquam in *Hiſtor. Portugallenſ.* 1. *p. c.* 4. noſtram firmauerit ſententiam) locum BRATIA quem BRACELOS iuxta *Braccaram* ſomniat, non erat in *Vettonia*, ideóque à Dextro deuiauit, ſic neque in hoc eſt audiendus.

Lapſus D. Roderici de Acuña.

MINVS obſtat Barnabæ Moreno *Hiſt. Emeritenſ. lib.* 2. *c.* 2. placitum, quo Sanctum Martyrem Noſtrum intendit facere Epiſcopum *Emeritenſem*: Quia nullo fulcitur fundamine; Nam de additione ad *Dextrum*, concors ſententia eſt, nulliter in Codicibus Dextri inueniri talia verba: Quin potius prolixè hanc authoritatem vindicauimus *c.* 4. *n.* 1. ex MS. Martyrologio P. Hieronymi Roman de la Higuera.

Error Barnabæ Moreno.

NEC P. Claudij Clementis iudicium eſt attendendum, quatenus S. EPITATIVM Epiſcopum ſomniat *Placentiæ* oppidi in *Cantabria*. Nam error chorographiæ ineſt: quia ſi *Dexter* ſitum Præſulatus, & martyrij in *Vettonia*, ſeu *Luſitania* conſtituit, quo pacto ad *Cantabros* reiiciendus eſt. Item quia *Placentia* in *Cantabria* conſtructa fuit poſt CCC. XXIV. annos à paſſione N. S. Martyris. De quo vide dicta per me *c.* 4. *n.* 26.

Et P. Claudij Clementis.

Haud audiendus eſt P. F. Didacus Morillo *Hiſt. Caſarauguſt.* 1. *p. c.* 21. *fol.* 182. qui S. EPITATIVM Noſtrum confundit cum EPICTETO ſuo, credens Eccleſiam hoc die ſuum colere, non Noſtrum. Cui fecimus ſatis, probando S. EPICTETVM ad *Iberum* ſine ſocio paſſum, vt indicat S. Maxim. *in Od. SS. EPP. Caſarauguſt.* S. EPITATIVM apud *Ambratiam* in *Luſitania*, ſeu *Vettonia*, cum *S. Baſileo*.

Et Didaci Morillo.

CIRCA Annum agonis, anceps diſceptatio eſt. Nam licet in *Vit. S. Epitat. c.* 2. *n.* 10. aſſerui Noſtrum S. Epiſcopum fuiſſe per martyrium ſublatum *Anno LVII.* attamen inſpectis circunſtantiis crederem non niſi ad *Annum LX.* eueniſſe. Probatio eſt in promptu: quia ſi S. Baſileum ſocium habuit in agone, & iſte *Romam* pro viſitando *S. Paulo* transfretauit, in vinculis poſito, hoc euenire non potuit, niſi ad *Annum LIX.* quo, & non antea, *Paulus Romæ* catenam ſubiit; ergo fatendum eſt, EPITATII, & *Baſilei* martyrium non in *Anno LVII.* ſed LX. perfectum fuiſſe.

Annus agonis.

NVNC pro coronide aliquot pro S. Noſtri veneratione ſubiiciemus epigrammata, quæ à variis contexta, & deuotionem augeant, & honorem. Ad EPITATII nomen Græcum, quod Latinè *Intenſiuum* ſignificat, hoc auſculta:

Gorgonei capitis quiſquis ſe vertit ad angues,
Marmoreas fertur mox habuiſſe genas.
Haud aliter, quorum vultus perlegerat ora,
Præſul ab ignito dum fluit ore ſonus:
Ignea corripiunt diuinæ incendia flammæ,
Pectore cœleſtes concipiúntque faces.
Nam quocumque ſacros Diuus conuertit ocellos,
Per fora, templa, lares, nil niſi flamma volat.
Nonne vtrique fuit par munus, párque poteſtas?
Gorgonis in lapides mutat, & ille focos:
Finis, & effectus tamen hos diſcriminat ambos,
Militat hæc Orco, militat ille polo.

Nunc piiſſimam accipe piiſſimi Elegiam Vatis, inqua S. EPITATII conuerſionem, & in Chriſti amorem raptum, Patriæ, parentum, opum, & Deorum cultus amiſſionem elegantiſſimo carmine contexuit Auctor.

Ecce

Digitized by Google

Ecce Placentinas *veniens dum* Petrus *ad oras*
Nomine Ratenſis, *dogmata ſancta docet.*
Dum populi ſpargit ſuperis precordia flammis,
Incidit in fibras, tunc quoque, flamma tuas.
Altius acceptam, quam dùm conuellere tentas,
Altius illa ſuis viribus aucta ſedet.
Vincimur, exclamas: auidè populantur & ima
Viſcera, cæleſtes tela ſuperna faces.
Quid faciam? luctor? tantíſne vel hoſtibus vltro
Obiiciam pectus? hoc iuuat, illud amo.
Vincat amor pugna, rurſum rapiamur in hoſtem,
Hoſti, & cum dedero mutua damna, cadam.
Irruis hoc dicto, dulcíque hinc vulnere, Chriſtum
Tranſadigis, parili vulnere vterque ruit.
Si ſic quiſque cadit, ſi ſic victoria vinci eſt,
Cuncta dabit clypeos, armáque, victa manus.
Ignea Ratenſis *lactis dum flumina voluit,*
Oréque melliſluo bella ſuperna ciet,
Saucius ignito cadit hinc EPITATIVS *ictu;*
Mox animus Diuo raptus ab igne flagrat.
Senſit, & ô charum, clamans, mihi vulnus amoris,
Quàm reſides animo, ſarcina grata, meo!
Quiſquis es, & ridens, qui talia fulmina iactas,
Sic precor, aßiduus ſis meus hoſtis, ait.
Dic age, qui pugnas, vt ſic vincaris ab hoſte,
Victus, an aut victor, num mage victor eras.
Omnibus exuitur gaζis EPITATIVS, *omnes*
Deſerit immenſas, pauper vt eſſet, opes.
Quid Phrygia veſtes, Tyriis quid purpura ſuccis
Tincta, quid, ignorat, iugera, quidve domus:
Claráque nobilitas, illi vileſcit, & aurum,
Quæque ſuper digitos lucida gemma micat;
Namque ſacerdotem Chriſti, dum nomine Petrum
Ratenſem *ſequitur per iuga, pérque vias.*
Sapiùs ingeminat: Cur tam ſero Petre *vocaſti?*
Cúrve plagas noſtras tàm ſero lentus obis?
Lactea cúrve tua vocis mihi flumina, tandem
Scire datur, cùm iam tempora barba tegit.
Non ego ſum tantus fateor; cui pectus adurat
Diuus, & in cuius viſcere gliſcat amor:
Sed dum corda flagrant, mediis dum flamma medullis

Paſcitur, has dulces experiórque faces:
Terra mihi ſordet, ridet mihi ſolus IESVS:
Terra vale; dulcis lux mea Chriſte veni.
Pro te pauper ero, patriámque, domúmque relinquo:
Sintque meà in meritis, votáque, ſpéſque, tuis.
Si ſic, Dive, miſer, ſi ſic de diuite fias,
Quis dubitet diues, pauper an eſſe velis?

Meo Sanctiſſimo Agoniſtæ, & *Placentinæ* Vrbis Ciui, Epiſcopo, Apoſtolo,& Tutelari, Cuius, vt diximus, Acta ex antiquitatis, & Eccleſiaſticæ eruditionis ruderibus eruta emunximus,perpoliuimus,& publicæ obtulimus luci: ac meum ne deficeret ſymbolum, hoc aliquando Iambico carmine luſi.

IN S. EPITATIVM EPISCOPVM, & Martyrem Placentinum, Hymnus.

CHriſti canamus Martyrem,
Ambratiæ *tunc Præſulem*
Sanctiſſimúmque Apoſtolum,
Patricium EPITATIVM.
Qui Græcus ex proſapia,
Gentilium mox ritibus
Adhæſit: horum facibus
Conſarcinatus exijt
Totus retectus fomite
Lethalis & libaminis,
Cœleſtis aura lumina
Haud intuebatur ſacra.
Donec Ratenſis *Pontifex*
Luſtrauit vrbem Graculam,
Qui protinus Chriſti pium
Ex face fecit accolam.
Chriſto renatus Lyſides
Ambratiæ *linquit lares*
Sanctóque Petro *protinus*
Se iungit vltrò candidus.
In Braccaram *diuinitus*
Pergunt, vbi inter barbaros
Tunc huius vrbis Satrapis
Chriſti fidem compræsicant.
Petrus ſuperni ſeminis
Fructus abundè colligit,
Vt quos rependat vberes
Tydem *dat* EPITATIO.
Illuc relatus primitus
Verbi recenſet ſymbola,
Vt ſic arentes ſtipulæ
Flores rependant ſplendidos.
Omni reducta plebium
Caterua ad almum gremium,
Tunc pergit in Ambratiam,
Hanc morte ſic vt liberet.
Vrbem paternam Pontifex
Adintrat effectus: Deo
Plebs omnis vt Chriſto ſacret
Vitam, fidem, cor, ſpiritum.
Tunc per forum, per obuia
Conſtans Crucis victoriam,
Adſtantibus miraculis,
Extollit, effert, eleuat.
Gentilium vix cæcitas
Vidit ex EPITATIO
Arcana legis publica,
Cùm torua in illum confluit.
Exhincque Sanctum Martyrem
Cingunt, reportant, alligant,
Raptatus inque ergaſtulum
Fertur, refertur, ducitur.
Poſt ergo veram Numinis
Confeſſionem, protinus
Deuictis hic tortoribus,
Deuenit ad Vitæ locum,

O Martyr

Digitized by Google

O Martyr inuictiſſime,
Audi preces, quam cantico
Læti recenti pſallimus
Ciues tui cum iubilo.

Summo Patri ſit luminum
Natóque Patris gloria,
Et cum Beato Spiritu,
Cunctis in æuum ſeculis.

Nec erubeſcam, hic apponere Sapphicum *D. Ioannis Tamayo Salazar* mei ex Sorore Nepotis hymnum, quem in tanti Noſtri Epiſcopi, & Martyris laudem ſcripti-tauit, dum adhuc primas adoleſcens eruditionis literas aucupabat, cuius pietatem magis quam naſcentis muſæ modulos ſpectes.

AD S. EPITATIVM EPISCOPVM, ET MARTYREM AMBRACIANVM, Hymnus.

MOnte deſerto reſidens IACOBVS
Illipæ, Petrum *tumulo* Ratenſem
Duxit, vt vita meliore viuens
Noſcat Iësum.

Additur ſacris rediuiuus aris
Braccaræ *Præſul pius ordinatur,*
Sacra commiſſis populis benignè
Dogmata pandit.

Protinus ciuis trepidauit illi
Qui Petri *poſtquam ſequitur loquelam*
Patris, ac Nati, paritérque ſancti
Flaminis, inquit:

Ritè maturos aperito noſtros
Pectoris ſenſus, ſcelerúmque labes
Tolle, cæleſtes penetrent vt ignes
Viſceris ima.

Petrus EPITATIVM *& eleuabat*
Illicò ſacri vigilans lauacri
Intret vt fontem; Labarúmque Chriſti
Pectore ducat.

At nouus Chriſti pugil atque preco
Verba iam Chriſti populo recenſet,
Verba iam credit numeroſa turba
Præſulis Almi.

Sanctus hic poſtquam patria fugatus
Vrbe Tudenſi *proprios docebat*
(Gentium turba genita Deóque)
Dogmata Chriſti.

Jam nouas Præſul meditatur oras,
Iam nouum gregem properat docere,
Nullus at ſenſus penetrat Tonantis
Corda timoris.

Gentium tandem memoris Deorum
Oppidi Myſtes furit, & fidelem
Opprimit Sanctum, pepulítque in altum
Carceris antrum.

At Baſilæus *fidei Magiſter*
Martyris conſors, pietate, fidus
Martyrem Martyr comitatur, optans
Perdere fauces.

Jam cruentato reſecat ſatelles
Enſe, pro Chriſti pietate colla:
Ambo cæleſtes meruêre ſedes,
Cordáque noſtra.

Præſules Almi paritérque Diui
Igne cæleſti renouate noſtros
Cordium ſenſus; Sator atque rerum
Præſtet Olympum.

VNVM in Notis ad ecphraſim omiſimus Actorum, quod ad *Tranſlationem* ſacrorum pignorum S. EPITATII *Ambratiâ Tudem* à *Neuphila* Tudenſi Epiſcopo factam ſpectat. Cuius vt rationem reddamus, hic ſubiicere congruum erit. Pro illa teſtes aduoco D. Prudent. de Sandoual *Hiſtor. Tudenſ. fol.* 17. P. Biuar. *ad Dextr. Ann.* 168. *num.* 4. qui ex Iuliano *in Chron. Ann.* 584. hanc clauſulam exprimunt: *Ex ruinis* Ambratiæ, *vbi* SANCTVS EPITATIVS *primus Epiſcopus Tudenſis paſſus eſt*, Neuphila *Epiſcopus Tudenſis* Tudem *reliquias tranſtu-*

A quo pignora S. Epitatij Tudem tranſlata?

lit. Quæ verba licet in *Iuliano* edito non appareant, cum illa viderit *Sandoualius*, non eſt cur de eius veritate ambigatur; præſertim cùm ille iſta apponat formalia verba latinitate donata: *Poſt hunc annum D. LXXXIV. propter notitiam quam Epiſcopus* Neuphila *de* SANCTO EPITATIO *habet, quem vt Epiſcopum etiam iſtius Tudenſis Eccleſiæ bene cognouerat, inter* Ambratiæ *ruinas ſedulò inquirere Sancti Martyris* Reliquias *incipiens, tandem illas inuenit, & Tydem aſportauit.*

Quis Tude Templum S. Martyri conſtruxit?

POSTMODVM idem *Sandoual* ex ipſo Iuliano refert, *Anaſtaſium* Epiſcopum Tudenſem ædem S. EPITATIO conſecraſſe. En verba: *Iſte* Anaſtaſius *Epiſcopus*, Tyde *ſacrauit* Eccleſiam, *vbi Sacrum* S. EPITATII *Corpus, & Reliquiæ, quas attulerat Epiſcopus Neuphila, conditæ, & adſeruatæ fuêre.* Quarum theca vbi hodie deliteſcat, ignoratur, quia excidio deueniente Hiſpaniæ, omnia hæc ſacra pignora occluſa, ſub ſilentio ſunt.

Topographia.

AMBRATIA Ciuitas Epiſcopalis peruetuſta à Græcis *Epirotis* condita in Orientali fine *Vettoniæ*, vel *Luſitaniæ*, hodie PLASENZIA; cuius ſitus deſcriptionem ad longum appinximus in *Hiſtor. S. Epitat. cap.* 3. *fol.* 169. vbi *num.* 9. probauimus, Populos AXABRICENSES quos Plin. *lib.* 4. *cap.* 22. agens de *Luſitania*, refert, fuiſſe AMBRACENSES ratione ſitus, licèt irrepſerit mendum in Codicibus editis Plinij, quibus loco AXABRICENSES reponendum erit AMBRACENSES. Quod probant antiquorum marmorum inſcriptiones Romanæ, in via Regia, hæc

PAGVS AMBRACENSIS.

In montis cacumine quo ad Eremitorium B. Virginis MARIÆ vulgo *de Portu*, *Placentinæ* vrbis Tutelaris, vt continua indicant mirabilia facinora, in columna.

SALTVS AMBRACENSIS.

Fluuius diſcriminans, & medius inter *Capparam* peruetuſtam vrbem, & *Placentiam*, FLVMEN AMBRACENSE vocabatur. Item ipſa vrbis in Caſtro antiquo rudera, licet Maurorum irruptione corrupto, CASTRVM AMBROZ eſt dictum, vt probant Alphonſi VIII. Regis priuilegia, quæ omnia in *d. cap.* 3. congeſta cognoſces.

B. S. BASILEVS Epiſcopus, & Martyr.] Vnus fuit ex XII. diſcipulis quos ſecum duxit B. IACOBVS Noſter in *Hiſpaniam*, ſi credimus *Dextro*, licèt illum BASILIVM nominet, in *Chron. Ann.* 37. *num.* 1. Qui *num.* 2. Petro Braccarenſi ſucceſſiſſe conſcribit. Quod & dixit *Halus* meus *de Aduent. S. Iacob. verſ.* 54. & antea dixerat S. Athanaſius Cæſarauguſtanus Præſul *in fragment.* apud Biuar. *d. Ann.* 37. *Comment.* 2. *num.* 2. Fuiſſe primò Epiſcopum *Portucallenſem* multis probat D. Roderic. de Acuña *Hiſtor. Portucallenſ.* 1. *part. cap.* 4. & ſequentibus, vbi eius acta conſarcinat. De eo ſcripsêre poſt *Dextrum*, *Iulianum*, *Equilinum*, & antiquiores *Morales*, *Marieta*, & cæteri omnes quorum nomina in prolegomeno ad Acta Sancti Epitatij retulimus; quæ hic repetere prolixum. Acta ab ipſo *D. Roderico de Acuña* patrio idiomate concinnata, Latina dabimus.

Scriptores.

ACTA S. BASILEI EPISCOPI Portuenſis I. & Braccarenſis II. & Martyris; ex Acuña.

Origo.

BASILEVS *natione Iudæus, Ieroſolyma in* Hiſpaniam *deuênit, Diſcipulus* B. IACOBI *Apoſtoli, Zebedæi filij, & Ioannis Theologi fratris.* Hiſpanum *ergo Vir Beatus per noſtræ regionis vrbes eſt inſectatus Apoſtolum, à quo Eccleſiaſticos accepit Ordines, & illius indiuiduus in* Hiſpania *comes, omnium ab Apoſtolo factorum teſtis oculatus acceſſit. At cùm* IACOBVS *Ieroſolymam redire, B. Virginis* MARIÆ *Cæſarauguſtæ ſuper columnam apparentis monitu compelleretur, poſt aliquod temporis interuallum,*

Diſcipulus S. Iacobi Hiſpaniarū Apoſtoli.

Digitized by Google

teruallum, inſtante præcepto, in ſanctam vrbem, relictis BASILEO, *& alijs diſcipulis, transfretauit impauidus. Tunc S. Noſter* Petro Ratenſi *Bracarorum Epiſcopo, & Condiſcipulo adhæſit, à quo Paſtoralem* Portucallenſis *Eccleſia baculum reportauit. Cuius oneris penſum ſic in conuerſione Gentilium, & in conſolatione Fidelium exercuit, vt meritò ab omnibus* Hiſpaniæ *Præſulibus vnicus Magiſtri reputaretur ſectator. Corpus ſanctiſſimi* IACOBI, *dùm* Portucallenſem *regebat Eccleſiam*, Iriam *vſque peruenit Flauiam, quò iter illico aggrediens, cum cæteris Condiſcipulis, Apoſtolici Corporis miniſterio tumulationis interfuit. Poſtmodum per martyrium ſublato* B. Petro Ratenſi, *cùm de ſucceſſore deligendo diſceptaretur Catholico, illico omnium ſuffragijs, in Metropoliticam eſt Noſter* BASILEVS *cathedram mirabili acclamatione ſuffectus. Gregem cuius ſic ſacris dogmatibus pauit, conſtantia coërcuit, prudentia auctorauit, & morum venuſtate perdocuit, vt intellectis per* Hiſpanorum *Præſules, & Chriſti aſſeclas hiſce facinoribus, pro viſitando eorum nomine* Paulo *Apoſtolo*, Romæ *in carcerem coniecto, vnà cum* Anaſtaſio *Cæſarauguſtano, &* Elpidio *Toletano*, BASILEVS *fuerit* Braccarenſis *à limine renuntiatus. Quam legationem cùm mirificè exercuerit*, Paulum *vinctum inuiſit, ipſique munera, & refectiones, quas* Hiſpanorum *nomine deferebat, in eorum ſignum obtulit amoris. Poſt hæc, legatione finitâ; & de negotio commiſſo Præſulibus, & Fidelibus rationem reddens exactam, ad Eccleſiam reuerſus propriam, gregem ſibi commiſſum præſentia ſua mira propenſione expectata recreauit. Sed vix pedem in ſolio fixerat, cùm* Ambratiam *Luſitaniæ, ſiue Vettoniæ vrbem celebrem adire compellitur, eo quod* B. Epitatium *illius vrbis Antiſtitem, à Conciuibus propter fidem in vinculis poſitum intellexit. Vrbem igitur peruetuſtam ingreditur* BASILEVS, *cuius aduentu, &* Epitatij *ſolabantur anguſtiæ, & fidelium, ob perſecutionem imminentem, ſedabantur timores. Illum charitas inuiſit in foreipe. Iſtos fides congregauit in corpore. Noui Apoſtoli prædicationis inſtantia ad Gentilium ſubito peruenit auditum, & ne fruſtra eorum acciperetur immanitas, aduerſus* S. Braccarenſem *Epiſcopum, omnes vires, præeuntibus clangoribus, excitarunt. Ducitur in carcerem* BASILEVS, *& in ipſum* Epitatij *conijcitur ergaſtulum, quia quos eadem fides vno primitus vinculo catenauerat, vna prorſus poſtmodum illos catena deuinciret. Demum toleratis maximis cruciatuum agonibus, deuictis inſultantium grauiſſimis ſatellitum ſupplicijs, & Gentilium calcatis acerbiſſimis irruentium tormentis, ſimplicem redimiuit duplex corona fidem, quâ Martyres effecti gloriam promeruerunt æternam*, X. Kalend. Iunij *Anno Domini* LX. *Sacrum* B. BASILEI *corpus ibidem à diſcipulis tumulatum, per multa requieuit ſecula; donec* Ambratia *vrbe à Gothis hæreticis ſolo æquata; inter eius ruinas ſacra pignora delituerunt. Tandem cùm nouiter inſtauraretur, ſacrum S. Martyris caput inter rudera inuentum, in S.E. Placentinæ ſacrario reconditum, honorificè colitur, & aſſeruatur.*

Epiſcopus Portucallen. ſis fit.

Magiſtri corpus ſepelit.

Petro Braccarenſi ſucceſſit.

Viſitat Paulum Romæ in vinculis coniectum.

Ambratiam adyt.

Carceratur.

Cruciatur.

Coronatur.

Hæc ſunt Acta. Nunc ad probationes deuenio; & primò circa *Originem*. Hanc fuiſſe Iudæam probat Flau. Dext. *in Chron. Ann.* 37. vbi inter alios quos Ieroſolymâ in Hiſpaniam ſecum aduexit S. Iacobus, primum BASILEVM nominat, ſic legendum, & non BASILIVS, vt indicat ipſe Dext. *Ann.* 110. *num.* 2. & recepta ex Martyrologiis, Breuiariis, & Legendariis, lectio, & ſcriptura. Non ſunt audiendi, qui dicunt Noſtrum Epiſcopum fuiſſe *Hiſpanum*, & apud Noſtros conuerſum à *S. Iacobo*; quia *Dextri* placitum illorum ſomnia ſubuertit. Nec minus ſunt refutandi, qui dixerunt Noſtrum iſtum BASILEVM fuiſſe paralyticum illum, quem ad *Portam* Templi *Speciоſam* eleemoſynam petentem, ſanitati *Sanctus Petrus* reſtituit: Quia vt eruditè probat D. Rodericus de Acuña *Hiſtoriæ Portuenſ.* 1. *part. cap.* 2. iſte fuit alius *Baſilius* poſtmodùm Epiſcopus *Carthaginis Spartariæ*, de quo ſcripſimus *die IV. Martij, tomo* 2. *folio* 63.

Probatur origo.

An Hiſpanum.

An ille paralyticus quem ſanauit B. Petrus in porta Speciоſa.

Digitized by Google

Epiſcopatus Portuenſis exiſtentia probatur.

QVOD fuerit Epiſcopus *Portuenſis I.* audi S. Athanaſ. *in fragm. apud Biu. fol.* 57. dicentem: *Epiſtolas* (S. Petrus Ratenſis) *Apoſtolicas plenas ſpiritu ſcripſit ad Eccleſias, in quibus Epiſcopos conſtituit, vt* Portuenſem, *vbi* S. BASILEVM *condiſcipulum poſuit.* Quem ſequuntur P. Biuar. *ad Dext. Ann.* 37. *n.* 3. *Com.* 2. *fol.* 70. Roder. Car. Sandoual. D. Roder. de Acuña *Hiſt. Portuenſ.* 1. *p. c.* 2. & *Hiſt. Braccar.* 1. *p. c.* 19. Georg. Cardoſo, Vaſconcell. & alij plurimi.

Et Braccarenſis.

DE TRANSLATIONE ex *Portuenſi* ad *Braccarenſem* Epiſcopatum, concors opinio eſt vetuſtiſſimorum Scriptorum, en *S. Athanaſij* vbi ſupra, verba: *Vt Portuenſem, vbi* S. BASILEVM *condiſcipulum poſuit, qui illi* (S. Petro Ratenſi) *per martyrium ſublato, ſucceſſit in Sede Braccarenſi.* Flau. Dext. *Ann.* 37. *n.* 2. referens XII. Diſcipulos quos in Hiſpaniam duxerat B. IACOBVS, nominat BASILEVM, & proſequitur; *Ex his* BASILEVS *ſucceſſit* Petro *Braccarenſi.* Poſt, *n.* 3. retexens nomina, & Sedes aliorum Diſcipulorum, aſſerit: *Alios etiam* S. IACOBVS *creauit Epiſcopos, alterum* BASILIVM, *qui primus fuit Carthaginis Spartariæ Præſul.* En amborum diſcrepantia. Abhinc irrepſit mendum intolerabile in Codice *Iuliani* edito *Aduerſ.* 171. *fol.* 40. & 172. *fol.* 41. In quibus hæc leguntur ſuppoſititia verba: BASILIVS, *id eſt*, BASILEVS *Ciuis Municipij Florentini Illiberitani, Diſcipulus* S. IACOBI, *& ab illo conſecratus, cum eſſet iunior, à parentibus allatus eſt Ieroſolymam claudus pedibus, & petebat eleemoſynam ad portam Sancti Petri: vbi ſanatus à Petro, & Ioanne, & baptizatus, vocatur à IACOBO* Baſilius: *venit cum illo in Hiſpaniam, & factus eſt* Carthaginis Spartariæ *Epiſcopus.* Nunc intrat gloſſema nulliter à *Iuliano* excogitatum, [*inde veniens Braccaram ſepeliuit Sanctum Petrum Braccarenſem, & ſuccedit illi in Sede.*] Proſequitur textus: *Interfuit cum aliis conſecrationi Altaris Sancti Iacobi.* Aliud ſubintrat gloſſema [*Obiit longæuior centenario Martyr factus.*] Quis non videt inane, & ineptum verborum inuolucrum? SANCTVS BASILIVS qui fuit *Carthaginis Nouæ* Epiſcopus, nunquam ad aliam eſt Cathedram tranſlatus, & cùm illius eſſet Præſul Anno LX. Chriſti, Martyrio apud *Cherroneſum* cum aliis Pontificibus ad Concilium aſcitis coronatus eſt, ſic Flau. Dext. *Ann.* 60. *num.* 2. his verbis: *Eodem tempore cùm conueniſſent in* Cherronenſi *vrbe prope* Valentiam *in Hiſpania, Concilij cauſa, Pontifices, Diſcipuli quoque SANCTI IACOBI Apoſtoli*, BASILIVS *Carthaginis Spartariæ, Diſcipulus eius primus* &c. *ſub eodem Iudice, bonis ſpoliati, necati ſunt.* Si ergo BASILIVS *Carthaginis Spartariæ* Epiſcopus, fuit primus Diſcipulorum SANCTI IACOBI, vt fatetur *Iuliani* Codex relatus in exordio, & iuxta *Dextri* placitum, cui deferendum eſt, vt vetuſtiori, adhuc Epiſcopus *Carthaginenſis* occubuit apud *Cherroneſum*; quo pacto caudex ille amanuenſis illud in *Iuliano* commentum ſubſtituit, & iſtum BASILIVM Epiſcopum *Braccarenſem*, & ſucceſſorem *Sancti Petri Ratenſis* ſomniauit? D. Roder. de Aucuña *Hiſt. Braccar.* 1. *p. cap.* 19. *num.* 13. credit ineptum iſtum exſcriptorem vtriuſque BASILII acta confudiſſe, tribuiſſéque vni, geſta per alium, & è conuerſo; ſicque intelligenda veniunt verba, *Aduerſ.* 172. vbi eadem repetuntur immeritò. Nec minus ætas centenaria in calce numeri, gloſſema eſt. Nam ſi iuuenis *Ieroſolymam* adiit, & protinus à *Petro* ſanatus creditur, & hoc Anno XXXIV. accidit, quo tempore vix XXV. annos habuiſſe claudum, credendum eſt, & anno Chriſti LX. occubuit; vnde hæc centenaria ætas, cùm vix LI. annos expleuerit? Niſi demus, quod iuxta *Portam Speciosam* iacuit per alios quinquaginta annos, & quod expletis LXXV. *Iacobo* adhæſit, *Hiſpanias* adiit, & infulam induit, quod non eſt credendum. Ex quo ab iſta recedes *Iuliani* impoſtura, & credes BASILEVM *Portuenſem*, Epiſcopum fuiſſe *Braccarenſem* II. vt probat, & amplectitur vtraque Eccleſia, necnon & *Placentina*, quibus accedunt omnes melioris notæ Scriptores, antiqui, & recentiores, vt videre eſt apud *Dextrum*, eiúſque Commentatores, *D. Roder. de Acuña*, & citatos.

Baſilius Carthaginenſis, alius à Baſileo.

Gloſſema aliud in ætate.

Legatio pro viſitando Paulo in vinculis poſito, probatur.

QVATENVS ad *Legationem*, pro viſitando *S. Paulo* in vinculis poſito; memorabilis locus Iuliani eſt *Aduer.* 6. *fol.* 2. dicentis: *In memoriis Sancta Iuſta reperi, quòd Eccleſia Hiſpaniæ elegerunt Athanaſium Cæſarauguſtanum, Elpidium Toletanum*, BASILIVM *Braccarenſem, qui ex aliis, etiam ex Iudaiſmo, & Gentiliſmo,*

Paulum

Digitized by Google

Paulum *vinctum Romæ visitarent, ipsíque munera, & refectiones deferentes, consolarentur. Quod & ipse* Paulus c. 10. *Epistolæ ad Hebræos docet, dum dicit:* Et vinculis meis compassi estis. *Idque fuit sub mense Septembris, Anno Domini quinquagesimonono.* Cuius verba complectitur D. Roder. de Acuña *Hist. Braccar. 1. p. c. 19. n. 5.* Cardoso, & alij Portugallenses Scriptores.

Martyrij locus apud Ambratiam.

CIRCA aduentum in *Ambratiam* pro solamine *Epitatij*, & fidelium corroboratione, testes sunt D. Prudent. de Sandoual *Histor. Tudens. fol. 16.* Cardos. *de SS. Portugall. c. 4.* & D. Roder. de Acuña *Hist. Braccar. d. cap. 19. n. 8.* his verbis: *E Roma ad suam venit* S. BASILEVS *Ecclesiam, inde breuiter peruenit* Ambratiam, *quia vinctum* Epitatium *Tudensem Episcopum intellexerat, tùm, vt illum in custodia deseruiret; tum, vt fideles corroboraret, ne in illius periculi angustia deficerent. Apud* Ambratiam S. BASILEVS *tentus, in ergastulum vna est cum* S. Epitatio *deuinctus; donec ambo die XXIII. Maij coronati sunt.*

Annus agonis quis?

DE ANNO agonis, vt notauimus supra in *Notis ad Acta S. Epitatij, num. 12.* crediderim, illum fuisse LX. non LVII. vt notaui *in Histor. S. Epitat. cap. 2. num. 10.* vbi asserui LVII. euenisse anno, sed perperam. Nam cùm S. BASILEVS Romam fuerit profectus Anno LIX. vt *Iulianus* docet *d. Aduers. 6.* non nisi ad annum LX. sequentem assignandum martyrium est. Ad quæ omnia agenda, haud defuit tempus; qui S. BASILEVS, & socij Romam perrexêre initio Septembris Anni LIX. qui obita legatione in exordio Aprilis, Anni LX. in patriam repedarunt; vbi cognitis vinculis *Epitatij Ambratiam* deueniens, consignato die XXIII. Maij illius anni, vterque ad martyrij gloriam peruenit.

An caput in Sacrario Placentino.

QVATENVS ad *Capitis* venerationem in *Sacrario S. E. Placentinæ*; videndus catalogus Reliquiarum, quem in *Histor. S. Epitatij* contexui *c. 6. fol. 400.* & 409. De quo aliud nihil est, quod affirmare historica ratione possimus.

SED ne tanto *Martyri Placentino* deficiat hymni canticum, hocce subiicere decreui in amoris, & venerationis pignus.

AD S. BASILEVM I. EPISCOPVM Portuensem, & II. Braccarensem Martyrem, Hymnus.

O Tu patrator seculi
BASILEVM *qui properè*
Palmis, coronis Martyrem
Dignatus es conscribere.

Audi preces psallentium,
Vocésque nostras protinus
Hic supplices, cum laudibus
Attende tanti Martyris.

Ipsius IACOBI *spiritum*
Hispaniarum Apostoli,
Cuius fuerat synchronos,
Exsuxit omnem primitus.

Apostoli post transitum
Hæsit Ratensi *Præsuli,*
Qui Portuensem *baculum*
Defert amico prouido.

At cùm Ratensis *nobile*
Certamen hausit Martyris,
Nostro remisit Braccara
Sancto sacratas insulas.

Illic amœnæ semina
Legis precator sedulus,
Illustribus miraculis,
Spargit, recenset, prædicat.

Romámque pòst, vt visitet
Paulum *catenis conditum*
Dimittitur cum cæteris,
Paulóque *confert munera.*

Demùm redux Hispaniam
Inuisit: ac Ecclesiam
Lustrauit ergo propriam,
Gregémque verbo vt pasceret.

Digitized by Google

Audiuit ergo protinus
Ambratiæ tum terminis,
Fœdo reductum carceri
Adeſſeque Epitatium.
Vt Martyrem mox adiuuet,
Ambratiam carpit viam;
Gregémque vt illic ſubleuet,
Vettoniæ petit loca.
Vrbem refertus lumine
Intrauit almus Pontifex;
Qua tunc Magiſtri dulcia
Diſſeminat præconia.

Auditur: At Gentilium
Atrox abhinc immanitas
Anſam reaſſumit, Patrem
Vt trudat in cuſtodiam.
Ambos catena complicat,
Ambos corona duplicat,
Vt qui fide vna myſtice
Iunguntur; intrent cœlica,
Præſtans vterque corpora
Submiſit Antiſtes fero
Propter fidem ſatelliti,
Chriſti & cooptatur choris.

Aliquorum error circa locum agoniæ.

Hinc notandum eſt circa locum martyrij, quod D.Roder.de Acuña in *Hiſtor.Portuenſ.* 1.*p.c.*2.eſt expreſsè faſſus, S.Basilevm apud vrbem *Ambratiam* Vettoniæ, hodie *Plaſencia de Eſtremadura* agonem conſummaſſe.At in *Hiſt.Braccar.* 1.*p.c.*19.vt facilis erat ingenij,& animo tumultuarius, ſententiam mutauit, motus ex *Roderici Caro* dubiis verbis in *Not. ad Dextr.Ann.*265.*lit.F.fol.*92.qui *Ambratiæ* ſitum ignorans, proſequitur. *Niſi ſit* Bratia *non longè à* Braccara, *quæ tantillum eius nominis adhuc retinet.* Qua Roderici Rodericus coniectatione ſuffultus, à prima ſecura opinione diſcedens,in hanc deuenit, & locum martyrij apud Bratiam hodie Barcelos conſignauit. Cui errori fecimus ſatis in *Vit.S.Epitat. c.*4.*num.*16. vbi probauimus tempore *Dextri*,nec *Braciam*, nec *Braccaram* in *Luſitania*, aut *Vettonia* extitiſſe; quinpotius illo æuo *Braccaram* in Citeriori Tarraconenſi, *Gallæciæ* Metropolim,& Conuentum fuiſſe iuridicum, ſicque nullo penitus ſenſu adimpleri in Bracia potuit *Dextri* ſitus, quem in *Luſitania* poſuit. Noſtræ auget veritatis ſententiam, altera à *Dextro*, *Luitprando*, & *Iuliano* relata lectio, in qua loco *Luſitaniæ* inuenitur *Vettoniæ*, ſic: *Ambratiæ in Vettonia*, vt Dext. *Ann.*424. & alibi. Qua lectione licet demus *Braciam*, & *Braccaram* in *Luſitaniæ* circulis extitiſſe, nullo ſuffragio vnaquæuis potuit in *Vettonibus* adſignari; ex quo vtriuſque *Roderici* lapſus prænotandus eſt. Sed hic per tranſitum ſcire deſidero à quo hoc oppidum Bracia *Rodericus Caro* eruit, vt alteri præberet anſam *Roderico* pro excitandis inter *Caſtellæ*, & *Portugalliæ* vrbes, ſeditionibus; cùm perſpicuum ſit, tale Oppidi nomen inueniri in tabulis haud poſſit *Hiſpaniæ*.

Topographia.

Portvs-Callensis, Vrbs Epiſcopalis *Luſitaniæ* antiquiſſima, licet olim Calle tantum nomine compellata. Erat enim Calle, ſeu Cale oppidum vetuſtiſſimum ad *Duri* oſtium, quod cùm eſſet in colle poſitum, qui flumini imminebat,nec piſcatoribus, à quibus præcipuè incolebatur,& iis,qui in mari verſabantur, facilem haberet ſeruitutem, in ripa cœpit habitari; quam nouam fabricam Portvm-Cale vocauere; poſt què vrbs Portv-Calensis, ſeu Portvensis decurtato nomine, ſic Eduard. Nonn. *Cenſ.* 1. Hoc dediſſe *Portugalliæ* Regno oppidum nomen, licet alij aliter ſentiant, vt ſuis dicemus locis. De vrbe Cale mentio eſt apud Antonini itinerarium, vbi Zurit. *fol.* 374. Hodie dicitur ô Porto cuius hiſtoriam texuit, & eius Epiſcoporum Catalogum, & antiquitates *D. Roder.de Acuña*, Archiep. Braccarenſis.

C.

S. Mercvrialis Epiſcopus, & Confeſſor.] Hiſpaniæ fuit inſignis *Eccleſiaſtes*, nam illius regiones, vt ab Ariana deduceret peſte, prædicando fidei Catholicæ veritatem, luſtrauit; plurimos, & nobiliores Gothorum proceres ad Sacroſancti Concilij Nicæni canonis confeſſionem reduxit: ex quo apud Noſtros in magna habitus veneratione, tanquam Nouus *Hiſpaniæ* Apoſtolus cenſendus eſt. Eius memoria eſt in Martyrol. Roman. *h. die*, licèt antiquæ *Tabulæ Liuienſes* Pridie Kal. Maij occubuiſſe fateantur, in quibus tot ſunt errores, quot literæ; quia

Martyrologia.

cùm

cùm referant *S. Mercurialem* vixiſſe tempore *S. Gaudentij* Ariminenſis, qui vitam agebat Anno CCC.L. hoc haud credi poteſt, nam eo tempore nec apud *Hiſpanos* erat Rex, nec VVisigothorum lues adhuc eius occupauerat regiones, quod non euenit vſque ad Annum CCCC. XVI. quo Athaulphus illas inuaſit. Sicque veniunt corrigenda Acta à Philippo Ferrar. *in Cat. SS. Ital. die XXX. April. fol.* 231. conſcripta, & loco *Gaudentij Ariminenſis*, reponendus eſt *Brixienſis*, qui ad Annum CCCC. LXIX. peruenit. Nec minus attendendus eſt numerus in lamina plumbea cum S. Corpore reperta Anno M. D. LXXVI. vbi diem clauſiſſe *S. Mercurialem* inuenitur Anno C. LVI. quia illo æuo, nec Arij ſecta pullulauerat, nec erat cur in *Hiſpaniam* pro illa euertenda deueniſſet, ſicque defeciſſe tres Centenarios in lamina conſtat, ex hinc eius tranſitum ad Annum CCCC. LVI. reiiciendum eſſe, hæ omnes coniectationes ſuadent. Ergo Acta puriora & correctiora ſubiicimus. *Error Ferrarij.*

ACTA S. MERCVRIALIS EPISCOPI Foro-Liuienſis Confeſſoris; ex Variis.

MERCVRIALIS *ex Armenia, Ieroſolymam primùm, dein Romam religionis ergò veniens, cognita eius virtute, & Sanctitate Epiſcopus* Liuienſis, *quo tempore* S. Rophilus *Epiſcopus Popilienſi Eccleſia præerat, creatur; ac Eccleſiam* Liuienſem (*quam à labe Ariana, qua ferè tota Italia erat infecta, immunem ſeruauit*) *vitæ ſanctitate, doctrina, & miraculis clarus adminiſtrauit. Inter miracula autem, quæ ab eo patrata ſunt, illud in primis memorandum fuit; quòd cùm draco ingens inter* Forum-Liuij, *&* Forum-Popilij, *halitu venenato animalia inficeret, eaque, & homines deuoraret;* S. MERCVRIALIS, *vbi populo triduanum ieiunium indixiſſet, ac preces Deo publicè, & priuatè ab omnibus fundi curaſſet, vnà cum* S. ROPHILO, *qui eadem præſtiterat, ad locum in quo draco morabatur, inſequente vtroque populo, acceſſit; ac illum quaſi agnum ſtolis alligatum in puteum proximum præcipitarunt. Taurum hæreticum, qui aduerſus Sanctiſſimam Euchariſtiam prædicabat, Arimini vnà cum SSS. Epiſcopis* Rophilo *Popilienſi*, Gaudentio *Brixienſi*, & Geminiano *Mutinenſi confutauit, qui hæreticus paulo pòſt inteſtinorum doloribus correptus, expirauit. Per id tempus* Attila *Hunnorum Rex ferè totam Italiæ, & Galliæ plagam innumerabilibus militum copiis deuaſtauerat; & congreſſu facto cum Theodorico Gothorum in Hiſpania, & Gallia Rege ad campos Cathalonicos victus, & illaudatus diſceſſit, licèt Theodorici mors interuenerit. In ſolium ſucceſſit Patris Turiſmundus qui virtutis impetu in Hunnos, mortem patris voluit vindicare, ſed ab Aëtio Patritio fraudulento conſilio tentus, dum ſuſpicionibus carere conatur, agenda plerumque rerum occaſione reliquit. Toloſam primò, pòſt in* Hiſpaniam *reuerſus, protinus vt agnouit Attilam aduerſus Alanos bellum mouere, in Alanorum auxilium deuenit, vbi fugato Attila, & capto multo milite in propria repedauit ſtrenuus. In grauem tunc inciderat morbum, & auditis* S. MERCVRIALIS *miraculis, illum ad ſe trahere iuſſit; qui in* Hiſpaniam *profectus, cùm Regem ab inſanabili morbo diuinitus curaſſet, per totius* Hiſpaniæ *regiones ſe conferens, Catholicam veritatem populis in Arianum errorem Gothorum prolapſis, mirabili efficacia prædicauit. Innumeros ad confeſſionem Nicænæ fidei traduxit, quo in Curiam reuerſus, captiuos omnes Liuienſes, & finitimos, quos Gothi ex Attila direptione in* Hiſpaniam *abduxerant, Regis liberalitate recepit, & in Italiam placida alacritate reduxit. Poſtmodum cùm aliquod annos Eccleſiæ ſuæ S. præfuiſſet Pontifex, die* XXX. Aprilis *in pace requieuit, Anno Domini N. Ieſu-Chriſti* CCCC. LVI.

Creatur Epiſcopus Liuienſis.

Draconem interficit.

Hæreticum confutat.

Hiſpaniam adiit.

Moritur.

Probatur error Ferrarij.

En Acta genuina, & veritati hiſtoricæ magis congrua & ſyncériora; nam à *Ferrario* collata ex monumentis Eccleſiæ *Liuienſis*, penitus corruunt; Quia vt ipſe *Ferrarius* notauit, nullo pacto concurrere potuit S. MERCVRIALIS cum *S. Gaudentio Ariminenſi*, qui vt diximus in viuis erat ann. CCC. L. nec cum *Geminiano*

aliquo, niſi *Mutinenſi* qui tempore Regis *Attilæ* vixit, vt eius indicant Acta, die XXXI. Ianuarij ex ipſo Ferrar. *in Catal. SS. Ital. fol.* 64. Ergo neceſſariò *Gaudentius* ille ſocius Noſtri Epiſcopi aduerſus *Taurum* hæreticum, *Brixienſis* fuit, qui, vt notauimus, peruenit ad Annum CCCC. LXIX. Abhinc agnoſcetur tempus, quo etiam viuebat *S. Rophilus Popilenſis*, in cuius exploratione *Ferrarius* hallucinat, credens ad Annum CCC. L. in viuis eſſe: ſicque non eſſe audiendum, concurrentia horum trium Epiſcoporum ab Anno CCCC. L. ad CCCC. LX. Italorum, & conuicinorum demonſtrat.

Quo tempore in Hiſpaniæ venit S. Mercurialis?

Hoc ſic explanato, intrat aliud dubium circa *Regis Gothi in Hiſpania* Victoriam, qua illi *Liuienſes*, & finitimi Ciues, quos redemit S. MERCVRIALIS in *Hiſpania*, fuere in captiuitatem ducti: Et nulla alia per id tempus conſignari poteſt, niſi quam *Turiſmundus* Gothorum Rex de *Attila* Rege adeptus eſt Anno CCCC. LIV. de qua ſic S. Iſidor. in *Chron. Gothor. Er.* 492. breui compendio: *Thuriſmundus filius Theodorici, qui de Hunnis triumphauit.* Roder. Archiep. Toletan. *de Reb. Hiſp. lib.* 2. *c.* 8. prolixius rem enarrans concludit: *Igitur* Attila *Danubium tranſiens, poſt* bellum *Cathalaunicum contra Alanos mouit guerram. Quod cum* Thuriſmundus *Rex Gothorum non imparis gloriæ præſenſiſſet, in auxilium Alanorum exercitui* Attilæ *mox aduenit, conſertóque prælio, ſicut in campis Cathalaunicis pauenda Romanis vexilla* Attilæ *effuganit, ipſumque* Attilam *fugientem, oblitas olim trans Danubium repetere compulit manſiones; & ille famoſus* Attila *victoriarum dominus, bello gemino conſternatus, inglorius effugatur.* En trophæum *Turiſmundi* de *Attila* Hunnorum Rege portatum, vt non deficiat ecphraſim Actorum iſthæc comprobationis vis.

DE Aduentu in Hiſpaniam S. MERCVRIALIS, ipſiſſima Acta à *Ferrario* deſcripta inuoco teſtes, hac ſerie; dicentia: *In* Hiſpaniam *profectus, cùm Regem ab inſanabili morbo diuinitùs curaſſet, captiuos omnes Liuienſes, & finitimos, quos Viſigothi captiuos in* Hiſpaniam *abduxerant, reduxit.* De quo nullus ex Noſtris meminit.

Topographia.

FORVM-LIVII. Ciuitas Epiſcopalis *Æmiliæ*, hodie FORLI. Vrbs ſpatioſa inter *Vitim*, & *Bedeſem* fluuiolos, à *Rauennæ* Metropoli in Meridiem ad XX. Milliaria recedens. Eius conditores, & antiquitatem his verbis Leand. Albert. *in Deſcription. Ital. fol.* 475. *in Reg. Romanula*, luculenter ſcribit: *Poſt cæſum à Liuio ſalinatore, Claudióque Nerone Romanis Coſſ. Aſdrubalem ad Metaurum fluuium, miles quidam emeritus L.* Hermius *vir clarus cum aliis aliquot item ætate confectis commilitonibus, oppidulum ad eum locum, vbi nunc* Caſtellutium, *& M. D. paſſ. ab ipſo nunc* FORO-LIVII, *cæpit ædificare.* LIVIVM *à nomine Conſulis dixit, erectâ in foro ſtatuâ cum hoc elogio.*

Liuius ecce fui Romanus, conditor Vrbis
Huius, & hanc volui terram coluiſſe Quirites
Magnanimos, populíſque dedi cognomen, & arma.

Pagus erat temporibus iiſdem Æmilia *in via, quo loco ipſa nunc eſt ciuitas, vbi ius dicere P. R. Magiſtratus, ſolebant, & mercatus etiam habebantur. Quam ob rem tàm à iure dicundo, quàm à mercatu, locus ille dicebatur* FORVM. *Poſteriori deinde ætate* LIVIANI *Coloni, maiorem huius* FORI *opportunitatem, ſitumque commodiorem rati, cum* FORI *incolis, vt habitare ſibi vnà liceret, conditiones iungunt. Ita pari voluntate, rem etiam* Auguſto *ad* Liuiæ *vxoris, itemque* Cornelij Galli Liuiani *ſuaſionem, approbante, coniunctis vtriuſque loci appellationibus, Vrbem hanc, vno nomine* FORVM-LIVII *dixerunt. Quæ duarum gentium coniunctio circa* CHRISTI *Seruatoris Natiuitatem accidit, cum iam Anni* CC. VIII. *à prima* Liuij *conſtructione exceſſiſſent.* Hactenus Albertus, cætera qui deſiderat huius vrbis accolarum facinora, ipſum adeat.

NONO

NONO KAL. IVNII.

DIES XXIV.

A. CLVNIÆ *in Hiſpania Citeriori* S. MELETIVS *Dux fortiſſimus exercitus cum aliis CCLII. &* SVSANNA, MARCIANA, *&* PALLADIA, *trium ex illis, vxoribus, & filiis Martyribus qui pro fidei conſtantia contuſis ceruicibus ad palmam martyrij peruenerunt.*

B. B. GELESVINTHA *filia Athanagildi VViſigothorum Regis in Hiſpania, & vxor Chilperici Galliarum Regis, quam ipſe ſuffocari iuſſit; poſt cuius mortem veneratione exhibita, illius virtuoſam vitam inenarrabilibus Deus illuſtrauit miraculis.*

C. MADRIDII *in Monaſterio Patrum SSS. Trinitatis Excalceatorum depoſitio Sacrorum pignorum* B. VINCENTII *Martyris, qui in Portu Romano coronatus, & Romam in cœmeterium Calixti adſportatus eſt. Demum Vrbano VIII. Pont. Max. concedente, cum aliis Sanctorum corporibus Religioni Trinitariorum, hocce collatum eſt.*

D. BONONIÆ *Tranſlatio ſacrarum exuuiarum* S. DOMINICI *Ordinis Pradicatorum Patriarchæ, quæ facta eſt Anno XIII. poſt illius glorioſum obitum.*

NOTÆ.

A. *Martyrologia.*

SANCTVS MELETIVS *cum ſociis Martyribus.*] Illos abſque loco paſſionis Martyres indigitant, & eorum Acta compaginant Græci *in Menologio*, & Baron. *in Romano Martyrologio* h. die, his verbis: *Eodem die SS. Martyrum* MELETII *Ducis exercitus, ac ſociorum eius CC. LII. qui diuerſo mortis genere martyrium compleuerunt. Itidem SS. Martyrum* Suſannæ, Martianæ, & Palladiæ *prædictorum Militum coniugum, quæ vnà cum paruulis ſuis confractæ ſunt.* Quæ verba ſuis idiomatibus tranſcribunt P. Vazq. *in Martyrol. Caſtell.* PP. Soc. Ieſu, in ſuo *Luſitano*, & Higuera *in ſuo Hiſpan. MS.* Eorum meminit Flau. Dext. *in Chron. Ann.* 300. vbi P. Biuar. *Com.* 4. *n.* 10. Roder. Car. *fol.* 111. *lit.* Q. Acta eorum ex *Menologio* dabimus, additis iis quæ ab illo prætermiſſa Noſter V. C. ſuppleuit.

ACTA SS. MELETII CLVNIENSIS Præſidij Ducis, & CC. LII. Sociorum, aliquótque eorum Vxorum, & Filiorum; ex Menologio Græc.

Militant in Hiſpania.

MELETIVS *temporibus Diocletiani, & Maximiani Imperatorum Roman. apud vrbem* Cluniam Hiſpaniæ *Citerioris antiquam Imperialis exercitus extiterat ſtrenuus Dux, ſecumque* IOANNEM, *&* STEPHANVM *titulo Comitum ſocios habebat; qui, & alij CC. LII. milites cum aliquot eorum vxoribus, & filiis nomen dederant Chriſto. Cùm* S. MELETIVS *Chriſti fidem liberè, & conſtanter profiteretur, & Idola execrabilia, quæ in Gentilium templis colebantur, precibus ſuis euerteret, à Maximo Præſide miſſi ſunt milites, qui* MELETIVM, *& qui cum illo erant, Chriſtianos detinerent. Ducti verò cùm immolare nullo modo paſſi eſſent, baculis ſilueſtribus caſi, lateribus laniati, & ferreis malleis cruciati ſunt, poſtremò in lignis clauis confixi, rurſus ferreis malleis eorum frontibus contuſis,* S. MELETIVS *in pinu ſuſpenſus, atque confixus, migrauit ad Deum.* STEPHANVS *verò, &* IOANNES *Comites obtruncati etiam pro Chriſti fide occubuerunt. Milites verò qui cum* S. MELETIO *erant, gladio percuſſi.* SVSANNA *verò,* MARTIANA, *&* PALLADIA *Sanctorum Martyrum coniuges cum ſuis infantibus iuſſu Præſidis à carnificibus confractæ ſunt, qui ſtatim poſt commiſſum ſcelus animas efflaſſe dicuntur. Quin etiam in ætate valde puerili* CYPRIANVS *&* CHRISTIANVS *interrogati à Præſide, vtrum Iupiter, an* CHRISTVS *illis videretur eſſe maior? cùm* Chriſtum *maiorem reſpondiſſent, obtruncati ſunt* IX. Kalend. Iunij *Anno* CCC.

Carceſtur.

Cruciantur.

Coronãtur.

An ob agonem iſtorum Martyrum erecti Cluniæ illud monimentum Diocletiano?

Hæc ſunt Acta. Fortè propter iſtorum Sanctorum Martyrum ſacrati ſanguinis effuſionem à Gentilibus adulationis gratia in *Diocletianum* illud celebre fuiſſe crediderim erectum in terſo lapide monimentum *Cluniæ* hiſce Romanis literis adnotatum.

DIOCLETIAN. IOVIVS. MAXIM.
HERCVL. CÆSS. AVGG.
AMPLIFICATO PER ORIENTEM.
ET OCCIDENTEM. POP. R.
ET NOMINE CHRISTIAN. DELETO
QVI REMPVB. EVERTEBANT.

Cuius inſcriptionis meminit Epiſcop. Turiaſonenſ. in *Primat. Tolet. 1. p. c. 9. §. 20. fol.* 200.

Situs agonis probatur.

AD Noſtræ relationis probationem veniamus, quæ ſolùm in aſſignatione ſitus, vbi SS. Martyres agonem compleuêre, verſatur. Ad amuſſim illum depingit Dext. *Ann.* 300. hoc elogio; *Cluniæ in Hiſpania fortiſſimi Chriſti Martyres* MELETIVS *Dux exercitus, & alij. Ij diuerſis cruciatuum generibus, Deum glorificauerunt, Sanctæque illorum vxores* SVSANNA, MARTIANA, *&* PALLADIA, *quæ cum pueris ſuis, confractis ceruicibus, coronam adeptæ ſunt.*

Topographia.

CLVNIA. Vrbs antiqua *Hiſpaniæ*, Romanorum tempeſtate *Municipium*, & *Colonia*, in qua Iuridicus Conuentus agebatur. Illam in *Arenacis* ad finem *Celtiberiæ* conſtituit Plin. *lib.* 3. *c.* 3. Hodie CRVÑA DEL CONDE dicitur, eo quòd *Enricus IV.* Caſtellæ Rex D. *Laurentium Suarez de Mendoza* illius oppidi Dominum *Comitem* fecit. De ea etiam agit Ptolem. *Lib.* 2. *Geograph. Tabul.* 2. *Europ. c.* 6. & Coloniam vocitat; & videtur innuere antiquus nummus apud Læuin. Torrent. *in Not. ad Sueton. in Galba. c.* 9. *fol.* 327. quo & SVLPICIA dicitur, ſic:

Forte

Digitized by Google

Forte cognominata fuit SVLPICIA, quia in ea *Seruius Sulpicius Galba* Imperatoriæ dignitatis futuræ prognoſticon accepit. Fuiſſe primum *Municipium* nummus alter ab Anton. Auguſt. *Dialog. 8. in princip.* excuſus ſuadet, huiuſmodi:

Cætera ſuis locis prout opportunitas expetierit, de hac vrbe dicemus.

B. GELESVINTHA Franciæ Regina.] Celebris eſt apud *Vennantium Fortunatum*, & *S. Gregorium Turonenſem* huius inclytæ Reginæ obitus; & poſt eum, inſignium miraculorum memoria; ita vt Cæſar Baronius in *Annal. Eccleſ. tom. 7. Ann.* 567. paſſim illam titulo nominet *Sanctitatis*: prout & antea fecerat Luitprand. *in Aduerſar. n.* 181. apud Ramireſ. *& n.* 155. apud Tamay. vbi diem obitus his verbis aſſignat: *Obiit* SANCTA *Regina* GELESVINTHA *Chilperici Regis vxor, filia verò Regis* Athanagildi, *iuſſu mariti ſtrangulata*, XXIV. *die Maij, Anno* D. LXVI. *cuius mortem, vt refert* Fortunatus, *&* S. Gregorius Turonenſis, *magnis Deus illuſtrauit miraculis.* Hujus Sanctiſſimæ Reginæ haud meminit *Andreas Sauſſayus* amicus eruditus, neſcio quâ ductus ratione, maximè quando plurimos inter *Diuorum* agmina *Gallorum* viros, & fœminas, vix tantâ religione præditos inoluat. Nos vt *Hiſpanam* fœminam GELESVINTHAM, *Athanagildi* Regis in *Hiſpania* filiam, in Noſtro *Hiſpanico Martyrologio* recenſere compellimur, & ob eius ſanctitatis celebrem memoriã à tot tantíſque Sanctiſſimis Viris, & piis Scriptoribus commendatam, & ob miraculorum ad eius ſepulchrum frequentiam, ab ipſis clariſſimis hiſtoriographis recenſitam, & denique ob ſilentium Neotericorum Francigenarum, qui huius Beatiſſimæ Reginæ natalem, & miracula radicitùs omiſerunt. De ea poſt *Fredegarium, Yuonem, Geſta Francorum, Paulum Æmilium, Bocacium*, & *Paradinum*, videndus Gregor. Turon. *Hiſt. Franc. lib. 4. cap.* 28. Vennant. Fortunat. *lib. 6. Carmin.* Aymoinus *Hiſt. de Geſt. Francor. lib. 3. c. 5.* Cæſar Baron. *d. tom. 7. Ann.* 567. *num.* 20. P. Ioann. Mariana *Hiſtor. Hiſpan. lib. 5. c.* 10. Guillelm. Catell. *Hiſtor. Occitan. lib. 3. verb.* Athanagildus, fol. 354. P. Biuar. *in Not. ad S. M. Maxim. Ann.* 560. *n.* 1. *fol.* 456. Eius Acta ſic coagulamus.

B. *Scriptores.*

Quo iure inter Hiſpanos Diuos inſeritur.

ACTA B. GELESVINTHÆ, FRANCIÆ REGINÆ, *origine* HISPANÆ; *ex Vennantio Fortunato, Gregorio Turonenſi, & aliis Scriptoribus.*

GELESVINTHA *origine* Hiſpana, *ex nobiliſſima Gothorum proſapiâ oriunda, patrem* Athanagildum *Regem* Hiſpaniæ, *& matrem* Goſuintham *habuit, &* Brunechildem *natu minorem ſororem germanam accepit, & Vtraque apud regiam vrbem* Toletum *nata, duobus* Franciæ *Regibus matrimonio copulata coniugum diademata feliciter illuſtrauit. Nam cùm* Sigebertus *Francorum Rex* Rhemis *regni ſedem haberet, vt pacem cum Gothis conciliaret*, Gogonem *Legatum in* Hiſpaniam *ad* Athanagildum *miſit, petitum filiæ illius* Brunechildis *nomine nuptias, quam à Patre cum multis ſibi traditam opibus, ille ad* Sigebertum *perducit.* Sigebertus *eam, eo quòd Arianæ dedita eſſet hæreſi, à Catholicis baptizari præcipiens, ac in fide*

Origo.

Datur in coniugium Brunechildis ſoror Sigeberto.

Digitized by Google

fide inſtrui orthodoxâ, cum magno apparatu epularum eam duxit vxorem, ita vt pulchrè cecinerit Fortunatus.

Catholico Cultu decorata eſt optima coniux:
Eccleſiæ, creuit, te faciente, domus:
Reginam meritis Brunechildem *Chriſtus amore*
Tunc tibi coniunxit, hanc tibi quando dedit.
Altera vota colis melius, quia munere Chriſti
Pectora iuncta prius, plus modo lege placent.
Rex pie, Regina tanto de lumine gaude:
Acquiſita bis eſt, quæ tibi nupta ſemel.
Pulchra, modeſta, decens, ſolers, pia, grata, benigna,
Ingenio, vultu, nobilitate potens.
Sed quamuis tantum meruiſſet ſola decorem:
Attamen antè homini, nunc placet ecce Deo.

Chilpericus *quoque Rex* Francorum, *qui* Sueſſionibus *ſedem Regni tenebat, æmulatus & ipſe fratrem* Sigebertum, *cùm plurimo præter Regium morem, fœminarum vallaretur grege, quæ Regi propter decorem magis, quàm propter nobilitatem generis copulabantur, Legatum direxit, qui* Brunechildis *ſororem natu maiorem, à Patre* Athanagildo *peteret, ac vice ſuâ ſponderet ſe, ſi eius potiunda facultas daretur, cæteras abdicaturum concubinas promittens. Legati, ex Regis promiſſione,* Athanagildus *credulus verbis, filiam* GELESVINTHAM *magnâ ditatam dote ad* Chilpericum *deſtinat. Quæ Catholico baptiſmate delibuta, Regi toro nuptiali coniuncta eſt. Legatis ſanè* Athanagildi *petentibus, vt tactis Sanctorum pignoribus, fides firmaretur, quòd* GELESVINTHA *in vita ſua ſolio Regni non pelleretur:* Chilpericus *non abnuit, quin potiùs præbitis ſacramentis, pactâque pace, Legatos ad propria ſiuit abire. Sed vt erat animo leuis, iura prænaricatus eſt pactionis. Nam* Fredegundis, *vna ex* Chilperici *Regis concubina, offenſa nouæ nuptæ aſpectibus inuiſis, exigui propè temporis interuallo tantùm adulandi arte prænaluit, vt ſe in contubernium Regis pellex fraudulenta reduceret. Inde ad audenda maiora, proteruia muliebri, elata, dominam ſe omnibus, qui in Aula erant Regiâ, præferebat, contumeliiſque afficere* GELESVINTHAM *non ceſſabat. Hæc tamen*

Geleſuintha nupſit Chilperico Francorum Regi.

A Fredegunde æmula exancloratur.

Regnabat placido componens tramite vitam,
Pauperibus tribuens aduena mater erat.
Quóque magis poſſit Regno ſupereſſe perenni,
Catholicæ fidei conciliata placet.

Nihilominus vt anguſtiam Regiæ coniugis diffugeret, & pellicis iram interpoſito terrarum interuallo vitaret, petiit à Rege, vt relictis theſauris, quos ſecum detulerat, liberam redire permitteret ad patriam. Hoc ille per ingenia diſſimulans, verbis eam lenibus demulcebat. Quid ex hoc? Quòd Sanctiſſima Regina

Ad patriã redire expetit.

Alta ſuper colles ſpecioſa culmine pulchro
Flatibus infeſtis culmine lapſa ruit.
Sedibus in patriæ ſua fundamenta relinquens,
Cardine mota ſuo, non ſtetit vna diù.
De proprio migrata ſolo noua merſit arena
Exul, & his terris, heù peregrina iacet.

Quo

Quo euentu? Quia feralibus furijs exagitatus Chilpericus, *inſtigante* Fredegunde *pellice, ſanctiſſimam vxorem* GELESVINTHAM *in ſtrato quieſcentem pueri aulici miniſterio crudeliſſimè ſtrangulauit,*

A Rege marito ſtrangulatur.

O dolor inſignis! quid differs tempora fletus,
Lugubreſque vices plura loquendo taces?
Improba ſors hominum, quæ incauto condita lapſu
Tot bona tam ſubito, ſorte volante, fugas.
Nam breue tempus habens, conſorti nexa iugali,
Principio vitæ funere rapta fuit.
Præcipiti caſu, volucri præuenta ſub ictu
Deficit, & verſo lumine lumen obit.

O immane facinus! nullíque antea cognitum Tyranno, ac Franco *homini, maximè Regi, penitus incongruum! Coniugem innocuam, pijſſimam, caſtam, & totis partibus abſolutam, & quam ab hoſtibus raptam vindicari ferro, aut mortem pro ea oppetere, decuerit, hanc ſecuram, in communi toro cubantem ſuffocare non erubuit. Demens, qui illius meretriculæ perſuaſionibus, tantum connubij violaret decus, cuius fraude in proximo erat ipſe perimendus. Inuenitur etenim ſanctiſſimum in lectulo Regio corpus Reginæ, vix humani cadaueris veſtigia præſeferens, ſed potiùs pulchritudine micans, & intuentibus non deformitate horrendum, ſed placidâ ſignificatione gratioſum, ita vt apud omnes nec de eius dubitaretur martyrio, nec de eius apud cælites gloriâ. Hinc Fortunatus,*

Suffocata pulchrior apparet.

Non ea flenda iacet, quæ loca læta tenet.
Dicite ſi quid ei nocuit; quam tempore lapſo
Mortis iter rapuit, vita perennis alit.
Quæ modo cum Stephano *cæleſti conſule pergit,*
Fulget Apoſtolico Principe clara Petro.
Matre ſimul Domini plaudens radiante Maria,
Rege ſub æterno militat illa Deo.
Conciliata placet, pretioſo funere fulget:
Depoſitâ veteri, nunc ſtola pulchra tenet.
Atque vtinam nobis illos accedere vultus
Cedat amore Deus per mare, per gladios.
Credite Chriſticolæ, tumulo iam ſpargite flores
Non hanc flere decet quam Paradiſus habet.

Igitur poſt hæc Beatiſſimæ Reginæ corpus honorificè tumulatur, cuius Deus ſanctitudinem oſtendere decernens vniuerſis: Lychnus (*inquit S. Gregorius*) ille, qui funè ſuſpenſus coram ſepulchro eius ardebat, nullo tangente, funè diſrupto, in pauimentum corruit, & fugiente ante eum duritiâ pauimenti, tanquam in aliquod molle elementum deſcendit, atque medius eſt ſuffuſus, nec omnino contritus, quod non ſine magno miraculo videntibus fuit. *Fortunatus pulchrè.*

Miracula ad tumulum.

Ducitur, ornatur, deponitur, vndique fletur,
Conditur & tumulo ſic peregrina ſuo.
Naſcitur & ſubito rerum mirabile ſignum;
Dum pendens lychnus lucet in obſequium,
Decidit in lapidem, nec vergit, & integer arſit:
Nec vitrum ſaxis, nec perit ignis aquis.

Vitæ ſigna tenet, vitreo cum vaſe cadente
Non aqua reſtinxit, nec petra fregit humi.

Pœnas luit maritum.

Nec tantum Chilperici *facinus abſque vindicta Numinis inſorduit, quia eius fratres ei hoc factum reputantes, & quòd ſuâ iuſſione ſanctiſſima Regina fuerat interfecta, eum à Regno vt indignum hoſtiliter eiecêre. Obyt S. Regina* GELESVINTHA *die* XXIV. Maij, *Anno* D. LXVI.

Lychni, ſeu lampades in ſepulchris, non niſi Martyribus, aut Diuis appenſa.

Hactenus ACTA quæ ex *Tribus Gallicis* Scriptoribus *Venantio Fortunato, Gregorio Turonenſi,* & *Aymoino* Monacho Pratenſi deſumpſimus, apud quos lampadem, vel lychnum vitreum ſuper ſepulchrum GELESVINTHÆ Reginæ accenſum,& appẽſum reperimus. Vt quid hæc religio? Nónne Deo tãtum & SS. Martyribus apud Catholicos iſthæc lætitiæ,& venerationis demonſtratio permittebatur? Ergo quo titulo GELESVINTHÆ, niſi ob ſanctitudinem martyralem? Quòd verò hæ lampades, ſiue lucernæ hoc, id eſt ſanctimoniã tumulati, ſignificarent, videndi Baron. *Annal. Eccleſ. tom.* 1. *Ann.* 58. *n.* 70. *& ſeqq.* Heribertus Roſvveyd. *in Not. ad S. Paul. fol.* 852. Fortunat. Scacchus *in Myrothec. ſacror. Eleiochriſmat.* 1. *p. c.* 6. *&* 7. *fol.* 41. Ioan. Baptiſta Caſal. *de Sacr. Ritib. c.* 42. Licetus *de Recondit. Antiq. Lucern. lib.* 1. *c.* 9. Ex qua religioſâ obſeruatione lychni accenſi crederem tunc temporis hanc ſanctiſſimam Reginam apud *Gallos* venerabili cultu fuiſſe proſecutam, & honorifica religione veneratam.

C. *Martyrologia.*

S. VINCENTIVS Martyr.] Fuiſſe in *Portu Romano* coronatum referunt *Beda, Ado, Vſuardus,* & cæteri recentiores, vt teſtatur Baron. *in Not. ad Martyrolog. Roman. h. d. lit. C.* & in *Annal. Eccleſ. tom.* 2. *Ann.* 270. *n.* 15. Ex quo patet agonem conſummaſſe ſub *Claudio* Imperatore. Circa *Tranſlationem Româ Madridium,* eiuſque collocationem in Monaſterio *SSS. Trinitatis* iſtius Regiæ Curiæ, videſis diploma ſuperiùs allatum *hoc tomo die* 11. *Maij fol.*.....

D. *Martyrologia.*

TRANSLATIO S. DOMINICI *Patriarchæ apud Bononiam.*] Ex humili ad decentiorem locum ſacra B. DOMINICI pignora fuiſſe tranſlata fatentur *Martyrolog. Roman.* his verbis: *Bononiæ, Tranſlatio* S. DOMINICI *Confeſſoris, tempore Gregorij Papæ IX.* Huius ergo TRANSLATIONIS meminere Vincent. Bellouacenſ. *in Specul. Hiſt. lib.* 30. *c.* 115. his verbis: *Poſt tranſitum quoque Venerabilis Patris* DOMINICI, *creſcentibus indeſinenter miraculis, cum non poſſet vlterius B. Viri Sanctitas occultari, fidelium dignum duxit deuotio,* CORPVS *eius priùs humili loco repoſitum, ad altiorem debito cum honore tranſferre, cùm apud* Bononiam *multitudo Fratrum conuenerat ad Capitulum Generale.* Theodoricus de Appold. *Hiſt. S. Domin. lib.* 7. *c.* 2. hac ſerie: *Cúmque tota Italia per B. Viri merita increbreſcerent tàm illuſtria miracula, æquum planè viſum eſt fidelibus, vt* CORPVS *eius, hactenus humili loco conditum, ad altiorem honorificè, & reuerenter tranſferretur. Indignum enim erat, vt eius oſſa humus tegeret, mortalium pedibus ſubſtrata, cuius ſanctiſſima anima in cœlis ſublimiter coronata regnabat.* Eadem S. Antonin. 3. *p. Hiſtor. tit.* 23. *c.* 4. §. 15. Flamin. *lib.* 2. *Vit. S. Domin.* Suſatus *in Chron. Ordin. Ann.* 1233. Sebaſtian. de Olmeda *in Chron. Magiſtror. Ordin. in B. Iordan.* Caſtillo *Hiſtor. Ordin. S. Dom. lib.* 2. *c.* 7. F. Thom. Maluend. *in Annal. Prædicat. tom.* 1. *Ann.* 1233. *c.* 1. *& ſeqq. fol.* 493. Abrahamus Bzouius *Annal. Eccleſ. tom.* 13. *Ann.* 1233. *n.* 5. qui B. Iordanis Magiſtri Generalis Ordinis literas patentes circulares, huius TRANSLATIONIS ſeriem continentes, ad omnia cœnobia Ordinis accuratiſſimè expeditas recenſet huiuſmodi:

Scriptores.

EPISTOLA CIRCVLARIS B. IORDANIS continens cauſas TRANSLATIONIS ſacrorum pignorum B. DOMINICI Patriarchæ.

Dilectis in dilecto Dei Filio Fratribus Ordinis Prædicatorum Vniuerſis.

F. Iordanis eiuſdem Ordinis humilis Magiſter, & Seruus, Salutem, & gaudium ſempiternum.

SOLET *diuina bonitas ſuâ inſcrutabili ſapientiâ plerumque bonum differre, non vt auferatur, ſed vt dilatum ſurgat vberius in tempore opportuno.*

Sine

Siue igitur Deo Ecclesiæ suæ melius prouidente, siue diuersis diuersa sentientibus, quorum quidam viam simplicitatis absque prudentia sectãtes, immortalem memoriam serui Altissimi Domini, Ordinis, qui Prædicatorum dicitur, Institutoris, S. DOMINICI *fatebantur sufficere notam esse apud Deum, nec curandum fore, vtrum ad hominum notitiam peruenerit. Nam quædam caligo, vt suprà dictum est, Fratrum corda obtexerat, vt vix esset, qui diuinæ gratiæ cõdigna gratiarum occurreret actione. Expergefacta est siquidem post obitum Viri Dei reuerentia populi, occurrentibus multis, qui diuersis infirmitatum quarumcumque premebantur molestijs, ibique permanentibus diebus, ac noctibus, fatebantur omninò percepisse se remedia sanitatum. Vnde curationum suarum testimonia deferebant, suspendentes ad tumulum B. Viri cereas oculorum, manuum, pedum, cæterorúmque membrorum effigies, prout varia eorum fuerat infirmitas corporum, siue rerum multifariè reddita valetudo. Enimverò vitam, quam in cœlis possederat, in terris miraculis declarabat. Visum est autem plerisque non debere receptari miracula, ne sub specie pietatis, notam quæstus incurrerent. Frangebant itaque illatas imagines, & deijciebant; & dùm propriam opinionem inconsideratâ celare cupiunt sanctitate, communem Ecclesiæ neglexêre profectum, & gloriam sepelière diuinam. Alij etiam aliter sentiebant, tamen pusillanimitatis depressi spiritu, his non obuiabant. Sicque factum est, vt* B. *Patris* DOMINICI *gloria, absque omni sanctitatis veneratione, per annos ferè Duodecim, sopita maneret. Iacebat namque thesaurus absconditus, carens vtilitate, & subtrahebantur beneficia desuper à virtutum Largitore. Iustitiæ enim æquitas exigebat, ijs gratiam subtrahi, qui gratiam Dei, & gloriam occultare nitebantur. Nec enim granum in fructum prodit, si quando prodire tentat sæpiùs conculcetur. Prodibat sæpius virtus* DOMINICI, *sed suffocabat eam incuria filiorum. Patiens, & multum misericors patienter expectabat; sed cùm vox non esset, neque sensus de debito honore* S. DOMINICI *cogitans, adiecit Deus occasionem, quâ Fratrum segnities excitaretur.*

Ad tumulum miracula.

Causa Translationis.

CRESCENTE *denique Fratrum numero apud Bononiam, necesse erat domos, atque Ecclesiam dilatari. Nouis succedentibus, vetera diruuntur, &* CORPVS *Dei Famuli sub dio remansit. Quis rationis capax dignum existimaret, puritatis speculum, castitatis vasculum, virginitatis sacrarium, S. Spiritus organum, sic humili tectum loculo permanere, qui totâ vitâ suâ (vt eius vltima Duodecim astantibus Fratribus confessio declarauit) mortalis culpæ maculâ ipsum dulcem hospitem animæ, nunquam à suæ animæ hospitio eiécit? Ad cor igitur quidam è Fratribus reuersi conferebãt intra se, vt ad locum decentiorem transferretur. Sed ne hoc absque Romani Pontificis licentiâ fieri volebãt. Verè in multis perpenditur, humilitatis virtutẽ, exaltationem promereri. Poterãt siquidem Patrem sepelire Fratres, & filij: sed dum in hoc Maioris auctoritatem requirũt, cessit in melius, vt non solum simplex, sed canonica fieret* TRANSLATIO *Glorioſi. Neglectum tamen est, & hoc diutius, Fratribus interim de decenti sarcophago ordinantibus, & alijs Summum Pontificem* D. Gregorium *adeuntibus, vt prædictum negotium eidem intimarent. Ille verò, vt erat vir magni zeli, & fidei, durissimè eos corripuit, qui tanto Patri debito honore neglexerant famulari. Subiunxit autem:* Noui Virum totius Apostolicæ Regulæ sectatorẽ, quem & in cœlis nõ ambigo Sanctorum ipsorũ Apostolorũ gloriæ copulatum. *Rauennati igitur Archiepiscopo scripsit, vt quia multis præpeditus ipse personaliter adesse non poterat tantæ Translationi, cũ suis Suffraganeis interesset. Volens ita Omnipotẽs Deus consilio vniuersalis Ecclesiæ Pastoris, segnitiei nebulas detegere, aperuit & ipse manum suam de alto, & miraculorum fragore intonuit de cœlo. Vt manifestè daretur intelligi totam illã cælestis Ierusalem curiã immensâ tũc lætitiâ exultare, & congratulari, gloriã sui magni conciuis terrigenis declarari. Sancti namque, inuidiæ fomite excluso, & diuini amoris gremio amplexati, suæ benedictionis abundantiã omnibus voluit esse cõmunem. Cæcis visus, claudis gressus, paralyticis sanitas, mutis loquela, dæmonibus fuga, febribus conualescentia, & diuersis languoribus medela indicitur, &* DOMINICI *sanctitas luculẽter omnibus demõstratur. Salientem vidimus Nicolaum Anglicum diù paralyticum*

Elogia S. Dominici.

Pontificis verba pro S. Dominico.

Miracula in Translatione.

Digitized by Google

in hac ſolemnitate. Morbus ſici incurabilis, voto emiſſo, ceßit; apoßemata fugiunt, & multa alia in ipſius canonizatione, coram Summo Pontifice, & Domino Cardinalibus, & vniuerſis adßantibus perlecta, & expoſita clariſſimè patuerunt. Nec mirum ſi cum Deo regnans hæc facere potuit, qui mortali theca veßitus librum Fidei ab igne illæſum retraxit; Virginem Matrem infirmanti Fratri adeſſe perſenſit; pluuiam ſigno dominico repulit; prece candelam in luto accendit; Nouitium à ſtupendo veßium ardore eripuit; Dæmonem cruce expulit; duobus mortem corporis, duobus animæ prænuntiauit; duobus Romæ vitam reßituit; Chriſtum ſe vocantem in morte vidit; in Canone exiſtenti diſcipulo coronatus apparuit; ſcalis candidis à Virgine MARIA, *& eius Filio in throno gloriæ elevatus oßenſus fuit. Teßantur* D. Gregorij *Papæ de ipſius canonizatione litteræ, plurima miraculorum ipſius inſignia, & virtuoſa vitæ faßigia glorioſa.*

Qui Trãſlationi adfuêre.

ADEST *igitur dies celebris, vt* TRANSLATIO *eximij Doctoris celebretur: adeſt & venerabilis Archiepiſcopus, & Epiſcoporum, & Prælatorum multitudo: adeſt innumerabilis diuerſarum terrarum populi deuotio: adſunt &* Bononienſium *caterua armata, ne ſanctiſſimi* CORPORIS *patrocinia ipſis auferantur. Sunt Fratres anxij, pallent, & orant timidi, illic trepidantes timore, vbi non erat timor, ne ſcilicet* S. DOMINICI *Corpus, quod pluuijs, & aëris iniurijs, tanto tempore, vili reconditum loculo, ſicut aliorum, qui inter mortuos computantur, patuerat; vermium ſcateret voragine, fœtore horrido præſentium odoratum grauaret, & ſic tanti Viri deuotio fuſcaretur. Ignorantes ergo quid agerent, hoc ſolùm habent reſidui, vt totos ſe Deo committant. Accedit pia Epiſcoporum deuotio, accedunt & alij inſtrumẽtis fabrilibus, lapis duriori camento, ſepulchro compaginatus aufertur; & erat ſubtùs, capſa lignea terræ ſuffoſſa, ſicut Venerabilis Papa* Gregorius *Oßienſis tunc Epiſcopus ſacrum Corpus humauerat, in*

Odor mirificus ex ſepulchro.

qua paruulum foramen apparebat. Ablato ſiquidem lapide, cœpit quidam odor mirificus ex foramine exhalare: cuius fragrantiâ ſtantes attoniti mirabantur quid eſſet. Remoueri iubent capſæ tabulam, & ecce apotheca vnguentorum, paradiſus aromatum, hortus roſarum, campus liliorum, & violarum, ac omnium florum ſuauitatem vincens odor perhibetur. Bononia *quondam, quòd plauſtra ingredientia tetrum odorem reddant, adueniente rotâ, fœtore perfunditur; ſed dum glorioſi* DOMINICI *ſepulchrum panditur, odore omnium aromatum ſuauitatem ſuperante, purificata exhilaratur. Stupent qui aderant, & ſtupore perterriti cadunt. Hinc ruunt dulces fletus, miſcentur & gaudia; timor & ſpes in campo animæ conſurgunt, mouẽntque bella mirifica, mirifici odoris ſuauitatem ſentientes. Senſimus & nos huius odoris dulcedinẽ, & quæ vidimus, & ſentimus, hæc teßamur. Nunquam enim, licet diutius iuxta* Corpus *eloquij portitoris* S. DOMINICI *ſtudioſè ſteterimus, poteramus tanto dulcore ſatiari: dulcor ille faſtidium expellebat, deuotionem ingerebat, miracula ſuſcitabat. Si manu, ſi cingulo, ſi aliquâ re tangebatur Corpus, per tempus prolixùm odor ille remanebat.*

Corpus in marmoreo ſarcophago conditur.

Delatum eſt CORPVS *ad monumentum marmoreum, cum propriis aromatibus ibidem reconditum. Spirabat odor mirificus ex* CORPORE *ſancto, oßendens cunctis, quàm bonus Chriſti odor hic eſſet. Celebrantur Miſſarum ſolemnia ab Archiepiſcopo; & quia dies Tertius Pentecoßes enituit; Accipite iucunditatẽ gloriæ veſtræ gratias agẽtes Deo, qui vos ad cœleſtia regna vocauit, in Introitu Chorus intonat: quã vocem de cœlis tonantẽ Fratres in ſua iucunditate ſuſceperũt. Tubæ concrepãt, innumeram cereorum multitudinem Populi erigũt; Proceſſiones etiam honeſtè fiunt;*

Dies, & Annus Tranſlationis.

Benedictus IESVS-CHRISTVS *vbique reſultat. Acta ſunt hæc in Ciuitate* Bononienſi IX. Kal. Iunij, *Anno gratiæ* M.CC.XXXIII. *Indictione VI. Romanæ Sedi Gregorio IX. præſidente, & Imperij ſceptra Friderico II. gubernante, ad honorem D.N. Ieſu-Chriſti, & B.* DOMINICI *ſerui ſui fideliſſimi.*

HVIVS etiam Epiſtolæ ecphraſin retulêre Flamin. *lib.* 3. *Vit. S. Dominic.* & Thom. Maluend. *Annal. Prædic. Ann.* 1233. *c.* 9 & 10. *fol.* 501. Ad cuius ſarcophagum Ioannes Carolus Morellus *in Sacr. Tumul. Epigram.* 141. *fol.* 71. hocce Epitaphium appendit:

Extremæ Heſperiæ *Veſper, ſed Lucifer Orbis:*
Et poſt occaſum clarior, hîc tegitur.

Gens

Gens Guſmana *ſuo decori poſuêre Sepulchrum,*
Sectatrixque pia turba relicta via.
Hæreſis eſt almi verbi virtute fugatâ,
Auditórque tepens vſtus amore Dei.
Hoc erat in ſomnis vtero cum ferre gerentem
Ore facem catulum eſt optima viſa parens.

Inſignia Deus propter S. DOMINICI merita in huius TRANSLATIONIS die fuit operatus miracula, quorum aliquot à diuerſis Scriptoribus referuntur, inter quæ celebre illud quod Thomas Cantipraten. *lib.* 2. *de Apibus, c.* 1. §. 9. vbi Georg. Coluener. *fol. mihi* 116. ex fidelis Fratris Prædicatoris narratione recenſet, circumfertur his clauſulis: *Præterea Fratre Ordinis Prædicatorum narrante, cognoui; dictum* F. Ioannem *venerabilem eleuationi* Corporis S. DOMINICI *cum cæteris fratribus* Bononiæ *interfuiſſe. Poſito autem quodam Epiſcopo Cardinali ex parte capitis in eleuatione* Corporis *ſacri, dictus* F. Ioannes *poſitus eſt ad pedes. Et ſubito facta eſt mirabilis, & inexcogitabilis conuerſio, vt ipſe frater ad caput, Epiſcopus verò ad pedes ſubitò videretur. Repoſitus eſt autem Epiſcopus ad caput, & frater ad pedes, iterúmque ſubitò conuerſio facta eſt, ſtupentibus vniuerſis.* Illúdque etiam refert Maluend. *d. Ann.* 1233. *c.* 11. *fol.* 503. qui nomen *Epiſcopi Cardinalis* aſſignat. *Alia miracula referuntur.*

PRO coronide *P. Emmanuelis Pimenta* Luſitani Epigramma, & aliorum carmina ſubiiciemus, quibus S. Patriarchæ Noſtri elogia continentur. Ille itaque *de Chriſt. Triumph. in Confeſſ. lib.* 10. *Epigr. fol.* 394. *Tom.* 1. *Poëmat. Sacror.* hoc pro S. adnectit DOMINICO:

Solem in corde gerit, ſydúſque in fronte; coruſcat
Vnde per Eoas, Heſperiáſque *plagas.*
Dulce examen apum, dulciſſima pectora monſtrat:
Fulmina fax linguæ, quam tenet ore canis.
Voce Acherontæos Plutona remittit ad ignes:
Corpora de feretris dat rediuiua ſuis.
Exuuijs onerat felicibus aſtra: ſequuntur
Quò vocat, ingentem cerea corda ducem.
Huius ad Auguſtos elementa ſequacia nutus,
Et Phlegeton vires dedidicêre ſuas.
Eſt rerum Dominus, domitor Phlegetontis; & inde
Grandius in titulos nominis omen habet.

Nicolaus Oudaert Bruxellenſis in *Ephemer. Eccleſ. in Menſ. Auguſt. Epigramm.* 5. *fol.* 107. licèt in nomine *Vrbis*, quâ natus fuerat *S. Pater* errauerit, hoc etiam elogium ſubiicit:

Ecce facem ore gerens catulus; rata ſomnia Matris:
Natus enim flammas ſparſit vbique pias.
Per ſe, pérque ſuos, Domini res ſedulus egit,
Fauſtum ergò à Domino quàm bene nomen habet.
Guſmannæ *ſtirpis dedit hunc* Hiſpania *florem,*
Potat Ibere *tuas, qua* Calagurris *aquas.*

Dixi hunc Scriptorem tanquam exterum errauiſſe in nomine vrbis, quâ originem trahebat S. Patriarcha; Nam CALEROGA, & non CALAGVRRIS ipſi fuit patria, vt ſuo loco dicemus; & notauit Mutius Sfortia *lib.* 1. *Hymnor. Sacr. fol.* 126. ſic:

Nomen à cœli Domino trahens tu
Eius ob nutum CALAROGÆ *oriris.*

Eundem errorem inuenies apud Robertum Obrizium *lib. 5. Hymn. Sacror. Hymn. 29. fol. 245.* P. Ioann. Baptiſt. Maſcul. *in Encom. Calit. Encom. 248. fol. 354.* ſequens eruditè deſcripſit:

Tibi ſe calamus dedicat, tibi lingua,
fœcunde parens eorum Heroum,
qui Romæ vel calamum dedicauêre, vel linguam.
Sterilis cœpit haberi Græcia,
ſeptem dicta Sapientium mater,
cùm tot lumina protuliſti Doctorum.
A materno vſque vtero, tuæ repetendæ ſunt laudes;
Inſtar catuli viſus es geſtantis facem;
ſcilicet antequam edereris in lucem,
prætuliſti lucidam tædam;
Exterruiſti latratu Inferos, obmutuit Cerberus.
Cynicæ oppoſitus Sapientiæ
impudentiam pudore frænaſti.
Viluit ex ea diſciplina tecum collatus Antiſthenes,
Diogenes ſuo ſe dolio texit.
Sileri cœpit in Attica Cynoſarges,
vbi ſacrificij fuiſſe miniſter dicitur canis.
Inſtituiſti Gymnaſium omnium nobiliſſimum,
vbi doctrinæ eſſet magiſtra Religio.
Illa, quæ dum ſacro luſtrabaris fonte infans,
viſa eſt collucere in fronte ſtella,
Non niſi Sirius fuit in ore canis, non noxius, ſed ſaluber.
Quàm fuit ſerena frons, quæ ſplenduit aſtris?
At cùm ſuppoſuiſti Lateranenſi delubro labenti humeros,
ſtelliſero Atlante viſus es maior.

Cætera, quæ ad ACTA rerum geſtarum à S. DOMINICO ſpectant, continentur infrà *Tom. 4. die IV. Auguſti*, vbi dicemus. Nunc ad Topographiam Bononiæ pergamus.

Topographia. BONONIA. Ciuitas peruetuſta, quam olim FELSINA dixêre, & Colonia Hetruriæ antea Epiſcopalis, nunc *Gregorio XIII. Pont. Max.* Ciue ſuo ordinante, Metropolis effecta. Vrbs ampla, Nobilis, opulenta, populoſiſſima, ex primis *Italiæ* vrbibus, in planitie ſub *Apenninis* collibus, formæ quaſi circularis, quam *Rhenus* amnis, foſſâ deductus intus irrigat. Eius conditorem variè conſignant Scriptores; apud Leandr. Albert. *fol. 500. in Antiq. Ital.* hæc inuenitur relatio: *Quidam aſſerunt* BONONIAM *à* Fero *incœptam, qui poſt vniuerſale diluuium in* Italia *ex* Scythia *cum* Aſpoſa *coniuge, &* Felſina *filia, magnóque mortalium comitatu migrauit, & ab ſe ponti* Fero, *ab vxore torrenti* Aſpoſæ, *qui ſubter pontem labitur, à filia autem vico ipſi* Felſinæ, *tunc recenter ædificato indidiſſe nomen.* Hæc Leand. Albertus, Ieronym. Albertutius, & Ioann. Garzon. *in Hiſtor. Bonon.*

OCTAVO

Digitized by Google

OCTAVO KAL. IVNII.

DIES XXV.

A. MASIÆ *in Hiſpania ad locum Dorotenſem* S. PASYCRATIS, *qui ob miram virtutum copiam, & mirabilem facinorum ſplendorem, à Deo, & hominibus dilectus, æternum beatitudinis indeficientis Confeſſor inclytus accepit intuitum.*

B. HYPPONE *in Carpetania Hiſpaniæ* S. PRÆSCELLII *Martyris, qui cùm ex Hiſpaniâ Romam perrexiſſet, fidémque profiteretur Catholicam, ibidem tentus, & excruciatus, demum ad martyrij coronam peruenit æternam.*

C. IEROSOLYMIS *commemoratio* S. LVCIANI *Preſbyteri, fratris Lucinij Batici, qui ex Hiſpania oriundus, ſanctam Ciuitatem adiuit, vbi ſacra S. Stephani Protomartyris, & aliorum SS. pignora meruit interuenientibus reuelationibus inuenire; pòſt, vt eius exigebant virtutum inſignium opera, glorioſo fine quieuit.*

D. Apud ASTVRICAM *Hiſpaniæ Auguſtam,* S. GENNADII, *eiuſdem vrbis Epiſcopi, qui cùm primùm fuiſſet Abbas in S. Petri Montium Vergitano Cœnobio, poſtmodum ad Præſulatus Aſturicenſis cathedram fuit euectus, vbi religione pollens, miraculis potens, & virtutibus clarus ſibi ipſi propriam ſedem erexit, quâ ad Dominum Confeſſor properauit eximius.*

NOTÆ.

SANCTVS PASYCRATES Confeſſor.] Martyrem huius etiam nominis hoc die paſſum apud *Doroſtorum* in *Myſia* cum aliis ſociis concelebrat *Eccleſia*, vt ferè omnia *Matyrologia* tàm antiqua, quàm recentiora recenſent, ſed an iſte cum Noſtro confundatur; an Noſter, ab illo diuerſus ſit, adhuc ſub ſilentio iacet. Crediderim Noſtrum ab illo diuerſum, quia *Flauius Dexter*, qui Noſtri memoriam recolit *in Chron. Ann.* 168. illum non *Martyrem*, ſed *Confeſſorem* fuiſſe contendit, his verbis: MASIÆ *in* Hiſpania *ad locum* DOROTENSEM, S. PASYCRATES *mirabilis Vir conuerſatione, & omnibus operibus ſuis.* En in *Dextro* nihil de martyrio, nihil de ſociis; ergo diuerſus Noſter ab illo, qui martyrio cum ſociis coronatus apud *Doroſtorum*

A. *An diuerſus ab alio huius nominis h. d.*

Probatur quod ſic.

roſtorum in *Myſia* à Martyrologis recenſetur. Valde miror *P. F. Fanciſci Binarÿ*, aliàs hominis doctiſſimi, & in illuſtrandis *Flauij Dextri* clauſulis eruditiſſimi, incuriam, ad hunc *Annum* 168. *fol.* 252. quâ non ſolùm Noſtrum *Confeſſorem*, contra mentem *Dextri*, cum illo *Martyre Myſiano* confundit, ſed etiam VALENTIONEM & ſocios, Hiſpanos Martyres proponit, & quod peius eſt, *Iulium* Militem die XXVII. Maij, *Heſichium* XVI. Iunij; *Æmillianum* XVIII. Iulij; & *Daſium* Epiſcopum, XX. Nouembris, etiam *Hiſpanos* Diuos conſignat, nullâ aliâ innixus ratione, quàm quòd in *Myſia*, vrbem *Doroſtorum* non inuenerit, quâ deficiente, neceſſariò verba Martyrologiorum in diebus prædictis, de *Hiſpano* Oppido *Dorotenſi* in *Maſia* Hiſpaniæ prouincia intelligenda eſſe. Huius ſanè aſſertioni vltroneus adhærerem, ſi doctiſſimus Pater *Doroſtorum* in *Myſia* non fuiſſe probaret. Aſt cùm hoc non probet, aut Scriptorum penuriâ ignarus, aut *Ptolemæi* tabulis contentus; neceſſariò ab eius recenſione animũ, & calamũ auertere rationis veritas perſuadet. Quòd fuerit in *Myſia* vrbs nomine *Doroſtorum*, iſta Ammiani Marcellini *l.* 27. *Hiſt. Rom.* verba conuincant: *Dein* Myſia, *vbi Marcianopolis eſt, à ſorore Trajani Principis ita cognominata, &* Doroſtorus, *& Nicopolis, & Odyſſus.* Ecce vrbem, quam ignorauit *Binarius*, de qua etiam Abraham. Ortel. *Geograph. verb.* Duroſtolon. Pro omnibus Phil. Ferrar. *in Topograph. Sacr. verb.* Doroſtorum *fol.* 43. per hæc verba: DOROSTORVM, *quæ &* DVROSTORVM *Ciuitas olim Epiſcopalis* Myſiæ *inferioris iuxta Danubium, inter Oeſcum Triballorum caput, & Axium, quo XXXVI. M. P. aberat, Dinogetiæ quoque finitima; cuius hodie nihil extat. Sunt qui* DRISTAM *dici velint. Sed* Driſta *Ptolemæo eſt Tiriſta.* Iam *Doroſtorum* in *Myſia* vides: ergo perperam *Binarius* illam nec vnquam extitiſſe contendit, nec illos Martyres apud eam vrbem paſſos coniectat. Non ergo indiget *Hiſpania* externis Diuis, aut Martyribus, aut Confeſſoribus; ideo illos Martyres omnes, quos ignoratione ſitus, *Binarius* à propriis originibus ablegauerat, reſtituere inſpectâ veritate curauimus. Sed ad diſcrimen inter *Noſtrum Confeſſorem*, & *Doroſtorenſem Martyrem* calamum conuertamus. Differt item *Noſter* ab illo in temporum diſtantia Noſter Anno C. LXVIII. vitam quietâ dormitione finiuit, vt notat *Dext.* Ille Anno CC. XXVIII. agonem conſummauit, vt fatetur Baron. *Annal. Eccleſ. tom.* 2. *Ann.* 228. *n.* 2. Noſtri ACTA penitus periêre, vt *Dextri* ſynopſis indicat, breuiora deuotionis causâ deſcribemus huiuſmodi:

Binarij lapſus.

Alind diſcrimen.

ACTA S. PASYCRATIS DOROTENSIS ex Maſia Hiſpaniæ Confeſſoris; ex Dextro.

Origo. PASYCRATES, *vt creditur, in* Hiſpania *natus, & ad oppidum cui* DOROTENSE *nomen in* Maſia *regione* Bæticæ *ad* Termarium *Montem accola, in quo vitam agebat, Chriſto feliciter nomen dedit. Hic ſub diuinæ legis præceptis ſic vitæ ordinem inſtituit, vt carnis illecebras rationi ſubiiceret, & appetitus inſultus legis ordinatione domaret. Erat vir virtutum omnium genere ornatus, in conuerſatione placidus, & in operatione illuſtrium factorum inſignis, & infatigabilis artifex. Porrò eorum, quos abs horrenda animæ morte, & ab immani vitiorum voragine, ad vitæ cæleſtis curſum, & ad virtutis ſemitas, verbo, & exemplo perduxerit, quantus fuerit numerus, ille ſolus ſcit, qui cognoſcit numerum ſtellarum, & proprio eas nomine vocat. Vixit inter ſui ſeculi ſæuas perſecutionum procellas pietate clarus, fide plenus, & charitate copioſus; ita vt Deo, & hominibus charus extiterit, donec ad præmia euocatus cæleſtia, terrena relinquens, compoſitâ dormitione quieuit.* VIII. Kalend. Iunij, *Anno Domini* C. LXVIII. *Aniceto ſummum Pontificatum obtinente; & M. Aurelio, & L. Vero Romanum Imperium.*

Quantus vir.

Virtutes.

Mors.

Hæc ſunt quæ potuimus ACTA conſcribere, cùm auctiora temporum ingluuies nobis ad calamum non reliquerit. De accolatu in *Hiſpania* iam diximus, de ſitu MASIÆ dicemus.

Topographia. MASIA. Vrbs, & Prouincia in *Hiſpaniæ* circulo. Plinius *lib.* 35. *c.* 14. vrbis meminit, hac ſerie: *Pitanæ in Aſia, & in* Vlterioris Hiſpaniæ *ciuitatibus* MASIA, *&*

Calento

Digitized by Google

Calento fiunt lateres, qui ficcati non merguntur in aqua. De Prouincia *Maſiorum* apud *Hiſpanos* Theopompus apud Stephanum, vbi *Dorotenſis* ciuitas inuenitur ex *Dextro.* Hæc in *Turdulis Baturia* iuxta *Termarium* Montem, vbi nunc ALMADEM, vi-ui argenti copiâ nobilem, conſignatur à *Villanouano*, & nunc in *Extremadura* finibus iacet. De *Agro Maſiano* Noſter Feſtus Auien. *in Oris Maritim.*

Sunt MASIANI *regna Selbyſina*
Feracis agri, & diuitis Tarteſſi.

Rodericus Caro in *Not. ad Dextr. fol.* 73. *lit. E.* loco PASYCRATIS ſubſtituit POLICRATES, & ingenuè ſe ignorare fatetur, quid de illo ſcribat. Quid mirum? Corruptam lectionem eſt inſecutus. Nam ille de quo Nicephorus *Hiſt. Eccleſ. lib.* 2. *c.* 44. longè à Noſtro diuerſus eſt.

S. PRÆSCELLIVS Martyr.] Nullus Martyrologiorum Scriptor huius Martyris meminit, dempto P. Higuera *in MS. Hiſpano, die Kal. Nouemb.* vbi hæc: *Eſte meſmo dia* S. PRECELIO *que fue de* Yepes *en el Reyno de Toledo, cuyo cuerpo tiene el Colegio dela Compañia de N. S. dela Pacientia dela villa de* Ocaña *en vna Arca.* Latinè: *Ipſo die* S. PRÆSCELLIVS, Hyppo-Carpetanus: *Cuius corpus in theca aſſeruatum habet Collegium S. I. cognomento D. N. à Patientia, Olcadenſe.* Eius memoriam repetunt Flau. Dext. *in Chron. Ann.* 285. ſic: S. PRÆCELLIVS *Romæ paſſus, Ciuis* Hypponenſis *Hiſpanus, mirificè clarus habetur gloria martyrij XXV. Maij.* Luitprand. *Aduerſ.* 130. iſthæc: S. PERCELLIVS *paſſus Romæ, Ciuis fuit* Hypponis *in Carpetania: de qua ſupra.* P. Biuar. *ad Dextr. fol.* 302. *num.* 9. Roder. Car. *fol.* 95. Carrill. *Annal. Eccleſ. Ann.* 285. Roder. Mend. Silua *in Hiſpan. populat. fol.* 40. *c.* 68. ſed neſcio à quo accepêre S. Martyrem Noſtrum, Epiſcopum fuiſſe, cùm *Dexter*, & *Luitprandus*, qui nobis illius memoriam recenſuerunt, tale quid non dicant. Noſtri ergo Martyris Acta ſub ſilentio ſunt, ideo aliqua compaginare, vt penuria temporis, & ſcriptorum permittit, compellimur. B. *Scriptores.*

ACTA S. PRÆCELLII CIVIS HYPPONENSIS & Martyris Romani, ex Dextro, & Luitpr.

PRÆCELLIVS *natione* Hiſpanus *ex antiqua in* Carpetanis *vrbe* Hyppone *oriundus, fidei regulam eſt ſequutus Catholicæ, dùm* B. Sixtus *Legatus à* S. Cornelio *Pont. Maximo* Toletum *Concilij congregandi cauſa, mira feſtinatione deuênit. Coadunato igitur Concilio, & rebus ad Religionis, & Eccleſiaſtici ſtatus normam pertinentibus, ordinatis, Romam redire compellitur. Qui* Hiſpanorum *agnoſcens pietatem, & fidei conſeruandæ deſiderium aliquos ſecum duxit, vt Romanâ imbutos doctrinâ, tanquam ex ſeminario fidei, poſtmodùm in propria dirigeret eruditos.* Hypponem *verò cùm* Carpetaniæ *vrbem peruenisſet* PRÆCELLIVM *inſigni formâ iuuenem, & fidei rudimẽtis imbutum, vitæ puritate clarum, & operum munificentiâ conſpicuum, contuitus, vt ſecum* Romam *pergeret, procurauit. Annuit B. Iuuenis, & S. eſt ſequutus Legatum, in cuius contubernio ad eius vſque paſſionem cum* B. Laurentio, *& aliis ſanctitate illuſtribus commilitonibus, vitam tranſegit; donec naſcente perſecutionis* Diocletiani *procella, cum aliis tentus, & in carcerem coniectus, propter Chriſti nomen, innumera pertulit ſupplicia. Demum ad mortem damnatus, vltimum agonis ſtadium protriuit, quo ad coronam in cœli ſtatione properauit æternam,* VIII. Kal. Iunij, *Ann. Dom.* CC. LXXXV.

Origo.

Romam petiit.

Coronatur.

En Acta; quorum partem ex *Dextro*, & *Luitprando* ſuxiſti; alteram, quæ ad *B. Sixti* contubernium attinet, ſi deſideras; ecce *Auli Hali* mei *Octaſtichon* ex *MS. Codice Gothico* Carminum diuerſorum; cuius Muſa ſemper pia, licèt ſæpiùs à numeris deuiet.

DE

DE S. PRÆSCELLIO HYPPON. M.

S. Sixto adharet.

MVnera quot tibi debuit hinc Præcellius Hyppo?
Nomen, natales, ſtudia, córque, fidem.
Munera quot tibi detulit poſt Præcellius, Hyppo?
Nomen honorificum, Numina, luces, opes.
Sorte tuos quâ ſuſtulit heus rogo Roma *triumphos?*
Illum nam Sixtus *cito reduxit amans.*
Sic patriam linquens Vrbis penetrauit ad aras:
Quibus martyrio aſtra volauit ouans.

S. Sixtus Hiſpaniam adiuit.

Circa aduentum ad *Hiſpaniam Sixti*, pòſt Pontificis Romani, poſt Dextr. *in Chron. Ann.* 260. videndi Beleth. *de Diuin. offic. c.* 145. S. Vincent. Ferrer. *Serm. de S. Laurentio.* Philipp. & Vorag. *in Legend. c.* 112. Scheld. *in Chron.* Ex Noſtris Garibay *lib.* 7. *c.* 33. Vaſſæus *in Chron. Ann.* 257. Illeſcas in *Pontifical. lib.* 1. *c.* 27. Mariet. *Hiſt. SS. lib.* 2. *c.* 2. Carrill. *Annal. Eccleſ. Ann.* 254. Martin. Polon. *in Chron. lib.* 4. Didac. de Ainſa. *Hiſt. Oſcenſ. lib.* 2. *c.* 3. Amicus Noſter Ioann. Franciſc. Andreas *in Defenſion. Patr. S. Laurent. c.* 3. *fol.* 56. P. Biuar. *ad Dextr. d. Ann.* 260. *fol.* 289. Roder. Car. *fol.* 90. *lit. S.* Cætera probatione non indigent.

Topographia.

Hyppo, Vrbs olim in *Carpetanis à Toleto* XXXII. M. P. diſſita, de qua T. Liu. *lib.* 39. ſequentia profert verba: *Eodem Anno in* Hiſpania *Prætores C. Calpurnius, & L. Quinctius; cum primo vere ex hybernis copias eductas in* Beturia *iunxiſſent; in* Carpetaniam, *vbi hoſtium caſtra erant, progreſſi ſunt. Haud procul* Hyppone, *&* Toleto *vrbibus, inter pabulatores pugna orta eſt.* In *Plinianis* codicibus editis aliam vrbem huius nominis inuenimus *lib.* 3. *c.* 1. vbi hæc verba: *Vrgentum quod Iulij Genitor*, Hyppo, *Cauraſiarum, fluuius Menoba.* Cuius lectionis errores publicos fecimus in *Not. ad Aul. Hal. carm.* 225. vbi ſinceriùs legitur:

Hic Caura, Sauros ſuſtentat Orippo *colonos.*

Sicque in *Plinio* legendum eſſe diximus: *Vrgentum, quod Iulij Genius*, Orippo, *Caura, Siarum, fluuius Menoua.* Ex quo quatuor populos deprehendes. Probationem ſi velis, adi Roder. Car. *in Antiq. Hiſpal. lib.* 3. *c.* 20. *fol.* 115. *col.* 2.

C.

S. Lvcianvs Presbyter, & Confeſſor.] Celebris eſt memoria huius Sanctiſſimi Preſbyteri inter Eccleſiaſticæ eruditionis Scriptores; de quo ſic Gennad. *de Scriptoribus Eccleſ. c.* 46. Lvcianvs *Presbyter, Vir Sanctus (cui reuelauit Dominus, temporibus Honorij, & Theodoſij Augg. locum ſepulchri, & reliquiarum Corporis* S. Stephani *Martyris primi) ſcripſit ipſam reuelationem, ad omnium Eccleſiarum perſonas, Græco ſermone.* Eadem Honor. Auguſtodun. *lib.* 2. *c.* 46. Baron. *in Not. ad Martyrolog. Rom. die* 3. *Auguſt.* & in *Annal. Eccleſ. tom.* 5. *Ann.* 415. Marian. Schot. *in Chron. Ann.* 416. *tom.* 2. *Scriptor. Germ.* Padill. *Cent.* 5. *c.* 10. Pujad. *Hiſt. Cathalon. lib.* 6. *c.* 14. Bibliothec. Hiſpan. *tom.* 2. *fol.* 210. Vbi inter Scriptores Eccleſiaſticos *Hiſpanos* recenſetur, fortè viſo S. M. Maximo in *Chron. Ann.* 459. vbi eius adſignans mortem ſcribit: *Ætio, & Studio Conſulibus mortuus eſt* S. Lvcianvs *Presbyter, frater* Lucinij *Bætici, ex vrbe Bæte, nunc Vtricula, XXV. die Maij.* Ex quibus agnoſces verbis, non incongruè *Bibliothecam Hiſpanicam* illum S. Presbyterum inter *Hiſpanos* repoſuiſſe Eccleſiaſticos Scriptores. Eius Acta ex Noſtris, & exteris ſcribemus.

Scriptores.

ACTA S. LVCIANI HISPANI
Presbyteri Ieroſolymitani; ex Var. Script.

Origo.

Lvcianvs natione Hiſpanus ex Bæte vrbe, quam Vtriculam in Vlterioris Hiſpaniæ Bætica dicunt, originem traxit. Fratrem habuit *Lucinum* cognomento *Baticum*, quem fide Catholica, eleemoſynarum largitione, nobilitate, diuitiis, literis, & multis clarum virtutibus D. Hieronymus commendat. Iſte cùm primò S. Purpuratum in Bethlemitici cognouit

cognouit Præſepis iacere ſeceſſu, illum non ſolum literis proſequebatur, ſed propria præſentia viſitare propoſuit, ſed plurimis præpeditus negotiis, tantam efficacis deſiderij adimplere non potuit inſtantiam. Quo euentu LVCIANVM fratrem, virtutibus & literis excultum, cum ſex Hiſpanis Notariis, vt opera S. exſcriberent Doctoris, & plurimis pecuniæ theſauris, vt pauperum Ieroſolymitanorum ſubueniret incommodis, libentiſſimo dimiſit animo; quia quem propriâ non poterat viſitare præſentiâ, ſaltem per fratris chariſſimi compleret intuitum. Omnia gratanter accepit doctiſſimus Sanctus, & quidquid per *Licinij* epiſtolam agnouit agendum, tum de exſcriptione operum, tum de largitione opum in Ieroſolymitanos pauperes, fideli diſpenſatione compleuit, vt de omnibus per epiſtolam Bætico certiorem fecit amico. LVCIANVS autem Ieronymi contubernium non deſerens, illi per tempus adhæſit, à quo & virtutum ſcientiam, & doctrinæ candorem hauſit, donec Presbyter factus, & Villæ Caphargamala, in territorio Ieroſolymitano addictus, illuc perrexit, vbi & officij, & beneficij onera complens, & populi ſibi commiſſi ſaluti, miris ſermonis Euangelici vocibus, & vitæ purè actæ exemplis, incumbens, ad tantum perfectionis gradum acceſſit, vt admirabilibus illis viſionibus, pro inueniendis ſacris SS. Stephani, & ſociorum lipſanis locupletari meruerit, vt ex ab ipſo confecta Græcè, & ab Auito etiam Hiſpano Presbytero Latina facta commemoratione cognouimus.

Ieroſolymam petit.

Adhæret Ieronymo.

DIE igitur Paraſceue, hoc eſt feria VI. Tertio Nonas Decembris, Conſulatu Honorij decies, & Theodoſij ſexies Augg. adueniente nocte, & dormiente LVCIANO in cubili ſuo, in loco Sancti Baptiſterij, in quo conſuetudo illi erat dormire, & cuſtodire Eccleſiaſtica, quæ erant in miniſterio; hora tertia noctis, quæ eſt prima cuſtodia vigiliarum, quaſi in ecſtaſi ſemiuigilans, vidit S. Presbyter Virum ſenem, longum, dignum Sacerdotem, canum, barbam prolixam habentem, palliatum alba ſtola, cui inerant gemmulæ aureæ habentes intrinſecus S. Crucis ſignum, & virgam auream in manu tenentem. Venit, & ſtetit ad dextram LVCIANI, & aurea virga pulſauit illum, ter vocans illum, nomine ſuo, dicens: LVCIANE, LVCIANE, LVCIANE: & dixit illi Græco ſermone: *Vade in Ciuitatem, quæ dicitur* Ælia (*quæ eſt Ieruſalem*) *& dic* Ioanni, *qui eſt in ea Epiſcopus: Quandiu clauſi ſumus, & non aperis nobis? & maximè, quia in tẽporibus tui ſacerdotij oportet nos reuelari? Aperi nobis feſtinanter monumentum, vbi in negligentia poſitæ ſunt reliquiæ noſtræ, vt per Nos aperias Deus, & Chriſtus eius, & Spiritus-Sanctus oſtium clementiæ ſuæ in hoc mundo. Periclitatur enim ſeculum ex multis caſibus, qui fiunt in eo quotidie. Et non tantum ſolicitus ſum pro me, quantum pro his qui ſunt mecum poſiti Sancti, & multi honoris digni.* Cui reſpondit Presbyter dicens: *Quis es tu Domine, & hi qui tecum ſunt?* Et reſpondit illi: *Ego ſum* Gamaliel, *qui* Paulum *Apoſtolum Chriſti nutriui, & legem docui in Ieruſalem. Et qui mecum in Orientali parte monumenti iacet, ipſe eſt Dominus* Stephanus, *qui lapidatus eſt à Iudæis, & principibus ſacerdotum in Ieruſalem pro Chriſti fide, foris portam, quæ eſt ad Aquilonem, quæ dicitur Ad Cedar: vbi die, ac nocte iacuit proiectus, vt ſepulturæ non daretur, ſecundum mandatum impiorum principum, vt à feris conſumeretur corpus eius. Ex Domini autem voluntate non tetigit eum vnum ex his, non fera beſtia, non auis, non canis. Ego Gamaliel compatiens Chriſti miniſtro feſtinaui habere mercedem in Domino, & partem cum S. Viro fidei. Miſi per noctem quantos poteram religioſos Chriſtianos, & in Chriſto Ieſu fideliter credentes, habitantes Ieruſalem, in medio Iudeorum, & hortatus ſum eos, & neceſſarias ſubſtantias miniſtrauí, & perſuaſi illis ire occultè, vt portarent corpus eius, meo vehiculo, in villam meam, hoc eſt* Caphargamala, *quod interpretatur* Villa Gamalielis, *viginti millia abſentem à ciuitate, & ibi feci illi planctum fieri diebus ſeptuaginta, & poni eum in meo*

Viſio S. Viri.

Digitized by Google

meo monumento nouo, in orientali theca, & præcepi meis, vt quæcunque neceſſaria erant, pro eius planctu de meo daretur. Ipſe autem Dominus Nicodemus *in alia theca poſitus eſt, qui venit ad Saluatorem Ieſum noctu, & catechizatus eſt ab eo, audiens*: Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto non poteſt intrare in regnum cœlorum; *& abiens baptizatus eſt à Chriſti Diſcipulis. Et cognoſcentes Iudæi amouerunt eum à principatu ſuo, & anathematizauerunt eum, & de ciuitate exulare fecerunt. Hunc ego* Gamaliel, *quaſi perſecutionem pro Chriſto paſſum, ſuſtuli in agrum meum, & alui, & veſtiui, vſque ad finem vitæ eius, & defunctum ſepeliui iuxta Dominum* Stephanum. *Similiter* Abibus *filius meus dilectiſſimus, qui mecum baptiſmum Chriſti accepit ab eius Diſcipulis, & viginti annorum exiſtens ante me mortuus eſt, in tertia tecta excellentiori iacet, in qua & ego ipſe poſtea defunctus ſum applicitus. Mea verò vxor* Anna *habens nomen, &* Ledemias *primogenitus meus, quia noluerunt eſſe Chriſti fidei cultores, in alia Villa matris ſuæ ſepulti ſunt, hæc eſt in* Capharſemalia.

Quid S. Vir ad Gamalielem?

INTERROGAVIT autem LVCIANVS dicens: *Vbi vos quæremus?* Qui dixit: *In medio* Proaſtio, *quod poteſt intelligi,* agro ſuburbano *qui eſt proximus Villæ, ager, qui dicitur* Delagabri, *id eſt, Virorum Dei.* Poſtea Presbyter euigilauit, & deprecatus eſt Dominum dicens: *Domine Ieſu-Chriſte, ſi hæc viſio ex te, & non eſt illuſio; fac vt iterum, ac tertiò, appareat mihi, quando vis, & quomodo vis.* Poſthæc cæpit ieiunare, & ſiccas eſcas ſumere, vſque ad aliam paraſceuen. Et iterum Dominus *Gamaliel* eadem ſimilitudine, eodémque *ſchemate* apparuit illi, ſicuti in prima viſione, dicens: *Quare neglexiſti ire, & dicere S. Epiſcopo* Ioanni? Ille reſpondit: *Timui Domine, mox ire à prima viſione, & hæc renuntiare, ne viderer ſeductor eſſe.* Deprecatúſque eſt Gamalielem, vt ſi à Domino miſſus fuiſſet, denuò, ac tertiò appareret illi. Qui reſpondit: *Acquieſce, acquieſce mihi, & quoniam requiſiſti de reliquiis ſingulorum, quomodo, & vbi poſita ſunt, appone ſenſum, & vide diligenter, quæ oſtendentur tibi.* Et ſtatim attulit quatuor calathos, tres aureos, & vnum argenteum: tres eorum pleni erant roſis, duo albas roſas, tertius rubicundas habebat coloris ſanguinei: quartus verò calathus, qui erat argenteus, plenus erat croco benè olente, & poſuit eos ante illum. Et Presbyter dixit ei: *Qui ſunt iſti Domine?* Et reſpondit: *Lipſana noſtra ſunt. Qui rubeas habet roſas, ipſe eſt Dominus* Stephanus, *qui à dextris poſitus eſt ad Orientem, ab introitu monumenti: Secundus calathus, Dominus* Nicodemus *eſt, poſitus contra oſtium: Tertius verò calathus, ipſe eſt meus: Quartus verò calathus ille argenteus,* Abibus *filius eſt meus, qui immaculatus ex vtero matris ſuæ exceſſit è mundo: propterea in ſimilitudinem argenti mundiſſimi apparuit: nunquid non vides crocum, qui in ipſo eſt, ſuauiſſimi eſſe odoris? & ipſe coniunctus eſt meo calatho in excelſo loco vbi ambo poſiti ſumus, quaſi gemini.* Et cum hæc dixiſſet, denuo ex oculis LVCIANI euanuit. Qui cùm expergefactus fuiſſet, gratias egit Deo Omnipotenti, & conſuetis ieiuniis operam dedit, vſque ad tertiam reuelationem. In tertia igitur ſeptimana, eadem die, & hora venit ſupradictus Vir comminans, & fremebundus, & dixit Presbytero:

Gamaliel ad S. Virũ.

Quare vſque nunc diſſimulaſti, & noluiſti pergere, & dicere Epiſcopo Ioanni, *quæ tibi dicta ſunt, & oſtenſa? Quam excuſationem habebis apud Deum, aut quam veniam pro hoc contemptu ſperabis in die iudicij? Nunquid non vides quanta ſiccitas eſt, & tribulatio in toto mundo, & tu negligenter agis? Nunquid non conſideras, quia multi meliores te ſint per eremum Sancti Viri, quos prætereuntes, per te voluimus innoteſcere? Ideo namque te ex alia, in hac villa voluimus eſſe ſacerdotem, vt per te manifeſtaremur. Exurge igitur, & vade, & dic illi, vt aperiat nobis, & faciat locum orationi, vt interceſſione noſtra miſereatur Dominus populo ſuo.* Et cùm ad verba eius intremuiſſet LVCIANVS, dixit: *Non negligens fui, Domine mi, ſed præſtolabar tertium aduentum tuum. Nunc*

vero

Digitized by Google

Verò hinc crastina die pergam, omnia, quæ mandasti mihi, dicturus. Et cùm indignans aduersus Presbyterum staret, videbatur illi, quasi in altero mentis excessu, deuenisse Ierosolymas, & quasi in conspectu adstaret Episcopo Ioanni narrans ei omnem visionem. A quo videbatur audire: *Si hæc sic se habent, vt dicis, charissime, & Dominus tibi reuelauit hæc temporibus nostris, oportet me colligere de possessione illa bouem illum maximum aratorem, qui & carro, & aratro aptus est, & dimittere tibi possessionem cum omnibus cæteris.* Ad quem ait Sacerdos: *Vt quid mihi possessio, Domine mi, si non habeo bouem, per quem regatur, & aretur possessio?* Et dixit illi Episcopus: *Ita placuit, charissime, quoniam ciuitas nostra vehiculis ministratur, & vnum bouem illum maximum ad carrum minus habemus, quem tu diceris in possessione tua celare: oportet namque vt in ciuitate celeberrima sit magis, quàm in paruula possessione. Nunquid non tibi sufficiunt, duo residui boues minores ad excolendam terram vehiculo tuo?*

Cvm hæc in ecstasi, hoc est in excessu mentis audisset Lvcianvs, statim expergefactus benedixit Dominum, & perrexit ad ciuitatem ad *S. Ioannem* Episcopum; & cùm illi omnia quæ viderat renuntiasset, reticuit de visione bouis, expectans quid audiret ab eo. Benè S. Lvcianvs intellexerat, quia *B. Stephanus* ipse esset bos maximus, quia carri illi, de quibus dicebat, sanctæ essent Ecclesiæ, & Sion prima Ecclesia, ipsa esset carrus maior: & quia S. Episcopus habebat ab illo petere B. Stephani reliquias, ideo de visione bouis Episcopo dicere noluit. Cùmque hæc audiuisset *Ioannes* Episcopus, lachrymatus est præ gaudio, & dixit: *Benedictus Dominus Deus, Filius Dei viui. Si hæc, vt dicis, fili charissime, & audisti, & Deus tibi reuelauit, oportet me inde transferre* B. Stephanum *Primum Martyrem & Archidiaconum Christi, qui primus aduersus Iudæos Dominica bella bellauit, & Deum in sua maiestate, in terris positus, in cælo vidit stantem, & tanquam Angelus in concione hominum apparuit. Vade igitur fili, fode in aceruo, qui est in ipso agro, & si inueneris, nuntia mihi.* Cui Sacerdos: *Perambulaui agrum, & vidi aceruum minutorum lapidum in medio, vbi arbitratus sum eos esse*: Et dixit illi Episcopus: *Iam dixi tibi: Vade & fode, & si inueneris, sedens custodi locum, & manda mihi per Diaconum, & veniam ad locum.* Et ita illum dimisit.

Cvm verò S. Lvcianvs venit ad villam, misit præcones, vt omnes habitatores villæ diluculo consurgerent, & foderent in aceruo. Eadem verò nocte apparuit ipse *D. Gamaliel* cuidam Monacho nomine *Nygetio*, innocenti, & simplici Viro, eadem similitudine, qua Presbytero apparuit, & dixit ad eum: *Vade, dic* Lvciano *Presbytero*: Vanè laboras in aceruo illo, modo ibi non sumus; sed tunc ibi positi sumus, cùm lamentarentur secundum consuetudinem antiquorum: propter quod ibi aceruus in testimonium planctus, factus est. Sed quære Nos in alia parte, quæ est *Boran*, & loco, qui dicitur *Syra*, lingua *Dabatalia*, quod interpretatur in Græco Ἀνδρῶν ἀγαθῶν, quod nos possumus dicere: *Virorum fortium.* Diluculo verò consurgens ad hymnos, inuenit monachum prædicantem omnibus fratribus. Hymnis deinde dictis, cœpit Sacerdos dicere: *Eamus ad aceruum illum, & fodiamus in illo.* Tum quidam dixerunt illi: *Audi primùm quid dicat monachus* Nygetius. Et aduocato monacho *Nygetio*, exquisiuit ab eo, quid esset, quod vidisset. Ille autem vniuersa signa, quæ S. viderat Presbyter *D. Gamalielis*, dixit illi, & quemadmodum vidisset contra Austrum agrum situm, & monumentum in eo, quasi neglectum, & ruinosum, ibi vidisse tres lectos aureos stratos, & vnum ex eis altiorem cæteris, in quo erant duo iacentes, vnus senex, & vnus iuuenis, & in aliis duobus lectis erant singuli. Et respondit, qui erat in excelsiori lecto, & dixit mihi: Vade, dic Presbytero Lvciano: Quoniam Nos Domini loci fuimus: Si vis magnum, & iustum inuenire, ipse ab Orientali plaga positus est.

Gamaliel apparet Nygetio.

Digitized by Google

Quæ S. Vir audiens à monacho, glorificauit Deum, quoniam inuentus eſt alius teſtis in reuelatione. Poſtea omnes euntes ad aceruum, & fodientes, nihil inuenerunt; & conuerſi ad monumentum illud, vbi monacho ipſa nocte apparuerat, fodientes inuenerunt tres thecas, ſecundum quod apparuerat S. Presbytero in typo calathorum. Inuenerũt igitur altiſſimis literis ſcriptum lapidem obrutum, habentem CELIEL, quod interpretatur SERVVS DEI; & APAAN, DARDAN, quod interpretatur NICODEMVS, & GAMALIEL, hoc interpretatus eſt Papa Ioannes, ſicut auditum eſt ab ipſo Sancto Epiſcopo. Cui ſtatim renuntiauit LVCIANVS, cum eſſet in *Lidda*, quæ eſt *Dioſpolis* Synodum agens. Qui S. Epiſcopus aſſumpſit ſecum duos alios Epiſcopos, Eleutherium de Sebaſte, & Euthonium de Iericò, & venerunt ad locum. Qui cùm aperuiſſent *D. Stephani* thecam, ſtatim terræmotus factus eſt, & tanta ſuauitas, & fragrantia odoris inde egreſſa eſt, quantam nullus hominum ſe meminit vel audiſſe, vel ſenſiſſe: ita vt putarent omnes ſe in amænitate paradiſi eſſe poſitos. Multitudo autem populi aderat ibi; inter quos erant plurimi infirmi variis languoribus. Et ipſa hora, mox de odore ſuauitatis eius ſeptuaginta tres animæ curatæ ſunt: ab aliis fugati dæmones; aliorum fluxus compreſſus eſt ſanguinis; alij ſtrumis, & furunculis liberati; alij à ſtringio ſanati; alij à tertianis, & quartanis; alios febris reliquit, alios morbus regius; alij à cephalea curati, & hemicrania; nonnulli à viſcerum occulto dolore liberati; & multas alias curationes ſenſerunt homines, quas enumerare longum eſt. Et exoſculantes ſanctas reliquias iterum clauſerunt. Et tunc cum pſalmis, & hymnis portauerunt reliquias B. Stephani in S. E. Syon, vbi & Archidiaconus fuerat ordinatus, derelinquentes S. LVCIANO de membris eius aliquot articulos, immò maximas reliquias, terram cum puluere, vbi omnis caro eius conſumpta eſt; cætera adſportauerunt. Tranſlatæ ſunt autem reliquiæ ipſius Martyris VIII. Kalend. Ianuarij, & tunc in tempore iugis, & infinita ſiccitas erat; Sed eadem hora pluuia magna deſcendit, & abundanter inebriata eſt terra; & homines glorificabant ibi Dominum propter S. eius *Stephanum*, & propter cœleſtem eius theſaurum miſericordiæ, & pietatis, quem periclitanti ſeculo aperire dignatus eſt Ieſus-Chriſtus Dominus Noſter, qui cum Patre, & Spiritu Sancto viuit, & regnat in ſecula ſeculorum, Amen.

Inueniuntur lipſana.

S. Stephani pignora Ieroſolymam transferuntur.

ERAT tunc Ieroſolymis alius etiam Hiſpanus Presbyter Braccarenſis *Auitus* nomine, S. LVCIANO literis, ſanctitate, & amicitia coniunctiſſimus, cuius precibus Libellum Græco idiomate de huiuſmodi *Inuentionis* euentu paruulum conſcripſit, qui vt ad omnes Eccleſiæ Epiſcopos mitteretur, ab ipſo *Auito* eſt Latinitate donatus. At quia Hiſpania (de cuius origine erant Presbyter qui ſacra pignora inuenit, & qui ſcripturam, ecphraſim Inuentionis continentem, Latinam fecerat) prima Orbis Occidentalis, vt par erat Prouincia tantis ditaretur theſauris, protinus vterque Presbyter curat, vt aliquot lipſana Protomartyris in Hiſpaniam dirigerentur. Annuit Deus Sanctorum Sacerdotum deſideriis; & quatenus *Paulus Oroſius* Presbyter Hiſpanus in Hiſpanias pergere inuentus eſt, illi, vt Epiſcopo *Balconio* Braccarenſi aliquas portaret exuuias, cum epiſtola, detulêre. Perrexerat igitur in Africam *Oroſius*, vt à S. Auguſtino de aliquot dubiis in cauſa fidei, edoceretur. Quorum ad aliqua reſpondens, de aliis ad D. Ieronymum Ieroſolymis remiſit conſulendum: quo tempore iſta Inuentio peracta eſt. Ergo *Oroſius* Sacra pignora, & epiſtolam accipiens in *Hiſpaniam* deuenit, & omnia *Balconio* Epiſcopo commendata tradidit. Demum LVCIANVS virtutibus clarus ad æternæ vitæ præmium per longæuæ ætatis properauit ærumnas XXV. Maij, Anno Domini CCCC. LIX. Ad cuius tumulum *Aulus Halus* Poëta Burdegalenſis, & Ciuis Toletanus hocce

Auitus Braccarenſis Libellum ſcripſit.

Paulus Oroſius primus Reliquias S. Protomartyris in Hiſpanias defert.

Moritur.

curauit

curauit inſcribere decaſtichon : Sed Arti incultæ parcito.

Presbyter hoc ſacra conſiſtunt ſub marmore cauo
Pignora, parce precor, En LVCIANE *tua.*
Batica quæque tuos iamiam formauerat artus,
Perdidit in breui oſcula ſancta tua.
Fratréque compulſus Solymorum *tendis ad vrbem,*
Viſites vt docto Cardinis heroidi.
Hic ſacra diuinitus propalas Martyris oſſa
Primi Leuitæ, qui cito ſigna facit.
En moreris tandem; ſpiritus tranſcendit Olympum:
At caro ſancta iacet, hac LVCIANE *pyra.*

Relationem *Inuentionis S. Stephani*, ex quatuor *MMSS. Codicibus Vaticanis* colle git Eminentiſſ. Cardinalis Cæſar Baronius,& in ſuis *Annalibus Eccleſiaſticis inſeruit tom.5. Anno 415. n.4.* ideo non indigemus probatione. Quatenus ad Epitaphium AVLI HALI, ſic inueni in meo *MS. Codice*. Cuius auctoritate firmatur ſententia M. Max. *in Chron. Ann. 459. vbi* Roder. Car. *lit S. fol. 167.* & in *Antiquit. Hiſpal. lib. 3. c. 34. fol. 138.* Toto (vt aiunt) cœlo aberrauit Biuar. *in Not. ad Max. Ann. 460. n. 3. fol. 183.* contendens Noſtrum LVCIANVM nequaquam fuiſſe, cui reuelata S. Stephani pignora fuere. Quod vt probet, futilibus vtitur coniecturis. Sed non viſo *Auli Hali* Epigrammate, quid mirum, ſi doctiſſimus Vir à vero deuiaret. *Error Biuarij.*

BÆTE Ciuitas antiqua in *Hiſpania Vlterioris Batica*, quam nunc VTRERA dicimus. Hactenus à Noſtris Scriptoribus cognita. Illius antiquitatem recenti, & candido calamo ſuus ſcripſit Ciuis *Rodericus Caro*, in peculiari libello ad Ducem de Alcala *de antiquitatibus Vtriculanis*, & in *Chorograph. Hiſpalenſ. d. lib. 3. c. 33.* & ſequent. Vbi ex Strabone *lib. 3. Geograph.* ex verſione *Heresbechij* probat exiſtentiam nominis huius vrbis, ſic : *Poſt has* Hiſpalis *claret, ipſa quoque Romanorum Colonia, ac nunc quidem emporium ibi durat, honore autem, & recenti militum Cæſaru eò miſſorum habitatione,* BÆTIS *præcellit, quamuis non ſplendidè condita.* Quod BÆTE, aut BÆTIS ſit VTRICVLA, hodie VTRERA, videndi Flau. Dext. *in Chron. Ann. 180. & 308. &* S. M. Max. *in Chron. Ann. 454.* *Topographia.*

S. GENNADIVS Epiſcopus, & Confeſſor.] Ex ordine *Benedictino* alumnus dignoſcitur, vt eius indicant Acta, & in *Martyrologiis Monaſticis* ex hoc eius recenſetur memoria. Ita VVion h. d. *In Hiſpania* S. GENNADII *Aſtrogenſis Epiſcopi, & Confeſſoris.* Hugo Menardus eadem verba retulit, licèt in nomine Sedis correctiùs *Aſtorgenſis Epiſcopus* legatur. De eo ſcripsêre ex antiquis Iulian. Noſt. *Aduerſ. 509. fol. 119.* Ambroſ. Moral. *Hiſt. Hiſpan. lib. 15. c. 45.* Marieta *de SS. Hiſpan. lib. 5. c. 80.* P.F. Anton. de Yepes *in Chron. Bened. tom. 4. cent. 4. Anno Dom. 898.* D. Prudent. Sandoual *in fundat. S. Petri Montium fol. 25.* M. Ægid. Gonzalez Dauila *in Theatr. Aſturicenſ. lib. 2. c. 1.* D. Andreas de Torres *in Vit. S. Gennad.* D. Petr. de Aingo Ezpeleta *in Antiquitatib. Eccleſ. Aſturicenſ. fol. 40.* Eius Acta quæ Hiſpano ſermone circunferuntur licèt diminuta, Latina, & ampliora dabimus. *Martyrologia.* *Scriptores.* D.

ACTA S. GENNADII EPISCOPI Aſturicenſis, & Confeſſoris; ex antiquis monumentis, & teſtamento.

GENNADIVS *ex vrbe* Braccara *originem traxit*, Gallæciæ *tunc* Metropoli, *qui vt Deo ardentiùs deſeruiret, adhuc iuuenis, relictis parentibus, patria, & opibus, ad cœnobium Benedictinorum, quod* Argei *vocabulo noſcebatur, perrexit, vbi ſub Sanctiſſimo* Arandiſelo *Monaſterij* *Origo.*

Digitized by Google

Abbate, monaſticam, immò angelicam vitam peregit. Ibidem perfectionis gradus accumulans, talia detexit virtutum ſpecimina, vt iamiam breuia illius cœnobij clauſtra, tot B. Monachi facinora non caperent. Ex quo vt ad duriora ſanctitudinis conſcenderet acumina, acceptâ ab Arandiſelo *Abbate benedictione, & aſſũptis aliquot perfectiſſimæ vitæ ſociis, ad* Vergedenſis *montis cacumina perrexit vltroneus. Ibidem antiquum Monaſteriũ* S. Petro *dicatum, & primò à* S. Fructuoſo *conſtructum, pòſt à B. Valerio readificatum, inuenit, quod quia vetuſtate collapſum, penè erat deditum obliuioni, ex eo quod vepribus, denſiſſimiſque ſyluarum arboribus, præ annorum intercapedine, & adumbratum & opertum erat, auxiliante Domino reſtaurauit, ædificia inſtruxit, vineas, & pomaria plantauit, hortos, & omnia quæ ad vſum illius pertinebant, impoſuit. Quo in incæptis perſiſtens, ſe velut in ſpecum cum ſociis retruſit, vbi diù noctúque orationibus, & vigiliis intentus, fonte lacrymarum ora ſuffuſus, pietati Omnipotentis Dei ſe ipſum commendabat, vt ipſe in quo ſperabat, intentionem, & opus ſuum, in finem vſque feliciter dirigeret.*

Monachatus.

Monaſteriũ Vergedenſe, reſtaurauit.

Euoluto autem tempore, cùm iam diſpenſatio diuina per eum plures lucrandos decerneret, è viuis ſublato Ranulpho *Epiſcopo* Aſturicenſi, *quem præcipuum agnouit* S. Gennadius *in vita monaſtica præceptorem, ad* Aſturicenſis *Eccleſiæ Sedem obediente humilitate conſcendit. Ad cuius faſtigium cùm reluctante animo deueniſſet, omnem illius ſolicitudinem, omnémque induſtriam, exolutis Pontificalis oneris officiis, erga prædictam eremum exercens, Eccleſiam* S. Petri, *quam antea reſtauranerat, miris ædificiis ampliauit, & vt potuit reduxit in melius. S. Viri, Monachorúmque ibidem deliteſcentium, virtutes, per totius illius regionis circulos conſtans fama detexit, qua allecti plurimi ex diuerſis partibus ad ſanctum confluebant cœnobium, qui poſſeſſiones agrorum ſuorum vendentes, pretia ante pedes eius, ſecundum modum primitiuæ Eccleſiæ, abſque colluſione ferebant, vt omnibus, prout cuique opus eſſet, æquâ diſpenſatione tribueret. Alij autem de facultatibus ſuis eundem locum ditare certabant, vt de redditibus rerum ſuarum, per futura tempora, ſerui Dei inibi habitantes, neceſſaria perciperent. Quibus ſuffragiis ſic locum illum tanta celebritate Dominus exaltauit, vt breui, multi, pompâ ſeculari abdicatâ, ad Deũ conuerſi, cucullum nimiâ exultatione perciperent. Hoc in cauſa fuit, vt ad noua extruenda Oratoria animum eleuaret Antiſtes; ideóque in ipſis montibus Aulam* S. Andreæ *dicatam extruxit, aliúdque Monaſterium* S. Iacobo, *aliud* S. Thomæ *Apoſtolis condidit, quibus monachi diſtributi inter ſilentij quietem ad contemplationis ſummum apicem pertingebant. Omnia hæc itidem ad Regis* Ordonij, *&* Reginæ Geloiræ *coniugum*, Gallæciæ *tunc regnantium perueniunt auditum, qui in ſuorum veniam peccatorum, & pro animarum ſuarum ſalute, totos* Vergedenſis *tractus terminos, Monaſterio* S. Petri Montium, *&* B. Gennadio *priuilegiũ liberalibus obtulêre. Qui in tantam Principum venerationem deuenit, vt ab* Alphonſo *cognomento* Magno *proprij teſtamenti executor electus fuerit. Cuius Regis* Alphonſi *corpus in ſuam* Aſturicenſis *Sedis Eccleſiam decenti, & regali ſarcophago tumulauit.*

Epiſcopus Aſturicenſis creatur.

Alia Cœnobia erigit.

Executor Teſtamentarius ab Alphonſo eligitur Rege Magno.

Postmodvm *cùm* S. Gennadio *nunquam arriſerint aulicæ vitæ ſtrepitus; & Epiſcopalis infula, etiam Angelicis humeris ponderoſa, quotidie illius vires deprimeret, & qua pluma contemplationis eius ſpiritum ſubleuabat, Præſulatus onus pro communibus inueſtigandis negotiis ad infima demergebat, decreuit tantum honoris penſum deponere, & ad ſilentij penetralia confugere, vbi inter illius ſilices, pellem, quam curiale creauerat contubernium, veterem denudaret. Sic dimiſſo Epiſcopatu, Monachus Monachorum numerum adimpleuit, & ad* S. Iacobi Penalbenſe *cœnobium diuertens, plenus dierum, & virtutum, gratia miraculorum inſignis ad Dominum migrauit* VIII. Kalend. Iunij, *Anno Domini* DCCCC.XVII. *Eius ſacrum Corpus in Eccleſia ipſius* Penalbenſis *Monaſterij tumulatum, diu miraculis ſuperuenientibus quieuit, donec eius Caput in* Aſturicenſem *Eccleſiam, cui poſtmodùm*

Epiſcopatũ dimiſit.

Obiit.

paruêre

Digitized by Google

paruêre omnia illa cœnobia, deficientibus Monachis, delatum eſt. Itidem alia pars Corporis ad Luarenſe Valliſoletanum *Conuentum Monialium* S. Dominici *tradu&ta eſt.*

Iſta de S. GENNADIO inter hiſtoriæ *Hiſpanicæ* aceruos ſeligere potui, quia nullus eius Acta niſi tumultuariè congeſſit. Ad huius probationem ecphraſis, ipſius ſanctiſſimi Epiſcopi *Teſtamentum* ſufficiet, quod quia rarò Latinum inuenitur, hic ſubiicere decreuimus.

TESTAMENTVM S. GENNADII Epiſcopi Aſturicenſis.

Teſtamentũ S. Gennadij.

SANCTISSIMIS glorioſiſſimis Dominis triumphatoribus, poſt Deum mihi fortiſſimis Patronis, cœlorum Clauiculario, in arce Apoſtolatus conſtituto, electiſſimo Petro, æquali vocatione Andreæ almifico, inter Iberiæ terminos IACOBO clariſſimo, atque hero Thomæ, aſſeclis Chriſti, & eius Martyribus, à conſtitutione mundi Deo notis Apoſtolis. Cliens ſeruus veſter GENNADIVS, pauper meritis, abundans ſceleribus, indignus Epiſcopus, certiſſimè credo, firmiſſimè teneo, & indubitanter ſcio, quòd Vos, ô piiſſimi, & ſtrenui Patroni, ad vnam Domini vocantis vocem, ſtatim omnia quæ mundi ſunt, mundo reliquiſtis, indefeſsè adhærentes veſtigiis Saluatoris, vt neque puncto quidem ſeceſſeritis ab illo, etiam neque ad funus patris * ſeptima diuinæ ſapientiæ haurientes, prædicatores egregij effecti vniuerſum mundum lumine veritatis illuſtraſtis: quod ore docuiſtis, opere compleuiſtis, & per effuſionem ſacratiſſimi cruoris roboraſtis. Quid igitur ego miſerrimus agam? quòd immeritus in hac vocatione adſcitus, neque opere, neque prædicatione ſum idoneus? Illam comminantis Prophetæ, immò Domini vocem expaueſco dicentis: *Quare tu enarras iuſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum? Tu vero odiſti diſciplinam.* Nam Vas electionis, Præceptor gentium mirificus, qui ſupra cœlorum viſibilia raptus ſidera, verbo Domini paſtus, ac refertus, metuens noſtri detrimentum, de ſe ipſo dicebat: *Ne fortè aliis prædicans ipſe reprobus efficiar*: Conſcientiæ meæ teſtimonio perterritus, & piaculorũ pondere grauatus, patrocinium veſtrum exopto; humillimus, vmbraculum culminis veſtri expecto, obnoxius, defendi, ac tueri interuentu veſtro deprecor, fide intrepidus, nihil hæſitans, nihil dubitans, vt quidquid petieritis à Patre cœleſti, fiet vobis; & ideo dùm Paſtor paſtorum apparuerit, dum in gloria maieſtatis aduenerit, dum in conſpectu eius ignis præceſſerit, dum in throno claritatis, ſimul & formidinis, ad iudicium ſederit, & Vos, & omnes Sancti cum eo ſeſſuri ſupra thronos iudicantes, quæſo, vt ad Optimum Regem pro me interpelletis, vt ſuperemineat miſericordia iudicio, & transferar à ſiniſtrorum, & hædorum gregibus, ſimque dexter agnus beatitudinis vellere indutus; & qui ſeſſioni non mereor cathedram, adſtare conſpectibus Diuinitatis, abſque pauore, meritis veſtris valeam.

* *Optima.*

Pſalm.

CVMQVE adhuc ſub Patre Apoſtolo, & Abbate meo Arandiſelo in Ageo monaſterio degerem, vitam Eremitarum delectatus, cum duodenis Fratribus, & benedictione ſupradicti, ſcilicet ad S. Petrum, ad ſanctam eremum perrexi, qui locus poſitus à B. Fructuoſo, & inſtitutus; poſt quem S. Valerius eum obtinuit. Quantæ autem viæ ſanctitatis fuerint, & quanta virtutum gratia, & miraculorum emolumenta enituerint, hiſtoriæ & Vitæ eorum ſcriptæ declarant. Nam ſuprafatum loculum in vetuſtatem reductum, penè obliuioni deditum, vepribus ſeu denſiſſimis ſyluis opertum, & magnis arboribus ex immenſitate annorum adumbratum, auxiliante Domino, cum fratribus reſtaraui; ædificia extruxi, vineas, & pomaria plantaui, terras de ſqualido eieci,

hortos,& omnia quæ ad vſum monaſterij pertinẽt,impoſui.Sed æmulus virtutum, vitam noſtram inuidens, quaſi pro ædificatione multorum mentes multorum excitans ad Pontificatum Aſtoricæ, ad ſuburbia adtractus ſum:in qua multis annis inuolens,& magis in Principum perdurans,quàm ſpontanea mente,ſed neque plenè corporis præſentia ibidem commoraui; omnem ſolicitudinem, omnémque induſtriam erga ſupradictam eremum exercens,Eccleſiam S. Petri,quam dudum reſtaurauerам,miris ædificaminibus reuoluens ampliaui,&in melius,vt potui,erexi.Deinde autem in montibus illis Aulam nomine S.Andreæ conſtruxi; aliudque Monaſterium ad ordinem monaſticum, inter vallum diſtendens, in memoriam S. IACOBI, iterum conſtruxi, quod vocatur Pennalba; inter vtrumque verò locum, eſt qui dicitur ad ſilentium, in honorem S.Thomæ quartum Oratorium fabricaui, & in vnoquoque Eccleſiam. Donaria, munuſcula, vel libros vnicuique nunc offero ſegregatim, & in nunc habeant per hoc teſtamentum diſponere opto, & Præſulum, ſeu Principum præceptione adfirmare decerno, atque ſeculis infinitis diu valitura perſiſtere, & permanere iubeo.

Hactenus Teſtamentum S. GENNADII; nam quæ ſequuntur, diſtributio librorum, & aliorum munerum facta vnicuique Cœnobio, poſt quæ ſubintrant anathema, & maledictiones aduerſus quoſlibet illius teſtamenti ordinem infringentes. Ipſius data eſt ſub Era DCCCC. LIII. & Anno Domini DCCCC. XV.

Origo probatur. CIRCA originem S. GENNADII, omnes antiqui Scriptores contendunt illam traxiſſe ex ipſiuſmet *Aſturica* confinibus, ita vt ex ipſo *Vergedenſi* territorio, hodie VIERZO, fuiſſe oriundum. Aliqui recentiores illum *Gallæcum* credunt. Quæ ſententia magis veritati adhæret, quia ſi fuit *Braccarenſis*, vt infra probabimus, & tunc *Braccaræ Gallæciæ* caput erat, non errant qui eum *Gallæcum* conſtituunt. Quod fuerit *Braccarenſis*,audiendûs eſt Iulian.Noſt. *Aduerſ.* 509 *fol.* 119. *Error in Codice Iuliani.* ſic de eo loquens: S. GENNADIVS *Luſitanus Braccarenſis, Monaſterij Agen prope Braccaram.* Et licèt hæc periodus claudicet, & in ea in verbo AGEN error contractus ſit, nam loco AGEN, reponendum ſit AGEI, vt Cœnobij ſitus, in quo primò cucullum induit S. Noſter,agnoſcatur, in cuius chorographia tantùm cruciatur *Morales*; attamen, quoad noſtram probationem, intentum habemus, ex eo quod GENNADIVM Luſitanum Braccarenſem nominat. Nec dictio *Luſitanum* importat, vt excludat illum fuiſſe *Gallæcum*? Nam cùm *Iulianus* ſcriberet poſtquam Alphonſus VI. *Braccaram*, & alias vrbes dotis nomine conceſſiſſet *Comiti Henrrico*, titulo *Comitis Luſitaniæ*, non inſpectauit rigorem *Geographicum*, ſed communi vſus eſt locutione.

Vox Luſitanus *quomodo accipienda.*

Quis Ranulphus? DIXIMVS *Ranulfum* Aſturicenſem Epiſcopum fuiſſe S. Viri primum in vita monaſtica Magiſtrum, non quia ſub illius diſciplina militauerit, ſed quia ab eo regulam Monaſticam accepit, vt indicant verba *Priuilegij Regis Ordonij II.* quod refert Sandoual. in *Monaſt. S. Petri Montium*, §. 7. *fol.* 21. vbi hæc leguntur: *Vnde pro huiuſmodi timoris Domini largitate, ac pro veſtræ venerationis honore, iuxta decreta Catholica, & Apoſtolica diſciplinæ, & iuxta ſacrorum Canonum inſtitutionem, adhibito bona deliberationis tractatu, cum cunctis in Chriſto pro ſancto ordine inſtituimus decretum, qualiter locum ipſum venerabilem* (de Monaſterio agit S. Petri conſtructo iuxta riuulum quod dicitur *Oza*, ſub monte *Aquiliano*, ſubtus Caſtello antiquiſſimo *Ruſiano*, in Confinio *Vergedenſi*) *Eccleſiæ veſtræ, quamuis Domino dudum ſanctificatum per manus* B. Fructuoſi, *edificatum primò confeßione Manachorum, poſtea verò multis temporibus manebat deſertum; modò tamen noſtris iußionibus eundem locum, Nos* RANVLFVS *Epiſcopus Aſtoricenſis Sedis ordinauimus pro conſecrationis officio Abbatem nomine* GENNADIVM, dedimúſque ei regulam obſeruationis ſanctæ vitæ,cunctáque illi monaſtica inſtrumenta præcepimus. *Ego Ordonius Rex, & Gyloira Regina offerimus*, &c.

Reſtauratio Cœnobij S. Petri. QVATENVS ad reſtaurationem Monaſterij *S. Petri Montium in Vergitano* tractu primùm à *S. Fructuoſo* conſtructum, pòſtà *S. Valerio* politum, de quo inſcriptio

inſcriptio, quam dedimus *die XXV. Februarij*, ſatis liquet ex teſtamento S. GENNADII, & Priuilegio Regis *Ordonij II.* cuius verba numero præcedenti recenſuimus.

DIEM, Menſem, & Annum obitus, poſt Noſtros Scriptores, & Tabulas Eccleſiæ Aſturicenſis circa diem, comprobamus ex Iuliano Noſtro *Aduerſ.* 504. *fol.* 119. vbi omnia breuiter complectitur: *Celebris eſt memoria* S. GENNADII *Epiſcopi Aſturicenſis, ſub Mauris, die XXV. Maij, Anno DCCCC. XVII.* *Dies & Annus obitus.*

In antiquo *MS. Aſturicenſi Breuiario* adeſt feſtum S. GENNADII, hoc die breuibus Lectionibus, & hoc hymno ad Veſperas, & Matutin. *Hymnus in eius feſtiuitate.*

ATtendas ergo munera
Ad Noſtra Chriſtus properè,
Quæ canticis comperſonat
Aſturicana *Eccleſia.*
Noſtrum canamus Præſulem
GENNADIVM, *qui ex montibus*
Ruffianis, *compellitur*
Hunc baculum percipere.
Vitam relinquens tacitam,
Protractus eſt ad aulicam,
In qua nec vltra potuit
Conſiſtere multoties.
Sic infulam dimittere
Conſtituit, ſitum amas
Antiqui Cœnobij,
Inquirit vbi lauream.

ORATIO ISTA:

DEus, qui præſentem diem honorabilem nobis in B. GENNADII *Confeſſoris tui, atque Pontificis ſolemnitate feciſti: da Eccleſiæ tuæ dignè de tanto* Patrono *gaudere, vt apud miſericordiam tuam exemplis eius, & meritis adiuuemur. Per Dom. N.*

QVOD fuiſſet S. GENNADIVS executor Teſtamentarius Regis ADEFONSI cognomento MAGNI, ciúſque Conſiliarius, probant *Yepes, Sandouallius, M. Ægidius Gonzalez, Torres, & Ezpeleta* in locis ſupra relatis. Quique referunt ipſum Catholicum Regem tumulaſſe in ſarcophago alabaſtrino in Eccleſia Cathedrali Aſturicenſi. Quod & fatetur D. Maur. Caſtell. *Hiſtor. Compoſtellan. lib. 4. c. 22. & ſeqq.* Sampyrus Epiſcopus Aſtorgenſis in *Chron. Æra 918. in fin. fol. 62.* dicens: *Zamoram veniens, morbo proprio deceſſit, &* Aſtoricæ *ſimul cum vxore ſua* D. Xemena *ſepultus eſt.* Eadem refert D. Rodericus Archiep. Toletan. in Hiſtor. Hiſpan. lib. c. Et conſtat ex antiquo marmoreo cenotaphio, vbi hæc leguntur: *Alfonſi Magni Regis an executor Teſtamentarius.*

SEPVLCHRVM REGIS D. ALFONSI
FERNANDI II. OBIIT ANNO
DNI. DCCC. LXXXII.

Sed vt notauit D. Maurus *d. lib. 4. c. 24.* ineſt mendum in Epitaphij huiuſmodi ſtructura, ex quo agnouit illud recentiori calculo innouatum.

HIC etiam ſciendum eſt, quod Adefonſus Rex tradidit B. GENNADIO Quingentos aurei nummos, Aulæ *B. Iacobi* Apoſtoli deferendos, ſed interueniente *Garſiæ* Regis obſtaculo, illos non potuit deferre in Baſilicam Apoſtolicam, donec illo è viuis ſublato *D. Ordonius* ſucceſſor in Regno, ad cuius manus peruenerat pecunia, loco illius, obtulit S. Apoſtolo villam dictam *Corneliana*, vt patet ex Priuilegio ipſius Ordonij Regis, cuius ſeriem refert D. Maur. *d. lib. 4. c. 24.* vbi totam priuilegij contexturam refert. *Cui reliquit Quingentos aureos pro reparatione Baſilicæ S. Iacobi.*

SEPTIMO KAL. IVNII.

DIES XXVI.

A. ZAMORÆ *in Hiſpania Citeriori* INVENTIO *ſacrorum pignorum* B. ILDEPHONSI, *Archiepiſcopi Toletani, quæ à tempore horribilis Hiſpaniæ excidij in Eccleſia S. Petri ipſius vrbis deliteſcentia, Anno M. CC. LX. inuenta ſunt. Poſtmodùm Anno M. CCCC. XCVI. eodem non ſine magno miraculorum numero tranſlata, adhuc honorificentiſſimo ſarcophago adſeruantur, & coluntur.*

NOTÆ.

A. *Scriptores.* INVENTIO ſacrorum pignorum S. ILDEPHONSI.] Huius feſtiuitatis memoriam hoc die recolunt P. F. Ioann. Mariet. *Hiſtor. SS. Hiſpan. lib. 5. c. 54.* vbi hæc verba Latinitate donata: *In excidio Hiſpaniæ, pietatis zelo compulſi Chriſtiani* Corpus B. ILDEPHONSI *perduxere* Zamoram, *vt illud in tutiorem reconderent locum. Illic per multos annos delituit, donec Anno Domini* M. CCCC. XCVI. *repertum eſt, multis præcedentibus miraculis.* Agitur Officium de hac *Tranſlatione* in Eccleſia *Zamorenſi*, & in aliis Hiſpaniæ die XXVI. Maij. Hac eadem die Philipp. Ferrar. *in Catal. General. SS. fol. 218.* Ægidius de Zamora, Minorita, cuius opuſculum de hac *Tranſlatione* aſſequi non valui. P. Ioann. Marian. *Hiſtor. Hiſpan. lib. 10. c. 12.* P. Yepes *in Chron. Benedict. tom. 2. Ann. 657. c. 2.* Vazquez *in Vindicijs S. Ildephonſ. lib. 2. à c. 2. & ſeqq.* Garibay. *Compend. Hiſtor. lib. 12. c. 1.* Salazar de Mendoza *Hiſtor. S. Ildephonſ. c. 3.* Breuiar. Zamorenſ. Antiquum *fol. 329.* vbi ex Officio *Chriſtophori Paradinenſi* ACTA omnia INVENTIONIS recenſet, vt ſequitur.

ACTA INVENTIONIS SACRORVM pignorum S. ILDEPHONSI *Epiſcopi Toletani; ex Breuiario Antiquo Zamorenſi, & alijs.*

Hiſpani in excidio corpora Sanctorum occludebant.

CVM *exigentibus hominum peccatis*, Hiſpania *fermè vniuerſa ab Arabibus ſubacta eſſet, & magna pars ferro, atque igne populata,* Aſtures *dumtaxat Pyrenæi montis inacceſsibilia quædam loca incolentes, Chriſti nomen, atque religionem ſeruauerunt. Ad hos ergo victi (quibus mens læua non fuit) de ſingulis partibus confluxêre. Quorum plerique* Reliquias, *& ſacratiſſima quæque* Corpora Sanctorum *ex ſubactis Eccleſijs in ea loca deportarunt. Inter quæ Chriſtiani cum multis* Reliquiis, *quibus* Toletana *ciuitas locupletiſſima erat, veſtem illam ſacratiſſimam, quâ Dei Mater* B. ILDEPHONSVM *decorauerat, in vrbem* Ouetum *Aſturiarum caput, detulerunt. Ferebatur & illuc* Corpus *Beatiſſimi* ILDEPHONSI, *ſed fortè apud* ZAMORAM *delatores prædicti in Eccleſia* S. Petri, *in loco abditiſſimo illud repoſuerunt.*

Creſcente

Digitized by Google

Crescente ver in dies clade, etiam Zamora *Barbaris cessit; Quocirca sublata est hominibus illis rursum resumendi copia sequestratum pignus. Transierunt autem post hæc tempora multa, & quoniam frequentari deinceps à fidelibus non potuit, res excidit memoriâ.*

POSTQVAM, *Deo miserante, operâ piorum Regum* Castellæ, *Christo Regnum paulatim restitui cœpit*, Zamora *quoque in Christianorum deditionem redyit. Pastor ex* Toletanis *oris in eam vrbem pauper habitu, sed diues sanctitate, ingressus* Templum B. Petri, *oratione factâ, cœpit singula circumlustrare, & curiosiùs inspicere. Quem furtum aditui moliri arbitrantes, ab Ecclesia eiecêre. At ille Pastor dixit:* Se non esse furem, nec aliquid mali facturum venisse, sed velle habere copiam alicuius Sacerdotis, atque Deum timentis, cui grande secretum manifestaturus erat. *His auditis, ductus est ad quendam* Didacum *Sacerdotem grauissimum, coram quo genibus prouolutis, cœpit (quasi peccata sua confiteretur) huiusce modi visionem enarrare.* Pater mi vidi (*inquam*) raptus in spiritu in patria mea, Pontificem quendam, vultu decorum, incessu grauem, & omni corporis ornatu glorioſum, qui suâ admodum mellifluâ voce me sic allocutus est: *Ego sum* ILDEPHONSVS *quondam* Toletanæ *vrbis Antistes, veni, sequere me.* Quem secutus, visus sum in hanc vrbem peruenisse, & in hanc Ecclesiam intrare. Vbi cùm essemus: *Hîc* (inquit) & designauit digito locum, CORPVS *meum absque honore iacet. Animaduerte fili, ne in manifestanda virtute Dei vlla te ignauia teneat. Dei enim verbum est, quod non tam ex me, quàm ipso iubente, impero.* Quibus dictis, euanuit. Ipse ad me reuersus, domo, & familiâ relictis, in hanc vrbem, & Ecclesiam venio; quibus omnia signa, quæ in spiritu cognoui, video. Habes iam Pater optime causam mei aduentus. *Didacus autem ille, vt erat grauis, & timoratus Vir, Ecclesiæ Capitulum cum nonnullis Laicis prudentibus congregauit. Re itaque ibidem agitata, omnium sententia fuit; ad vnius peregrini, atque hominis ignoti dictum, nihil esse tentandum. Exijt nihilominus sermo in aures hominum, & si creditus à multis fuit, nullum tamen periculum factum est, & ideò aliquantulum subsilentio iacuit.*

Pastor Toletanus aperit, quo in loco Corpus S. Ildefonsi absconditur.

Non creditur ei.

REGNANTE *autem patre* Ildefonso *huius nominis* VIII. *Rege* Hispaniæ, *cùm* Assuerus *Ecclesiæ* Zamoranæ *Præsul illam* B. Petri *ædem ampliare vellet, & pro iaciendis columnarum fundamentis terra altius foderetur, fortè in loco, quem Pastor designauerat, sarcophagum ostenditur, marmore opertum, quod incautis illibus fossores confregerunt. Erant in illo* Reliquiæ *humani corporis, suauissimum quendam spirantes odorem, quo tota terra adiacens videbatur perfusa. Tum verò quæ à Pastore relata fuerant, in memoriam venerunt. Erat etiam super marmore epitaphium sculptum, sed quia fossorum inaduertentiâ comminutum est, coadunatis quidem partibus, quantum humano ingenio, atque labore fieri potuit, hoc tantùm lectum est.*

Quo pacto inuentum.

PATRIS ILDEPHONSI ARCHIPRÆSVLIS TOLETANI.

Roborata est denique fides, maxime ex miraculis, quæ sancto Confessore inuocato, facta sunt. Episcopus cum Clero, atque vniuersa ciuitas gaudentes, & exultantes, Zamora *tanto munere ditata iuxta Altare* B. Petri, *in eadem Ecclesia condiderunt; vbi innumera miracula quotidie fiunt. Quæ omnia* P. Ægidius Zamorensis *Ordinis Minorum, Vir apprimè eruditus, vsque ad sua tempora perquam diligentissimè descripsit. Cùm hoc sanctissimum* CORPVS *multis annis in loco abditissimo repositum esset, illum duntaxat scientibus paucis sub sacramento adstrictis, Anno Domini* M.CCCC.VI. *in hoc Inuentionis die, ex eo loco eductum, supra Altare ipsius maximum ponitur, cunctisque ostensum est, vbi miracula multa denuò visa sunt. Muti loquebantur; claudi ambulabant; dæmoniaci sospitabantur; varij infirmi curabantur; frequentes*

Collocatur.

Transfertur.

Digitized by Google

quentes turbæ vndique ad has ſanctas Reliquias *veneranda confluxerunt. Tandem poſt dies Octo, in Sacello, quod eſt ſupra ipſum Altar, intra capſam magnam argenteam deauratam, incluſum honorificè ponitur, vbi à cunctis cernitur.*

Plaude Zamora *tuo tanto decorata* Patrono:
Felix quæ ALFONSI *candida membra tenes.*
Saltat vbi claudus, congaudet lumine cæcus,
Ore ſuo mutus pandere verba poteſt.
Ad te gaudentes concurrunt vndique turbæ,
Sanaque ſuſcipiunt morbida, ſi qua gerunt.

Miracula. *Quod & deprehenditur ex his quæ ſequuntur miraculis. Quidam homo* Lucenſis, *nomine* Petrus Dominicus, *duobus annis cæcitatem paſſus fuerat oculorum; cùm pro recuperanda ſanitate* B. Vincentij *limina viſitaret, apparuit ibidem ſibi Beatiſſimus* ILDEFONSVS *Pontificalibus inſulis decoratus, referens ſe fuiſſe paruum, & ſpiſſum, veruntamen ſatis pulchrum, & adiecit, quod ſi curari volebat, iret* Zamoram, *vbi ipſius* Reliquiæ *erant reuelandæ. Cùmque homo ille non acquieuiſſet, ſed vlteriùs causâ recuperandæ ſanitatis* Braccaram *adiiſſet, obtentu* S. Gerardi, *& inde Beatiſſimi Apoſtoli* IACOBI *limina viſitaſſet, in quolibet iſtorum locorum, modo ſimili eidem apparuit Beatiſſimus* ILDEFONSVS *aſſerens, quod optatam nunquam reciperet ſanitatem, quouſque* B. Petri *limina viſitare, vbi apud* Zamoram *debebant ipſius* Reliquiæ *reuelari. Acquieſcens igitur iuſſioni, venit* Zamoram *poſt tres dies* Inuentionis Reliquiarum. *Cùmque ipſius oculos ſiccos, & quaſi glutino compaginatos, aliqui diſiungere laboraſſent, minimè potuerunt. Applicantes verò* Reliquias *ſanctiſſimi* Corporis *oculis dicti cæci, vociferans cecidit quaſi mortuus ſuper terram, ferè Trecentis hominibus adſtantibus, & videntibus ſupra dicta. Cùmque ſic quaſi mortuus, aut dæmoniacus diutiùs iacuiſſet, ad vocem Beatiſſimi* ILDEFONSI *ipſum excitantes (ſicut ipſe aſſeruit) recuperato lumine reſurrexit. Interrogatus, cur quando cecidit clamaſſet? Reſpondit, ſe quaſi cum quodam venabulo per medium capitis (vt ſibi videbatur) percuſſum fuiſſe; ſed ad vocem Beatiſſimi* ILDEFONSI, *vt prædiximus, ſurrexit.*

Aliud. QVÆDAM *Mulier de villa* Alba *erat dæmonio grauiter obſeſſa, cùmque pro recuperanda ſanitate* B. MARIÆ *de* Viſu *limina viſitaſſet, in viſione ſibi homo quidam apparuit, dicens:* Quid hic nunc contrahis tantam moram? Vade *Zamoram*, ad locum vbi iacet *Corpus* Beatiſſimi ILDEFONSI, & ſtatim recipies ſanitatem. *Cúmque ad locum deueniſſet, mox à dæmonio eſt arrepta, ſed acclamantibus hominibus, vt egrederetur, in ſignum egreſſionis obtulit denarium* Legionenſem, *& remanſit mulier tunc curata.*

Aliud. ALIA *Mulier de* Caſtro-torafe *vxor* Petri Fernandi *ſeptem annis fuerat obſeſſa ab humani generis inimico. Cúmque veniſſet ad Eccleſiam* S. Petri, *vbi requieſcunt* Reliquiæ *Beatiſſimi* ILDEFONSI, *ſtatim à dæmonio fuit infeſtata, ſed acclamantibus hominibus contra eum, vlulans receſſit ab ea, aſſerens quòd iam amplius ipſe nullatenus infeſtaret, nec alius loco eius.*

Aliud. QVIDAM *homo natione* Portugalenſis Dominicus Melendez *nomine nuncupatus, adeò erat contractus, quòd calcanei natibus adhærerent, & per ſex annos peregrinando de loco in locum in curru ab hominibus miſericorditer ferebatur. Porrò cum ſemel portaretur ad* S. Mariam *de* Viſu, *vt ibidem recuperare poſſet contracti corporis ſanitatem, de miraculis* S. ILDEFONSI *fuit mentio ſibi facta. At ille ad recuperandam ſanitatem anhelans* Zamoram *ſe fecit in vehiculo deportari. Qui poſtquam venit, confeſſus fuit cuidam fratri Minori. Confeſſione verò factâ, & de vehiculo ad Eccleſiam deportato,*

renes

Digitized by Google

renes eius, & membra sacras Reliquias B. ILDEFONSI *tetigerunt, ad illarum contactum, contractus effectus incolumis, vehiculum reliquit pro fabrica Ecclesiæ in memoriam tanti facti.*

Hæc sunt quæ ex *Breuiario Antiquo Zamorensi* desumpsimus ACTA, ad huius INVENTIONIS ecphrasim spectantia; quibus adiungere decreuimus aliquos *Hymnos* ibidem recensitos, vbi etiam S. ILDEFONSI Actorum series breuiter exponuntur.

HYMNVS PRIMVS, ex Responsoriis.

CAndida præfulgens vna est inuenta Zamoræ
Margarita decens, & pretiosa nimis.
ALFONSI *Corpus pretiosum Antistitis almi,*
Cui felix Virgo Cœlica dona dedit.
Hic est ALFONSVS Toleti *Præsuliarcha,*
Vestit quem sacro tegmine virgo parens.
Hæresim Heluidij spurcatam & Iouiniani
Funditus à nostra depulit Hesperia.
In partu, MARIAM *post, ante, fuisse pudicam,*
Atque Genitricem *prædicat esse Dei.*
Rumpuntur cœli, descendit Virgo decora,
Cœlorum princeps, Principis atque parens.
Cœligenæ proceres, dextrâ, lauâque, sequuntur,
Fulgentes Nymphæ, maxima turba Poli.
Venit, vt ALFONSVM *sacratâ veste perornet,*
Quâ obsequium Virgo Virgini vt ipse daret.

HYMNVS SECVNDVS, ex Responsoriis, & Ægidio.

ECclesia exultans moduletur cantica laudum
Præsulis ALFONSI *celebrando festa* Patroni.
ALFONSVM *genuit* Stephanus *Vir nobilis, altum*
Ex se dans fontem, quo Hispania *cuncta rigatur.*
Lucia *Luciferum radiantem parturit Orbi,*
Sydere quo claro gens Toletana *coruscat.*
Eugenius *Præsul pueriles imbuit annos;*
Cui iuueni excellens Isidorus *dogma propinat.*
Cœlestem cupiens ALFONSVS *ducere vitam,*
Angelus in carnem vixit, sine carne pudicus.
Ætas crescebat, simul & sapientia, virtus;
Præmia virtutum meritò augebantur honores.
ALFONSVS *primùm iuuenis fuit Archileuita;*
Ensis in offensis erat Abbas Agalienſis.
Moribus, & vita, Vir claro dogmate fulgens

Pontificum

Pontificum princeps Toleti *in Sede locatur.*
Agnoſcant cuncti Dominus quod contulit orbi
Mirandum geſtis ALFONSAM *dogmate clarum.*
Hic Domini legem ſeruauit nocte, diéque,
Concilia, & cathedras confundens hæreticorum,
Toleti *Eccleſiâ Princeps aſſumptus in almâ.*
Prædicat hic verbum fidei, mandata ſalutis.
Felix Toletum *meruit qua tollere alumnum*
Tantum, quo Heſperiæ *illuſtrantur ſydere regna.*
Præclarum Templum, quo fluxit Curia cæli,
Soléque lucidius, mediâque in nocte refulſit.
Felices gnatum talem genuiſſe Parentes,
Quem Domini Virgo ſuper omnes Mater amauit.
Qui ingreſſus Templum culturus feſta MARIÆ,
Occurrit Virgo *turbis ſtipata Polorum:*
Virginis in laudem componens ipſe libellos,
Eius munditiam fœdantes conterit hoſtes:
Qua tenet in cœlis ſolium Regina ſupernum,
In terras veniens ALFONSVM *veſte decorat.*
Poſt tumulo ſurgens hominum, Leocadia, *vitam*
Nuntiat in terris ALFONSI *viuere vitâ,*
Pòſt moritur, ſacros montes, habitacula ſancta
Poſſidet, vt pius, & prudens, ſine labe pudicus.
Sit benedicta dies, quâ ALFONSVS, *carcere miſſo*
Corporeæ molis, Paradiſi aſcendit amena.
O iucunda dies, quâ gaudens Curia cæli
ALFONSO *occurrens ſacratâ in ſede locauit.*
Sit quoque grata dies, quâ Paſtor limina Petri
Viſitat, & Didaco *reuelat myſteria patri,*
Aſſurij & ſit Præſulis admirabile nomen.
Qui primus Petri *decreuit, lumine cæli,*
Fundamenta domus latis extendere campis;
ALFONSI *vt Corpus coleretur ab omnibus almi:*
Munia quòd tanto ſemper, poſt, debita ſoluat
Pontifici præſtans Hiſpania, *& alma* Zamora.
O ſplendor Mundi, ſydus ſuper aſtra refulgens;
O Sacer Antiſtes ſacræ Genitricis amator;
Tu decus Heſperiæ, *tu malleus hæreticorum,*
Nobilitatis honor, fidei ſanctiſſime cultor.
ALFONSE *ô clemens pro nobis quæſumus ora*
Chriſtum, quò ad celſas valeamus tendere ſedes.

In

In eodem Officio *Christophori Paradinensis* adsunt etiam *Hymni* per Horas, quorum seriem, vt nihil sub silentio relinquamus, subiicere non grauabimur.

HYMNVS AD VESPERAS.

Ecce quem Christi Genitrix amauit;
Ecce quem cœli recolunt beatum,
Cuius in Templo retinet Zamora
Condita membra.
Ecce lux mundi fidei coruscans,
Gemma Toleti *decorans* Iberos,
Quem Zamorenses *celebrant* Patronum,
Ossa tenentes.
Ecce defensor MARIÆ *pudoris,*
Hæresum sectas reprimens nefandas;
Ante, post, semper, docuit manere
Inuiolatam.
Ecce quem Virgo *trabeâ decorat,*
Quam Dei turba tulit ex Olympo,
Cuius est factus celebris Sacerdos,
Festa sacrando.
Ecce mirandum Leocada *surgens,*
Clamat ex tumba dominam Polorum,
Huius in terris, meritisque vitâ
Viuere castam.
Qui regit cosmi fabricam, polósque
Gyrat immotus Pater, atque Gnatus,
Spiritus Sanctus, Deus vnus, ante
Secula semper.

AD MATVTINVM.

Ecce nunc tempus mediantis vmbra,
Quo David iussit Domino fateri;
Nunc ad ALFONSI *memoranda gesta*
Surgite fratres.
Ecce quem Virgo fore nascîturum
Nuntiat matri, radians in Orbem;
Sydus Hispanum, *tenebras repellens*
Hæreticorum.
Ecce quem patres genuere clari:
Ecce quem Sancti docuere patres
Præsulum Princeps Isidorus *almus,*
Eugeniúsque.

Ecce quem virtus puerum decorat,
Candidis vultus, grauitas verenda,
Cœlibem ſemper ſine labe vitam
Hic adamauit.

AD LAVDES.

ECce iam ſydus rubefecit aſtrum,
Lux, color rebus redeunt, dieſcit,
Perſtat ALFONSI *Chorus in canendo*
Cantica laudum.
Ecce Toleto *Libybus ſuperbis*
Pulſus, elegit tumulum Zamora:
Seculis multis latitans, ibidem
Panditur iſte.
En vident cæci, ſalit atque claudus,
Audiunt ſurdi, reſonántque muti,
Huius ad buſtum fugiénſque damon
Corpora linquit.
Ecce iam cuius memoranda geſta
Non queunt lingua reſonare plenè;
Cuius ingentes canere atque laudes
Nemo valebit.
O Pater ſalue venerande Præſul!
O Sacerdotum decus, & corolla!
Qui tuum feſtum venerantur almum
Protege clemens.

Cætera, quæ ad res geſtas S. ILDEPHONSI ſpectant Acta, iam ſupra diximus *Tom. I. die XXIII. Ianuar. fol.* 245. nunc ad ZAMORÆ vrbis etymon deueniamus.

Topographia. ZAMORA. Vrbs eſt in veteri *Caſtella* nobilis, quam perperam nonnulli ex mediæ ætatis Scriptoribus dixere *Numantiam*, eo quod ad *Durij* fluminis oram ſitam cognouêre. Illam populauit *Alphõſus III. Legionenſis Rex*, vt inquit Roder. Toletan. *Hiſtor. Hiſpan. lib.* 4. *c.* 16. vbi vrbem ab eodem Rege nomen ZAMORA accepiſſe contendit, ex eo quod, *cùm Rex ipſe locum aſcenderet ad videndum, ſatelles quidam, qui inter cæteros Regem cum ſpiculo præcedebat, vaccam nigram dicitur inueniſſe, quam volens ruſticam applauſu vocabulo delinire fertur dixiſſe*: ZE-MORA. *Vaccas enim eius coloris Hiſpani armentarij* MORAS *vocant. Vnde Rex* ZE-MORAM *nomen indidit ciuitati.* Hæc Archiepiſcopus, & nos hactenus, cuius opinionem *infra Tom.* 5. *die V. Octobr.* poſt vitam *S. Attilani* referemus. Nunc hæc vrbs Ciuitas eſt Epiſcopalis, *Compoſtellano* Archiepiſcopo parens, licet in principio *Toletano* paruiſſet, vt contendit Salazar de Mendoza *d. c.* 15.

SEXTO

SEXTO KAL. IVNII.

DIES XXVII.

A. NERTOBRIGÆ *in Bætica Hiſpaniæ* S. EXVPERANTII *Abbatis Benedictini, qui poſtquam diſcipulus B. Benedicti extitit, adſcitis ſecum aliquot ſanctimoniæ probatæ Monachis, illuc ſeceſſit, vbi plenus virtutum, & meritorum, admirabilis ad Dominum migrat Confeſſor.*

B. Apud NAVARRAM *Hiſpaniæ Commemoratio* plurimorum Sanctorum Monachorum Martyrum, *qui à Sarracenis propter fidem occiſi, requiem receperunt æternam.*

NOTÆ.

SANCTVS EXVPERANTIVS Confeſſor.] Eius memoria adhuc in tabulis Eccleſiaſticis Martyrologiorum haud deſcriptus inuenitur, licèt eius anamneſis apud Noſtros Eccleſiaſticos Scriptores communis ſit. Ex antiquis S. M. Max. *in Chron. Ann.* 561. per hæc verba: EXVPERANTIVS *cum aliis Monachis Benedictinis* Concordiæ *in Bætica, quæ etiam* Nertobriga *dicitur, mirabilis habetur.* Et *Ann.* 575. hæc: *Per hos dies* Nertobrigæ, *vel* Concordiæ *floret* EXVPERANTIVS *Abbas Benedictinus, Diſcipulúſque S. Patris Benedicti, de quo tale legi elogium*: Nertobrigæ, quæ Concordia dicitur, in Bætica floret EXVPERANTIVS Vir Dei, *& ibidem SANCTVS habetur.* Roder. Car. *in Not. prætermiſſis ad Maxim.* & in *Chorograph. Hiſpal. Conuent. lib.* 3. *c.*66. Ego in Not. ad *Anl. Halum de Aduent. S. Iacob. verſ.* 250. *fol.* 45. Biuar. in *Not. ad Max. Ann.* 562. *n.* 14. *fol.* 492. & *Ann.* 575. *n.* 1. *fol.* 560. Eius Acta periêre; illa formabimus prout Scriptorum penuria, nobis anguſtia præbuêre veſtigia. A. *Scriptores.*

ACTA S. EXVPERANTII ABBATIS Benedictini Confeſſoris, ex B. M. Maximo.

EXVPERANTIVS *vt creditur Italus, inclitam* B. Benedicti *regulam Diſcipulus eſt inſectatus; à quo inter eius aſſeclas adlectus, primæuos monaſticæ diſciplinæ floſculos reportauit. Per id temporis, B. Patriarchæ, eiúſque aſcetarum, virtutum inſignia per totius Occidentis terminos conſtans fama perduxerat: ex quo caternatim ex omnibus Europæ regionibus, pro viſendo tanto Sanctitudinis prodigio, homines perfectius vitæ inſtitutum perquirentes, ad eius pedes feruidi confugiebant. Alij quos aut Regalis maieſtas detinebat, aut fœminei ſexus fragilitas præpediebat, literis ſanctiſſimum interpellabant Magiſtrum, vt dimiſſis aliquibus ſociis, diſtantem prouinciam tantis Eccleſiæ luminibus colluſtraret. Inter iſtius generis quippe matronas, præcipua fuit* Orlgo.

Sanctiſſima fœmina Sanctina fratres Benedictinos in Hiſpania euocat.

Illuſtriſſima Domina SANCTINA *Theodorici Oſtrogothorum Regis vxor, Mater* Seueriani *Ducis Carthaginis Spartariæ, & Auia SS. Leandri, Fulgentij, Iſidori, & Florentinæ Virginis, Abauia S. Hermenegildi Regis, & Martyris, & Catholici Reccaredi Gothorum in* Hiſpania *Principis, quæ audita* S. Benedicti, *eiúſque Monaſticæ religionis mirabili compoſitione, & inſtitutione, cognitóque tantorum Procerum pro accipienda regula deſiderio, totis viribus à Beatiſſimo Patre ſine intermiſſione popoſcit, vt aliquos ex illius contubernio Diſcipulos in* Hiſpaniam *emittere dignaretur. Annuit piiſſimis precibus ſanctiſſimæ Matronæ, & ſelectis duodecim Monachis cum Abbate, illos vti fratres illi benenola reſponſione dimiſit. Qui in* Hiſpaniam *perducti, &* Toletum *acciti, Venerabilis Regina aliquos apud vrbem* Regiam *detinuit, reliquos ad* Karadinenſe *S. Petri Cœnobium, quod ſuis ſumptibus ædificarat mirificè, tranſmiſit. Ex his vnus fuit Beatiſſimus* EXVPERANTIVS *qui poſtmodùm adſcitis aliquibus ſociis in* Bæticam, *ad vrbem* Nertobrigam *deuenit, vbi mirifico extructo Monaſterio, illic mirabilis omnibus, Angelicam monaſticis inſtitutis vitam peregit, donec vt ad vitæ feliciter actæ præmium properaret, carnis ergaſtulo ſolutus, aternam glorioſus Confeſſor coronam adeptus eſt,* VI. Kal. Iunij, *Anno Domini* D. LXXVIII. *Eius corpus honorificè tumulatum eſt, quod vt futuris ſeculis innoteſceret, hanc in ſepulchrali lapide deuotio ſcripſit epigraphen.*

S. Exuperãtius vnus ex illis Monachis.

Obiit.

EXVPERANTIVS FAMVLVS
DEI. VIXIT ANNOS PLVS MINVS
LXXXVIII. REQVIEVIT IN PACE
SVB D. VI. KAL. IVNIAS.
ERA. DC. XVI.

S. Toribius Monachus primus Regulam S. Benedicti ad Hiſpanos detulit.

S. Benedicti regulam in *Hiſpaniam* primus inuexit *S. Toribius Libanienſis*, qui anno D. XXXI. Romæ à S. Patriarcha habitum accepit, vt inquit Max. *in Chron. Ann.* 531. *fol.* 83. *col.* 2. A quo inſtructus *Sanctina* Theodorici Regis coniux, Anno D. XLIV. *Karadinenſe* extruxit cœnobium, in quo Diſcipuli S. Benedicti ab eo tranſmiſſi vitam agerent monaſticam, vt ipſe Maxim. inſinuat in *Chron. Ann.* 550. ſic: *Sanctina Seueriani Ducis Carthaginis Spartariæ* (Mater) *hoc anno moritur. Quæ D. XLIV. adificarat ad S. Petrum Karadinenſem, celebre cœnobium, ad quod Monachos tranſmiſerat* S.P. Benedictus *ex Italia ad Hiſpanias.* Eadem Iulianus Petri in *Chron. Ann.* 545. *n.* 267. vbi de tranſmiſſione Monachorum agens, concludit: *Mittit S. Patriarcha* Benedictus *duodecim Monachos, cum Abbate ſuo, Toletum, quæ tunc ſedes Regia Gothorum erat.* Omnia hæc probauit D. Prudent. de Sandoual. *in Fundat. S. Petr. Caradinenſ. fol.* 36. Quâ veritate cognitâ, & quòd S. EXVPERANTIVS fuit Diſcipulus *S. Benedicti*, vt probauimus ex *Maximo*, neceſſariò fatendum erit, illum ex duodecim miſſis fuiſſe, nam tunc nullus alius erat Patris ſanctiſſimi Diſcipulus in *Hiſpania.* Cui aſſertioni congruè annorum conuenit ſupputatio; nam anno tranſmiſſionis factæ à *B. Benedicto*, hoc eſt D. XL. iam EXVPERANTIVS ad quinquageſimum annum deuenerat, cui additis triginta & octo pertingunt ad octuageſimum octauum, quo vitam exuit. Ex quo, hæc temporum conuenientia noſtræ ſententiæ fauet.

Topographia.

NERTOBRIGÆ quod fuiſſet celebre *Cœnobium* tempore *Gothorum* liquet ex alia inſcriptione alterius S. Abbatis, qui dicebatur HONORIVS; huiuſmodi:

IN NOMINE DOMINI. HIC TVMVLVS
HONORII ABBATIS.
RESPICIS ANGVSTVM PRÆCISA RVPE
SEPVLCRVM.
HOSPITIVM BEATISSIMI HONORII
ABBATIS.
COELESTIA REGNA TENENTIS. IN
SECVLA SECVLORVM. AMEN.

Quam inſcriptionem refert Roder. Car. *in Geograph. Hiſpalenſ. Conuent. dicto lib.* 3. *c.* 66. *fol.* 195. vbi etiam de hoc Cœnobio agit. De *Nertobriga* dicemus infra.

SS. PLVRIMI

SS. PLVRIMI Monachi Martyres.] Eorum nec nomina, nec martyrium apud *Hiſpanos* Scriptores inuenies. Hugo Menardus in *Martyrolog. Benedictino* hoc die iſta profatur: *In Regno Nauarræ* Plurimorum Monachorum, *qui ſub Guillelmo Sanctio in bello contra Sarracenos gladio occubuerunt.* Qui *lib. 2. Obſeruat. fol.* 585. hæc proſequitur: *In bello quod geſſit* Guillelmus Nauarræ *Rex, cognomento* Sanctius, *aduerſus Sarracenos, Anno* Nongenteſimo Septimo, *Dominica die, Octaua Pentecoſtes, multi* Monachi *& Milites Allophylorum gladio occubuerunt: Qui poſt mortem veſtibus albis, & purpureis ſtolis induti, viſi ſunt Venerabili* VVlferio *Reomagenſi Monacho, ſancto eius præcedente Epiſcopo: Quem cùm* VVlferius *interrogaſſet, quinam iſti eſſent, reſpondit ille, eos omnes gladio Sarracenorum cecidiſſe in acie, & in cœlum eſſe receptos, vt ſcribit Radulph. Glaber. lib. 2. Hiſt. c. 9.* Hactenus *Hugo Menardus.* Sed cùm hæc hiſtoria Martyrum ab ipſo Auctore repetenda ſit, audi Glabrum Rodulphum *tom. 4. Scriptor. Gall.* in editione *Franciſci du Cheſne fol.* 20.

B.

Martyrologia.

Scriptores.

ACTA PLVRIMORVM MARTYRVM Monachorum apud Nauarram Hiſpaniæ occiſorum à Sarracenis, ex Glabro Rodulpho.

SVBSEQVENTE *namque tempore, gens Sarracenorum cum Rege ſuo* Almuzor *nomine, egreſſa eſt ab Africanis partibus, occupans penè vniuerſam* Hiſpaniæ *regionem, vſque in Auſtrales* Galliarum *fines, plurimaſque Chriſtianorum edidêre ſtrages. Sed licèt impar exercitu, ſæpius tamen iniit cum eis prælium* VVillermus *Dux* Nauarræ *cognomento* Sanctius. *Tunc etiam ob exercitus raritatem compulſi ſunt regionis illius Monachi ſumere arma bellica. Cæſæ denique grauiter vtraque partes, tandem conceſſa Chriſtianis victoria poſt grande ſuorum diſpendium; qui ſuperfuêre Sarracenorum, ad Africam fecêre confugium. Sed & in illis diutinis conflictibus præliorum conſtat Chriſtianorum Religioſos plures occubuiſſe, qui potius ob fraternæ charitatis amorem cupiebant decertare, quàm propter aliquam gloriam laudis pompaticæ. Erat quippè eo tempore frater quiſpiam* VVlferius *nomine, dulcis admodum moribus, ex conuerſatione in Monaſterio* Reomagenſe, *quod eſt ſitum in pago* Tarnoderenſe, *cui etiam apparuit, die quadam Dominica, viſio ſatis credulitati commoda. Nam dum per expletionem Matutinalium Laudum, in ſupradicto oraturus quieuiſſet Monaſterio, cæteris Fratribus inde aliquantulum ad pauſam redeuntibus, ſubitò repletus eſt totius eiuſdem Eccleſiæ ambitus Virii, ſcilicet veſtibus albis indutis, ac purpureis ſtolis inſignitis, quorum etiam continentiæ grauitas plurimùm de ipſis inſtituebat eos cernentem. Qui verò eos præcedebat Crucem manu geſtans, Epiſcopum ſe eſſe multarum dicebat plebium, ibique die ipſo ſacra Miſſarum celebrare ſe oportere perhibebat. Referebat etiam tam ipſe, quàm cæteri, ſe illius noctis cum Fratribus eiuſdem Monaſterij Matutinalibus interfuiſſe ſolemnijs. Aſſerebant inſuper optimæ laudis Officium, quod audierant, illi diei congruere. Erat autem Dominica dies octaua Pentecoſtes, in qua propter gaudij expletionem Reſurrectionis Dominicæ eiuſdémque Aſcenſionis, & aduentus Spiritus-Sancti, in pleriſque diuerſarum regionum locis, mos eſt pſallere reſponſoria, verbis valdè honeſtiſſimis compoſita, ac ſuaui ſonoritate referta, & vt mens valet humana, Deificæ Trinitati condigna. Cæpit interea, qui præerat Epiſcopus, ſuper Altare* S. Mauritij *Martyris Miſſarum ſolemnia celebrare, eiuſdem Trinitatis antiphonam intonans. Interim percunctatus eſt ſupradictus Frater, qui, aut vnde eſſent, pro quáve cauſa illuc deueniſſent. Cui ſatis leniter tale dederunt reſponſum:* Profeſſionem (*inquiunt*) Chriſtianitatis geſtamus, ſed ob tutelam patriæ, Catholicæque plebis defenſionem, gladius nos in bello Sarracenorum ſeparauit ab humanorum corporum habitatione. Idcirco nos omnes pariter diuina vocatio nunc transfert in ſortem Beatorum. Sed ideo per hanc Prouinciam nobis contigit habere

Almanzor aduerſus Pampilonã.

Apparitio SS. Martyrum.

Eorũ martyrium referunt.

Digitized by Google

tranſitum, quoniam plures ex hac regione, infra breue temporis ſpatium noſtro ſunt addendi collegio. *Propterea is qui Miſſarum explebat officium, finitâ oratione Dominicâ, pacem omnibus dans, miſit vnum, qui ipſi Fratri pacis oſculum daret. Quod cùm feciſſet, innuit etiam ei, vt illum ſequeretur. His ita conſpectis, cum vellet eos ſequi, diſparuerunt.*

Quo Anno hæc acciderint ex Menardo?

Hactenus ecphraſis *Glabri Rodulphi*, qui licèt Anni euentus computum non conſignet, hæc accidiſſe Anno DCCCC. VII. fatetur *Hugo Menardus*. Sed an hoc verum, ex Scriptoribus Nauarreis expetemus, apud quos altum ſilentium circa huius rei euentum. Bene verum eſt quod per illa ſecula Nauarræ Regnum poſſidebat D. SANCTIVS *Garſiæ*, vt patet ex *Diario Compoſtellan. Era* 943. vbi hæc verba: *Surrexit in* Pampilis *Rex noſter* SANCTIVS Garſiæ, *& obiit Era* DCCCC. LXVII. Ex quibus verbis clarè liquet, hunc SANCTIVM regnare cœpiſſe Anno Domini DCCCC. V. vſque ad DCCCC. XXIX. & à fortiori ſi hoc prælium quo iſti Sancti Martyres occubuêre, commiſſum fuit Anno DCCCC. VII. vt contendit *Menardus*, fuit huius SANCTII Regis tempore, licèt *Rodulphus* hunc Regem agnominet VVILLERMVM, quod agnomen prorſus à Noſtris ignoratur.

Quo ex noſtra computatione?

SED nec in illo *Anno* fuit Sarracenorum Dux nomine ALMANZOR, vt indicant *Acta* ſuperiùs exſcripta, & à *Rodulpho* cõſcripta; ideo crediderim, hocce prælium ad Annum Domini DCCCC. LXX. vel circiter euenisſe, quia eo anno inuenio Regẽ Nauarræ SANCTIVM, & Ducem, ſeu Regem Sarracenorum nomine ALHABIB ALMANZOR, qui ſic aduerſus Chriſtianos populos arma ſuſcitauit, vt ferè totam *Hiſpaniam* iterum ſub Arabum dominatione reduceret. Iſte fortè ſtrenuus Dux *Pampilonenſem* vrbem, vt *Acta* indicant, potuit per hæc tempora debellare, cuius belli occaſione Noſtri glorioſiſſimi *Martyres* occubuêre. Et veriſimile credimus hoc, maximè conſito, quòd Anno DCCCC. LXXIX. ipſe Rex SANCTIVS vnà cum Caſtellæ Comite *Garſia Ferdinandi* copias militum aduerſus ALMANZOR mouens, illum deuicit, & profligauit; vt refert D. Prudent. de Sandoual. *Hiſtor. Pampilon. fol.* 25. *&* 26. Ambroſ. Moral. *Hiſtor. Hiſpan. lib.* 16. *c.* 39.

Roboratur.

HÆC coniectatio comprobatur auctoritate Roderici Toletani *Hiſtor. Hiſpan. lib.* 5. *c.* 14. vbi agens de hoc Duce ALMANZOR, aſſerit quomodo *cepit Legionis, Caſtellæ*, & Nauarræ *prouincias deuaſtare*, & *c.* 22. agens de hoc Rege SANCTIO proſequitur: *Cùm Arabes hyemali tempore inuaderent* Pampilonam, *& Rex* SANCTIVS *vltra Pyrenæum ageret, audito ſuorum periculo, & ſtrage*, &c. Iam vides ALMANZORII apud *Nauarram* deuaſtationem, & SANCTII notitiam de obſidione *Pampilonæ*; ergo de hac locutum fuiſſe *Glabrum Rodulphum* credendum eſt. Nec obſtat *Hugonis Menardi* aſſertio, quâ contendit probare hoc beſlum euenisſe Anno DCCCC. VII. quia forte eſt error in prælo, & loco DCCCC. LXX. pro ſeptuaginta repoſuiſſe ſeptem. Sed hæc Doctis relinquo.

QVINTO KAL. IVNII.

DIES XXVIII.

A. VRGELLÆ *in Hiſpania Tarraconenſi*, S. IVSTI *eiuſdem vrbis Epiſcopi, qui fratres habuit Epiſcopos, & Sanctos*, Iuſtinianum *Valentinum*, Nebridium *Egarenſem*, *&* Elpidium *Lugdunenſem, floruit literis, & virtutibus*

tutibus insignis, quibus se Deo fidelem seruum exhibuit, à quo lauream Confessoris accepit.

B. AVSÆ *in Hispania Citeriori Cathalonia celebris est memoria* S. IVSTI *Confessoris, cuius vita sanctissima, gloriâ miraculorum ita refulsit, vt inter Sanctorum mereretur agmina collocari.*

C. Apud LOCRONIVM *Hispaniæ, passio* S. COLVMBÆ *Virginis, quæ à Mahomad Zacheto Cordubensis Regis Duce progenita, relictis parentum paganorum dogmatibus, Christo nomen dedit, quo à Patre cognito, cùm à fide illam diuertere non valuisset, vno vulnere caput Martyri, & Virgini proprijs manibus amputauit.*

NOTÆ.

SANCTVS IVSTVS Episcopus, & Confessor.] Insignis sanctitate, & doctrina Vir, qui Beati meruit *Isidori* Hispalensis Pontificis encomium huiusmodi: IVSTVS *Vrgellitanæ Ecclesiæ Episcopus Hispaniarum, & frater prædicti Iustiniani, edidit libellum expositionis in Cantica Canticorum, totum valde breuiter, atque apertè per allegoriarum sensum discutiens. Huius quoque frater* Nebridius, *&* Elpidius *quædam scripsisse feruntur, è quibus, quia incogniti sumus, magis reticenda fatemur.* Eadem Honor. Augustod. *lib.* 3. *c.* 25. Sixt. Senens. *in Biblioth. Sacr. lib.* 3. Trithem. *de Scriptor. Eccles. fol.* 240. *&* 241. Cardin. Bellarmin. *secul.* 6. *Ann.* 540. *fol.* 166. Posseuin. *in Apparat. Sacr. verb.* S. Iustus Orgellitanus. Ex Nostris Petr. Anton. Beut. *lib.* 1. *c.* 27. Moral. *lib.* 11. *c.* 49. Marieta *lib.* 5. *c.* 11. Anton. Vincent. Domenec *de SS. Cathalon. lib.* 1. *fol.* 51. Scolan. *Hist. Valent. tom.* 1. *lib.* 2. *c.* 9. *n.* 6. *fol.* 252. Padill. *tom.* 2. *Cent.* 6. *c.* 22. *fol.* 51. Vasseus *in Chron. Ann.* 540. P. Marian. *lib.* 5. *Hist. Hispan. c.* 17. Garibay *in Compend. lib.* 8. *cap.* 16. Ieronym. Pujades *Histor. Cathal. lib.* 6. *c.* 50. Baron. *Annal. Eccles. tom.* 7. *Ann.* 531. *n.* 16. Eius Acta carptim scribuntur. Nos illa compaginare curabimus, meliori quo possumus calculo. A. *Scriptores.*

ACTA S. IVSTI EPISCOPI VRGELLENSIS, Confessoris; ex S. Isidoro, & alijs Scriptoribus.

IVSTVS *natione* Hispanus, *& vt creditur ex vrbe* Valentia *in Edetanis oriundus, tres alios sanctitate illustres, & doctrina conspicuos fratres habuit,* Iustinianum *Valentiæ,* Nebridium *Egaræ,* Elpidium *Lugduni in Gallia Episcopos, ijsdem progenitos parentibus. Qui* IVSTVM *& aliõs filios in Fidei Catholicæ regulis sic instruxerunt, vt postmodum in* Hispaniæ, *&* Galliæ *Ecclesia vnusquisque Orthodoxæ veritatis lumen effulserit.* IVSTVS *etenim post prima Christianæ Fidei rudimenta, ad sacrarum literarum studia procinctus, illis operam dedit, cuius apices suggerens, quotidie suauitate doctrinæ inescatus, vt erat ingenij viuacitate compactus, breui tempore ad cognitionem diuinæ scientiæ peruenit. Hac non elatus, quin potius humilior omnibus, prudenti conferentiâ in corde Seniorum responsa concoquebat, & Iuniorum ore sedabat argumenta suauissimo. Sed nec ista illi erant impedimenta virtutum, quia sciens sapientiæ originem, esse Domini timorem, sic studia cum oratione coniunxit, sic sapientiæ exercitia cum bonorum operum practica* Origo. Studia.

coadunauit, vt minime qualibet operatio alteram impediret. Iam ad Sacerdotale munus deuenerat, quo verbis, & exemplis totius regionis ambitum ædificabat, eiúſque illuſtrium facinorum opinio ferè omnimodam tranſcendebat Hiſpaniam. *Hoc anſam* Vrgellitanis *Clero, & Populo præbuit, vt è viuis ſublato ipſius vrbis Epiſcopo, Domino cooperante, vno omnium ore, ad illius inſulas induendas,* IVSTVS, *iuſtâ calculatione, vocaretur. Paruit Dei placito Vir beatus, & ſuam intrans Eccleſiam, de Cleri, & Populi reformatione curauit, quos, vt ad Catholicæ fidei vnionis incrementa perduceret, ſalutaria monita prædicabat. Per hoc temporis Montanus Synodum apud Toletum indixit; cui interfuit* S. IVSTVS, *licèt ſerò, & clauſis conciliaribus Canonibus, quibus apertis, & à S. Viro inſpectis, & ruminatis, totius Synodi decreta probauit. Qui ad ſuam Eccleſiam reductus, ad amuſſim illius Concilij canones obſeruari curauit. Poſtmodùm in* Ilerdenſi *Synodo vnus ex Patribus fuit, qui ea ibi conſtituta decreta firmauit; nec non & Gerundenſi adfuit. Demum, vt toti Eccleſiæ proficeret, aureum edidit Libellum, vbi myſteria quæ in Canticis Canticorum Spiritus Diuinus ſymbolica alternatione concluſerat, breui, & aperto commentario propalauit. His, & aliis in* Hiſpaniæ *Eccleſia peractis; plurimis ſanctitudinis operibus perfectis, continuis virtutum faſciculis coadunatis, & innumerabilibus doctrinæ ſplendoribus editis, onus Pontificalis honoris exuere cupiens, & eſſe cum Chriſto, in quo eſt vera ſalus, & laborum refectio, cœpit febricitari, & ſuum præuidens huiuſce caducæ vitæ terminum appropinquari, Sacramentis vallatus, ſpiritum placidè adidit Domino dormitione, qua cœlum tranſcendens, beatificæ viſionis intuitum deguſtauit,* V. Kalend. Iunij *Ann.* D. XLVII. *Corpus ſacratum honorifico conditum tumulo per multa tempora quieuit, in cuius ſarcophago hæc inſpectabatur inſcriptio:*

Vrgellitanus Epiſcopus eligitur.

Interfuit Concilio Toletano.

Et Ilerdẽſi.

Eius ſcripta.

Obiit.

Vrgella IVSTVS *iuſto nunc clauditur antro:*
Corpus humo datum; Spiritus aſtra tenet.

Hucuſque Acta, quorum ecphraſis tanquam triuialis, neminem hiſtoriarum *Hiſpaniæ* eruditum latet. De Aſſiſtentia in *II. Concilio Toletano*, videndus ipſius Synodi tenor, vbi in calce ſubſcriptionum hæc verba leguntur: IVSTVS *in Chriſti nomine Eccleſiæ Catholicæ* Vrgellitanæ *Epiſcopus, hanc conſtitutionem Conſacerdotum meorum, in* Toletana *vrbe habitam, cùm poſt aliquantum temporis aduenìſſem, ſaluâ auctoritate priſcorum Canonum, relegi, probaui, & ſubſcripſi.* De aſſiſtentia in *Concilio Ilerdenſi* probat Loayſa in *Not. ad hunc Concilium fol.* 101.

Aſſiſtentia Concilio Toletano II.

P. F. Franciſcus Biuar. in *Not. ad M. Maxim. in Chron. Ann.* 503. §. 7. *fol.* 263. conatur probare iſtum S. IVSTVM Vrgellitanum Antiſtitem, fuiſſe etiam AVSENSEM Præſulem, motus ex verbis *Maximi* ibidem inciſis huiuſmodi: IVSTVS *Epiſcopus* Auſenſis *in Hiſpania, literis & ſanctitate claret.* Sed hoc fallit, quia illo anno erat Epiſcopus *Auſenſis Canidius* ad Annum D. XVI. & hoc ipſo Anno ſucceſſit *Canidio Maxentius*, vt teſtatur Maxim. *in Chron. Ann.* 516. & ipſe Biuar. *fol.* 348. fatetur: ergo ſi *Auſenſis* Sedes, & *Vrgellitana*, vna & eadem fuiſſet, vt ſuſpicatur *Biuarius*, quo pacto *Iuſtus* erat Epiſcopus *Auſenſis* & *Vrgellitanus* Anno D. III. cum nondum ad *Vrgellenſem* acceſſerat, necdum *Auſenſis* vacauerat? Sed de hoc in ſequenti NOTA longiorem ſermonem texemus.

Error Biuarij.

NVNC circa annum obitus ſanctiſſimi Epiſcopi perquirendum erit, in cuius calculo variè ab Scriptoribus diſceptatur, licèt apud melioris notæ Chronographos, annus D. XL. dormitionis, & exitus conſignetur. A quorum opinatione recedere compellimur, ſtante Concilij Ilerdenſis, cui interfuit S. IVSTVS, computo, quo aſſeritur congregatum fuiſſe Erâ D. LXXXIV. hoc eſt Anno Domini D. XLVI. ſi ergo ſic res ſe habet, poſt hunc Annum à fortiori vitam exuit: ergo perperam Anno D. XL. obiiſſe credemus. Hac quippè ratione moti in Actis repoſuimus Annum D. XLVII. pro tranſitu Præſulis.

Quo Anno obierit.

VRGELLA, ſiue ORGELLVM, Ciuitas Epiſcopalis antiqua Hiſpaniæ, quam alij conditam à Brigo vetuſtiſſimo Hiſpaniarum Rege contendunt; alij abs Hercule

Topographia.

Digitized by Google

cule lybico, vt refert Ieronym. Pajad. Hist. Cathalon. *lib.* 1. *c.* 14. *fol.* 13. & *c.* 22. *fol.* 20. hodie dicitur VRGEL.

S. IVSTVS Ausensis, Confessor.] Tres huius nominis Diuos, sed Episcopali infulâ indutos in Ausensis Ecclesiæ Tabulis agnosco. Quorum primus refertur à Dextro in *Chron. Ann.* 300. his verbis: S. IVSTVS *Episcopus* Viccensis (idem est ac Ausensis) *sanctitate clarus ad Annum* CCCXX. vbi Biuar. *Comment.* 1. *num.* 8. *fol.* 324. SECVNDVS ab ipso Dextro in *Chron. Ann.* 380. consignatur, hacce clausulâ: IVSTO II. *Episcopo* Viccensi *scribit S. Ambrosius*, & ibidem Biuar. *n.* 3. *fol.* 398. TERTIVS repetitur à S. M. Maxim. in *Chron. Ann.* 503. hac periodo: IVSTVS *Episcopus* Ausensis *in* Hispania, *literis & sanctitate claret*. An vnus ex istis sit, cuius hoc die meminêre P. Anton. Vincent. Domenec *Histor. SS. Cathalon. lib.* 1. *fol.* 52. & Philipp. Ferrar. *in General. Catal. SS. h. d. fol.* 220. hoc elogio: *Vicci in Hispania*, S. IVSTI *Confessoris?* me latet; quoniam quem hoc die appingunt *Domenec* & *Ferrarius*, absque Episcopali munere, solo titulo Confessoris, assignant. Hinc crederem Nostrum hunc IVSTVM, cuius hodie in Ecclesia *Viccensis* Sedis festiuitas annuatur, longè diuersum esse à Tribus illis relatis Episcopis, quos ex *Dextro*, & *Maximo* prænotauimus. Moueor ex Actis in *Breuiario* antiquo *Viccensi*, à quo *Domenec*, recensitis, vbi nulla de Episcopatu mentio inest, quin potius istum sanctum nomine IVSTVM, Laicum, & secularem hominem exprimant.

B. *Tres huius nominis Episcopos Ausenses inuenio.* I. II. III. *De Nostro Martyrologia.*

HINC non possum non mirari de coniectatione *P. Biuarij*, aliàs doctissimi Commentatoris *Dextri* & *Maximi*, qui *in Not. ad istum Ann.* 503. *fol.* 262. totis pectoris viribus conatur inducere IVSTVM Episcopum *Ausensem*, de quo ibidem *Maximus*, eundem esse ac IVSTVM Episcopum *Vrgellitanum*. Quod vt probet, huiusmodi, etsi fallibili vtitur medio; Quòd tempore IVSTI huius vtraque Sedes Ausensis, & Vrgellitana, sub vno eodemque Episcopo regebatur; & quòd idem erat dicere, Episcopus Ausensis, ac Episcopus Vrgellitanus; & rationem constituens, prosequitur: *Nam à tempore* Constantini *per annos multos, ipsas Sedes ab eodem Episcopo regi solitas, quousque* Leouigildi *Regis auo per Arianam perfidiam, in eadem Ecclesia Episcopi multiplicari cæperunt, & Cathedræ scissuras pati, ac schismata: & tunc primùm reperitur* Ausonensis *Ecclesia ab* Vrgellitana *discissa*. Quis talem errorem contraxit? Nonne isthæc ratio fallibilis extat, si temporum monumenta apertis euoluimus oculis? Patet. Nam ante Leouigildum, & post Constantinum istæ Sedes semper diuisæ fuêre, quia Anno D. III. erat Episcopus *Ausensis* ille *Iustus*, de quo *Maximus*, & Anno D. XVI. *Canidius*, & post eum *Maxentius*, & fere hoc ipso tempore Iustus *Vrgellitanus*, & post eum *Simplicius*; ergo non subsistit Ratio *Biuarij*.

Biuarij lapsus detegitur. *Ausona & Vrgellum diuersæ sedes.*

NEC obstat computatio Diuisionis Sedium à *Constantino* factæ, adducta ab ipso *Biuario*, in qua nulla est *Vrgellitanæ* Sedis mentio, ita vt ex hoc suspicetur, quòd in *Ausonensi* comprehendatur: Quia hoc argumentum excluditur, contrariis exemplaribus, quibus liquet tempore *Constantini* nonnullas Sedes extitisse, quas ipse Imperator omisit in diuisione, vt *Telensem*, *Ambraciensem*, & alias, quæ fuerunt Sedes, & ante, & post *Constantinum*; & alias suæ diuisioni insertas legimus, quæ nondum erant in rerum natura, veluti *Dumiensis*, *Complutensis*, & aliæ; quas postmodùm sequentibus seculis erexêre sanctissimi Pontifices, vt patet ex Actis *S. Martini* Dumiensis, & *S. Asturij Serrani* Toletani Præsulis: ex quo non est cur ex illa diuisione probationem eliciat: Maximè extante probatione superius relata, quâ constat fuisse Sedem, & Præsulem separatum in vtriusque Ecclesiæ Sedibus.

Diuisio Sedium Constantiniana, plures continet errores.

His sic notatis, ad ACTA venio huius sanctissimi IVSTI, quæ ex prælibato vetusto *Breuiario Viccensi* desumpsit *Hispano* sermone *P. Anton. Vincent. Domenec*, quorum hæc series.

ACTA

Digitized by Google

ACTA S. IVSTI VICCENSIS CONFESSORIS Hiſpani; ex peruetuſto Breuiario Viccenſi.

Origo. IVSTVS, *vt antiqua traditio eſt, natione* Gotholanus, *ex* AVSONENSI *fuit vrbe oriundus, quam hodie* VICVM *vocitant, & patrio vocabulo* VICHE *ſeu* VIQVE *Epiſcopali dignitate fulgentem, & illuſtrium Præſulum nominibus, ac propriorum Sanctorum agminibus ſplendentem. Ab incunabulis laicali conuerſatione procedens, communia prout alij ciues negotia ſine offenſione tractabat. Sed illa, & alia mundi diffugiens, ipſius illecebras ſtrenuâ pietate calcauit; ita vt protinus ſpiritualium opum theſauros colligens, diuitem virtutum coaceruaret annonam. Hoc enim fretus præſidio, ſic vitam texuit, vt & ad maximæ opinionis accederet acumen, & in Sanctorum Catalogo deſcribi meruerit. Plura poſtquam* S. IVSTVS *pro Dei ſeruitio facinora feciſſet, & vitæ terminum ritè actæ, præeuntibus ſanctiſſimis operationibus, citò deuenturum agnoſceret, Deo ſic diſponente, ad mortem compoſitus, ſpiritum reddidit Creatori, die* XXVIII. Maij.

Laicus fuit.

Moret.

Plura Deus pro S. Viro prodigia oſtendit. *Verumenimuerò* IVSTI *ſanctitatem, haud occludere voluit Omnipotens, quin illam manifeſtare conſtituens, immenſam miraculorum multitudinem, S. Viri meritis intercedentibus, operatus eſt: quorum catalogum, & memoriam, aut temporum intercapedo, aut prædeceſſorum incuria prorſus obliteranit. Sed nec omnia penitus euanuêre, cùm ex hymno peruetuſto ipſius* Breuiarij *hæc* TRIA *legantur.*

I. Miraculum. *Paries altus, ac fortis aliquando ſupra S Confeſſoris tumulum ruit, cuius fabricam ictûs vi dirutam credentes omnino fideles, rudera protinus deuotis precibus extrahentes, theca abſque vlla læſione fuit, Deo prouidente, reperta.*

II. LYCHNVS *coram S. Viri Confeſſoris ardebat Altari, ſed eueniente Templi pauimenti ruinâ, lampadem ardenti fauillâ compreſſit: poſtmodùm verò parietis ruderibus extractis, lychnum accenſum, & integrum inuiſit, & inuenit Conciuium, & Clericorum coadunata multitudo; quæ hinc*

III. *Deo gratiis actis, eum in Sanctis ſuis eſſe mirabilem eſt confeſſa. Eius ſacra oſſa in ſarcophago, ſæpeſæpiùs tumultuariis ictibus ſtrepitantia audiuêre primò Eccleſia pueri, poſt Clerici, & Presbyteri, qui puerorum relationem audientes, ad S. Viri thecam acceſſerunt attoniti, & auditis clamoribus in ſarcophago, Deum magnificantes ſtupidi receſſerunt.*

Hymnus omnia referens Miracula. Hactenus *P. Domenec* ex ſuprà relato antiquo *Breuiario*; cuius hymnus ab ipſo relatus nondum ad manus peruenit meas; niſi ſit quidam, qui in margine *Codicis* mei, manu exaratus inuenitur, licèt citra proſodiæ regulas compactus, in quo horum TRIVM miraculorum ecphraſis repetitur hac ſerie, & lemmate.

IN FESTO S. IVSTI VICENSIS.

Hymnus.

IVSTVS *refulget nobilis,*
Dei refertus lumine,
Cuius ſacra facinora
Conclamat Alma Eccleſia.
Hic ductus ope ſpiritus,
Illuſtribus miraculis,
Vicenſis *vrbem Populi*
Sanat, replet, conduplicat.
Eccleſiæ murus ruit
Supra Viri ſarcophagum
Sancti; ſed alte Dominus
Membra ſacrata liberat.
Secundo muri paries
Cadit; qui lychnum comprimit;
Sed Sanctis Almi precibus
Illæſus tunc inuenitur.
Quotidie & in tumulo
Oſſa ſacrata clamitant,
Ictibus & duplicibus
Attonitos Nos affligunt.

Deo

Digitized by Google

Deo Patri ſit gloria,
Eiuſque ſoli Filio,
Cum Spiritu Paraclito,
Et nunc & in perpetuum. Amen.

Quo *Anno* Sanctiſſimus Confeſſor diem clauſerit extremum, nec *Acta* aperiunt, nec *Domenec* ex antiquis illius *Viccenſis* Eccleſiæ monumentis potuit exquirere: ideò ſub obliuionis nebulis latet. Illud notatur in ecphraſi abs *Antonio Vincentio*; quod in vrbe *Viccenſi* colitur ipſius S. Viri feſtiuitas *hoc die*, cum Officio Eccleſiaſtico, & Miſſa, in cuius Collecta eius nomen inſeritur: & iſte dies, feſtiuus eſt ciuibus, qui illum colunt, vt Dominicus, aut Paſchatis. *Annus obitus ignoratur.*

VICCVM, ſiue AVSA, & AVSONA. Ciuitas antiqua Epiſcopali ſede condecorata *in Hiſpania Tarraconenſi*, ad Montis Pyrenæi radices ſita, hodie VICQVE in *Cathalonia*, à Barcinone X. Milliariis Hiſpanis, à Gerunda VI. diſtans, Solſonæ propior. Ipſius vetuſtiſſimum nomen AVSA, ſiue AVSONA fuit, quam quidam conditam perhibent ab AVSO Aramæi filio, qui *Hiſpaniam* ingreditur poſt obitum *Brigi Regis Hiſpaniæ*, vt notauit Ieronymus Pujades *Hiſtor. Cathalon. lib.* 1. *c.* 14. *fol.* 13. qui *c.* 22. *fol.* 20. contendit conditorem fuiſſe *Herculem Lybicum*, quando ex Italia in *Hiſpanias* reuerſus, gentem Italam ex *Auſoniæ* regione collectam traxit, quam per illius ſitus, vbi nunc eſt VICCVM, diſtribuit; à qua vrbs hæc nomine originis, condita eſt. Ptolom. in *Geograph. Tabul.* 2. *Europ. c.* 4. illam AVSA vocitat, à quâ Populi AVSETANI agnomen accepêre, quos inter *Latinos* enumerat Plin. *Hiſt. Natural. lib.* 3. *c.* 3. & Pujades *Hiſt. Cathal. lib.* 4. *c.* 34. *fol.* 179. *Topographia.* *Conditor.*

S. COLVMBA Virgo, & Martyr Tritienſis.] Plures in Hiſpania huius nominis COLVMBAS inuenio, omnes virginitatis gloriâ perſpicuas, & martyrij laureâ conſtantes; de quarum commemoratione hic Catalogum ſubiicere, haud extra rem erit. I. eſt COLVMBA, V. & M. *Senonenſis*, iuxta *Zamoram*, ad Annum C. XXXII. paſſa, de qua Iulianus Petri Archipresbyt. Toletan. *in Chron. n.* 59. II. eſt COLVMBA, V. & M. *Adurenſis* ſocia S. Quiteriæ ad Annum C. XXXVIII. de qua idem Iulian. in *Chron. n.* 80. III. eſt COLVMBA, V. & M. *Cordubenſis*, ad Annum DCCC. LIII. de qua S. Eulogius *in Memorial. SS. lib.* 3. *c.* 10. IV. COLVMBA eſt hæc noſtra *Tritienſis*, prope *Locronium* ad Annum DCCCC. XLIX. martyrio coronata, de qua Luitprand. in *Aduerſar. n.* 149. *&* 150. V. COLVMBA eſt *Interamnenſis*, in diœceſi Braccarenſi, iuxta Vimaranum, cum fratre *Leonardo*, de qua Anton. Vaſconzellos in *Deſcript. Portugall. fol.* 451. *n.* 20. § *multis*. Ludouicus ab Angel. in *Viridar. Portugall.* 131. D. Roder. de Acuña *Hiſt. Braccar.* 1. *p c.* 109. *fol.* 441. VI. COLVMBA eſt *Tauragienſis* in diœceſi *Eborenſi* Portugalliæ, de qua, & aliis pluribus Martyribus agit Vaſconzellos *vbi ſupra fol.* 553. *n.* 14. Ludouic. ab Angel. *vbi ſupr. fol.* 57. VII. COLVMBA eſt, *Conimbricenſis*, quæ cruci affixa martyrium Virgo & Martyr compleuit, die XX. Iulij, de qua Ludouic. ab Angel. *ſupra fol.* 96. Eduard. Nunnius in *Deſcript. Portugall. c.* 50 *fol.* 81. & Nos infra *Tom.* 4. VIII. COLVMBA eſt, *Archenſis* in diœceſi *Lamecenſi* Portugalliæ, quæ cum aliis Sanctimonialibus Virgo, & Martyr, earum Abbatiſſa gladio Sarracenorum occubuit, de qua Ludouic. ab Angel. *ſupr. fol.* 130. Harum proculdubio occaſione Virginum Sanctarum, ita communis eſt in tota ferè Hiſpania Citeriori, & in Luſitania aduocatio, & titulus Eccleſiarum, & Populorum, vt omnes hoc titulo recenſitæ Eccleſiæ prolixum erit referre. Sed nunc ad Noſtram COLVMBAM, quæ ex relatis *Quarta* eſt in ordine, redeamus. De ea hæc verba compaginat Luitprandus *d. n.* 149. ad literam: *Anno* DCCC. XLIX. *Rex quidam Sarracenus, nomine* Mahomat Zaquetus, *Dominus* Tritij, *propè* Lucronium, *habuit filiam; quæ conuerſans cum Chriſtianis, baptizata, vocari voluit* COLVMBA, *Virgo mirę pulchritudinis, & pietatis. Quod cùm pater ſciuiſſet, agrè tulit; & omnibus quibus potuit modis, illam à Religione Chriſtiana auertere, & ad Mahometaniſmum traducere conatus eſt: quod cùm non potuiſſet, illi caput amputauit. Quod cùm illa manibus ſuſtuliſſet, ad oppidum vſque* S. Colomæ *deduxit, vbi mirâ pietate*

C. *Columba plures Virgines & Martyres in Hiſpania.* *I. Zamorẽſis.* *II. Adurenſis.* *III. Cordubenſis.* *IV. Tritienſis.* *V. Interamnenſis.* *VI. Tauragienſis.* *VII. Conimbricenſis.* *VIII. Archenſis.* *Tricienſis Columba h. d. colitur.* *Acta.*

Digitized by Google

pietate circumvicinorum Oppidorum coli cœpit. Obiit XXVIII. Maij. Poſtmodùm idem Luitprandus *n.* 150. proſequitur: *Pater eius erat* Mahomat Zaquetus, *Dux Regis Corduba, qui filiam* COLVMBAM (*vt creditur*) à S. Victore Ceraſenſi *Presbytero edoctam, occidi iuſſit, &* Victorem *Presbyterum* XXVI. *die* Auguſti, *Anno Domini* DCCCC.L. *cùm ego eram Toleti.* Ex huius *Luitprandi* ecphraſis ſerie, DVO notanda veniunt.

An S. Victor traxerit ad fidem S. Columbã Tritienſem?

PRIMVM, quòd *S. Victor* Presbyter *Ceraſenſis*, cuius dies feſtus ad diem XXVI. *Auguſti* conſignatur in *Martyrologio Romano*, ex infidelitate ad fidem Catholicam traduxit S. COLVMBAM, quod proculdubio verum eſt, eo quod in *Actis S. Victoris* refertur, quatenus ſanctiſſimus Presbyter innumeros Sarracenos vtriuſque ſexus ad Chriſtum conuertens, propter hoc fuerit martyrio coronatus. Et roboratur hæc coniectatio, quia in eius *Legenda* dicitur; quod diuinitus agnoſcens, quòd intra cuiuſdam petræ, quam hodie *de Siete feneſtras* vocitant, foramina ſeptem eſſent incluſæ fœminæ propter Arabum metum, eo quod Chriſto nomina dederant, quas educere ſcalis Mauri contendebant, illarum in auxilium perrexit, & ipſas ab Agarenorum manibus liberauit, in fide inſtruxit, & humaniſſimè recepit; inter quas fortè COLVMBA erat.

Opinio aliquorum circa Tranſlationẽ S. Columbæ Cordubã Tritiũ fallit.

SECVNDVM, quòd hinc ceſſat opinio P. Martini de Roa *Hiſtor. SS. Cordubenſ. fol.* 149. & P. Marieta in *Topograph. Hiſpan. verb.* Najera, *fol.* 33. & aliorum dicentium: Quòd ſacra pignora S. COLVMBÆ, quæ in Vrbe NAGERA reconduntur, eſſe alterius COLVMBÆ Virginis, & Martyris *Cordubenſis.* Et patet, nam ſi in Vrbe *Tritio*, quæ eadem ac *Najera* eſt, martyrium conſummauit COLVMBA Zaqueti filia, de quo quaſi teſtis ocularis eſt *Luitprandus*; nec conſtat per authentica inſtrumenta, de *Tranſlatione Cordubenſis:* ergo tenendum eſt, Corpus illic repoſitum eſſe propriæ Ciuis, & non alienigenæ Martyris. Ad cuius comprobationem Ego pro opinione *Luitprandi* offero ipſiſſima argumenta quibus vtitur Ambroſius Morales *Hiſtor. Hiſpan. lib.* 14. *c.* 21. agens de S. COLVMBA *Cordubenſi*, quibus probare conatur, deuotionem, & pietatem quæ cordibus Hiſpanorum adhæret, in ſolemnitate & aliis honoribus collatis S. COLVMBÆ, minime fuiſſe, & eſſe ob memoriam illius COLVMBÆ Gallicæ, cuius dies feſtus XXXI. Decembris. Qui iſtam Hiſpanorum deuotionem admirans, nec aliam COLVMBAM, niſi *Cordubenſem* agnoſcens, per aliquot paginas DVO probare nititur; ALIVD quod iſta Noſtratum pietas prouenit ex memoria licet confuſa S. COLVMBÆ, aſt non Gallicanæ, cùm inueriſimile ſit, quòd tota ferè Hiſpania ad Exteram Diuam accederet, tòt tantiſque erectis Oppidis, Templis, & Dignitatibus. ALTERVM, quòd eſto, quòd hæc pietatis frequentia in Noſtrorum cordibus elucens pro cultu alicuius COLVMBÆ procedat, intelligenda eſt pro *Cordubenſi*, quia nulla alia tunc cognita erat apud Hiſpanos COLVMBA.

Ambroſij de Morales ignoratio aliarum huius nominis Virginum, & Martyrum.

HINC *Ambroſij* Noſtri ignorationem elicies, quâ obrutus, credidit nullam aliam fuiſſe in Hiſpania COLVMBAM, præter *Cordubenſem* Virginem, & Martyrem, cui tota mitteret pietatis Hiſpania faſces: quia vt in exordio huius *Notationis* probauimus, OCTO huius nominis Virgines & Martyres, in Tribus Hiſpaniæ angulis extitiſſe. In Bætica *Cordubenſis.* In Luzitania *Interamnenſis, Tauragienſis, Conimbricenſis, & Archenſis.* In Tarraconenſi, *Aburenſis, Zamorenſis*, & hæc Noſtra *Tritienſis*, ſiue *Najarenſis.* Ergo quid mirum ſi tota Hiſpania colit COLVMBAM, non vt ſomniauit Morales, *Cordubenſem* ſuam, tanquam Vnicam, ſed quælibet Prouincia ſuas.

Topographia.

TRITIVM, Ciuitas eſt antiqua Hiſpaniæ in *Autrigonibus* apud Plin. *lib.* 3. *c.* 3. hodie dicunt NAGERA, quam perperam *Gerundenſis* vocat TAFALLA. Verior *P. Ioannis Mariana* opinio; licet *Ambroſius Morales* non NAGERA, ſed prope ipſam Oppidulum ignobile, quod adhuc vetuſtum retinet nomen, & TRICIO appellatur. Quidquid ſit, Corpus S. Virginis in vrbe NAGERA conditur.

QVARTO

Digitized by Google

QVARTO KAL. IVNII.

DIES XXIX.

A. In Regali Cœnobio S. Ioannis Baptiſtæ cognomento Pinnatenſi, in finibus Celtiberiæ, depoſitio SS. VOTTI & FELICIS *Monachorum Ordinis Benedictini, qui cùm eſſent fratres germani, ex vrbe Cæſarauguſtana oriundi, primùm militaribus ornati baltheis, nomen exaltare cupientes, aduerſus Sarracenos, tunc temporis Celtiberiam vaſtantes, Catholica ſigna inſequi properarunt intrepidi; ſed Dei diſpoſitione aliò ducti, è ſaxoſo Panni montis cacumine, equorum præcipitatione prolapſi in ſpeluncæ hiatum, horridâ opacitate terribilem, conſiſtentes, & locum ſanctitudinis odorem ſpirantem contuentes, ibidem dimiſſis ſagis, cucullas induerunt; vbi miraculorum gloriâ inſignes, & bonorum operum ſarcinâ clari, ad Dominum Confeſſores inclyti placidâ dormitione venêre.*

NOTÆ.

SANCTI VOTTVS & FELIX Monachi, Confeſſores.] Qui fuêre *S. Ioannis Cœnobij Regalis* quod DE LA PEÑA dicitur in confinio *Nauarræ*, & *Celtiberiæ* mirifici conditores, & Patroni. Eorum licèt nomina adhuc in Tabulis Eccleſiaſticis nequaquam ſint recenſita, attamen hoc die ipſorum ab antiquiſſimis temporibus memoria colitur, vt referunt D. Ioann. Briz. Martin. *Hiſt. Pinnat. lib. 1. c. 8.* Aynſa Yriart. *Hiſt. Scriptores. Oſcenſ. lib. 1. c. 11* P. F. Anton. de Yepes *in Chron. Benedict. tom. 3. Cent. 3. Ann. 718. c. vnic. fol. 10.* P. Mariet. *Hiſtor. SS. Hiſpan. lib. 6. c. 31.* Gundiſalu. Illeſcas *Hiſtor. Pontif. 1. p. lib. 4. fol. 174.* P. Marian. *lib. 8. c. 1.* Murill. *Hiſtor. Cæſarauguſtan. Tract. 2. c. 50. fol. 431.* Stephan. Garibay. *in Compend. Hiſtor. lib 21. c. 7.* D. Vincentius Blaſco de Lanuza *in Periſtephan. Aragonenſ. lib. 2.* vbi OTTVM, non VOTTVM, ſanctum nominat Confeſſorem, de quo ſic carmine luſit. A.

OTTVS *erat tunc* Saldubæ, *Vir ſanguine clarus,*
Gloria Chriſtiadum, populi noſtratis, honorque,
Muz-arabos inter; fortis qui turbine nimbi,
Et damno triſtis, turbatam fletibus vrbem
Spectat, & ancipiti mentem formidine verſat.
Eleuat immenſum vultu caput, omnia functa,
Aut moritura videt, noſtros noctéſque diéſque

Digitized by Google

Mors manet, imbrifero pallens Machometus hiatu.
Quapropter fortuna grauis dum iactat Iberos
In longum tempus, ſyluas, vaſtóſque receſſus
Conſcendit diuinus homo, ceruúmque fugacem
Offendit, Panni *ſaxoſi in culmine Montis;*
Cuius ſurgebant ramoſo à vertice in auras
Cornua; qui paſcens grandis ſub margine rupis
Audito à longè ſonitu, ceruice leuatâ
Stat pauidus ſenſu, & fugibundus lumina figit
Multifida, ac rectas in frontem ſubrigit aures.
Cum cupidus prædæ Iuuenis calcaria preſſit
OTTVS *equo inſiliens; ſubito & ſectatur anhelus*
Alipedem, quamuis telis cursúque fatigans:
It præceps ſonipes, montes hinnitibus implet
Feruidus, atque celer; ſtricta contemptor habena
Cornigerum ſequitur, vincítque ardore volucres.
Nec potuit quadrupes nota inter tecta reduci,
Præcipiti curſu, & telis percuſſus ahenis.
Huc, illuc trepidanter hians, per deuia currens
Nubiferi Panni *prærupta cacumina Montis*
Abſque alis volat, vſque ima ad fundamina ſaxi,
Pluſvè, minuſvè vlnas centum: cùm plumbea moles
Cum ſtridore ruit, latè ſonat vndique bombus,
Et complosa tonant ſaxa. Atque attrita repandis
Saltibus oſſa crepant Cerui, truncúmque cadauer
Contritum, multo tellurem ſanguine tingit.
Peruolitabat equus, multò velocior Auſtro,
Poſt Ceruum, leuibus velut alis, impete caco,
Peruenit in ſaltum, cùm iam ruiturus ad ima
Implumis, nanti ſimilis, diſtentus in auras;
Orantem Diuos, tendentem ad ſydera palmas
Aſſumpſit tremulus non ſueta in brachia ventus
Naturam contra, & ſuſpendit in aëra lapſum,
Imperio Domini, mortémque minantia ſaxa
Concludunt extrema pedum, plantáſque volucres
Fortis equi tenuêre arctis (mirabile dictu)
Cippis; queis OTTVS *potuit ſubductus in altum*
Piniferi Montis culmen, miracula cœli,
Tot mala, tot caſus, penſare pericula, culpas,
Atque animi morbos deflere, & temnere Mundum,
Tot ſignis, miraclis tot mollita voluntas.

Queis

Queis OTTVS *merſus curis, indagine multâ,*
Circuit Aſtriferos apices, & quærit anhelans,
Quâ poßit reptans Montis deſcendere collem.
Difficilis deſcenſus erat, facilíſque ruina,
Syluoſis latè dumis, atque arbore clauſus,
Horridus, vmbroſus, viridis quem ſylua tegebat,
Atque frequens trabibus, nullus quas abſcidit enſis.
SIC *tacitus ſaltus inter reptare ſilentes*
Cœpit, & ambages duro compeſcere ferro.
Fronduit hic denſo criſtata cacumine buxus,
Et ſuccincta comas viridans & nautica pinus.
Ergo per anguſtos (tenſis hinc inde rubetis)
Tranſiuit calles; magnum peruênit ad antrum,
Et ſpecoris magni portas, vbi ſanguine Cerui
Lapſi per ſcopulos vndabat terra fluenti,
Et clari laticis rutilis de fontibus vnda.
Hic vbi ſub ſpecubus cœcis habitabat Eremi
Cultor Atareſius tunc captus ad aſtra Ioannes,
Sanctus homo; Cuius conſpecto corpore, Diuus
Non potuit lacrymas oculis retinere ſubortas;
Sed longum mollis fletum mens traxit in horas,
Dum Corpus ſacrum foßis tumulauit arenis.
Quo facto cœpit valido clamore, piiſque
Cœlicolûm pulſare preces, & numina votis
Vrgere; & tales effundere in æthera voces:
Omnipotens æterne Deus, Regnator Olympi.
Altitonans Pater, atque hominum, rerumque Creator,
Vera Dei proles, Verbúmque, orbíſque Redemptor,
Qui mundum nutu, & radiantia ſydera torques,
Iam miſerere mei; ſupplex tua munera poſcit
OTTVS *peccator, mentem, ſenſúmque labantem*
Confirma; vt tecum maneat. Quod ſuſtinet Orbis
Diſpereat totum mihi. Sit tua ſancta voluntas
Regula factorum tandem ſuprema meorum.
Cæſaris auguſta patriæ conuiuia, luxus,
Nunc fugiam; flebo maculas, deflebo reatus.
Sanctificat mentes locus hic, noua corda, nouóſque
Influit affectus. Sunt hic plantaria cœli,
Simplicis & vitæ iugis cuſtodia ſacræ.
Hoc dixit; ſurgítque extemplò, & culmina Montis
Aërij Panni *linquit; deſcendit ad agros*

Mox Salduba *tuos: fletus, lacrymâſque reuiſit*
Captiua gentis, Cleri, Populíque dolores.
Diſtribuit bona, res omnes, ſepta, arua, domóſque
Vendere curauit, magno ſuccurrere damno,
Auxilióque leuare viros, rémque addere nudis,
Et dare pauperibus Chriſti quæcunque tenebat:
Ducere Felicem *fratrem, vſque ad murmura fontis*
Patris Atareſij, *lapidoſáque ad antra* Ioannis.
Huc ergo veniunt, vitæ ſancire quietæ
Leges, mente Deum totâ, conamine toto,
Toto animo amplecti Dominum, ſequi, amare, vereri,
Atque bonos monitus, ieiunia cœlica, mores
Cœlituum, ſublime genus, conſortia Diuûm,
Séque ſuperuacuis quærentes ſoluere curis.
Inde Monaſterium paruum, tenuéſque caſellas
Principio adificant; velut arcta ergaſtula vinctis,
Vel potius cæcis gurguſtia clauſa cauernis,
Conſona iuſtorum factis, & commoda vitæ.
Incipiúntque ſuos paulo pòſt ſpargere fructus,
Fama volans celebris roboat, reſonátque per antra,
Per latebras migrat, ſaxoſáque tegmina plectit.
Quóſque pauor trepidus, ſaui quos fulminis ictus
Condere compulerat triſtes ſub quercubus atris,
Quos gladius belli rigidus concluſerat antris,
Chriſtigenæ veniunt, concurrunt agmine multo,
Reliquiæ Gothicæ, Noſtratum ſumma ſuperſtes,
Ad placidos fontes, ad dulcia concaua Rupis,
Fons vbi perpulcher, nitidíſque argenteus vndis,
Muſcoſóque ſitu frondes, riuíque ſonantes,
Et ſpecus horrendum, & celſi ſpiracula cœli,
Conſilium vt poſcant. Bellum ne? an turpia pacis
Fœdera firmare, & Mauris pro tempore colla
Subdere, ſit melius? Nam exordia vbique pauoris,
Luctus vbique fremunt, fugiendáque mortis imago.
Sanctus vterque Patrum concordi fœdere primùm
Compoſitas iungunt felici in pace cohortes,
Mox animant verbis, præconia laudis adire
Concupiant, ſumant vindictam, bella ſequantur.
Nec mora, conuicti monitis, ardore triumphi,
Et zelo fidei allecti, & dulcedine laudis,
Inſtituunt leges, Regem, mox arma capeſſunt:

Eiciunt

Eïciunt Mauros victos de Montibus altis,
Viribus instructi; totámque deinde Pyrenem
Subïciunt Christo: Munitam mœnibus vrbem
Iaccensem capiunt, Barbastrum, florida multa
Oppida conquirunt, longum subiecta per æuum,
Per longum tempus. Multis iam distulit annis
Nostratum fortuna grauis, captiuáque Mauris,
Annis ter Centum Centum si iunxeris annos,
Per centena quater deducens secla. Deinceps
Calcatur Maurûm impietas; & barbara sensim
Agmina vincuntur; deletur Punica pestis
Arcibus eiecta excelsis, depulsáque septis.
Impiger, & Miles Noster descendit in vrbes
Maiorum (Maurus miserandâ sorte subactas
Quas tenuit) soluens ferratos compede duro
Christigenas, diris etiam sacraria vinclis.

ACTA omnimoda scripsit *Macharius* Monachus illius Regalis Cœnobij Sanctorum Virorum VOTTI, & FELICIS coæuus, quæ MSS. adseruantur in schedis illius Monasterij, quorum copiam licet prolixius postularem, vt huic operi adnecterem, ministerio *D. Iosephi Pellicerij* Regij Chronographi apud Castellanos, & Legionenses,& *Doctoris Ioannis Francisci Andresij* Historiographi Regni Aragoniæ, penitus illam obtinere non valui. Nescio quo sensu hæc Monachorum nititur auaritia,vt potius hæc Sanctorum monumenta, quæ in Dei honorem, Sanctorum gloriam, & Nationis specimen veniunt exponenda, inter pulueris, & cariei cumulos conseruare contendant,quàm Scriptoribus propalare, & exhibere, ac si Nos illorum dedecus quæreremus: at quia hæc nostra querimonia communis: ad ACTA Sanctorum Confessorum pergo, provt illa ex fragmentis *Macharij* Monachi à *Brizio* relatis, & aliorum elicere potuimus. *Quis Acta scripserit.*

ACTA SS. VOTTI, ET FELICIS, FRATRVM Anachoretarum, Confessorum, & Regalis Cœnobij S. Ioannis Pinnatensis fundatorum; ex Macharto & alijs.

CVM *igitur Gothorum tempore totius* Hispaniæ *Regnum tàm intra, quàm extra Pyrenæos ad* Rodericum *Regem deuenisset; ob huius, & ciuium peccata Deus* Hispanias *punire decernens, aduersus eas Sarracenorum agmina concitauit, ita vt breui Gothorum opulentia, Procerum superbia, & militum fortitudo Agarenorum armis submissa iaceret, & vrbium mœnia confracta victorum Arabum turmas, expulsis Christianis ciuibus, recipere compulsa gemerent. Huius miserabilis excidij ruina vrbem* Cæsaraugustanam *aggressa, illius quoque terminos inuasit, quousque vrbe, deditione, captâ, innumeri ex Gothis, aut Virginea domus sospitate illecti, aut rei familiaris conseruatione constricti inter* Muzarabum *numerum viuere decreuerunt, qui Sarracenis tributa communia, provt & Gothis Regibus pendebant, soluentes, vnà cum Arabibus mixti, ciuitate donati, propriàs facultates liberè ministrabant. De horum gremio fuere* VOTTVS & FELIX *fratres germani, qui ex eadem vrbe* Cæsaraugustana *progeniti, sanguinis nobilitate præclari, opum copiâ celebres, & virtutum frequentiâ inclyti, ipsissimam cæterorum* Muzarabum *fortunam experti, domum auitam, sub parentum tutelâ, & si magnis* *Hispaniæ excidium.* *Origo SS. Fratrum.*

Digitized by Google

ſingultibus, ob Catholicorum prouincialium infortunia, à perfidis Agarenis illata, iuuenes conſeruabant. Sed Dei nutu, per mirabilem euentum ad ſpeluncam Panni Montis accedentes, relictis parentibus, domo, opibus, & amicis, Deum inter arborum ſolitudinem exquiſierunt; vt Eccleſia ſeruos in Sanctis Fratribus, & Prouincia Reges ex militibus, quorum illi orationibus, & illi armis, Regionem è Maurorum faucibus eriperent, offerrent.

Loci deſcriptio.

SED *quo caſu ad hunc tàm remotiſſimum deuenerint ſpecum, ſubſequens enarrat eloquium. Occaſio tamen poſtulat, vt priùs de ſitu huius loci parum loqui debeamus, deinde ad eorum Acta exponenda tranſitum faciamus. Situs ergo loci gratiſſimus eſt, longa tamen denſáque arborum confuſione cingitur, & ad eum difficilis patet acceſſus, fontium aquæ bullis ingentibus ex rupium viſceribus ſcaturiunt, iámque pluribus diſperſa riuulis luxuriantia prata irrigant; vndique prærupti montes ſublimia ſuſtollunt cacumina; intus conualles tanta fructuum agreſtium vbertate ac varietate decorauit natura, vt mentes accedentium primo aſpectu inculta loci pulchritudo conſternat. Ad hunc, vti fert antiquorum fama, deuenit ſupradictus Beatiſimus* VOTTVS *tempore quodam: qui, vt ſupra diximus,* Cæſarauguſtanâ *vrbe ortus, venatui ceruorum, aprorúmque atque cæterarum ferarum deditus erat. Quadam verò die, dum perluſtraret abdita cacumina Montium, concauáque vallium, necnon abdita loca ſyluarum, reperiſſe dicitur ceruum, quem dùm ad interitum canibus, gladiiſque perſequeretur, inter horrenda nemorum præcipitia velociſſimo curſu ſeſe proripit fera, quouſque ad præfatum deueniret locum. Equo namque poſt ceruum euolante, ipsóque venatore in interitum cerui, gladio extento, accurrente, ceruus ad altiora euolauit Montis faſtigia: Igitur ex vtraque parte concluſus ceruus; ex vna ſiquidem perſequebatur hoſtis; ex alia, ad eminentiſſimam deuenerat rupem, angustiabatur vndique; tandémque ex alto ſpecu ſe dedit præcipitem. Cúmque ſonipes in ipſo Montis confinio, vnde ceruus deciderat & perierat, demoraretur, ac miles acerrimus morti propinquum ſe cerneret, tantum dixiſſe fertur:* Sancte IOANNES ſuccurre mihi. *In hac voce Omnipotens Deus, equi pedes, meritis* S. Ioannis, *ita ſilici adhærere fecit, quòd adhuc apparent illius veſtigia. Qui ſtupefactus ex tam improuiſo miraculo, ad ſemetipſum redijt, & Liberatori ſuo Chriſto, meritis Sancti ſui* Ioannis, *gratias reddidit. Enimverò de equo deſiliens, & vt auidus ſcrutator tantæ habitationis cupiens locum videre, euaginato gladio, quo accingebatur, præcidendo quæ illic multa habebantur arbuſta, ſemitam introeundi reperijt, quâ varia ferarum genera, ſolito more ad fontem, qui ſub Monte deriuatur, deſcendere ſolita erant. Proſpectis itaque concauis rupium, ac intimis locorum, tandem Eccleſiolam reperit paruulam in honorem* S. Ioannis Baptiſtæ *antiquitus fundatam, quam vt intrauit, protinus omnia in ea contenta, oculis proſpectauit; & iuxta Altare* B. Ioanni *dicatum, cadauer Venerabilis Eremitæ conſpexit. Ad huius ſpectaculi intuitum, nequaquam iuuenem horror inuaſit, quinimò prorſus ab eius corde omnia horribilia, Deo diſponente, radicitus euanuére: quia cùm prouidentia Altiſſimi ibi domum ſibi extruere ſatageret, ideò nihil horroris in animo militis permiſit enaſci. Igitur Eremita vitâ functus, quaſi dormiens iacebat, aſpectu venerabili, & pulchro, ita vt iuueni errabundo cæleſte pareret ſolamen. Capiti cernical erat lapideum, & triangulare, in cuius planicie hoc erat Epitaphium literis Gothicis communibus ſcriptum:*

Venator Vottus.

Ab equo dilabitur.

Eremitam ſanctum defunctum inuenit.

EGO IOANNES. I. IN HOC LOCO EREMITA. QVI OB AMOREM DEI, SPRETO HOC SECVLO PRÆSENTI, VT POTVI HANC ECCLESIAM FABRICAVI IN HONOREM SANCTI IOANNIS BAPTISTÆ. ET HIC REQVIESCO. AMEN.

HOC *igitur* VOTTVS *ſpectaculo, ſpeculatione ſuſpenſus, hæc quæ intuebatur demirans, inter deſiderij ſpectationem, & gaudij placitum, Deo gratias referebat, ob miram opem, quam* B. Ioannis *impetratione, tot periculis deuictis,*

fuerat

fuerat adeptus. Nam aliquando oculos ſubleuans, & rupis altitudinem conſiderans, in cuius depreſſo cliuo equus affixus erat; & aliquando demittens, & profunditatem inſpectans, quâ Ceruus in partes diſiectus iacebat, compunctus, & ſignabat ſe ſigno ſanctæ Crucis, & iterum Domino grates agebat. Demum poſt longam euentus penſitationem, feruidis exæſtuans deſideriis, Eremitæ ſepulturam propriis manibus aperiens, illum protinus ſepeliuit, vt in patriam reuerſus, omnia ſua diuendens, & pauperibus tradens, illius habitaculi ſolitudinem, quam iam ſibi charam, & amabilem conſpiciebat, dùm illi vitæ halitus perduraret, deſpectis omnibus, poßideret.

HIS *ſic peractis,* VOTTVS *equo inſiliens* Cæſaraugustam *cogitabundus repedauit, & ad ſuorum oculos, qui ipſius cunctationem deplorauerant, accedens, omnes ſui pectoris arcana celauit, excepto fratre* FELICE, *cui omnia quæ acciderant patefecit, periculum aperuit, rupis præcipitium depinxit, loci denſitatem expoſuit, Oratorij pauperrimi ſitum deſcripſit, & Sancti Eremitæ, cuius corpus humo dederat, admirabilem compoſitionem, oriſque pulchritudinem adumbrauit; & addidit ſe Dei nutu ad vrbem deuenisſe, vt diuenditis omnibus ſui iuris opibus, eas pauperibus traderet, & in illud ſe reciperet tugurium, quod propriâ fortunâ, aut Numinis diſpoſitione detegerat, donec Domino ſpiritum in vltimo vitæ exitu commendaret, deſtinaſſe.* FELIX *frater Dei auxilio ſuffultus, fratris veſtigia inſequi promittens, bona ſua etiam vendere decreuit, & pauperibus offerri* VOTTO *fratri permiſit; vt quos vna, eadémque ſanguinis proſapia germanos effecerat, vna, & æqualis eos ſors vſque ad vltimum vitæ terminum peræquaret. Volupe ſanè fuit, atque pergratum* VOTTO *placitum* FELICIS, *quo Chriſti amplexibus nudus inhærere diſpoſuit; ideò hac occaſione ſuſceptâ fratrem interpellauit, vt viam electam minimè deſereret, illi verbis efficacibus exponens, quàm bonum, & quàm iucundum ſit habitare fratres in vnum, quantóque animi beneficio commutaret huius mundi caduci illecebras, cum illis cæleſtibus præmiis æternùm duraturis. Denique illi ob oculos poſuit propriæ ciuitatis diſpendium, in cuius ambitu, non niſi in barbarorum ſocietate blaſphemantium commorari permiſſum; ideò melius eſſe illis vitam in ſolitudinibus agere, quàm in vrbe plena nocentium, & infecta ſceleribus peccantium, auctorante Prophetico ſermone:* Elegi abiectus eſſe in domo Domini, magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum. *His ſic inter eos collatis, protinus ad cogitata, & decreta animum applicuerunt, & relictâ vrbe, iter arripientes, ad montis cacumina præpoſterè peruenêre, vbi* VOTTVS *fratri omnia loca ſui periculi demonſtrabat. Tum* FELIX *rupes, & ſolitudinem demirans, in cœlum eleuatis oculis, glorificabant Dominum, & præ nimio gaudio plorantes ad ſpecus limina peruenerunt, vbi S. Spiritus perfuſi flatu, nouum ſpiritum recipientes, vice horroris, quem ſimiles rupium, & ſolitudinum ſitus ſolent infundere, animum ad viam virtutis proſequendam diuinitus concepêre.*

Cæſaraugustam repedat.

Pſalm. 83.

ERGO *in ſpeluncam poſiti, & Domini gratiâ pleni, habitu Religionis aſſumpto, prorſus corpora labori ſubdidêre; & qui antea in domo paternâ delicati, omnes cogitationes ſuas in vnam corporum voluptatem abiiciebant, iam calcatis omnibus deliciis, diù, noctúque pſalmis, hymnis, canticis, ieiuniis, atque vigiliis, & orationibus, cum lacrymarum vbertate ad Dominum inſiſtentes, deſiderij ſui ſatagebant implere laborem. Hominum conſuetudinem perrarò accipiebant, & rariùs per vicina loca verſabantur, ne accolarum curioſitas, illorum ſeceſſum, & intentionem detegeret. At cùm Viri ſancti bono comparentur odori, & lumini, & lux nequaquam poteſt abſcondi, nec odor retineri, ita Seruorum Dei virtus diù latêre non potuit, quia vitæ ſplendor, & fragrantia facinorum eorundẽ totius circuli terminos occupauerat. Nec hoc abſque Dei prouidentiâ, vt Catholica repararetur Religio in illis Regionibus, quas Arabum infanda crudelitas, & abominabilis infidelitas depaſcebat. Nam cognito Venerabilium fratrum ſeceſſu, & vitâ, multi illuſtres Proceres, & ſtrenui milites, qui in vicis, & ſpeluncis abſconditi à Sarracenorum furore perfugerant, ne*

Ambo fratres in ſpeluncam deueniunt.

Digitized by Google

fidelium damna ſine medela conſpicérent, ad ſpecum S. Ioannis *confugientes, ab ipſis Venerabilibus Eremitis ſolamina in neceſsitatibus, & conſilia in diſponendis futuris euentibus percipiebant. Coadunati ergo plurimi ex Gothorum reliquiis, ſuaſionibus SS. Virorum ad reparationem prouinciæ accincti, Garſiam Scemenium ſibi Ducem elegerunt, qui cum Trecentis ſtrenuis militibus, Suprarbiæ, & Nauarræ regna ditioni ſui imperij ſubigere facili, & felici cæperũt euentu. Profecerant enim ad expugnationem huiuſmodi, non tantum militum arma, quantum Anachoretarum fratrum orationes continuæ, & conſilia potiora, quibus armigeri ſolidati, quantocius illi orationi vacabant, iſti Agarenorum copias penitus diripiebant; ita vt è pluribus populis Machometanus error expulſus, Catholica Chriſti religio rediuiua extenderetur in ipſis, anſam præbentes ſequentibus, ad vlteriora feliciter redigenda.*

Eremiticã vitam agũt.

Cvm *enim in exordio ſeceſſus eorum, SS. Eremitæ optimam cum Maria partem elegiſſent, Charitatem Dei, & proximi totâ mente retinebant, ſed ab exteriori actione requieſcere, ſoli deſiderio Creatoris indeſinenter inhærere, vt nihil iam agere libeat, concupiebant, ita vt exploſis curis omnibus ad videndam faciem Dei, animi eorum inardeſcerent. Quorum tanta fuit in hac vitæ contemplatiuæ viâ altitudinis exiſtentia, vt iam carnis corruptibilis pondus cum mœrore portarent, totiſque deſideriis cœleſtem patriam appeterent, hymnidicis choris Angelorum intereſſe, cœleſtibus ciuibus admiſceri, & de interna in conſpectu Dei incorruptione gaudere, ſatagerent. Sed cùm Dei prouidentia illos per viam actiuæ vitæ perducere diſpoſuiſſet, vt Marthæ quoque miniſteria guſtarent, conſtituit, quòd fidelium turbæ, per illorum montium cacumina, & vallium inhoſpita teſqua, Arabum timore, deliteſcentes, præſidium in occulto ſpecus hiatu, & conſilium, auxiliumque Venerabilium fratrum interpoſitione cognoſcerent. Quibus vt ſubuenirent ſanctiſsimi fratres, à contemplationis exercitatione continuâ paululùm ſuſpenſi, ad actionis exercitium commigrantes, hoc ita compoſitè perfecerunt Aſceta, vt licet Marthæ miniſteria peragerent, non ex hoc Mariæ quietis obliuiſcerentur. Ergo Beatiſsimi fratres, ſic Vtriuſque vitæ ſymbola connectere didicère, vt nec actiua contemplatiuæ impediret feruorem, nec iſta illius actiones, oppoſitione, conſtringeret. His exercitiis duplicibus, per aliquod temporum ſpatium vitam feliciter texuerunt, vt proceribus, & militibus, quotidie ad illos confugientibus auxilia præſtarent. Sed cognitis victoriis Chriſtianæ militiæ aduerſus perfidos Chriſti hoſtes, & quod Garſias Scemenius illius Dux ſtrenuiſſimus, diribitorium apud Ainſam collocaſſet, quò iamiam milites, & cæteri prouinciæ fideles, ex Gothorum proſapiâ geniti ſeſe recipere valerent, extruxiſſet; ad contemplationis primæuæ requiem reſtituti, ſemoti ab omni aliâ curâ, animos ad interiorem ſenſum traduxére: maximè cognitis antiqui ſerpentis calliditatibus, quibus beatiſsimorum fratrum illuſtria facinora, in eorum cordibus extollere diabolica tentabat aſtutia. Sed cum hæc non profuiſſet (nihil enim ex ſeipſis aliquid bonum perfectum exiſtimabant, ſed Deo quæcunque optima referebant) alias damonum rabies, intrinſecus & extrinſecus introduxit fallacias, ita etiam vt ad viſibilia phantaſmata proſiliret, ſed Dei ope ſuffulti diabolicas illuſiones ſuperarunt, & in propria quietis identitate remanentes, gratias Deo humiliter pro victoria referebant. Multis denique annis in certamine decurſis, quot ab inuentore omnium malorum bella paſsi ſunt, nulli mortalium abſque eo, qui cuncta è cælo proſpicit, patet. Quas verò identidem pertulerint tentationes, & quibus modis, apertè neſcimus.*

Gothos diſperſos inuitant ad reſtaurationẽ Regni.

Ab Angelis viſitantur.

Hic *igitur innumerabilibus calliditatibus antiqui ſerpentis patienter deuictis, Deus ſanctorum ſuorum conſtantiam cœleſtibus pignoribus repenſare dignatus eſt, ideóque illos paſsim per Angelorum ſuorum miniſteria viſitabat: quorum vnus quotidie panem illis cælitus deferebat; donec hoc euentu ipſis huiuſmodi denegatus eſt cibus. Nam cùm quidam Sacerdos de more ad SS. fratrum cellulas accederet, & vt illis aliquam refectionem deferret, & vt ſeruorum Dei conuerſatione pabulum ſibi ſpirituale perquireret, euênit, vt huius*

ſeceſſus

Digitized by Google

ſeceſſus Sacerdotis frequentiam, eius animaduerteret ſoror, quæ à fratre curioſa cauſam, & locum quotidiani itineris exquiſiuit, ſed à Sacerdote repulſa eſt: ſtimulos negatio addidit deſiderio perquirentis. Illa propriæ naturæ vim (quæ in adipiſcendo concepta verſatur) fraudare recuſans, fratrem per montium anfractus, & vallium latebras pertinaciter inſequuta, ad ſpecus conſpectum peruenit, vbi fratrem cum VOTTO *in rupe ſedentem, & conuerſantem inuiſit, & poſt paululum, Angelum Domini, qui per alterum ſpelunca locum deciuem deſcendens, in medio curſu perſiſtens, hac altâ voce pertonuit*: Eo quod ſecularium admittis contubernia familiaria, & comeſſationes, & in deſerto fœmineus ſexus occulitur, ideò Dominus vobis denegat cibum, & me iterum non videbitis; *quo dicto, & demiſſo pane, quem ferebat ſupra* VOTTVM, *cuius ictu illum in corde, & corpore percuſſit, diſparuit. Exinde ergo, ſic cæleſtem ſuperna dignatio cibum eis denegauit, vt nec vlterius, Angelo obſequente, tranſmiſit, quò Viri Dei inde laborioſiùs viuerent, & nec vlterius ad ſe introeuntes taliter reciperent.*

PRO *tempore ſiquidem* VOTTVS *ruminans quanto parentes afficerentur mœrore, propter eorum ſeceſſum, neſcientes eorum profectionis ſtatum,* Cæſarauguſtam FELICEM *fratrem quantocius deſtinare conſtituit, vt eius conſpectu parentum ſedaretur mœſtitia, & eius præſentiâ conſanguineis ſalutis æternæ via aperiretur incultis. At vt efficaciùs eorum parentes agnoſcerent vitæ eremiticæ ſtatum, illorum lacrymas hac Epiſtolâ deliniuit*: Qui ſuperni Iudicis obediunt mandatis, pro eius amore ſecularibus ſe ablactant pompis: quamuis ab hominibus longè ſint remoti; inter huius ſeculi tamen deſerta, ſuſtentantur alimentorum pabulis. Vos hæc cognoſcentes, chariſſimi, ad aliam, quæ eſt abſque laboribus, vitam, totis viribus tendite, & hanc animalem, ærumnis & laboribus plenam, relinquite; quæ à mœrore incipit; & dum eſt, cum laboribus agitur; ac tempore appropinquante, cum periculo & luctu terminatur, nihil abſque peccati grauamine ſecum reportans; diuitiis cum maximo ſudore adquiſitis, filiis, & filiabus remanentibus; ac ipſis peſſimè, eis vtentibus, nihil pro parentum animarum liberatione, ex eis, tribuentibus; Quæ igitur ſurſum ſunt, ſapite; Quæ ſurſum ſunt quærite, non quæ ſuper terram. *Nec ſine exemplo* VOTTVS *hæc fecit, nam* S. Martinus *poſt eius in eremo ſeceſſum, ad patrios reuerſus lares, Matrem propriis manibus baptizauit; &* FELIX *parentes ſtabiliuit in fide, & plurimos ex Muzarabibus, ad Dei obſequium, eius, & fratris exemplo, reduxit.*

Felix ad patriam repedat viſitatum parentes.

DENIQVE *beatiſſimus* VOTTVS *natu maior ex fratribus, cum in vitæ perfectione monaſtica, per multos annos curſum exegerit, continuis vigiliis, ieiuniis, fame, nuditate, & illius deſerti incommoditate compreſſus, horam ſuæ migrationis à Domino ediſcere meruit. Hoc bono lætatus nuntio (nam nihil ſibi antiquius, quàm deſiderium diſſolui, & eſſe cum Chriſto) proprio ineſcatus ſpiritu, diem in oratione expectabat, & ſic præparatus ad viam, quietus agritudinem ſuſtinebat, quouſque termino dormitionis inſtante, percepto viatico totius perfectionis, cum centeſimo fructu, lampade refulgente, thalamum ſponſi & Regis ſui prudens virgo intrare promeruit. Cuius corpus in Oratorio antiquo ſpecûs* S. Ioanni Baptiſtæ *dicato, à fidelibus tumulatum, ibidem quieuit, donec* FELIX *poſt breue temporis interuallum, etiam vitâ ſanctiſſimè functus, fratris latus in eadem Capella ab ipſis fidelibus accipere meruit. Ad quorum tumulos Deus ægris innumera beneficia impartitur, ita vt excubantes ad eorum ſanctiſſima corpuſcula, diuinam inibi ſemper ſentiant cuſtodiam, & aliquando Deificum lumen de cælo dilapſum apertis percipiant oculis. Infirmis verò quacunque infirmitate depreſſis, ad ſepulchra eorum venientibus, ſalus omnimoda adhibetur. Præſtantur ibi beneficia quærentibus, meritis Beatiſſimorum Confeſſorum* VOTTI *&* FELICIS. *Horum feſtiuitas die* XXIX. Maij *iunctim celebratur à fratribus, non quia eodem obierint die, ſed quia cùm* VOTTI *tranſitus eodem euenisſet, vt referunt; conueniens viſum fuit ſucceſſoribus,*

Sanctorum occupatio.

Mors.

Vtriuſque feſtiuitas ſimul colitur h. d.

ſucceſſoribus, vt quos eadem vitæ actæ æqualitas coniunxit in eremo, eadem in Eccleſia feſtiuitas eorum memoriam repetat per ſecula. Amen.

Hactenus ACTA quæ ex fragmentis diuerſorum potuimus elicere. DVO attamen abs Scriptoribus dubitantur. PRIMVM, An prædicti Fratres Beatiſſimi fuerint *Monachi*, & cuius inſtituti? SECVNDVM, An *Sacerdotes*, & cuius gradus? Quoad PRIMVM dubium D. Ioann. Briz. *in d. Hiſtor. Pinnatenſ. lib. 1. c. 11. fol. 47.* aliquot argumentis probat, quòd ij Sanctiſſimi Fratres fuere *Monachi* ex ordine *Benedictino*. I. quia *Macharius Monachus* dum ſeceſſum ex vrbe *Cæſaraugustana* in ſpeluncam deſcribit eorum, affirmatiuè aſſerit, illos *habitu Religionis aſſumpto* ceſſiſſe: ergo Monachorum cucullâ induti. II. Quia tempore illo, nulla alia Religio in partibus Occidentalibus florebat, præcipuè in *Hiſpania*, niſi *Benedictina*; ergo conſtito per aſſertionem *Macharij*, illos *habitum Religionis aſſumpſiſſe*, euidens eſt, fuiſſe *Monachos Benedictinos*. III. Quia eo tempore erat apud *Cæſaraugustam* celebre S. Engratiæ Martyris Cœnobium huius *Benedictini* Ordinis, in quo per aliquod tempus ſtetit *S. Eugenius* III. Epiſcopus Toletanus, vt refert S. Ildephonſ. *de Vir. Illuſtrib. c. 14.* & cùm iſti Beati Fratres diuino ſpiritu ducti in ſpeluncam illam ſecedere conſtituiſſent, veriſimile videtur illos ad Cœnobiũ acceſſiſſe, & habitum illius Religionis induiſſe, vt perfectiùs Anachoretarum auctorarent ſtatum, qui ex quatuor inſtitutis Monachorum conſtat; quorum vnum eſt à *S. Benedicto*, vt ex *c. 1. Regul.* patet. IV. Nam illud *Regale Cœnobium* ab eius exordio, advſque præſens, ſemper ex Ordine *Benedictinorum* fratrum conſtat fuiſſe, & eſſe compactum, licet à principio Epiſcopis *Iaccenſibus*, Abbatum defectu, pareret, vſque ad tempora *Sancij Garſiæ* IV. Regis Supraruiæ, quo Epiſcopis Aragoniæ fuit adempta facultas iuriſdictionis in Monachos, & data *Tranſirico* Abbati, Viro ſui ſeculi exemplo, & doctrina celebri: qui ordinem Cœnobitarum ſecundum Regulam S. Benedicti in ſpecu illo *Pinnatenſi* plantauit, ita vt fratres ibidem Deo ſeruientes reduxerit ex Anachoretarum gradu, ad Cœnobitarum ſtatum. Ex quibus rationibus, *Brizius* hanc ſuam opinionem extollit.

An Monachus Benedictinus vnuſquiſque? Quod Monachi probatur I. II. III. IV.

SED aduerſus eum inſurgit Ioannes Trullo *de Canonic. Regul. fol. 65.* qui ex Stephan. Garibayo in *Compend. Hiſtor. lib. 21 c. 8. n. 30.* contendit ab exordio illud Regale Cœnobium incoluiſſe *Clericos* donec tempore *Sancij Maioris* introducti fuiſſent ex Cluniacenſi Monaſterio *Monachi*, qui adhuc in eodem regulariter perſeuerant: Cuius *Ioannes Trullus* opinionem amplectens, nititur probare ex rationibus, & iuris diſpoſitione, quòd eo ipſo quòd vocantur in priuilegiis, & relatione *Garibayi* habitatores illius ſpecus, CLERICI, intelliguntur *Canonici Regulares*, quia in communi viuentes, hoc titulo, à naſcentis Eccleſiæ principio, & tempore Apoſtolorum vocabantur. Cui argumento reſpondet Brizius *d. lib. 1. c. 30. fol. 128.* erraſſe *Garibayum*, aſſerentem habitaſſe *Clericos* (quos *Trullus* vocat *Regulares Canonicos*) in hoc Cœnobio ad tempora *Sancij Maioris*, qui Era M. XXXVII. hoc eſt Anno Chriſti DCCCC. XCIX. regnare cœpit: Nam Era DCCC. XCIV. hoc eſt Anno DCCC. LVI. tempore *Garſiæ Scemenij* Pampiloniæ Regis erant Monachi in *Pinnatenſi* Cœnobio, per C. XLIII. annos ante *Sanctium Maiorem*, vt patet ex Priuilegio ipſius *Garſiæ Scemenij*, quo *S. Ioanni Pinnatenſi* concedit Monaſterium S. Martini *Cellenſe*, & aliud S. Stephani *Hortulenſe*, & concludit: *Hæc eſt charta donationis, & oblationis, quam Ego* Garſias Scemenonis *Rex Pampilonenſium, vnà cum Comite* Galindone *de Aragon, facio Deo*, & B. Ioanni Baptiſtæ, *& Abbati Attilo, &* MONACHIS, *ibi Deo ſeruientibus*. Ergo ante tempus regni *Sancij Maioris*, iam erant MONACHI cum Abbate in Cœnobio *Pinnatenſi*, & ij ex *Ordine Benedictino*, cum conſtet ex *S. Eulogij Epiſtola ad VVileſindum* Epiſcopum *Pampilonenſem*, quòd Monaſterium *Cellenſe*, quod in hoc priuilegio vnitur Cœnobio *Pinnatenſi*, erat *Benedictinorum*; & perperam conueniens eſſet, quòd Monaſterium vnius Ordinis vniretur Cœnobio alterius, ſi illud *Pinnatenſe* pareret Canonicis Regularibus: & ſimiliter ex hac conſequentia conuincitur aſſertio *Garibayi*.

Quod Clerici probat Trullus.

NEC obſtat, inquit *Brizius*, quòd priuilegia vtantur voce *Clericorum*: Quia cùm hæc ſit communis *Monachis*, *Clericis Regularibus*, & *Secularibus*, non eſt cur

Reſpõdetur Trullo.

Trullus,

Digitized by Google

Trullus, ſic vocem iſtam ad ſolos *Canonicos Regulares* reſtringat, exploſis cæteris *Monachis*, & *Secularibus*, maximè conſtito, quòd olim, & per ea ſæcula fuerint *Clerici Regulares* in *Ordine Benedictino*, ex quorum numero fuêre fortè *Pinnatenſes*, qui ſub *Tranſirico* Abbate militarunt. Quòd fuerint olim duo genera *Canonicorum Regularium* in Occidente, aliud *S. Auguſtini*, & aliud *S. Benedicti*, expreſsè P.F. Antonius de Yepes in *Chron. Benedict. tom. 1. Cent. 2. Ann. 597. c. 2. fol. 405.* probat, & aduerſus *Trullum* inſurgit, qui ſpretâ huiuſmodi diſtinctione *Canonicorum*, eo ipſo, quòd in Scriptoribus legebat aliquod inſigne facinus *Clericorum Regularium*, aut *Canonicorum*, ſtatim pro *Auguſtinianis* ſententiam proferebat, non ſine præiudicio Ordinis *Benedictini*, & veritatis: ad hoc nonnulla refert exempla. Si ergo *Trullus* in voce *Clericorum* vim ſuæ argumentationis conſtituit, & conſtat conuenire vocem huiuſmodi *Auguſtinianis*, & *Benedictinis* Clericis Regularibus, ſiue Canonicis, & pro Benedictinis ſtat poſſeſſio; quo titulo ſpoliat alienos, vt ſuos ditet? Maximè, quia in reformatione facta tempore *Sancti Maiori* de hoc *Pinnatenſi* Cœnobio, adducti fuere Monachi *Cluniacenſes*; & veriſimile eſt, quòd ſi *Clerici Pinnatenſes* fuiſſent ex *Regularibus Auguſtinianis*, perperam adducerentur *Benedictini* diuerſæ Regulæ profeſſores. Alias rationes connectit *Brizius* quas lubens omitto, ne longior in re fiam euidenti. *Canonici Regulares etiam Benedictini.*

Ad Secvndvm Quæſitum circa *Sacerdotium* Sanctorum Votti, & Felicis fratrum; pro Presbyteratu ſtat Briz. *d. lib. 1. Hiſt. Pinnat. c. 12.* ſequentibus coniecturis. I. Quia à multis retrò ſeculis, & præcipuè tempore Noſtrorum Confeſſorum, in ordine *Benedictino* omnes Monachi Sacerdotio addicebãtur: Aſt cùm iidem illam profiterentur regulam, conſequens eſt, eos Sacerdotum titulo fuiſſe decoratos, maximè exiſtente in Eccleſia Cœnobij Sanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramẽto, vt infra probabitur. II. Nam cùm ipſi fuiſſent *Garſiæ Scemenij* Regis ſummis beneficiis cumulati, credibile eſt, Regem illis perſuaſiſſe, vt ad Sacerdotij munus euecherentur, maximè in illa temporum anguſtia, quâ vix vllus reperiebatur ſacerdos: & hoc, vt ſecuriùs Confeſſores haberet, quibus animi ſui ſenſus, commiſſa, male acta, & culpas ſacramentaliter aperiret. III. Quia Beatiſſimi Anachoretæ Euangelium Dei militibus ad ſpecum confugientibus, & cæteris fidelibus prædicabant; quod non efficerent ex D. Gregorij Magni *lib. 1. Dialog. c. 4.* doctrinâ, niſi ad Sacerdotium fuiſſent promoti. IV. Nam ipſe eorum Chroniſta *Macharius*, cùm de exitu S. Votti proloquitur, duo aſſerit: Aliud quòd ante obitum *ſacro, & ſalutari Viatico ſuſcepto*, vitam finiuit: euidens argumentum reſeruationis Sacroſanctæ Euchariſtiæ in ſpecûs Baſilica; & per conſequens nulli eius cuſtodia commiſſa, niſi Sacerdoti. Alterum, quod aſſerit *Macharius*, ſcilicet, quòd Sanctus Vottvs poſt mortem accepit *Fructum Centeſimum*, intelligendum eſſe de Sacerdotibus, ſecundum *Theophilum Alexandrinum*, prout illum refert Bungus de *Numeror. Miſter. in Numero CCC.* vbi aſſerit quod Numerus XXX. deſeruit ſecularibus coniugatis, fructus LX. Religioſis, & Centeſimus Anachoretis ad perfectiorem ſtatum peruenientibus; in quo comprehenditur ſacerdotium, vt notauit Caſſiodor. *ſup. Pſalm.* 100. Si ergo Vottvs fructum *Centeſimum* eſt lucratus, illum propter Sacerdotium promeruit, ex relata doctrina: Niſi etiam ipſum promeruiſſe ob Virginitatem fateamur, qui etiam Virginibus datur, vt notauit Ieronym. *lib. 1 contr. Iouin.* & *Macharius* fuiſſe virginem Vottvm deſcribat. V. & vltima, quia in Officiis Eccleſiaſticis voces *Confeſſor*, & *Sacerdos* pari paſſu ambulant, vt in *Hymno* omnium Sanctorum: *Confeſſio Sacerdotum*: at Noſtris Eremitis in omnibus Scriptoribus *Confeſſorum* titulus conceditur: igitur credendum eſt, idem eſſe, ac ſi dixiſſent *Sacerdotes*. *An fuerint Sacerdotes? Quod ſic probatur.* I. II. III. IV. V.

Circa cultum exhibitum Sanctiſſimis Anachoretis à pluribus retrò ſeculis, multa ſuo more compaginat Briz. *d. lib. 1. c. 14.* vbi poſtquam eorum canonizationem ex ritu antiquo probaſſet, hunc in eorum feſtiuitate *Hymnum* occini ſolitum ex *Breuiario* refert *Pinnatenſi*. *De cultu olim exhibito hymnus.*

AD

AD SS. VOTTVM, ET FELICEM FRATRES Hymnus.

O VOTTE, & FELIX *meriti* Patroni,
Vt queat noſtrûm reſonare quiſque
Geſta tantorum, date, Monachorum,
Quæſumus Omnes.

Inſequens Ceruum VOTVS *in ſuprema*
Rupis aduênit iuga deuolando,
Quò cadit Ceruus nimis inde laſſus,
Vndique preſſus.

Inſcius caſus Eques ipſe tanti
Mox equi pinnæ pedes applicantur,
Cum ruens clamat: Mihi tu faueto
Sancte IOANNES.

Hinc reuiuiſcens, vepribus putatis,
Gratias reddens Domino, tetendit
In ſpecum; Corpus reperit Ioannis,
Quod ſepeliuit.

Parce nunc noſtris, Deus almę, culpis,
Et domum ſemper tuearis iſtam:
Qui globum mundi regis, & gubernas
Trinus & Vnus. Amen.

De quorum etiam cultu multi ex *Aragonenſibus* Scriptoribus teſtantur, & præcipuè illius celebris Regij Cœnobij antiqua Monumenta, & Breuiaria, tam MSS. quàm edita, in quibus Officium proprium, cum hymnis, & lectionibus reperitur.

An Regnũ Suprarbiæ in Cœnobio Pinnatenſi incœperit.

QVATENVS ad probationem Actorum, quibus dicitur *Regnum Suprarbienſe* in ſpecu *Pinnatenſi* initium ſumpſiſſe, audi Ieronymum Blancam *in Commentar. Rer. Aragon. tit. de Suprarbienſis Regni initiis, fol. mihi* 5 80. vbi poſtquam receſſum VOTTI, & FELICIS enarraſſet, & Anachoretarum illuſtres in omnium virtutum genere progreſſus deſcripſiſſet, proſequitur: *Tot itaque claris ſanctitatis teſtimoniis, clarior ille locus effectus, à noſtris cœpit frequenter viſitari. Eò namque conuenientes, in tuenda fide Catholica, ac ferendis patienter aduerſitatibus, non mediocriter confirmabantur.* Et poſt pauca: *Magnis namque ad ædiculam illam ſacram, ab omnibus actis gratiis, vigiliis, ieiuniſque, nec non & orationibus, ac precibus multis, vt Omnipotens Deus placaretur, effuſis; demum quadam die, ſacrificio Miſſæ ſanctiſſimo celebrato, vnâ voce, ſuffragiiſque cunctis,* Garſias Eximini, *fortis, & ſtrenuus Vir, qui & ipſe ex Regio Gothorum ſanguine, vel vt alijs placet, Hiſpano genere antiquo ortus erat, tanquam præcipuus militarium copiarum ductor, ac imperator, electus fuit, & conſtitutus Rex.* Qui & hoc fuiſſe factum Anno DCC.XXIV. contendit De quo etiam agunt *Petrus Antonius Beuter, Stephanus Garibayus, Ieronymus Zurita,* D. *Prudentius Sandoual,* D. *Ioannes Briæius*, & alij. Qui etiam referunt Regem hunc *Garſiam* pro ſtemmate Regni illius *Suprarbienſis*, Arborem, & ſupra eam, Crucem rubram, in hunc modum deſtinaſſe.

Ob

Digitized by Google

Ob miraculoſam conſecutam victoriam ad vrbem *Aynſam* Dei miſeratione aduerſus Arabes, apparente in aëre cœleſti CRVCIS ſigno ſupra arborem poſito: cuius rei euentum deſcripſit *Blancas*, vbi proximè.

TERTIO KAL. IVNII.

DIES XXX.

A. VXAMÆ *in Hiſpania Citeriori* S. EXVPERANTII *ipſius vrbis Epiſcopi, ex viro militari, qui poſtquam Concilio interfuiſſet Tarraconenſi in Italiam profectus Rauennatum præficitur Antiſtes, & in Hiſpaniam reuerſus, Concilio Toletano interfuit, & iterum Rauennas adiens glorioſo fine quieuit.*

B. *Apud* LVCVM *Auguſti in Gallæcia* S. EXVPERANTII *ipſius vrbis Præſulis, qui Lucaniam Italiæ pergens, & prope Nolam Epiſcopalibus indutus infulis miro virtutum ſplendore refulſit; & tandem poſtquam funeri S. Paulini interfuiſſet, confectus ſenio ſpiritum Domino reddidit.*

C. TOLETI *in Carpetania Hiſpaniæ recolitur memoria* S. CELSI, *ipſius vrbis Epiſcopi, qui cùm ex Germania, cuius Prouinciæ oriundus extiterat, Toletum deueniſſet, & Hectori Ferrando ipſius vrbis Præſuli adhæſiſſet, cuius doctrinam, & meliora chariſmata amulatus, inſignis poſtmodùm literis & pietate Vir effulſiſſet, reuerſus Treuiros, poſtquam Hormiſdæ Pont. Maximi in Hiſpania Vicarium egiſſet, & aduerſus ſchiſmaticos plures Synodos collegiſſet, ibidem Pontificales infulas induens, ſanctitate, & miraculis clarus obdormiuit in Domino.*

D. *In Cœnobio S. Petri Montium in tractu Bergitano* B. STEPHANI *illius Monaſterij Abbatis, qui moribus eximius, religione conſpicuus, regulâ ſeuerus, pietate inſignis, honeſtate clarus, Confeſſor ad Dominum inclytus, non ſine ſuorum lachrymis, properauit.*

NOTÆ.

SANCTVS EXVPERANTIVS *Epiſcopus Vxamenſis.*] Diuerſus is ab Epiſcopo *Lucenſi*, de quo ſequenti agemus Nota. Iſte in Italia *Rauennatum* Antiſtes, de quo *Martyr. Rom. h. d.* hæc verba profatur: *Rauennæ* S. EXVPERANTII, *Epiſcopi, & Confeſſoris*; & conueniunt *Martyr. Caſtellanum* P. Vazq. & *Luſitanum* P. Lupi. Alter in Regno Neapolitano in *Lucania* finibus Pontifex, A. *Martyrologia.*

tifex,de quo Baron. *in Not.ad hunc diem lit.D.*hæc ſcripta reliquit:*Fuit eiuſdem nominis* EXVPERANTIVS,*aliàs* SVPERANTIVS,*Epiſcopus in* Lucania,*ſanctitate inſignis, cuius meminit* Vranius *in tranſitu S.Paulini Epiſcopi Nolani.* Ergo hac diuerſitate cognitâ, ad elucidationem textus Noſtri veniamus. Iam ex *Romano Martyrologio* ſanctitatem, & inſulam *Rauennatem* vidiſti, quam & repetunt Ieronymus Rubæus *Hiſtor.Rauennat. lib.*2. Philipp. Ferrar. *in Catalog.SS.Ital. fol.*326. & in *Topograph.SS. verb.* Rauenna *fol.*105. *col.*2. Nunc originem *Hiſpanam*, inſulam *Vxamenſem*, & cætera ab eo apud Noſtros geſta cognoſces: Flau.Dext. *in Chron. Ann.* 385. de eo hanc periodum annectit: EXVPERANTIVS *ex Viro Militari Epiſcopus* VXAMENSIS, *tranſlatus* RAVENNAM, *Italiæ ciuitatem, ad quem ſcripſit* S. Ieronymus. Et *Ann.*388.*n.*10. proſequitur: *Mirificè floret* EXVPERANTIVS, *Epiſcopus* Hiſpanus, *clarúſque Epiſcopus* Italiæ, *qui interfuit Concilio Tarraconenſi.* Et licet hæc verba poſſent intelligi de alio *Lucenſi*, qui per eadem tempora viuebat; attamen, quia *Dexter* de aſſiſtentia *Tarraconenſi* Synodo egit, *Lucenſis* excluditur, vt infra dicemus. Item *Ann.*407.*num.*4. concludit: EXVPERANTIVS, *qui ex* Rauennate *vrbe venit in* Hiſpanias *negotiorum causâ, interfuit Concilio* Toletano, *præclarè floret.* En coadunatas S. Præſulis res tàm in *Hiſpania*, quàm in *Italia* geſtas, vt Scriptores Itali, qui hucuſque illas ignorarunt, deinceps ſanctiſſimi Pontificis integra facinora demirentur. Eius Acta ex Noſtris,& Exteris aſſuemus,vt integra circumferantur.

Scriptores.

ACTA S. EXVPERANTII VXAMENSIS Eccleſiæ Epiſcopi, pòſt Rauennatum; ex Varijs.

Origo.

EXVPERANTIVS *origine* Hiſpanus, *profeſſione miles, Fide Catholicus, & conuerſatione amabilis, vitam iuuenilem in ſago, & militiâ tranſegit, quâ expletâ ad togæ quietem acceſſit. Ergo dum primum exercitij genus exequeretur, ita in regula vixit Chriſtiana, vt merito de eo dictum:* Quis non diligat eum, qui ſub paludamento, & habitu militari, agat opera Prophetarum, & exteriorem hominem aliud promittentem, vincat interiori homine, qui formatus eſt ad imaginem Creatoris. *Ergo cognitâ per* Quintilianum *eius fratrem militiæ ſolicitudine inquietæ, & fratris amore ad requiem honeſtam, Ieroſolymam ad viſitanda ſacra loca proficiſcitur, vbi* Hieronymum *conſulens, & de fratris* EXVPERANTII *verba faciens, vitæ ſanctimoniam fratris in illo militari ſtatu* Hieronymo *recenſuit: qui admiratione ductus, hanc* EXVPERANTIO *dimiſit Epiſtolam:*

Fratrẽ miſit ad Hieronymum cum epiſtola; cui ille reſpondet.

Inter omnia,quæ mihi ſancti fratris Quintiliani amicitiæ præſtiterũt, hoc vel maximum eſt, quòd te mihi ignotum corpore, mente ſociauit. Quis enim non diligat eũ,qui ſub paludamento,& habitu militari agat opera Prophetarum,& exteriorẽ hominem,aliud promittentem,vincat interiori homine,qui formatus eſt ad imaginẽ Creatoris? Vnde & prior ad officium prouoco literarum, & precor, vt mihi occaſionem tribuas ſæpiùs reſcribendi,quò de cætero reſcribam audaciùs. Illud autem prudentiæ tuæ breuiter ſignificaſſe ſufficiat, vt memineris Apoſtolicæ ſententiæ:*Vinctus es vxori,ne quæras ſolutionem: ſolutus es,ne quæras vxorem,* id eſt,alligationem,quæ ſolutioni cõtraria eſt. Qui igitur ſeruit officio coniugali,vinctus eſt: qui vinctus eſt,ſeruus eſt. Qui autem ſolutus eſt, liber eſt. Cùm ergo Chriſti gaudeas libertate,& aliud agas,aliud repromittas, ac propemodũ in domate cõſtitutus ſis, non debes ad tollendã tunicam tecto deſcendere,nec reſpicere poſt tergũ,nec aratri ſemel arrepti ſtiuã dimittere,ſed ſi fieri poteſt,imitare Ioſeph,& Ægyptiæ dominæ pallium relinque,vt nudus ſequaris Dominũ Saluatorem,qui dicit in Euangelio: *Niſi quis dimiſerit omnia,& tulerit crucem ſuam,& ſecutus me fuerit,non poterit meus eſſe diſcipulus.* Proiice ſarcinam ſeculi,ne quæras diuitias,quæ Camelorum prauitatibus compantur:nudus,& leuis ad cœlum euola,

Cor.7.

Luc.14.9.

ne

ne alas virtutum tuarum,auri deprimant põdera. Hoc autem dico,non quòd te auarum didicerim; ſed quòd intelligam,idcirco adhuc militiæ operam dare,vt impleas ſacculum, quem euacuare Dominus præcepit. Si igitur qui habent poſſeſſiones,& diuitias, iubentur omnia vendere,& dare pauperibus, & ſic ſequi Saluatorem: dignatio tua, aut diues eſt, & debet facere quod præceptum eſt;aut adhuc tenuis, & non debet quærere, quæ erogatura eſt. Certè Chriſtus pro animi voluntate omnia in acceptum refert. Nemo Apoſtolis pauperior fuit, & nemo tantum pro Domino dereliquit. Vidua illa in Euangelio paupercula, quæ duo minuta miſit in gazophilacium, cunctis præfertur diuitibus, quia totum, quod habuit,dedit. Et tu igitur eroganda non quæras, ſed quæſita iam tribue,vt fortiſſimum tyrunculum ſuum Chriſtus agnoſcat;vt lætus tibi, de longiſſima regione venienti occurrat pater, vt ſtolam tribuat, vt donet anulum, vt immolet pro te vitulum ſaginatum, vt expeditum cum ſancto fratre Quintiliano ad Nós citò faciat nauigare. Pulſaui amicitiarum fores: ſi aperueris, Nos crebrò habebis hoſpites. *Luc.21.* *Luc.23.*

Quâ Epiſtolâ EXVPERANTIVS *alacer, ad exequenda* Hieronymi *conſilia, quæ ad cælibatum ſpectabant, promptus, protinus omnia quæ ad viam poſſent eſſe impedimenta virtutum ablegans, nudus Chriſti ſequi veſtigia conſtituit; & ideò in ſecunda ſeceſſus tranquillitate perſiſtens, tot virtutum coadunauit manipulos, tot facinorum illuſtrium ſarcinas collegit, vt per illius circulos Regionis, inſignis in omnium piarum actionum, & doctrinæ impenſis veraciter haberetur. Tantæ igitur religionis,& literaturæ odor cùm per* Vxamenſis *vrbis angulos ſpargeretur, tempore, quo illius Eccleſia Paſtoris eſſet ſolatio deſtituta, inter omnes conuenit, vt* EXVPERANTIVM *in Præſulatus illius faſtigium eucherent; cuius reſolutionis inſtantia ſic cleri, & populi animos alacritate compleuit, vt turmatim ad locum ſeceſſus, vbi ſanctus latebat, percurrerent, & ab eo aſſenſum tenaciter explorarent. Tantæ Vir Dei perſuaſionis ſpiritum in populo lachrymabundo conſpectans, omnibus lætitiam, Deo duce, & ſibi mærorem infundere decernens, electionis acceptauit inſtantiam. Annuit plauſibus cætus fidelium, & in Eccleſiam S. Vir omnium acclamatione perductus, infulas induit Epiſcopales. Quæ in exordio ſui inthronizationis egerit, nos latent; veriſimile eſt, curaturum de Domini grege ſermonibus, ſtipendijs, & ſubuentionibus. Illud ſcitur, quòd cum per illa tempora,* Himerius *Epiſcopus* Tarraconenſis *literis* Damaſum *Pontificem Maximum conſuluiſſet, de nonnullis rebus dubijs, circa Eccleſiaſticæ regulæ, & diſciplinæ normam, & ſtatum, & dimiſſis Oratoribus, è vivis ſublatus eſſet iam Pontifex* Hiſpanus, *illi* Siricius *in Apoſtolica Sede ſuccedens, ei literas obtulêre Legati, quibus acceptis, & viſis, ad ſingula accuratè nouus Pontifex rogata, ſcitéque reſpondit; præcipiens, vt omnia in reſponſione Apoſtolicâ ſpecificè contenta in omni* Hiſpaniæ *ambitu obſeruarentur, & ad hoc omnibus* Carthaginenſis, Bæticæ, Luſitaniæ, & Gallæciæ *Prouinciarum Præſulibus intimarentur eadem. Hoc vt facilius* Himerius *exequeretur, Synodum* Tarracone *contraxit, ad quam ex omnibus Epiſcopi conuenêre Prouincijs, inter quos* B. EXVPERANTIVS, *qui cum cæteris Decretalem Epiſtolam eſt amplexus.* *Epiſcopus Vxamenſis eligitur.* *Tarraconẽſi Concilio interfuit.*

CRESCEBAT *igitur eius fama facinorum, quæ cùm non poſſet intra anguſtum Iberiæ ambitum intercludi, terminos tranſcendit* Italiæ, *maxime in Concilio* Aquilegienſi *tempore* Damaſi *coadunato, vbi cum aliquibus* Hiſpaniæ *Epiſcopis, & D.* Ambroſio *Mediolanenſi interfuiſſe creditur, dum* S. Ambroſium *conuenire ſcribitur ſuper erroribus Priſcilliani. Quidquid ergo fuerit,* Vrſo *etenim* Rauennatum *Epiſcopo è viuis ſublato, cùm Cleri & Populi ſedulitas talem exquireret ſucceſſorem, quòd deceſſoris ſuppleret defectum,auditâ, & perſpectâ* EXVPERANTII Vxamenſis *Præſulis virtutum acclamatione, omnium ſuffragijs ſanctus in locum ſancti ſuffectus eſt.* Rauennas *quippe perluſtrans, illius Eccleſiæ magnâ animi conſtantiâ clauum tenuit. Fuit igitur Vir grauis, ſummâque præditus charitate, ſimplex tamen, & ſince-* *Et Aquilegienſi.* *Rauennatis Epiſcopus*

Digitized by Google

rus, tranquillam degens, vitam, Eccleſiaque, & Populo valde vtilis. Hic Argentam oppidum minimè contemnendum ædificauit. Nec minus in ſpiritualibus rebus populo fuit prouidus, cùm animarum ſaluti ſemper inuigilaret. Sed cùm per aliquod tempus ſuæ Rauennatis Eccleſiæ officijs incumberet, negotiorum causâ in Hiſpanias *reuertitur, vbi quia tum Synodus* Toleti *collecta erat, illi interfuit. Demum* Rauennas *reuerſus, cum viginti annos ſuæ Eccleſiæ præfuiſſet, bonis cumulatus operibus, Cathedrâ* S. Ioanni Angelioptæ *relictâ, euolauit in ca-*

Obijt. *lum.* III. Kalend. Iunij *Anno* CCCC. XIX. *cuius Corpus in* S. Agnetis *Baſilica fuit tumulatum.*

Hæc ſunt ACTA, quorum partem, quæ ad *Hiſpaniam*, & *Italiam* attinet, ſuperius in prolegomeno probauimus. QVATENVS ad amicitiam per *Epiſtolas* cum *S. Hieronymo*, videſis relatam à Nobis inter eius Opera *Tom.* 1. *epiſt.* 35.

Aſſiſtentia Concilio Tarraconenſi probatur. Quòd interfuiſſet Concilio *Tarraconenſi* Anno CCC. LXXXV. quod *Himerius* Tarraconenſis in ſuæ vrbis Eccleſia congregauit, ob intimandam Epiſtolam Decretalem *Siricij* Papæ, locus eſt expreſſus Dextri in *Chron. Ann.* 388. vbi P. Biuar. *n.* 10. *fol.* 417. qui ad amuſſim omnia compaginat.

DE exiſtentia in Synodo *Aquilegienſi*, audi ipſum Biuar. *in Not. ad Dextr. Ann.* 385. *n.* 2. *fol.* 408. de hac re loquentem: EXVPERANTIVS *cum alijs* Hiſpaniæ *Epiſcopis* S. Ambroſium *conuenit, ſuper erroribus* Priſcilliani. *Inde eum comitati* Aquileienſem *Synodum celebrarunt; & tunc facilè fuit* EXVPERANTIVM *facere Epiſcopum, cùm* Rauenna *prope* Aquileiam *ſit.* Sed in hoc proculdubio fallitur eruditiſſimus Pater, quia ſi Noſter Præſul poſt *Aquileienſem* Synodum illicò *Rauennatum* Antiſtes fuiſſet factus, nequaquam tanquam Epiſcopus *Vxamenſis* potuiſſet intereſſe Concilio *Tarraconenſi*, cùm temporum intercapedo illud prohibeat. Coactum enim fuit *Aquileienſe* Anno CCC. LXX. *Tarraconenſe* verò Anno CCC. LXXXV. ergo minimè ante Quindecim annos interfuit *Aquileienſi* vt Epiſcopus *Vxamenſis*, & illicò ad *Rauennat.* Sedem tranſlatus, quo pacto poſt Quindecim Annos potuerat *Tarraconenſi* intereſſe, vt Epiſcopus etiam *Vxamenſis*; ergo errorem in com-

Et Aquileienſi. *Error Biuary.* putatione contraxit *Biuarius.* Crederem, quòd cognita per *Rauennates* doctrinâ, & pietate S. Viri in Synodo *Aquileienſi*, poſtmodum è viuis ſublato *Vrſo*, Noſtrum *Hiſpanum* Præſulem, ſuæ Eccleſiæ Antiſtitem nominarunt; & hoc poſt *Tarraconenſis* Synodi ſolutionem; & patet, nam *S. Vrſus*, cuius dies feſtus *Idibus Aprilis*, obiit Anno CCC. LXXXVI. vt inquit Rubæus *Hiſt. Rauennat. lib.* 2. licet eius vitam XII. ann. extendat Philipp. Ferrar. *in Catal. SS. Ital. die* 13. *April. fol.* 192. At ſi ſucceſſit Noſter Præſul *Vxamenſis*, *Vrſo*, nequaquam potuit Anno CCC. LXX. poſt *Aquileienſe* Concilium, ſed poſt Annum CCC. LXXXV. cùm *Tarraconenſis* Synodus ſoluta erat, & *Vrſus* deceſſor EXVPERANTII viuere deſiit. Hinc *Roderici Cari* ſcrupulus diluetur, & eius cæcitas illuſtrabitur, qui in *Not. ad Dextr. fol.* 141. *lit. H.* lampade iſtam Synodum *Tarraconenſem*, Sole medio, quæritabat. Cætera communia ſunt.

Topographia. VXAMA. Ciuitas Epiſcopalis Hiſpaniæ, quæ hodie OSMA dicitur. De ea ſupra *Tom.* 1. *die VI. Februar. fol.* 69. & *Tom.* 2. *die XI. April.* vbi plura ad eius antiquitatem ſpectantia diximus, & alibi dicemus.

B. S. EXVPERANTIVS Epiſcopus Lucenſis.] Alius, vt diximus, ab antecedenti, cuius meminit Baronius *in Not. ad Martyrol. Rom. h. d. lit. D.* his verbis: *Fuit eiuſdem nominis* EXVPERANTIVS, *aliàs* SVPERANTIVS, *Epiſcopus in* Lucania,

Scriptores. *ſanctitate inſignis, cuius meminit* Vranius *in tranſitu S. Paulini Epiſcopi Nolani.* Omnia coniunxit Iulianus Archipresbyt. Toletanus *in Aduerſar. n.* 393. *fol.* 87. hac ſerie: EXVPERANTIVS *Epiſcopus* LVCENSIS, *Vir ſanctus perrexit in* Lucaniam, *& factus eſt ibi Epiſcopus; habuit Sedem propè* Nolam, *& interfuit funeri* S. Paulini, *Nolani Pontificis, Anno* CCCC. XXXI. *& confectus ſenio obijt Anno Domini* CCCC. XXXII. *die* XXX. Menſis Maij, *vt Sanctus Vir colitur. Is interfuit Concilio I.* Toletano, *vt Legatus Epiſcoporum Gallæciæ.* Magiſt. Ægid. Gonzal. Dauila Chronographus Regius *Tom.* 3. *Theatr. Eccleſ. fol.* 175. Noſtrum Confeſſorem inter Epiſcopos *Lucenſes Gallæciæ* repoſuit. Eius Acta ex relatis coagulabimus, vt inſtituto pareamus.

ACTA

ACTA S. EXVPERANTII CONFESSORIS
Episcopi Lucensis in Gallæcia, post Lucaniæ in Italia; ex Variis Scriptoribus.

EXVPERANTIVS *creditur ex* Gallecia *oriundus, & disciplinis Ecclesiasticis instructus, quarum, & aliarum virtutum, meritorumque excellentiam Clerus, & Populus* Lucensis *perscrutans, illum ad Ecclesiæ suæ Cathedram euexêre, è viuis sublato* Forcato *sanctissimo decessore. In huius igitur Sedis moderamine sic vitam texuit, vt omes sibi commissas ad virtutum studia, & religionis incrementa proueheret, non tantùm verbis & doctrinis, sed exemplis & operationibus. Per hoc tempus congregata fuit Synodus apud* Toletum, *in qua* Symphosius, *&* Dictinius *Episcopi, & alij huius ordinis ex* Gallæcia *Præsules Priscilliani sectatores, hæresim eius blasphemissimam cum assertore eodem, professionis suæ subscriptione condemnant. Huic Synodo interfuit sanctissimus* EXVPERANTIVS, *qui cum aliis sanctissimis* XVIII. *Episcopis, quædam etiam obseruanda de Ecclesiæ disciplina statuuntur. Post hæc exactis in Episcopatu aliquot annis, negotiorum causa in* Italiam *perrexit, & apud* Lucaniam *non procul ab vrbe* Nolâ *Episcopus factus, &* S. Paulini *communicatione suffultus, messem Dominicam auxit, & absque errore seruauit. Ægrotauerat tunc temporis* S. Paulinus *Nolanæ Sedis Episcopus, & S. Viro* EXVPERANTIO *charus qui cùm vestes pauperibus elargiri iussisset, euênit, quòd negotiatoribus, qui dederant vestimenta pauperibus, Quadraginta solidi deberentur; Huius igitur debiti quantitas minimè in cellula* Paulini *erat, & quod ægrius esset, vnde extraheret non habebat* B. Posthumius *Presbyter, cui hæc commissio mandata erat: qui* S. Paulino *debitum aperiens, ille leuiter subridens, ait:* Securus esto, fili, crede mihi, quia non deerit, qui debitum pauperum soluat. *Et ecce non longâ interpositâ morâ, ingreditur quidam Presbyter de* Lucaniæ *partibus veniens, missus à Sancto Episcopo* EXVPERANTIO, *qui ei per ipsum nuntium muneris gratiâ Quinquaginta solidos miserat, quibus debitum negotiatoribus soluit. Quo è viuis sublato, eius funeri etiam S. Noster interfuisse dicitur. Demùm postquàm* EXVPERANTIVS *vtriusque Ecclesiæ Cathedram rexisset Pastor insignis, & pascua salutaria fidelibus præbuisset innoxius, laboribus confractus, & senio confectus, spiritum purissimum reddidit Creatori,* III. Kalend. Iunij, *Anno* CCCC. XXXII.

Origo.

Episcopus Lucensis eligitur.

Interfuit Concilio Toletano.

Lucanus Præsul factus.

S. Paulino munus offert.

Obiit.

En Acta, quorum partes supra probauimus, quatenus ad vtriusque Episcopatus existentiam ex Iuliano *d. n.* 393. Baronio, & Ægidio: & patet ex Actis S. Paulini ab *Vranio* descriptis, & à Surio *tom.* 3. *die* 22. *Iunij fol.* 285. transcriptis, & abs *Heriberto Rusvvrido* concinnatis post opera S. Paulini *fol.* 726.

QVOAD assistentiam in *Concilio Toletano*, vbi Symphosius, & Dictinius hæresim Priscilliani damnarunt, videnda ipsius Concilij series apud Loaysam *in Concil. Hispan. fol.* 38. vbi in exordio dicitur: *Constitutio* Concilij *Episcoporum* TOLETI *habiti, Arcadij, & Honorij temporibus, Erâ* CCCC. XXXVIII. *sub die* VII. *Idus Septembris, Stilicone Consule.* Postea incipiunt Acta Concilij hoc proëmio: *Conuenientibus Episcopis in Ecclesia,* Toleto, *id est Patruinus, Marcellus, Aphrodisius, Licianus, Iucundus, Seuerus, Leonas, Hilarius, Olympius, Ortizius, Asturius, Lampidius, Serenus, Florius, Leporius, Statius, Aurelianus, Lampadius,* EXVPERANTIVS *de* Gallæcia, Lucensis *Conuentus*, &c. & in subscriptionibus idem nomen inuenitur.

Assistentia in Concilio Toletano.

QVOD successerit FORCATO in Sede *Lucensi*, de quo & Nos infra *Tom.* 4. *Die XIV. Iulij*, liquet ex Dextro *in Chron. Ann.* 385. vbi Biuar. *n.* 4. *fol.* 406. his verbis: *In* Luco-Augusto *in Hispania* S. Forcatus *Episcopus.* Ast cùm, EXVPERANTIVM post XV. Annos interfuisse Concilio Toletano, Anno CCCC. vt probatum remanet, cognoscatur; euidenter sequitur illius fuisse successorem in Sede *Lucensi.* Post EXVPERANTIVM, infulas ipsius induit Ecclesiæ *Deus-dedit* vt patet ex

Quod successerit Forcato Lucensi.

fortius ad vnionis compaginem redigeretur composita. Ob huius igitur diuisionem Sanctissimus Pontifex Vicarios in aliquibus Prouinciis constituere decreuit, vt Synodis indictis, odioso occurrerent schismati, & ad vnionis placitum, errore depositò, perducerentur Catholici. Vnus igitur CELSVS *Vicarius in* Carthaginensi *tractu constitutus agnoscitur, qui illius prouinciæ curam suscipiens, per Synodalium canonum remedia, vt Ecclesia sibi commissa ad optatum vnionis & salutis portum pertingeret summa diligentia ac sedula pietate laborauit. Hac, & aliis feruentis zeli, doctrinæ, & virtutum operationibus cumulatissimè exantlatis, in* Germaniam *redire compulsus, apud* Treuiros *fuit humanissimè susceptus, in quorum contubernio ita vitam traduxit honestissimam, vt demortuo* Aprunculo *ipsius vrbis Episcopo, ei, meritis efflagitantibus, & omnium suffragiis expetentibus, renuens licèt, successerit Antistes. Illam demùm Ecclesiam inter validos persecutionum turbines mirificè rexit, & direxit, vitâ, & moribus cum Christi disciplina consonis, tùm studio, tùm exemplo populi sui mentes ad patriæ cœlestis amorem accendit. Denique optimè munito ouili Dominico doctrinis, & disciplinis, æternam ad requiem profectus est,* III. Kal. Iunij, *Anno Domini* D. XXV. *Cuius Corpus in Ecclesia* S. Eucharij *sepultum, ad vsque Annum* DCCCC. LXXVIII. *delituit quo* Egbertus *Traiectensis Episcopus, pòst* Treuirensis *illud* VII. Kalendas Martij *in eadem inuenit Ecclesia, & honorificè collocatum, mirâ ciuium veneratione colitur.*

Vicarius Hispaniæ ab Hormisda eligitur.

Episcopus Treuirensis fit.

Obiit.

HÆC sunt genuina S. CELSI Acta, quorum comprobationem facilè dignosces, si à Nobis in prolegomenis dicta curiosè perpenderis. Vnum de VICARIATV, tempore schismatis, ab *Hormisda* concesso in *Carthaginensi* prouincia; dubium sedare compellimur. En auctoritas Iuliani in *Chron. n.* 261. in hæc verba: *Cùm Orientis Episcopi curari recusarent*, Hormisda *Pontifex posuit* VICARIOS, *Ioannem Episcopum Tarraconensem, prouinciæ suæ Vicarium; Saluitium Baticæ, & partis Lusitaniæ,* CELSVM Carthaginensis *Prouinciæ.* Et postmodum, *n.* 262. prosequitur: CELSVS Toletanus *literis, & sanctitate præstans Episcopus frequentes Synodos habet in sua Sede literis* Hormisdæ *Papæ.* Quòd si huius schismatis originem scire cupis, adi Baron. *Annal. Eccles. tom.* 7. *Ann.* 522. Carrill. *Annal. Eccles. Ann.* 525. Illustriss. Turiasonens. *in Primat. Tolet. d.* §. 9. *fol.* 123.

An Hormisdæ Vicarius?

DE reditu sanctissimi Viri in *Germaniam*, audi S. Maxim. in *Chron. Ann.* 525. *n.* 1. apud Biuar. *fol.* 354. dicentem: *B. Montanus succedit* CELSO *sanctissimo Viro, qui patriam Treuirensem repetens, ibique prædicans, vitæ sanctimoniâ, & miraculorum frequentiâ fulget.* Cui suffragatur Iulian. in *Chron. n.* 265. hac clausulâ: CELSO *Viro sanctissimo ad* Germaniam *profecto, & ibidem sanctè mortuo, succedit Montanus.* Conueniúntque *Loaysa, Tamayo, Castejon*, & *Quintana-Dueñas* cum cæteris Neotericis.

De Reditu in Germaniam.

CIRCA *Treuirensis* Episcopatus infulam, testes sunt Chronicon Magn. Belgic. *Ann.* 970. *tom.* 1. *Scriptor. German.* Trithem. in *Chron. Hirsaug. Ann.* 995. *fol.* 43. Molan. *in Addit. ad Vsuard.* Maurolyc. Galesin. & And. Saussay. *in Martyrol. Gallican. tom.* 1. *die* 23. *Februar. fol.* 121. & Philipp. Ferrar. *in Catal. General. SS. fol.* 88. & in *Topograph. Sacr. verb. Treuiris, fol.* 128. & Matth. Agrit. *lib. de SS. Treuirens.* De cuius infulis hoc extat in MS. meo vetustum Epigramma: in quo ratio metri non rectè seruatur.

De Episcopatu Treuirensi.

PRO S. CELSO TOLETANO TREVIRENSIque Episcopo. Carmen Sepulchrale.

EXcelsus CELSVS *citò cœli culmina calcat;*
Cùm fuerit nostrâ Præsul in vrbe sacer.
Pòst Treuiros *adijt, quò Antistitis infulis almis*
Indutus, CELSVS *sydera celsa petit.*

HINC

Digitized by Google

Catalogus Treuirenſis corrigẽdus. HINC veniunt corrigendi Catalogi Epiſcoporum Treuirenſium, à *Demochare*, & *Claudio Roberto* conſcripti, vbi QVINTVS iſtius Sedis CELSVS Pontifex deſignatur, cùm fuerit XXVII. ſecundum Annorum computum, quia cùm *Aprunculo* XXVI. ſucceſſerit, qui Anno D. XV. Cathedram ſuſcepit, & CELSVS Anno D. XXV. obiit, neceſſariò erroris conuincitur contraria ſententia, maximè quando *Chronicon Magnum Belgicum*, à quo illi, tempus, quo vixerit, ignorat.

D. B. STEPHANVS *Monachus, Confeſſor.*] Hic ex *S. P. Benedicti* famulitio in *S. Petri Montium* celebri Cœnobio alumnus dignoſcitur. Eius memoriam repetunt *Scriptores* D. Prudent. de Sandoual *in fundat. Monaſt.* §. 14. *fol.* 31. *col.* 2. agens de illo Monaſterio. P. Anton. Yep. in *Chronic. Benedict. tom.* 4. *Ann.* 1132. *c.* 2. Qui pro Actis eius Epitaphium conſcribunt, quod adhuc in Tabula marmorea viſitur, hac ſerie.

Epitaphiũ in quo Acta.

Clauditur in Chriſto ſub marmore STEPHANVS *iſto,*
Abbas egregius, moribus eximius.
Vir Domini verus, rectique tenore ſeuerus,
Diſcretus, ſapiens, ſobrius, & patiens.
Grandis honeſtatis, magnæ quoque Vir pietatis,
Dùm ſibi poſſe fuit, viuere dum licuit.
Quem nobis clarum genuit gens Francigenarum,
Rectorem iuuenum, dogma, decuſque ſenum.
Geruasij feſto ceſſit, fragilique ſenectâ,
Virtus celſa Dei propitietur ei.
Annum Centeſimum duc ſepties addito Denum,
Mille quibus ſocies, quæ fuit Era, ſcies.
III. KAL. IVNII OBIIT STEPHANVS.
ERA. M. C. LXX.
PELAGIVS FERNANDEZ IVSSIT FIERI.
PETRVSQVE NOTAVIT.

Annus Mortis quis? Annus Tranſitus B. STEPHANI deſignatur M. C. XXII. Fuiſſe origine *Gallum* ex *Quarto* conſtat *Diſticho*, & ideo crediderim fuiſſe ex illis Monachis, quos è *Gallia* perduci curauit *Alphonſus* VI. Caſtellæ, & Legionis Rex, vt Cœnobium *S. Facundi*, & alia *Hiſpaniæ* diſperſa in arctiorem ordinationem redigeret.

Eius ſanctitas. DE eius ſanctitate, nihil in contrarium, quinimò, vt *Sandoualius, & Yepius* fatentur, in hac opinione habitum, & cultum apud Cœnobitas, & populos circumuicinos fuiſſe, & eſſe per Quinque ferè ſecula, omnium deuotione præambulâ, donariorum, & votorum continuatione conſpicuum. Ex quibus eius ſanctitudo pateſcit.

PRIDIE KAL. IVNII.

DIES XXXI.

A. ROMÆ S. PETRONILLÆ *Virginis*, B. Petri *Apoſtoli filiæ, cuius feſtiuitas ab* Hiſpanicæ *Eccleſiæ exordio per* S. M. Marcellum Eugenium Toletanum *Antiſtitem in* Hiſpaniis *introducta, per multa ſecula conſeruata, adhuc honorifico plauſu colitur.*

GERVNDÆ

Digitized by Google

B. GERVNDÆ *in Hiſpania Citeriori*, SS. GERMANI, VICTVRI, SYLVANI, TELESPHORI, VICTORINI, *& aliorum multorum Martyrum, qui pro fide Chriſti, per varios agonum cruciatus, ad felicem coronæ triumphum peruenêre.*

C. TOLETI *in Carpetania Hiſpaniæ*, S. HECTORIS FERRANDI, *Diſcipuli* B. Fulgẽtij *Ruſpenſis Epiſcopi, qui ab iſto Carthaginenſis Eccleſiæ Archidiaconus effectus, deinde Carthaginis Spartariæ Præſul, pòſt metropolis Carthaginenſis prouinciæ, quæ* Toleto *erecta, totius caput regionis deſignabatur, Epiſcopus inauguratus eſt. Interfuit aliquibus Hiſpaniæ Conciliis. Aliquot eruditionis, & doctrinæ ſcripſit volumina. Tandem bonorum operum plenus ad Dominum illuſtris migrat omnium acclamatione Confeſſor.*

NOTÆ.

SANCTA PETRONILLA Virgo.] Illuſtris tantæ Sanctiſſimæ Virginis memoria apud omnes Martyrologiorũ Scriptores inuenitur, quorum catalogum recenſere prolixum. Pro omnibus Romanum his verbis: *Romæ* S. PETRONILLÆ *Virginis, filiæ* B. Petri *Apoſtoli, quæ* Flacci *nobilis Viri coniugium ſpernens, acceptis triduanis ad deliberandum indùciis, interim ieiuniis, & orationibus vacans, tertio die mox vt Chriſti Sacramentum accepit, emiſit ſpiritum.* VValdembertus illius meminit duobus his verſibus: A. *Martyrologia.*

Tum pridie PETRONILLA *Petri de germine ſancto*
Fulgida Virgo micas Chriſti trabeata decore.

Eius feſtum in *Hiſpaniam* inuexit *S. M. Marcellus Eugenius* Archiepiſcopus *Toletanus*, vt fatetur Iulian. Petr. in *Chron. n.* 291. *fol.* 64. dicens: *Feſtum* S. PETRONILLÆ *Diui Petri ex matrimonio filiæ*, S. M. Marcellus *induxit in* Hiſpaniam, *quæ cogebatur nubere Comiti* Valerio Flacco *Patauino.* Eius Acta ipſe *S. M. Marcellus* ſcripſit, in reſponſione epiſtolæ *SS. Nerei*, & *Aquilei*, apud Inſulam *Pontiam* relegatorum. Quæ quia ab ipſo Auctore feſtiuitatis *Hiſpanicæ* ordinata ſunt; qüin & ipſe *Hiſpaniarum* Primas, Toletanúſque Antiſtes, & Martyr, reiectis plurimis quæ in antiquis Eccleſiarum omnium *Hiſpaniæ* Breuiariis, in quibus ſolemne hocce feſtum comperiebatur, ad manum erant, iſthinc exſcribere propoſui. *Scriptores.*

ACTA S. PETRONILLÆ VIRGINIS, ex Epiſtola S. M. Marcelli Eugenij Archiepiſcopi Toletani, ad SS. Nereum, & Aquileum MM.

PETRONILLA *filia* Petri *Apoſtoli Domini mei, de qua ſoliciti perquiritis, quis eius vitæ finis fuerit, bene noſtis, quòd voluntate Patris Apoſtoli clinica facta eſt. Memini enim interfuiſſe vos, cùm permulti eius Diſcipuli apud illum ederemus, &* Titus *diceret ad eum:* Quando omnes à te curantur, cur PETRONILLAM pateris ex paralyſi decumbere? *Cui tum* Petrus *Reſpondit:* Sic enim ei expedit. Ne tamen quis putet me his verbis indicare voluiſſe, fieri non poſſe, vt ſanetur, volo vt ſurgat, & miniſtret nobis. *Et mox illa ſurrexit incolumis. Expleto autem miniſterio, iußit eam Apoſtolus redire ad lectum ſuum. Poſtquam autem in Dei timore cepit eſſe perfecta, non modo ipſa curata eſt, ſed etiam permultis aliis, ſuis precibus, obtinuit ſanitatem. Cùm autem eſſet præſtanti forma corporis,* Flaccus *Comes venit ad eam ſtipatus militibus ſuis, ſibi eam in coniugem aſciturus. Dixit verò illi* PETRONILLA: Itanè *Filia S. Petri.* *Matrimonium recuſat.*

Digitized by Google

ad puellam inermem cum armato milite venis? Si me vis habere cõiugem, da operam, vt matronæ, & virgines honeſtæ poſt triduum ad me veniant, vt ego cum illis pariter accedam ad ædes tuas. *Trium itaque dierum ſpatio impetrato, ſancta Virgo ieiuniis, & orationibus vacauit, habẽs apud ſe ſanctã Virginem* Feliculam *in Dei timore perfectam. Tertio inde die venit ad eam* S. Nicomedes *Presbyter, Chriſtique myſteria celebrauit. Cúmque Virgo ſacratiſſima Chriſti Sacramentum accepiſſet, reclinans ſe in lectulum, emiſit ſpiritum. Matronæ autem, & Virgines quæ* Flaccus *ad eam miſerat, exequias funeris eius celebrarunt.*

Moritur.

Hactenus Acta à *S. Marcello* conſcripta; *Ioannes Carolus Morellus* ad ipſius S. Virginis cenotaphium hoc elegans ſepulchrale carmen appoſuit

Qui Petro ſacrum templum, Petríque *ſepulchrum*
Viſis, habes Natam, *quam venerêre ſimul.*
Hic PETRONILLA *iacet thalamis dignata ſupernis.*
Non tamen hic Flaccum *ſpernere viſa virum.*
Quæ Patrem Romam Solymis eſt ſponte ſecuta,
Quæque facit ſponſo, Patréque digna facit.
Quæ quoque pro Chriſto crudelia fortis eodem
Cum Patre paſſa foret, cum Patre digna iacet.

An filia S. Petri Apoſtoli.

Antonius Gallonius Romanus in *Hiſt. SS. Virgin. Romanar. fol.* 98. PETRONILLAM de qua Martyrologium h. d. non Hebræam, nec *S. Petri* ex carne filiam, ſed ſpiritu, illámque Romanam fuiſſe contendit. Quod variis ingenij argutiis probare conatur. Huic adhæſit *Razzius* itidem Romanus in *Act. SS. Virg. & Martyr. Roman. tom.* 3. *fol.* 98. Fortior, quâ nititur, coniectatio, in eo ſtat, quia ſi *Petrus* ex vxore filiam accepit, hoc ante vocationem ad Apoſtolatum euenire potuit; quòd ſi euênit, etiã ipſo anno vocationis, tempore paſſionis Apoſtoli, quod fuit anno LXIX. neceſſe fuit vt *Petronilla* ad XXXVI. annum attingeret, & *Domitiani* æuo, quo paſſam fuiſſe Acta deſcribunt, neceſſariò LXVI. annos habuiſſe fatendum erit, cùm anno XCVIII. ſerperet *Domitiani* perſecutionis procella. Quòd ſi ſic contigit, quo pacto illam pingunt Acta venuſtam, & præſtantis formæ, vt *Flaccus* eam tam vehementer amaret? Hæc oppoſitionis inſtantia, quã etiam Baron. *Annal. Eccleſ. tom.* 1. *Ann.* 69. *n.* 33. aſſumit, licèt expreſsè in iſtam non incideret ſententiam. Cui faciunt ſatis nonnulli apud *Gallonium*, quorum qui frigidas reſponſiones inuenit, facilè illas diluit. Nos altiùs *Petronillæ* vindicias repetemus. Et primò ex ipſis *Gallonij* verbis, aduerſus illum arguemus. Inquit enim *Petronillam* non ſanguine *Petri* Apoſtoli filiã, ſed Spiritu (vt in *Marco*, quem vocat filium Petrus, 1. *Petr. c.* 4.) aut Baptiſmate, aut eruditione. Si iſthæc fuêre; *Petrus* Romam deuênit Anno XLIV. (vt inquit Oroſius *lib.* 7. *c.* 6.) ſi illam erudiuit in fide, & baptizauit, iam ad minus XV. annos compleuiſſe dicendum eſt; ab Anno XLIV. ad XCVIII. intercedunt LIV. anni, quibus additis XV. Petronillæ ætatis, tempore paſſionis LXIX. annum impleuiſſe, nemo eſt qui neſciat, ergo ex *Gallonij* ſententia, perperam dici poterit *Petronilla* decora, & ſpectabilis formæ. Quo iam vides quantum abhinc eius coniectatio claudicet.

Gallonij opinio negãs.

Reſpõdetur.

ERGO ad veram argumenti ſolutionem accedentes: Supponendum eſt Actorum *S. Petronillæ* Auctorem tantùm reperiri *B. M. Marcellum* in Epiſtola *ad SS. Nereum & Aquileum*, ex qua Eccleſiaſtici Scriptores ecphraſim mortis S. Virginis deſumpsêre. Quo ſuppoſito exquirendũ eſt, an illius Epiſtolæ reſponſio intelligenda ſit de caſu tunc ſuccedente in præſenti; an de actu iam præterito? Quòd *S. M. Marcellus* fuerit in ea locutus de actu præterito, liquet; quia, vt ex ipſa reſponſione apparet, *Nereus*, & *Achileus* Marcellum efflagitantes exquiſierunt, quid de *Petronilla* factum fuerit. Quibus reſpondet: *De* Petronilla *filia Apoſtoli Domini mei ſolliciti perquiritis, quis eius vitæ finis fuerit*; túnc que vitæ & mortis periodum deſcribit. non tanquam tempore præſenti, ſed præterito conſummatam. Ex quo non Imperio *Domitiani*, vt credunt aſſertæ coniectationis Auctores, ſed alio. Quod iſtud fuerit, non adhuc liquet exactiùs. Sed ad antiquorum monumenta recurramus. *Sigebertus Gemblacenſis*, qui ante quingentos annos ſcripſit in *Chron. Ann.* 758. hæc fatetur: *Corpus* S. PE-

TRONILLÆ

TRONILLÆ, *Petri Apoſtoli filiæ à* Paulo *Papa tranſponitur, in cuius marmoreo ſarcophago ipſius Apoſtoli Petri manu ſculptum legebatur*: A. PETRONILLÆ DILECTISSIMÆ FILIÆ. En ex hac auctoritate *Petronillam* ante *Petrum* demortuam Patrem; quòd ſi euênit, bene potuit pulchra, & decora facie à *Flacco* videri Virgo etiam quadragenaria. Quibus diluitur *Gallonij*, & aliorum argumentatio.

DE FLACCO Comite S. Virginis amaſio agit Baronius *in Not. lit. B.* ſed quis, aut qualis fuerit, non aperit. Sed Nos ex Iuliano Noſtro in *Chron. d. n.* 291. fuiſſe contendimus Nobilem *Patauinum*, Comitem Proconſulis Cyprij, & *Martiali* Noſtro *Bilbilitano* familiaritate coniunctum, cuius amorem indecorum increpat *lib.* 7. *epig.* 86. hoc Carmine. *Quis Flaccus Comes?*

Si meus aurita gaudet Lagopodē FLACCVS.

In cuius explicatione *Domitius* contendit LAGOPODEM fuiſſe ancillam à clunibus leporis nomen ducentem. At *Georgius* non de Ancilla fore intelligendum nomen illud, probat, quoniã ſequentes omnes comparationes de brutis fieri intendit *Martialis*, quæ velut mõſtra à Dominis amarentur. Ab hinc LAGOPVS ex *Plinio* Auis pedes leporino villo habens reſiduum corporis columbinum. Cui expoſitioni adhæreo, quia abhinc lucem accipiet, ad *S. Petronillæ* hiſtoriam adnectendam, ſymbolica hæc *Martialis* comparatio. Non enim Poëta FLACCVM Auem *Lagopodem* amare, dicere ſomniauit, ſed fœminam Aui in proprietatibus ſimilem. Amabat FLACCVS *Petronillam*; ille Romanæ nobilitatis ingenuus, iſta ex ſtirpe hebræâ Romanæ vanitati inuiſa, & horribilis, quæ licèt faciei formâ, & membrorũ compagine venuſta, & ſpectabilis, columbæ candorem præſeferret; attamen quatenus ad pedum villoſum aſpectum, in hebræa origine ſignificatum, monſtri inſtar *Martiali* ſatyrico viſa eſt. Hócque in FLACCO ſuo, ænigmate LAGOPODIS, vituperatione dignum inuenit, haud penſans Ethnicus Poëta non in formæ ſplendore, ſed in animi excellentia ineſſe pulchritudinis & decoris donũ. *P. Raderus* cũ *Scaligero* legit *Glaucipode*. Idẽ Martialis ad FLACCVM ſcribit *lib.* 12. *epig.* 75. in quo nihil eſt, quod notetur. *Lagopode apud Martialem quæ?* *Noua ad Poëtæ carmen explicatio.*

SS. GERMANVS & Socij Martyres.] Illos colligit B. Notker. *h. d. in Martyrologio*, hoc elogio: *In Hiſpania Ciuitate Gerunda*, GERMANI, VICTVRI, SYLVANI, TELESPHORI, VICTORINI, *& aliorum multorum*. Eadẽ *Caniſius*, & Philipp. Ferrar. in *Catal. Generali SS. fol.* 224. & in *Topograph. verb.* Gerũda, *fol.* 57. Qui iſtos cõfundit cum aliis *Martyribus Gerundenſibus*, quos dira *Ruffini* Iudicis ſæuitia damnauit, & quorum dies feſtus illis *VI. Id. Iunij* ineſt. Noſtri ab illis, in nominibus diuerſi, ſi GERMANVM demas. Qui fuerint, quóve tempore vixerint, ſub quo Imperatore agonizauerint, quæ eorum Acta, adhuc nos latent. Ideo ſinamus Deo, quæ inueſtigare in tanta nebulæ obſcuritate non valemus. B. *Martyrologia.* *Eorũ Acta periêre.*

INFRA, Nos hoc *Tomo*, *Die VIII. Iunij* egimus de ſanctis *Germano*, *Paulino*, *Iuſto*, *& Scicio*, qui in eadem vrbe GERVNDA martyrium compleuerunt, quos diuerſos fuiſſe credendum eſt, eo quod nomina illorum Martyrum de quibus *infra VIII. Iunij* diuerſa à Noſtris ſunt. Item *Dierum* computatio diſſimilis, iſti *hoc die*; illi *VI. Idus Iunij*. Quibus diſcrepantiis cognitis iſtos ab illis diſiungere neceſſariò duximus, prout illos ab iſtis ſeparârunt *B. Notkerus*, & *H. Caniſius*. Nec Philippi Ferrarij *d. fol.* 224. ſententia ſequenda eſt, contendens Noſtros hoſce Martyres defuiſſe in Commemoratione *Hiſtoriæ SS. Cathaloniæ*, à P. Antonio Vincentio Domenec euulgatæ, & in *Tabulis Eccleſiæ*, *& Kalendarij Gerundenſibus*; quia proculdubio fallitur; nam cum Noſtri ab illis ſint diuerſi, quo pacto vtroſque coniũgere valeret. Sed de hoc alibi. *An ab aliis infra recitandis diuerſi.*

S. HECTOR FERRANDVS Epiſcopus, & Confeſſor.] Celebris eſt eius memoria apud Scriptores Eccleſiaſticos, tàm antiquos, quàm recentiores, licèt apud eoſdem non æqualis adſit in nomine compoſitio. Nam antiqui illum tantum FERRANDI vocabulo appellitant, vt videre eſt in *Appendice* Incerti Auctoris *Iſidoro*, & *Ildefonſo* tributa *c.* 11. apud Aubert. Myræum *fol.* 105. *in Biblit. Eccleſ. tom.* 1. & *fol.* 206. *c.* 135. Ioann. Trithem. de *Script. Eccleſ.* Creſcon. *in Præfat. ad Liberin. in Concord. Canon.* Bellarmin. de *Scriptor. Eccleſ. Secul.* 6. Poſſeuin. in *Apparat. Sacr. lit. F.* Noſtrates verò antiqui, & recentiores Chronographi FERRANDO agnomen HECTORIS præpoſuêre; ita vt ab ipſis HECTOR FERRANDVS vocitetur, vt liquet ex S. Maxim. *in Chronic.* C. *Scriptores.*

Digitized by Google

*Ann.*503. *num.*3. & *Ann.*509. apud Biuar. *fol.*259. & *Ann.*516. *num.*1. *fol.*293. Iulian. Petr. *in Chron. Ann.*494. *num.*257. *&* 259. Franc. Piſa *Hiſtor. Tolet. lib.*5. *cap.*36. *num.*3. P. Ioann. Marquez *de origin. Eremitar. S. Auguſtin. cap.*11. §.4. *&* 5. D. Thom. Tamay. *in Elog. Viror. Illuſtr. Vrb. Tolet. verb.* Hector Ferrandus, *& in libell. de veritat. Dextr. in Diptych. Toletanor. Pontific. nouit.*7. *num.*25. *fol.*121. D. Didacus Caſtejon *de Primat. Tolet. tom.*1. *cap.*8. §. 8. *fol.*120. *& ſequent.* D. Franciſc. Caſcales *Hiſtor. Murcienſ. Diſcurſ.*20. *cap.*3. *fol.*426. R. P. F. Thom. Herrera *in Alphabet. Auguſtinian. lit. H. fol.*339. P. Anton. Quintana-Dueñ. *Hiſtor. SS. Toletan. tit. de Pontificib. Toletan. cap.*28. *fol.*111. Nouiſſimè amicus Noſter *P. Ioannes Ferrandus* è Societ. IESV *in vit. S. Hector. in exord. Notar. ad eius Opera.* quam mecum per Epiſtolas communicauit; cuíque & Ego plurima pro illa texenda, ex Noſtratum monimentis recondita ſuppeditaui; ideóque illam hîc inſerere promiſit, vt ſuo nomine vulgaretur. Aſt quia *Lugduno* R. Patrem abeſſe cognoui, aliam à me compactam ſubiicere curaui, ſic;

ACTA S. HECTORIS FERRANDI Epiſcopi Toletani Confeſſoris; ex Varijs Scriptoribus.

Origo.

HECTOR cognomento FERRANDVS origine Afer, & Carthaginenſis vrbis oriundus, quem, parentes in Fidei Catholicæ obſeruantiâ conſtantes, adueniente diſcretionis tempore, S. Fulgentio Ruſpenſium Epiſcopo, omnigenis diſciplinis exercitato, maximarum artium alimentis nutriendum tradidêre. Ex tanti igitur Viri Magiſterio, ingentibus potitus theſauris, breui tempore, exactè omnibus diſciplinis imbutus, aut ingenij felicitate, aut ſtudij pertinacia, repertus eſt. Hinc ſuis meritis, & naturæ candore præuiis, ad Carthaginenſis Eccleſiæ Diaconatum euectus, plura de ſe omnibus, tàm verbo, quàm ſcriptis præbuit feliciter teſtimonia. Plures annos in hocce miniſterio tranſegit, ſed non otioſus illius honorificæ dignitatis munera fœdauit, quinimò pluribus ſcriptis illius ſplendorem adaugens, ſæpius ex dignitate, potius ex officio, quàm ex nomine cognitus perhibetur. Magiſtri ſui non ſolùm eruditionem adeptus eſt, ſed etiam inſtituti regulas amplexatus, quibus munitus, licèt tantâ ſcientiæ magnitudine plenus, non modo non fuit inflatus, ſed potiùs animum, tantò ſubmiſſiùs deprimebat, quantò altiùs mente, ac cogitatione in ſublime tendebat. Hinc humilis in ſermone, & conuerſatione, pius in exercitatione, benignus in reprehenſione, amabilis in reſponſione omnibus ſemper eſt viſus, & nemini intolerabilis, aut inuiſus.

Carthaginenſis Diaconus.

Relegatur cum aliis Epiſcopis.

PER hæc tempora Traſimundus Rex, qui Africam penè totam ſub eius imperio ſubiugauerat, fœda perfidi Arij deliria, cuius inſequebatur veſtigia, extollere ſatagens; omnes regionis incolas ad eius ſectæ errorem perducere concupiebat: ſed plurium Epiſcoporum, & aliorum beatorum Virorum, in prouincia degentium ſermonibus, & monitis Catholicis præpeditus, totum ſuæ perfidiæ conamen ad effectum perducere non valebat. Quâ quippè occaſione, furore ſuccenſus in Catholicos deſæuire cœpit, ita vt ferè ſexaginta Epiſcopos exilio damnaret; inter quos & Fulgentium, Magiſtrum FERRANDI, qui illius pediſſequus, eius fortunam, labores, & conſtantiam exercere concupiens, in Sardiniam relegatus perrexit. Hîc innumera pro Chriſti confeſſione Catholicâ ſuſtulit opprobria, donec Traſimundo extincto, per Hildericum Regem ſucceſſorem, diſrupta fuit longiſſimæ captiuitatis horrenda catena, & Orthodoxæ Eccleſiæ per Africam reſtituta libertas. Tunc cum Magiſtro & aliis Carthaginem Africanam reuerſus, & à ſuis benignè exceptus, iterum in Archidiaconatus illius

Reuertitur.

Digitized by Google

illius Eccleſiæ miniſterio ſuſceptus, manum ad aratrum appoſuit, vt eius doctrinâ, & pietate Catholicos confirmaret, & hæreticos erudiret, ac reduceret.

FAMA igitur operum, & virtutum FERRANDI non ſolùm Africæ terminos adimplebat, verumetiam Hiſpaniæ totius angulos occupabat, ideóque è viuis ſublato Eugenio Carthaginis Spartariæ Epiſcopo, in eius locum ſuffectus eſt, & Cathedram adſcendens, illicò ſanctitatis, & doctrinæ radios, quibus totius diœceſis ambitus illuſtraretur, extendit. Hinc ſublimiori munere, quo populos ſibi commiſſos, verbo, opere, & exemplo tenebatur erudire, compulſus, ſic vitam texuit, vt (tantæ multitudinis ſalutem, priuatis commodis præponens) aruum Eccleſiæ, tantâ vigilantia, animíque ſolertia excoleret, quòd omnibus impietatis ſpinis euulſis, & peſtiferis hæreticorum doctrinis profligatis, ſolùm Orthodoxæ Fidei lumen clariſſimè in tota eius diœceſi refulgeret. In his, & aliis tanti ponderis rebus, tantæ erat humilitatis, quòd nec ſibi fideret, ideò donec vixit Fulgentius Magiſter, ab eo; tanquam à Themyde, oracula, pro ſuæ animæ regimine, pro ouium ſuarum gubernatione, & pro muneris Paſtoralis directione, & munimine recipiebat. Hinc euênit, quòd conſtito, quòd in vrbe Bœticæ Cartheia deliteſcebat ignotus quidam Victor, quondam in Africa Epiſcopus, Sanctitate, & literis admirandus, protinus emiſſis literis, ſecum in Carthaginem traxit, cuius contubernio & neceſſitudine, ad perfectiores animi dotes euectus, Pontificibus ſequentibus Orbis, vt hiſce ſimilibus miniſtris, non verò ignaris, & idiotis, & hypocritis famulis, vterentur, reliquit exemplum.

Epiſcopus Carthaginis Spartariæ fit.

S. Victorem ex Africa expulſum ſecum defert.

POST hæc, cùm per obitum Petri natione Græci, ſanctitate conſpicui, Epiſcopi Toletani, Sedes illa Patriarchalis vacaret, cognita per Clerum, & Populum Toletanum HECTORIS FERRANDI virtutum eminentia, & in regimine propriarum ouium ſolertia, nec non aliis naturæ, & artis dotibus, nullo deficiente ſuffragio, ad Metropoliticam tranſlatus Sedem, illius gubernacula acceptare compulſus eſt. Sed tanta fuit in Victorem Coëpiſcopum cõtubernalem neceſſitudinis recognitio, quòd Carthagine diſcedere noluerit, donec illum in eius locum, intercedentibus meritis, ſublimaret. O felix miniſter, qui dominum, & benefactorem talem, ac tantum habere meruiſti: Ergo Toletum veniens, ſanctitate, & literis emicans, omnibus de ſe præclarum excellentiſſimi Pontificis præbuit teſtimonium: maximè cum in Concilio Tarraconenſi, cui vt Sedis Apoſtolicæ Legatus interfuit, doctrinæ ſuæ riuulos diffudit, & poſtmodùm alteri Synodo Toletanæ etiam interfuit; & in hiſce omnibus Paſtoris officiis functus, primúſque agmen agens, reliquos ductaret Epiſcopos. Tandem in Africam iterum remeare conſtituens, Opera Magiſtri ſui ſuppleuit, elimauit, & compleuit; demum Toletum rediens, bonorum operum plenus obdormiuit in Domino die XXXI. Maij Anno Domini D. XXV.

Toletanus Præſul eligitur.

Interfuit Concilio Tarraconenſi,

Et Toletano.

Obijt.

Hæc ſunt, quæ ex profundæ vetuſtatis tenebris delibare potuimus, vt ſatis noſtro inſtituto faciamus: & licèt omnia hæc facinora FERRANDI, in vnici Epigrammatis contextu, quod vulgò circumfertur, & à pluribus refertur, abſque Auctore, comprehendantur; tamen nec ea ſolum comprobatione contenti, alias inſuper ſubiiciemus. Carmina prout inter Opera MS. Auli Hali mei continentur, hæc cum lemmate ſunt.

Probatur Epigrammate.

IN TVMVLO S. HECTORIS FERRANDI Carthaginis Prouinciæ Præſulis.

HECTOR *aue ſacer Antiſtes* FERRANDE *Beate,*
Africa *quem tellus gignit*, Ibera *vocat.*

Annos te multos fruitur Carthago *miniſtro,*
Defenſor fidei viuus, & vltor eras.
Hæreticis noménque tuum, celebréſque Libelli
Exoſi: quo tu malleus hæreticis.
Contigit inde tibi Fulgentius *ipſe Magiſter,*
Lumen, & eximia Relligionis onus.
Iámque ætate grauis Toletum *Paſtor adiſti,*
Hanc Sedem ſcriptis, vitâ, & honore iuuas.
Inde tamen Lybiam *repetis per mille pericla*
Doctor & Antiſtes ſydera calce premis.
Tricenâ primâ Maij ſub luce bearis:
Qui fueras exul, ſanctaque turba ſimul.
Hinc tua Montanus *veſtigia ponè ſecutus*
Succedit celeber Paſtor in vrbe tua.
Forſitan ille tuus fuit hac in Sede miniſter;
Moribus, ingenio, par quoque laude tibi.
HECTOR *amans pecudum vigil & ſanctiſſime Paſtor,*
O FERRANDE, *ſacer Præſul, amice Dei.*
Sit curis Carthago *tibi te* Hiſpana *Magiſtro;*
Dummodo Toleti *ſit tibi cura frequens.*
Vtraque te roſei carpentem luminis auras
Vidit, & hac ſupera carpere ſedis iter.
Illa dedit vittâ primordia Præſulis Almâ;
Iſta reſurgentem lata videbit humo.
Felix Toletum, *qua tantum nacta Parentem,*
Illius in gremio continet oſſa ſuo.
Et quem Pontificem quondam venerata recepit
In ſua Patronum commoda, voce vocat.

Ex hiſce carminibus, ſic ad veram ecphraſim reſtitutis, nam quæ circumferuntur prorſus vitiata cognoſcimus, tota ACTORVM compago ſuperiùs ſcripta probatur: ſed vt ſigillatim ad vniuſcuiuſque actionis comprobationem accedamus, neceſſarium erit, vt per ſectiones ACTA omnia probemus.

Originis probatio.

PRIMVM de *Origine* quæſtio eſt. Quòd fuerit ex Carthagine Afer, probant omnes qui de eo ſcripſerunt. Pro omnibus Iulian. *in Chron. n.* 257. hac ſerie: *Petro Toletano ſuccedit in eadem ſede* HECTOR *cognomento* Ferrandus, AFER. Et probatur in *Primo Diſticho* ſuperiùs relato, ibi: AFRICA *quem tellus gignit.* Cui veritati non obſtat cõiectatio M. F. Ioannis Marquez *vbi ſupr. c.* 11. § 4. *fol.* 183. quâ contendit effingere S. Virum, non *Afrum* origine, ſed miniſterio, imò *Hiſpanum* ortu fuiſſe; & ad hoc ſatis fallibili præſumptione mouetur, ſcilicet, quòd cognomen FERRANDVS propriũ *Hiſpaniæ* fuit, quo pluries vſi ſunt *Hiſpaniæ* Reges, de quo exempla recenſet. Sed procul dubio à verò deuiauit eruditiſſimus Pater, & Hiſpanicæ eloquentiæ Magiſter, quia Nomina & Cognomina huiuſmodi, quæ hodie in FERNANDO, & FERNANDEZ conuerſa ſunt, originem accepere ab ipſo ſanctiſſimo Præſule, cùm antea nec audita à Noſtratibus, nec poſtea vſque ad *Fernandum I.* Caſtellæ Regem cognomento *Magnum.*

Marquez coniectatio diluitur.

De Diaconatu Carthaginenſi teſtes.

II. De

Digitized by Google

II. De DIACONATV Eccleſiæ *Carthaginenſis Africanæ*, teſtes ſunt S. Iſidorus Noſter,& omnes in *Nota* ſuperiùs recenſiti,necnon *Secundi Diſtichi* ecphraſis,ibi: *Annos te multos fruitur Carthago Miniſtro.* Hinc notabis,quod hæc vox DIACONVS in Scriptoribus agentibus de B. FERRANDO,non ad ordinem tantũ reſpexit, ſed ad dignitatẽ,ita vt idem ſit dicere DIACONVS *Carthaginenſis*,ac dicere ARCHIDIACONVS,non ratione Ordinis,ſed ratione Miniſterij,quod in ſe includere poteſt etiã Presbyteratum;vt quotidie experimur in Cathedralibus Eccleſiis,in quibus *Archidiaconi* pluries Presbyteri conſpiciuntur : & in S.R.E.Cardinalibus, quorum aliqui Diaconi Cardinales nominantur,ratione nominationis ad purpurã,cùm tamẽ ſint Presbyteri, de quibus omnibus videſis *c.Diaconi* 6.93.*diſt.* & Cãpanill.in *Rubric.Iur.Rubric.* 7.*c.*6.*n.*47.*& ſeqq.* Hinc à Biuario in *Not.ad M.Max.in Chron.Ann.*5*c*6.*n.*3.§.18.*fol.* 267.diffugies,qui Noſtrum *Hectorem Ferrandum* ſcindere,& in duos homines diuidere conatur,contendens HECTOREM,qui interfuit *Concilio Tarraconenſi*,diuerſum fuiſſe abs FERRANDO *Carthaginenſi Diacono* ; & rationem ſubiungens, proſequitur: *Afrum Scriptorem nunquam* Epiſcopum *fuiſſe , imò nec Presbyteratu cohoneſtatum, ſed* Diaconatu *duntaxat* Carthaginis *Eccleſiæ , & in eodem vſque ad mortem permanſiſſe.* Quod vt probet,catalogum Scriptorum,qui de ipſius *Diaconatu* verba fecêre,conglutinat. Sed ignorauit prorſus doctiſſimus Pater, quod DIACONVS,vt diximus, nomen fuit Dignitatis,non Ordinis,quaſi ARCHIDIACONVS, & ideo illi *Diaconi*,qui *oculi Epiſcoporũ* dicebantur apud D. Clementem Papam *in Epiſtol.* 1.*ad Iacob. Fratr. Dom.*relata *d.c.Diaconi* 6.*Diſt.*93.& apud S.Euariſtũ Pont.Max.*in Epiſt.* 1. *ad Epiſcop. African.*relata in *c.Diaconi* 11.*d.Diſt.*93.poſtmodum *Archidiaconi* vocitati ſunt , vt inquit Gloſſ.*in d.c.Diaconi* 6.verb. *Oculi*,in quos etiam tranſiit illud epitheton,quod vocarentur *Oculi Epiſcoporum*,vt liquet ex *c.ad hæc* 7.*de Offic.Archidiac.*Concil.Trid. *Seſſ.*24.*de Reformat.c.*12.vbi Barboſ. *n.*7. Cuius ſi fortè *Biuarius* diſtinctionem vocis cognouiſſet, proculdubio nequaquam in tàm fœdum errorem contra tot Noſtratum monimenta prolapſus fuiſſet,maximè ſi ad Iuliani Petri *in Chron.n.*257.verba attẽdiſſet,vbi Noſter HECTOR expreſsè ARCHIDIACONVS Carthaginenſis vocitatur.

Vox Diaconus *in Cathedralibus Eccleſiis,non Ordinem ſed Dignitatem ſignificat.*

Biuarij nutatio euacuatur.

III. De EXILIO in Sardiniam cum Fulgentio Ruſpenſi Magiſtro;elegantiſſimè probat P.M.F.Ioannes Marquez *d.c.*11.§.4.*&* §.5.& elicitur ex *Diſticho* 7.ibi : *Qui fueras exul,ſanctáque turba ſimul.* Cui conueniunt cæteri ex Noſtratũ Scriptoribus.

De exilio memoria.

IV. De *Epiſcopatu Carthaginenſi in Hiſpania.* Pro hac opinione adeſt Iulian.Petr. in *Chron.n.*257.vbi agens de *Hectore* Noſtro,proſequitur: *Qui fuit in Sede* Carthaginenſi *Archidiaconus Scriptor nobilis, &* Epiſcopus Carthaginis Spartariæ. Et probatur ex *Diſticho* 11.12.*&* 13. vbi loquens carminis Auctor, vt in meo reperitur *MS. Codice Auli Hali*,cum S. Præſule, & ab eo petens vt *Carthaginis* Hiſpanæ & Toleti memoretur , proſequitur.

De Epiſcopatu Carthaginis Spartariæ Auctores.

Sit curis Carthago *tibi te* Hiſpana *Magiſtro*;
Dummodo Toleti *ſit tibi cura frequens.*
Vtraque te roſei carpentem luminis auras
Vidit ; & hac ſuperæ cărpere Sedis iter.
Illa dedit vittâ primordia Præſulis almâ ;
Iſta reſurgentem læta videbit humo.

Ex quibus liquet verſibus,quòd primò fuerit Epiſcopus *Carthaginis Spartariæ.* Nec in hoc eſt audiendus *Biuarius*,qui etiam hanc Sedem ademit HECTORI Noſtro,iiſdẽ innixus conjectationibus,de quibus ſuprà egimus.Quia eſto quòd *Diaconus* ſolùm nominetur ab Scriptoribus,non ex hoc B.Virum ab Epiſcopatus munere priuant;ſed quia ſemper quaſi per emphaſim notior erat dignitate *Diaconi*,quàm nomine, ideo retentâ illa, & adiecta nomini (cùm eius ſcripta vulgarentur tempore Diaconatus) de illo verba fecêre,ne,ſi nomini aliam dignitatem adiicerent, alius à Noſtro videretur intruſus. Simile in *B.Hieronymo* videmus exemplum, qui cùm S.R.E. *Cardinalis* fuiſſet , nunquam ab Scriptoribus antiquis condecoratur hoc titulo , ſolo *Presbyteri* contenti. Nec ex eo quòd antiqui Scriptores tantùm *Hieronymum* appellitent *Presbyterum*, decertandum erit non fuiſſe *Cardinalem.*

Biuario cõtradicenti reſpondetur

V. De

Digitized by Google

Aſſumpſit ſecum S. Victorẽ Africanum Epiſcopum.

V. De *Vocatione Victoris* Africani Epiſcopi *Cartheiâ Carthaginem* Spartariam: Acta ſuperius à Nobis conſcripta *Tom. 2. die XXI. April. fol.* 716. id proclamant, hac ſerie: *Ab* Hectore Ferrando *Carthaginenſis Prouinciæ apud* Hiſpanos *Epiſcopo, vt creditur, innitatus,* Cartheiam *deſerens,* Carthaginem Spartariam *adiuit, vbi ab Hectore Præſule benignè acceptus, & honorificè habitus, & tractatus, breui ſuæ doctrinæ compendia apices Hiſpanis* Carthaginenſibus *patefecit. In illius S. Pontificis contubernio multos conſumpſit dies.* Vbi Auctores de hac re loquentes retulimus.

De Epiſcopatu Toletano probatio.

Cætera quæ circa *Toletanum Epiſcopatum,* aſſiſtentiam in *Concilio Tarraconenſi,* & alio *Toletano*, cuius Acta periêre, verſantur; nullus dubitat, & omnes, qui eius anamneſin ſcripsêre, fatentur. Pro omnibus de Epiſcopatu Toletano, *Diſtich.* 5. ſic:

Iámque ætate grauis Toletum *Paſtor adiſti,*
Hanc Sedem Scriptis, vitâ, & honore tuuas.

Omnia complectitur poſt S. M. Max. *d. Ann.* 506. Iulian. Petr. *n.* 259. his verbis: *Theodoricus Amalus, Rex Hiſpanus interfuit* Concilio Toletano; *& antea* Concilio Tarraconenſi, *cui interfuit etiam* Hector *Toletanus cognomine* Ferrandvs.

Rediit in Africam.

Deinqve de *reditu in Africam*, & ſupplemento Operum S. Fulgentij Magiſtri ſui, & Toletum reuerſione, eiúſque morte; audi Iulianum Toletan. Archipresbyterum *d. n.* 259. dicentem; Hector *vel* Ferrandvs *rediit in Africam, ſupplet Opera S. Fulgentij Magiſtri ſui*, & in *Diſticho* 6. dicitur:

Inde tamen Lybiam *repetis per mille pericla.*

Mortis dies, & Annus.

De *Morte apud Toletum* teſtes ſunt carmina inferiùs referenda, & fatentur Marquez *d.* §. 4. redeamus D. Didacus Caſtejon de *Primat. Tolet. tom.* 1. *d.* §. 8. *n.* 122. & alij plurimi, ſed ad *Diſtich.* 14. redeamus, vbi hæc verba.

Felix Toletum, *quæ tantum nacta Parentem,*
Illius in gremio continet oſſa ſuo.

Dies obitus S. Præſulis XXXI. Maij fuit, vt ex d. Epigrammate *Diſticho* 7. apparet, prout in meo *MS. Codice Auli Hali* legitur, ſic:

Tricenâ Primâ Maij *ſub luce bearis;*
Doctor, & Antiſtes, ſydera calce premis.

Annvm obitûs diximus euenisſe D. XXV. vt & notauit Marquez *d.* §. 4. & amplius excedere non potuiſſe, quia ſi Hectori ſucceſſit *Celſus*, & huic *Montanus*, & iſte Anno D. XXVII. interfuit *Secundo Concilio Toletano*, tanquam ipſius Sedis Epiſcopus; igitur iam, vt demus locum *Celſo*, è viuis erat ſublatus Hector, ſic iſtam opinionem tuentur vniuerſi.

Opera quæ ſcripſit.

Qvatenvs ad Opera ab ipſo ſcripta, & quæ typis dedit Romæ Achilles Statius, ſequentia numerantur: *Paræneticus ad Reginonem. Epiſtola ad Anatolium Diaconum vrbis Romæ. Epiſtola ad Seuerum Scholaſticum Conſtantinopolitanum. Epiſtola ad S. Fulgentium Ruſpenſem Epiſcopum, de Quinque Quæſtionibus.* Quæ, & alia R. P. Ioannes Ferrandus typis edere curat cum *Notis*, vt ipſe ſæpius mihi ſignificauit.

De Vrbibvs *Carthagine Spartaria*, & *Toleto* plura ſuperioribus Voluminibus diximus, & in ſequentibus dicemus. Nunc quia iam, Deo fauente, calcem huius Menſis attigimus, cum Henrr. Cocquo in *Hiſpan. Heroic.* dicere compellimur:

Ad Medium Sancti *tangit iam Noſtra Carina*
Gurgitis, ergo auris Acta fouete piis.
Qui deſunt precor vltrò maturate labores,
Vtque ſuperſtitibus integra charta detur.
Prateritis Diuis conſumpſi carmina multa
Eſt quoque venturis par referendus honos.

FINIS.

Digitized by Google

INDEX
RERVM NOTABILIVM, quæ in Anamneſi Sanctorum Menſis MAII continentur.

A

Abula.

ABVLA Ciuitas antiqua Epiſcopalis Hiſpaniæ. pag. 48
Quis fuerit eius conditor? duplex eſt opinio. ibid.
De priori opinione remiſſiuè. ibid.
Poſterior opinio refertur & reiicitur. ibid.
Abula contendit poſſidere corpora S. Vincentij & ſororum. 143
Probationis teſtimonia pro parte ipſius referuntur. ibid.

Academia.

Academia Salmanticenſis à quo cõdita. 163

Acathius.

De S. Acathio Martyre Centurione Martyrologia & Scriptores. 122
Eius origo. 123
Centurionis officio functus eſt. ibid.
Chriſtianiſmum viriliter profitetur. ibid.
Comprehenditur & vinctus ad Bibianum Præſidem mittitur. ibid.
Variis cruciatibus torquetur. ibid.
Ab Angelis recreatur. ibid.
Iterùm affligitur. ibid.
Martyrio coronatur. ibid.
A viris Religioſis ſepelitur. ibid.
Caput ipſius ad Sanctam Eccleſiam Conchenſem transfertur. ibid.

Achileus.

Vide *Nereus.*

Adelardus.

S. Adelardi cognomento Geneſij Acta remiſſiuè. 264
De illius Tranſlatione Scriptores. ibid.
Sacra eius pignora in Cœnobio Corbeienſi à ſe conſtructo ferè per ſæculum quieuerunt. 265
A Monachis exportata in Hiſpaniam. ibid.
Ipſa in Monte Larino relinquunt. ibid.
Corbeienſes poſtmodùm Monachos dimiſerunt, vt aliquas repeterent exuuias. ibid.
Inſigne refertur Miraculum. ibid.
S. Geneſius prædictis Monachis ſignificauit ſe velle quieſcere in Monte Larino. ibid.
Carmen hac de re traditur. ibid.
Lapis de eius ſepulchro in mare proiectus tempeſtatem ſedat. 266
Captiui liberantur. ibid.
Anginæ morbo laborans ſanatur. ibid.
Mortuus ſuſcitatur. ibid.
Eius Reliquiæ quædã apud Corbeiẽſes. ibid.

Adura.

Aduræ Topographia. 278
De hoc Oppido remiſſiuè. ibid.
Subtus terram ſonitus campanarum auditi in Templo S. Quiteriæ. ibid.

Ægidius.

B. Ægidij Confeſſoris Scalabitani obitûs dies variè conſignatur. 199
De eo Scriptores. 200
Carmen. ibid.
Eius origo. ibid.
Proſapia & Nobilitas. ibid.
Philoſophiæ & Medicinæ ſtudiis deditus. ibid.
Præclara aſſequitur Munia. ibid.
Pariſios ire conſtituit. 201
A Dæmone detinetur & decipitur. ibid.
In ſpecum prope Toletum ducitur. ibid.
Chriſti fidem abiurat. ibid.
Proprio ſanguine chirographum ſcriptum dæmoni tradit. ibid.
Poſt ſeptennium Pariſios adiit. ibid.
XVIII. SS. Cyriacus, & Paula Martyres Malacitani. 544
SS. Theodulus & Socij Martyres. 546
Depoſitio S. Marinæ V. & Martyris. ibid.
XIX. S. Geruaſius Martyr. 548
Dedicatio S. E. Cathedralis Seguntinæ. 549
XX. S. Florentina Virgo. 555
XXI. S. Demetria V. & Martyr. 573
S. Raymundus Epiſcop. 574
S. Palladius Epiſcop. 580
XXII. SS. Paulinus, Theraſia, & Celſus filius Confeſſores. 583
S. Hermolaus Epiſcop. Tolet. 585

Digitized by Google

Index Festorum Iunij.

S.Gregorius Episcopus Toletan. 589
S.Attonis Translatio. 590
XXIII. S.Iulianus Martyr. 593
S.Ioannes Martyr. 594
XXIV. S.Ioannes Baptista. 595
XXV. S.Gallicanus Quinus Martyr. 601
S.Eurosia Virg. & Martyr. 605
XXVI. SS. Ioannes, & Paulus Martyres. 618
S. Perseueranda V. & Martyr. 620
S.Vigilius Episcop.Martyr. 621
S.Pelagius Martyr. 622
S.Hermoigius Episcop. 638
XXVII. SS. Zoilus & XIX. Socij Martyres Cordubenses. 639
B.Ferdinandus Episcopus Calatinus in Italia. 643
XXVIII. S.Q.Serenus Martyr. 645
S.M.Serenus Martyr. ibid.
S. Quinctia Marcella Martyr. ibid.
S.Potamiena Virg. & Martyr. ibid.
S.Papius Martyr. 648
S.Luperculus Martyr. 649
S.Argimirus Martyr. 650
XXIX. Festiuitas S.Petri Apostoli, Hispaniæ Prædicatoris. 652
SS. Baudelius, Iulia, & Socij Martyres Zamorenses. 660
S.Benedicta Virgo. 662
XXX. Commemoratio S. Pauli Gentium Doctoris, Hispaniæ Apostoli, & illuminatoris. 664
S.Martianus Episcopus Pampilonensis, & Martyr. 671

SANCTO

Digitized by Google

SANCTORVM NOMINA,

quorum Acta in Menſe IVNIO exprimuntur, Alphabeticè.

A

Abundius Auitus Preſbyter. pag 540.
Anaſtaſius Preſbyter. 524
Antonius Patauinus. 504
Argimirus Martyr. 650
Attonis Tranſlatio. 590

B

Baudelius Martyr. 660
Baſilius Patriarcha. 526
Benedicta Virgo. 662
Benildis Martyr. 532
Briena Virg. & Martyr. 530

C

Calliopa Virg. & Martyr. 460
Conſecratio S. Eccleſ. Aſturicenſis. 469
Criſpulus Martyr. 477
Cyriacus. 544

D

Decianus Martyr. 433
Dedicatio S. E. Seguntinæ. 549
Demetria Virg. & Martyr. 573
Digna Virg. & Martyr. 524

E

Elpidius Epiſcopus Martyr. 429
Eneco Abbas Confeſſor. 410
Euidius Martyr. 502
Euroſia Virg. & Martyr. 605
Eutropius Epiſcopus. 467

F

Fandila Martyr. 502
Felix Martyr. 524
Ferdinandus Epiſcopus. 643
Firmus Martyr. 407
Florentina Virgo. 555

G

Gallicanus Quinus Martyr. 601
Germanus Martyr. 463
Geruaſius Martyr. 548
Gregorius Epiſcopus. 589

H

Hebentius Martyr. 416
Hermoigius Epiſcopus. 638
Hermolaus Epiſcop. Martyr. 585

I

Ieremias Martyr. 456
Innocentius Martyr. 543
Ioannes de Vrteca. 423
Ioannes Sahaguntinus. 481
Ioannes Guarinus. 497
Ioannes Martyr. 594
Ioannes Baptiſta. 595
Ioannes Martyr. 618
Ioſeph Martyr. 546
Iſaac Martyr. 430
Iulia Martyr. 660
Iulianus Martyr. 593
Iulita Martyr. 536
Iuſtus Martyr. 463
Iuuencus Preſbyter. 410

L

Leontius Martyr. 546
Luperculus Martyr. 649

M

Marcellinus Martyr. 429
Marcus Serenus Martyr. 645
Maria Martyr. 546
Marina Virg. & Martyr. ibid.
Martianus Epiſcopus Martyr. 671

N

Norbertus Patriarcha. 445

Olympius

Digitized by Google

Index Festor. Iun. Alphabetic.

O

OLympius Episcopus. 495

P

PAlladius Episcopus. 580
Paula Martyr. 546
Paulina Virg. & Martyr. 443
Paulinus Martyr. 463
Paulinus Episcopus. 583
Paulus Martyr. 618
Paulus Apostolus. 664
Papius Martyr. 648
Pelagius Martyr. 622
Perseueranda Martyr. 620
Petrus Martyr. 456
Petrus Compater. 534
Petrus Apostolus. 652
Potamiena Virg. & Martyr. 645

Q

QVinctia Marcella Martyr. 645
Quinctus Serenus Martyr. ibid.
Quiricus Martyr. 536

R

RAymundus Episcopus Barbastrensis Confessor. 574
Restitutus Martyr. 477

S

SAbinianus Martyr. 456
Sanctius Martyr. 437
Scicius Martyr. 463

T

THeodolus Martyr. 546

V

VIgilius Episcopus Martyr. 621
Vincentius Episcopus. 441
Vincentius Leuita Martyr. 470
Vincentius Episcopus Martyr. 474
VValabonsus Martyr. 456
VVistremundus Martyr. 456

Z

ZOilus Martyr cum XIX. Sociis Martyribus Cordubensibus. 639

INDEX

Digitized by Google

INDEX

Chorographicus Sanctorum huius Menſis IVNII.

ARBVCARA.

S. Anctus Papius Martyr. pag. 648

ASTVRICA.

Conſecratio Cathedralis Eccleſ. 469

BARBASTRVM.

S. Raymundus Epiſcopus. 574

BARCINO.

S. Innocencius Martyr. 543
S. Marina V. Martyr. 546
S. Paulinus Epiſcopus. 583

CÆSARAVGVSTA.

S. Vincentius Agennenſis Leuita. 470
S. Luperculus Martyr. 649

CÆSAROBRICA.

B. Iuuencus Presbyter. 410

CALATIA in Italia.

S. Ferdinandus Epiſcopus. 643

CARAVACCA.

Sancti Criſpulus, & Reſtitutus Martyres. 477

CARRACA.

S. Perſeueranda Martyr. 620

CASTRVM OCTAVIANVM.

SS. Theodolus, & Socij Martyres. 546

CAVRIA.

S. Vigilius Epiſcopus Martyr. 621

CORDVBA.

S. Iſaac Monachus Martyr. 430
S. Sanctius Martyr. 437
SS. Petrus, & Socij Martyres. 456
S. Fandila Martyr. 502
SS. Anaſtaſius, & Socij Martyres. 524
S. Benildis Martyr. 532
S. Pelagius Martyr. 622
SS. Zoilus & Socij Martyres. 639
S. Argimirus Martyr. 650

ELOSATIVM in Gallia.

S. Luperculus Martyr. 649

EMERITA.

S. Decianus Martyr. 433

FLAVIOBRIGA.

S. Iulianus Martyr. 593

GADIR.

S. Benedicta Virgo. 662

GERVNDA.

SS. Germanus & Socij Martyres. 463
S. Palladius Epiſcopus. 580

HISPANIA.

S. Norbertus Patriarcha. 445
S. Baſilius Magnus Patriarcha. 526
S. Abundius Auitus Presbyter. 540
S. Geruaſius Martyr. 548
S. Ioannes Baptiſta. 595
S. Ferdinandus Epiſcopus. 643
S. Petrus Apoſtolus. 651
S. Paulus Apoſtolus. 664

HISPALIS.

S. Florentina Virgo. 555
S. Demetria Virgo & Martyr. 572

HYPPO.

SS. Quiricus, & Iulita Martyres. 536

IACCA.

S. EVROSIA Virgo, & Martyr. 605

ILIPA Beturiæ.

S. VValabonſus Martyr. 456

ILIPVLA.

S. Reſtitutus Presbyter. 477

LERAMA.

S. Calliopa Virgo & Martyr. 460

MADRIDIVM.

S. Innocentius Martyr. 543
S. Ioannes Martyr. 594

MALACA.

SS. Cyriacus & Paula Martyres. 544

MELLARIA.

S. Firmus Martyr. 407

MEVANIA Hiſpaniæ.

S. Vincentius Epiſcopus. 441

MEVANIA Italiæ.

S. Vincentius Epiſcopus Martyr 474

MONASTERIA.

Biſoldunenſe: S. Euidius M. 502
Monſarratenſe: S. Ioannes Guarinus. 497
Nonenſe: S. Benedicta Virgo. 662
Onnienſe: S. Eneco Abbas. 410
Rotenſe: S. Raymundus Epiſcop. 574
Silenſe: S. Hermoigius. 638
Treuinienſe: S Paulina V. & M. 443

Vrticenſe:

Digitized by Google

Index Chorograph. Sanctor. Mens. Iunij.

Vrticense: S. Ioannes Eremita. 423

ONNIA.

S. Eneco Abbas. 410

OVETVM.

S. Petrus Compater Minorita. 534
S. Baudelius Martyr. 660

PATAVIVM Italiæ.

S. Antonius Vlyssipponensis. 504

PAX-AVGVSTA.

Translatio S. Attonis Episcopi. 590

PAMPILONA.

S. Martianus Episcopus M. 671

PISTORIVM Italiæ.

S. Attonis Episcopi Translatio. 590

PVTEALIS.

SS. Q. Marcella, & Potamiena Martyres. 645

SOCVELLAMOS.

S. Marcellinus Martyr. 429

SALMANTICA.

S. Ioannes à S. Facundo. 481
S. Iuuencus Presbyter. 410

SAMO.

S. Q. Serenus Martyr. 645
S. M. Serenus Martyr. 645

SECVRA.

S. Briena Virgo & Martyr. 530

SEGVNTIA.

Dedicatio S. E. Cathedralis. 549

SENTICA.

SS. Baudelius & Socij Martyres. 660

SAGVNTHVM.

S. Gallicanus Quinus Martyr. 601
SS. Ioannes, & Paulus martyres. 618

TOLETVM.

S. Elpidius Episcopus Mart. 429
S. Vincentius Episcopus Mart. 454
S. Olympius Episcopus. 495
S. Hermolaus Episcopus Mart. 585
S. Gregorius Episcopus. 589

TRIDENTVM.

S. Vigilius Episcopus Martyr. 621

VALENTIA.

S. Eutropius Episcopus. 467

VLTSSIPPO.

S. Antonius Patauinus. 504
S. Olympius Episcopus. 495

Digitized by Google

IVNIVS.

STATIS primus, & Anni medius Menſis, meſſium maturitas, & iuuenum lætitia, à quibus & nomen accepiſſe primò fatetur Ouid. *lib. 6. Faſt.* *Nominis etymon I. à Iuuenibus.*

Sic ſtatuit, Menſeſque notâ ſecreuit eâdem,
Ivnivs eſt Ivvenvm, *qui fuit antè ſenum.*

II. *A Iunone.*

Aſt Macrob. *lib. 1. Saturnal. c. 12.* duplicem inſuper huius nominis rationem aſſignat. I. à Iunone Iouis ſorore, & coniuge: *Eo quod* (inquit) Ivnonivs *apud Latinos antea vocitatus, diuque apud Aricinos, & Præneſtinos, hac appellatione in Faſtos relatus ſit: adeò vt* (*ſicut* Niſus *in* Commentar. Faſtor. *dicit*) *apud maiores quoque noſtros, hac appellatio Menſis diu manſerit.* Sed pòſt, detritis quibuſdam literis, ex Ivnonio, Ivnivs dictus ſit. Hinc Ouid.

Nec tamen hunc nobis tantummodo præſtat honorem
Roma: ſuburbani dant mihi munus idem.
Inſpice quos habeat nemoralis Aricia Faſtos,
Et populus Laurens, Lauiniúmque meum.
Eſt illic Menſis Ivnonivs: *aſpice Tibur,*
Et Præneſtinæ mœnia ſacra Deæ.
Ivnonale *leges tempus nec Romulus illas*
Condidit, at noſtri Roma nepotis erat.

Hanc & *Feſtus* rationem probat, his verbis: Ivnivm *Menſem dictum putant à* Ivnone, *iidem ipſum dicebant* Ivnonivm, *&* Ivnonialem. Subſcribunt Carol. Neapol. ad *Faſt. Ouid. lib. 6. n. 18.* Roſin. *Antiquit. Roman. lib. 4. c. 10.* Lil. Gyrald. *de Menſ. fol. 137.* Baptiſt. Maſcul. *in Encom. SS. fol. 231.*

III. *A Iunio Bruto.*

Secvnda *Macrobij* appellationis ratio, ex eius hiſce verbis deſumitur: *Nonnulli putauerunt* Ivnivm *menſem, à* Ivnio *Bruto, qui primus Romæ Conſul factus eſt, nominatum à quòd hoc menſe, ſcilicet* Kalendis Iuniis *pulſo Tarquinio, ſacrum Carnæ Deæ, in Cælio Monte voti reus fecerit.* Quod & Roſinus *d. lib. 4. c. 10.* obſeruauit, addens ex ipſo *Naſone*, Quartam nominis rationem, ſcilicet hunc menſem Ivnivm dictum, quaſi Vnivm, ſiue, vt aliis Ivngivm, à iunctis, ſiue vnitis *Romuli, & Tatij Sabinorum Regis* fœderibus. Hinc cecinit Ouidius *d. lib. 6.* IV. *Ab Vnione.*

Hæc vbi narrauit, Tatium, *fortémque* Quirinum,
Binâque cum populis regna coiſſe ſuis.
Et Lare communi ſoceros, generóſque receptos,
His nomen Ivnctis Ivnivs, *inquit, hábet.*

Huius Menſis Tvtela apud *Mercurium* erat, vt ex Tabulæ lapideæ Inſcriptione diximus ſupra *Tom. 1. in Prolegom. Menſis Ianuar.* ex Buxhorn. *Animaduerſ. ad Quæſt. Rom. Plutarch. fol. 135.* *Iunij Tutela Mercurio conſignatur.*

Sed & iſte Menſis diuerſo Dierum numero ab Antiquis ſubſignatus conſpicitur *Mart. Hiſp. Iunij.* *Quot Dies Iunio dati.*

Digitized by Google

ſpicitur. Nam ex Romuli, & Iulij Cæſaris conſtitutione XXX. ex Numæ autem Pompilij decreto XXIX. tantùm Dies accepit, vt omnes manifeſtò ex *Macrobio* & aliis probant, præcipuè *Gyraldus*, & *Roßinus*.

Huius menſis varia à varijs Gentibus denominatio.

VARIA identidem à Gentibus NOMINA accepit, quæ ex inſtituto ſubiicere nec grauabimur. Hebræi illum dixere SIVAN: Syri HAZIRAM: Chaldæi, & Ægyptij EPIPHI: Abiſſini PEVNI: Athenienſes ΕΚΑΤΟΜΒΑΙΩΝ: Macedoni ΔΕΣΙΟΣ: Cypri ITNIOΣ: Perſæ THIR: Arabes, & Saraceni GIVMA, II. Boëtij HYPPODROMION: Alexandrini MESSORIVM: Karolini, BRACHMONAT: Faſti Veteres BRACHOT: Alemanni BRACHMON: Belgici BRACTMAENT: Cymbri BEIDMAANET: Galli IVIN: Itali GIVGNO: Hiſpani IVNIO: Angli IVNE: Portugallenſes IVNHO. Item aliqui referunt ex Tacito, aliquo tempore dictum hunc Menſem GERMANICVM. Quibus cognitis ad Faſtos venio.

Cur hæ Kalendæ Fabariæ, & Fabaciæ dictæ?

I. KAL. IVNII, apud Romanos FABARIÆ dictæ. Sed cur? Audi Macrobium *d. lib. 1. c. 12.* cauſam referentem: *Quia hoc Menſe adultæ* FABÆ *diuinis rebus adhibentur.* Stuch. *de Sacrific. Gentil. fol.* 29. aliter aſſerit, dicens haſce Kalendas FABACEAS dictas, quòd *Carneæ* Deæ ſacrum pulte FABACEA, & larido fieri ſolebat; qui à Gyraldo *de Dijs Gentium, ſyntagm. 1.* deſumpſit.

Carneæ Deæ ſacra.

HISCE etenim Kalendis ſacra peragebantur CARNEÆ Deæ, quam vitalibus humanis præeſſe putabant: à qua petebatur, vt iecinora, & corda, quæque ſunt intrinſecus viſcera, ſalua conſeruaret. Cuique Templum Iunius Brutus, expulſo Tarquino, in Monte Cœlio conſtruxit.

Prima dies tibi CARNA *datur, Dea* CARDINIS *hæc eſt:*
Numine clauſa aperit, claudit aperta ſuo.
Vnde datas habeat vires, obſcurior æuo
Fama: ſed è noſtro carmine certus eris.

Hecatombæa ſacra Athenis.

INTER Athenienſes etiam hoc die celebritas maxima HECATOMBÆA dicta, & Apollini ſacra, à qua & Menſis HECATOMBÆVS dictus, vt ex Heſiodo probat Lil. Gyraldus *de Menſ. vbi ſuprà*, & de *Dijs Gent. ſyntagm.* 7. Quæ vmbroſo in luco in Apollinis honorem, & ſacrificium Hecatombæum, & epulum magnificum continebat, vt auctor eſt Guillelm. Stuch. *de Sacrif. Gentil. fol.* 11. & de *Antiquit. Conuiuial. lib. 1. c. 33. fol.* 127. Formam huius ſacrificij, è *Iul. Capitolin.* & aliis deſcripſit Gyrald. *ſyntagmat.* 17.

Feria Martis.

ROMÆ etiam hoc die fuêre FERIÆ *Martis, Carmæ, Monetæ* conſtitutæ, vt ex Macrobio, & Naſone *d. lib. 6.*

Lux eadem Marti feſta eſt: quem proſpicit extra
Appoſitum dextræ porta Capena viæ.

Tempeſtati ſacra.

Necnon TEMPESTATI ſacra indicta hiſce *Kalendis* refert ex Ouidio D. Karol. de Neapol. *in Comment. n. 64. fol.* 264. Ob Ædem votam à *M. Marcello*, qui bello Punico II. Syracuſas vicit; ab Oceani periculo liberato, cum in Corſicam, & Sardiniam nauigaret. Sed proculdubio toto cœlo aberrauit *Karolus*, quia, vt inquit Ioann. Selden. *de Dijs Syr. in Prolegom. c. 3. fol.* 59. & 60. Ea conſecrata ſunt, Anno ab

A quo?

V. condita CCCC. XCIV. à L. Cornelio Scipione, L. F. C. N. Cos. poſtquam Corſici Maris rabiem euaſerat. Quod vt probet, Inſcriptionem vetuſtiſſimam, ad Portam Capenam Romæ effoſſam, huiuſmodi refert:

HONC. OINO. POIRVME. CONSENTIONT. R. DVONORO. OPTVMO. FVISSE.
VIRO. VVCIOM. SCIPIONE. FIVIOS.
BARBATI. CONSOV. CENSOR. AIDIVIS.
HIC. FVET. A. HIC. CEPIT. CORSICA.
AVERIAQVE. VRBE. DEDET. TEMPESTATIBVS. AIDE. MERETO.

Sicque intelligendum Naſonis Diſtichon, quo de hac TEMPESTATVM celebritate *lib. 6. Faſtor.* agens, profitetur:

Te

Te quoque, TEMPESTAS, *meritam delubra fatemur*
Cùm penè eſt Corſis obruta claſſis aquis.

Item Iunoni MONETÆ ob ſacram Ædem ſtructam, ſacra fiebant, vt inquit idem Macrobius, & proſequitur Tomitanus Vates: *Moneta ſacra.*

Arce quoque in ſumma Iunoni Templa MONETÆ
Ex voto memorant facta, Camille, tuo.

De qua voti probatione, adeſt T. Liuij lib. 7. Hiſt. Rom. teſtimonium, dicentis: *Inter ipſam dimicationem*, ÆDEM *Iunoni* MONETÆ *vouit*, de qua videndus D. Karol. de Neapol. *in Comment. n. 59. fol. 263.*

DEMVM & hic Dies Romæ celebris ob memoriam Duplicis triumphi, quorum alterum *C. Marcus Rutilius* Cos. de Priuernatibus, Anno CCC. XCVI. vt inquit Goltzius *in Faſt.* Alterum *Q. Cæcilius Metellus* Creticus de Creta Inſula, vt T. Liu. *lib.* 8. Anno DC. XCI. reportarunt. *Triumphi.*

II. Ægyptiacus, hoc eſt, Infauſtus, & ater Romanis, quo & Hyades oriri fatentur Aſtrologi, à quibus & ipſe Naſo: *Hyadum ortus.*

Poſtera lux Hyadas Taurinæ cornua frontis
Euocat, & multâ terra madeſcit aquâ.

III. Solemnis Romanis, ob triumphum *M. Fabij Ambuſti* Cos. ita dicti, quòd cùm eſſet adoleſcens afflatus fulminis flamma fuerit, de Tiburtibus ad Annum V. C. vt fertur CCC. XCIX. vt probat Maſcul. *fol.* 232. *Triumphus.*

IV. BELLONÆ ſacra, ob eidem Templum conſecratum in Circo Flaminio verſus portam Carmentalem, de quo Liu. & Ouid. *Bellonæ ſacra.*

Mane vbi bis fuerit, Phœbúſque iterauerit ortus;
Factáque erit poſito rore bis vda ſeges;
Hac ſacrata die Tuſco Bellona duello
Dicitur: & Latio proſpera ſemper adeſt.
Appius eſt auctor: Pyrrho qui pace negata
Multum animo vidit, lumine captus erat.
Proſpicit à tergo ſummum breuis area Circum:
Eſt ibi non parua parua columna nota.
Hinc ſolet haſta manu belli prænuntia mitti
In Regem, & gentes, cùm placet arma capi.

Ad cuius illuſtrationem Karol. Neapol. *n.* 68. lapidis Inſcriptionem adducit. Nobis T. Liuij verba *lib.* 10. ſufficient: *Dicitur* (inquit) *Appius in Medio pugnæ diſcrimine, ita vt inter prima ſigna, manibus ad cælum ſublatis, conſpiceretur, ita precatus eſſe*: BELLONA, *ſi Nobis hodie victoriam duis; aſt Templum ego tibi vouео.* Sacerdotes etenim huius Deæ *Bellonarij* dicebantur, qui hoc die Deam placabant, ſeipſos cultris ferientes, & proprio ſanguine Numen placantes, vt teſtatur Roſin. *lib.* 2. *c.* 10. Poſtmodum vaticinantur, Tertullian. *in Apologet.* his verbis: *Longius excurro, hodie iſtic* Bellonæ *ſacratus ſanguis de femore proſciſſo, & palmulis exceptus, & ſuis datus ſignatis.* Sed & Lactant. *Lib.* 1. *Diuin. Inſtit.* proſequitur. *Alia ſacra Virtutis, quam eandem* Bellonam *vocant, in quibus ipſi Sacerdotes, non alieno, ſed ſuo cruore ſacrificant: ſectis namque humeris, & vtraque manu diſtrictos tenentes gladios currunt, & efferuntur, & inſaniunt.* Hæc ipſa Sacra pulchrè deſcribit *Tibullus.* *Templum.* *Bellonarij Sacerdotes.* *Illorum ſanguine placatio fiebat.*

Hæc tibi BELLONÆ *motu eſt agitata, nec acrem*
Flammam, non amens verbera torta timet.
Ipſa bipenne ſuos cædit violenta lacertos,
Sanguinéque effuſo ſpargit inepta Deam.

Póſt fanatici.

Státque latus præfixa veru, ſtat ſaucia pectus,
Et canit euentus, quos Dea magna mouet.

De hiſce *Fanaticis* Apuleius, Iuuenalis, Horatius, & Lucanus, relati à *Liſio* Girald. *Syntagm.* 10.

Herculis Templum.

EODEM etiam Die *Herculei Templi* conſecrationis memoria in eodem Circo Flaminio, à Sylla, vt creditur, erecti; de quo *Ouidius*:

Altera pars Circi Cuſtode ſub Hercule *tuta eſt:*
Quod Deus Euboico carmine munus habet.
Muneris eſt tempus, qui Nonas Lucifer ante eſt,
Si titulos quæris, Sylla *probauit opus.*

Ideo crederem dictum CVSTODEM, ob Vrbis tutelam ſibi in *Circo* commiſſam.

Fidio Deo ſacra.

V. PHIDIO *Sabinorum* Deo vetuſto hoc die ſacra fiebant, à quibus & SABVS, & SANCTVS, & SEMIPATER nuncupatus; hinc Ouid.

Quærebam Nonas Sancto, Phidióne *referrem,*
An tibi Semipater: *tunc mihi* Sanctus *ait:*
Cuicumque ex iſtis dederis, ego munus habebo:
Nomina Terna fero, ſic voluêre Cures.
Hunc igitur veteres donarunt Æde Sabini;
Inque Quirinali conſtituêre iugo.

Dictus Sabus, & Sanctus, & Semipater.

Silius Noſter Italicus de *Bell. Pun. lib.* 8. agmina Romanorum ad bellum illud proficiſcentia deſcribens proſequitur:

Ibant & læti pars SANCTVM *voce canebant*
Authorem Gentis; pars laudes ore ferebant
SABE *tuas, qui de proprio cognomine primus*
Dixiſti Populos magnâ ditione SABINOS.

Hunc locum eruditè Claud. Dauſqueius *fol.* 353. & ſequentibus, illuſtrat; vbi quæcumque de vetuſta SABI, & FIDII Dei mythologia apud varios obſeruantur, colligit.

Eius ſimulachri deſcriptio.

Huius Dei ſimulachrum, ſic vana Gentilium religio effingebat. Marmor erat in feneſtræ modum formatum, in quo TRES Imagines ſculptæ erant. Dextra Virilis, habitu pacifico: Siniſtra verò Muliebris, eodem habitu, coronam in capite ex lauro geſtans, quæ dextram dextræ iungebat, cum priore Imagine. In medio harum Duarum, ingenui Pueruli effigies cernebatur, ſupra cuius caput hæc duo verba legebantur: FIDII SIMVLACHRVM. Supra Imaginis Virilis, HONOR; ſupra Muliebris, VERITAS, capita, inſpiciebantur vocabula: vt & vidit in Romanis monimentis Lil. Gyrald. *Syntagm.* 2.

Templum Veſtæ apertum.

VI. Singularis apud Romanos, eo quod Romæ *Templum Veſtæ* apertum dignoſceretur. Sed Græcis feſtiuiſſimus propter *Philippi Regis* Macedonum victoriam, quâ Potidæam cepit, Illyrios prælio domuit, & in Equeſtri certamine Olympico victor eſt declaratus: vt ex Gyraldo, & Plutarcho refert Maſculus *fol.* 234.

Ludi Piſcatorij.

VII. Ludis *Piſcatoriis* conſignatus; quibus, quæſtus eueniens ob ſuperſtitioſum Veſtæ cultum exhibitum, eius ſacrificulis obueniebat. De his Naſonem auſculta:

Tertia poſt Nonas remouere Lycaona Phœbe
Fertur; & à tergo non habet Urſa metum.
Tunc ego me memini Ludos *in gramine campi*
Aſpicere, & dici, lubrice Tibri, tuos,
Feſta dies illis, qui lina madentia ducunt:
Quique tegunt paruis æra recurua cibis.

De

Digitized by Google

De hiſce Ludis meminit *Feſtus* his verbis: PISCATORII LVDI *vocantur, qui quotannis Menſe* IVNIO *trans* Tiberim *fieri ſolent, à Prætore Vrbano pro* Piſcatoribus Tiberinis; *quorum quæſtus non in macellum peruenit, ſed ferè in aream Vulcani: quod id genus piſciculorum viuorum datur ei Deo, pro animis humanis.* Ita & Karol. Neapol. *n.* 87. *&* Roſ. *d.c.* 10. *Quæſtus Vulcano.*

ITEM hoc eodem die, Sacra in Capitolio MENTI fiebant, ob ſacratum eidem ibidem Templum, poſt infelicem illam Romanorum cladem ad Lacum Thraſymenum. Ouid.

MENS quoque Numen habet, MENTI delubra videmus
Vota metu belli, perfide Pœne tui.
Pœne rebellabas: & letho Conſulis omnes
Attoniti, Mauras pertimuêre manus.
Spem metus abſtulerat, cùm MENTI vota Senatus
Suſcipit; & melior protinus illa venit.
Adſpicit inſtantes mediis ſex lucibus Idus
Illa dies, quâ ſunt vota ſoluta Deæ.

Menti Deæ ſacra.

Falluntur qui ex hoc vltimo diſticho MENTIS Sacra in diem ſequentem reiiciunt. Nam ſi *Sexto Idus* iam erant vota ſoluta Deæ, ergo à fortiori die præcedenti ſoluta. Sed ad cauſam huius Dedicationis veniamus. T. Liu. *lib.* 22. Q. Fabium Maximum, quo die Magiſtratum iniit, vocato Senatu, de placandis Diis, & de fatalibus libris inſpectandis, MENTIque Æde vouenda diſſeruiſſe, contendit. Et poſtmodùm *lib.* 23. proſequitur: *Interea Duumuiri creati ſunt*, Q. Fabius Maximus, *&* T. Octacilius Craſſus, *Ædibus dedicandis*, MENTI Octacilius, *Fabius Veneri Erycinæ. Vtraque in Capitolio eſt, canali vno diſcreta.* *Templum in Capitolio.*

VIII. Plurimis hoc die Roma ſolemniis nobilitata fuit. Nam & IOVI PISTORI Sacra fieri conſueuit, ob Aram in Capitolio poſitam; quòd monuiſſet Iupiter Romanos obſeſſos, vt in Gallorum caſtra panes iacularentur, quamobrem illi ſpe deiecti, quòd fame ſubigi poſſent, ab obſidione deſtiterunt. Audi Ouid. *Piſtori Ioui Ara in Capitolio, quare?*

Nomine quam pretio celebratior arce Tonantis
Diſcant PISTORIS *quid velit ara* IOVIS.
Cincta premebantur trucibus Capitolia Gallis:
Fecerat obſidio iam diuturna famem.
Iupiter ad ſolium Superis regale vocatis,
Incipe, ait Marti, protinus ille refert.

Poſtmodùm Martis nomine Poëta Romanorum vrbe obſeſſorum, & fame pereuntium anguſtiam; Deorum conſilium, & decretum refert, & concludit:

Poſſe fame vinci ſpes excidit: hoſte repulſo
Candida PISTORI *ponitur Ara* IOVI.

Ioannes Baptiſta Maſculus vbi ſupra *fol.* 234. addit, quòd ad lætitiæ ſignificationem *Molæ frumentariæ* coronabantur floribus, & illo die quieſcebant. A quo hæc extraxit, nondum diuino: Nam apud *Karolum Paſchalium*, qui rem coronariam eruditè deſcripſit, altum ſilentium. Niſi fortè illud deſumpſerit ex eodem Ouid. *d. lib.* 6. *Molæ Frumentariæ coronatæ.*

Et velant ſcabras florida ſerta MOLAS.

ITEM, eo die, VESTÆ *feria* deſignabantur. Hoc euênit, quia cum conuiuia hoc die paſſim ante focos agitarentur, cibi etiam Virginibus Veſtalibus à Ciuibus emittebantur Deæ Veſtæ libandi, & ASINI floribus coronati, atque, è pane veluti monilia quædam gerentes, circumducebantur per vrbem. Harum cæremoniarum, & rituum cauſas prolixè inquirit, & explicat, cuius carmina omittimus, quæ ſuperflua viſa. *Veſtæ feria.*

Digitized by Google

Ante focos olim ſcamnis conſidere longis
Mos erat, & menſæ credere adeſſe Deos.
Nunc quoque cùm fiunt antiquæ Sacra Vacunæ
Ante Vacunales flántque ſedéntque focos.
Venit in hos annos aliquid de more vetuſto;
Fert miſſos Veſtæ pura patella cibos.
Ecce coronatis panis dependet aſellis
Et velant ſcabras florida ſerta molas.

Aſinus coronatus. Poſt hæc *Aſini* coronati cauſam recenſet pluribus carminibus, ſed breuibus clauſulis Lactantius *lib.* 1. *c.* 21. illam ſic refert: *Lampſaceni aſellum Priapo quaſi in vltionem mactare conſueuerunt: Cùm enim hic Deus VESTÆ dormienti vim inferre conaretur, aſinus intempeſtiuo clamore, eum excitauit. Hinc libido inſidiatoris detecta. Apud Romanos, eundem aſellum Veſtalibus Sacris in honorem pudicitiæ conſeruatæ panibus coronant.* Sed qualis hæc fuerit paniceæ coronæ forma, ſciſcitaberis? D. Carol. de Neapol. in *Comment. ad Ouid. n.* 116. *fol.* 273. plura refert, quem videas.

Panicea corona qualis? remiſſiuè.

POST hæc etiam NVDIPEDALIA ſacra *Veſtæ* à Matronis fiebant, ita vt in Deæ Templum nudis pedibus irent; cauſam prolixius refert *Ouidius*: ſed breuiùs Roſinus: Quod olim eâ parte lacunæ fuiſſent, ita vt ſicco pede Templum Veſtæ adiri non potuerit: Nudis igitur pedibus, Matronas acceſſiſſe; id quod poſtea ſiccatis iam lacunis in memoriam vetuſtatis obſeruarunt.

Nudipedalia ſacra, quæ?

NECNON hoc die, celebris Romæ commemoratio triumphi *D. Iunij Bruti* ob Vlteriorem *Hiſpaniam* ſubactam Anno DC. XXI. ſecundum Carol. Sigon. *in Faſt. Triũphal. fol.* 209. de quo & Ouid. *d. lib.* 6. *vbi* D. Carolus Neapol. *n.* 164. *fol.* 281.

Triumphus Bruti.

Tum ſibi Callaico Brutus *cognomen ab hoſte*
Fecit, & Hiſpanam *ſanguine tinxit humum.*

De hoc Triumpho videndi Liuius, Strabo, Florus, Paterculus, Sigonius, Cuſpinianus, & alij.

Tullij Mors. IX. Nefaſtus ob *Seruij Tullij* Regis mortem à *Tarquinio* genero patratam, ita vt Romæ veteri miſerè luctum peperiſſet. Flor. *lib.* 1. *c.* 7.

Ædes concordiæ & Fortis Fortunæ. X. Famigeratus, ob ſacratas Ædes Romæ CONCORDIÆ, & FORTVNÆ cognomento FORTI. Illi *Liuia* Mater Tiberij. Ouid. *d. lib.* 6. vbi Carol. Neapol. *n.* 208.

Te quoque magnificâ CONCORDIA *dedicat Æde*
Liuia, *quam charo præſtitit illa viro.*

De qua & videndi Dio Caſſ. *Hiſtor. lib.* 56. & Lil. Gyrald. *Syntagm.* 1. *de Diis Gentil.* Iſti P. R. Trans Tyberim de qua Ouid. *d. lib.* 6.

Quàm citò venerunt FORTVNÆ FORTIS *honores!*
Poſt ſeptem luces Iunius actus erit.
Ite, Deam læti FORTEM *celebrate Quirites:*
In Tyberis ripâ munera Regis habet.

M. Varr. *lib.* 5. *de Ling. Lat.* proſequitur: *Dies* FORTIS FORTVNÆ *appellatus à Seruio Tullio Rege, quòd is Fanum* FORTIS FORTVNÆ *ſecundum Tyberim extra vrbem Romam dedicauit Iunio Menſe.*

Matralia ſacra. XI. Solemniſſimus ob ſacra MATRALIA quæ *Matri Matutæ* Matronæ peragebant in eius Templi angulis. Ritus hic erat: Aditu Templi eius ſeruæ prohibebantur, vnam Matronæ duntaxat introducebant, & colaphos genis eius infligebant. Huius rei cauſam quæris? Accipe: Matuta cum ſuſpicata eſſet, maritum amare ancillam, in inſaniam prolapſa, filium perdidit. Hinc ritus ſeruatus, vt & ancillæ prorſus ab eius Sacro arcerentur, Matronæ ſacrorum liberos ſuis in vlnis accipiant. Fuſè omnia hæc *Ouid.*

Ite bona

Digitized by Google

Ite bonæ Matres, *veſtrum* MATRALIA *feſtum,*
Flauáque Thebanæ, reddite liba Deæ.
Hac tibi luce ferunt MATVTÆ *ſacra parenti*
Sceptriferas Serui Templa dediſſe manus.
Quæ Dea ſit; quare famulas à limine templi
Arceat, (arcet enim, libaque teſta petit)

Poſtmodùm cauſam ſuperius relatam prolixo carmine refert. Sed cur *Teſta liba* in vltimo petere dicat? Audi M. Varron. *lib. 4. de Ling. Lat.* Teſtuatium libum *quod Deæ* MATVTÆ *fiebat, ideò dictum, quòd in* Teſtu calido *coquebatur.* Plura de his ſacris apud Gyraldum, Stuchium, Roſinum, & cæteros. *Teſtum Libum quid?*

XII. Romanis celebris dies ob Triumphos *P. Craſſi* Proconſulis de Luſitanis, & apud *Athenienſes* celebrior ob ſacra Saturnalia, ſiue Κρόνια, quæ in honorem temporis, ſiue Saturni fiebant, & ab Stuchio fol. 17. Κρονολατρεῖα, appellatur. *Chronia feſta Athenis.*

XIII. Memorabilis ob conſecrationem Templi IOVIS INVICTI. licèt obganniat Carolus de Neapolis ad Ouid. *n.* 213. illo diſticho. *Ioui Inuicto Templum.*

Nulla nota eſt veniente die quam dicere poſſis:
Idibus INVICTO *ſunt data templa* IOVI.

Nam contra Carolum eſt D. Auguſtin. *de Ciuitat. Dei, lib.* 7. à Gyraldo relatus in *Syntagm. 2. de Diis Gent.*

ITEM lætus, ob *Minuſculas Quinquatrus*, de quibus M. Varr. de *Ling. Lat. lib.* 5. ita ſcribit: Quinquatrus Minuſculæ *dictæ* Iuniæ *à ſimilitudine Maiorum, quòd Tibicines tùm feriati per vrbem vagantur, & conueniunt ad Ædem* Mineruæ. Eadem *Feſtus.* Cauſam *Ouidius* pluribus conſumptis verſibus, apud quem ad amuſſim. *Quinquatria Minerua.*

XIV. Romanis ater, *Athenienſibus* alacer, ob BVPHONIA ſacra, ita dicta ab inſigni Boum immolatione; quæ in *Dypoleis*, id eſt, *Iouis Polei* agebantur. Plura de his ſacris apud Ariſtophan. *in Nebul.* & Gyrald. *Syntagm.* 17. & Stuch. *de ſacrif. fol.* 45. *Buphonia ſacra.*

XV. Rituoſus Romanis, ob *Delubri Veſtæ* purgationem, quâ quidquid inerat ſordidum foras extrahebatur. Ouidius duplici Diſticho. *Purgationis Delubri Veſtæ ſacra dies.*

Hæc eſt illa dies, quâ tu purgamina Veſtæ
Tibri per Etruſcas in mare mitis aquas.

De his purgaminibus M. Varr. *lib.* 5. *de Ling. Lat.* & Feſtus *verb.* Stercus: & Roſinus.

XVI. *Athenienſibus* celebris, ob ſacra METOECA in honorem *Theſei* inſtituta, quòd is ſparſos antea per agros homines, in ſocietatem vitæ, atque in vrbis communionem coëgiſſet, *Athenas* conditis, vt ex Thucydide refert Maſculus *fol* 238. *Metœcia ſacra.*

XVII. Fauſtus Romanis, ob inſignem victoriam, quâ *Poſthumius* aduerſus Volſcos, & Æquos potitus eſt. Liu. *lib.* 10. Maſculus ſupra. *Victoria Poſthumij.*

XVIII. Solemnis Romanis, ob ſacra quæ *Palladi* in *Auentino* peragebantur, de quibus Ouidius *d. lib. 6. vbi Carol. n.* 251. Inſcriptionem profert. *Palladi Auentinæ ſacra.*

Sol abit è Geminis, & Cancri ſigna rubeſcunt:
Cœpit Auentinâ Pallas *in arce coli.*

XIX. Inſignis Romanis, ob Templum SVMMANO dicatum, poſitum ad Circum Maximum, exterritâ vrbe bello contra Pyrrhum. *Ouid.* *Plutonis Summani Ara.*

Reddita quiſquis is eſt SVMMANO *templa feruntur,*
Tunc, cùm Romanis Pyrrhe timendus eras.

Hic Deus, *Pluto* eſt, ſic SVMMANVS dictus, quia SVMMVS Deorum eſt MANIVM.

XXI. Herculi ſacer, quo fortitudo bellica laudem habuit, ob Naualem Triumphum de Illyricis, quem *Cn. Fuluius Centimalus* duxit, ad Annum D. XXV. *Triumphus.*

Digitized by Google

ex *Goltzio* ſubnectit Maſculus ſupra, *fol.* 239.

Annibalis victoria. XXIII. Infelix & infauſtiſſimus Romanis, ob miſeram cladem exercitus, duce Flaminio ad Thraſymenum lacum ab Annibale penè deleti, de quo Ouid.

Non ego te, quamuis properabis vincere Cæſar,
Si vetat auſpicium, ſigna mouere velim.
Sint tibi Flaminius Thraſymenáque *littora teſtes,*
Per volucres aquos multa monere Dros.
Tempora ſi veteris quæris temeraria damni?
Quartus ab extremo menſe bis ille Dies.

Iſtius cladis Hiſtoriam ſi legere deſideras, adi Liuium *lib.* 22. Valer. Max. *lib* 1. *c.* 6. Plutarch. *in Vit. Fabij*, & alios.

Triumphus. XXIV. Auſpicatiſſimus Romanis. & fauſtus propter victoriam, quam Maſiniſſa de Syphace duxit, ſic Ouid.

Poſtera lux melior, ſuperat Maſiniſſa Syphacem,
Et cecidit telis Haſdrubal *ipſe ſuis.*

De hac Victoria T. Liuius, Polybius, Plutarchus, Carolus Sygonius, & recentiores.

Larium Templum. XXVII. Solemnis Romanis, ob Templum *Laribus* dicatum, & præcipuè Iovi *Statori*, ad quod habitabant Puellæ, quæ Coronas texere conſueuerant. Ouid.

Lucifero ſubeunte, LARES *delubra tulerunt:*
Hic vbi ſit doctâ multa corona manu.
Templum idem STATORIS *erit, quod Romulus olim*
Ante Palatini condidit ora iugi.

Romuli Templum. XXVIII. Ritualis Romanis, ob dedicationem Templi in Colle Quirinali, *Romulo*, ſtatim ac ipſe ab oculis Romanorum euanuit, ita vt Diuus, & in Deorum numerum conſignaretur, & acclamaretur. *Ouidius*, vbi D. Carol. de Neapol. *n.* 275. iſta de hac Templi Romulei dedicatione carmina cecinit:

Tòt reſtant de Menſe dies, quòt nomina Parcis,
Cùm data ſunt trabeæ Templa Quirine *tuæ.*

Dion Caſſ. *lib.* 54. Auguſtum Cæſarem Templum hoc vetuſtiſſimum de nouo ædificatum dedicaſſe, & ſeptuaginta ſex Columnis decoraſſe ſcribit.

XXX. Fauſtus, & ſolemnis ob dedicationem Templi *Herculi*, & *Muſis* factam: vt denique ſcripſit Ouid. vt Neapol. *fol.* 303. *n.* 276.

Tempus Iulais cras eſt natale Kalendis,
Pyerides cœptis addite ſumma meis.
Dicite Pierides, quis vos addixerit iſti,
Cui dedit inuictas victa nouerca manus.
Sic ego; ſic Clio, clari monimenta Philippi
Adſpicis, vnde trahit Martia *caſta genus.*

Huius Templi ædificium primo *Fuluius Nobilior* extruxit, pòſt Marcio Philippus inſtaurauit, vt ex *Eumenio*, & *Suetonio* probat D. Carolus de Neapolis *d. fol.* 303. *n.* 278. Quibus Faſtorum Gentilium ſtrues abſoluitur, vt Catholicorum feſta Hiſpanorum intuearis.

KALEND. IVNII.

DIES I.

A. Apud MELLARIAM *Batica Hiſpaniæ vrbem, Paſſio* S. FIRMI *Martyris, qui ſub M. Aurelio Vero Proconſule pro fide tentus, crudeliſſimis impetitus tormentis, lampadum igne peruſtus, neruorum ictibus caſus, vngulis laniatus, tandem amputato capite ad coronam Agoniſta intrepidus feſtinauit.*

B. CÆSAROBRIGÆ *in Vettonibus Hiſpaniæ, Natalis* B. IVVENCI *Presbyteri, Poëtæ Euangelici, qui candore vitæ eximius, ſpiritu doctrinæ clarus, & cumulo virtutum celebris,* Salmanticæ *ad cælos Confeſſor properauit inſignis.*

C. In Onnienſi *perilluſtri Benedictino* Cœnobio *Hiſpaniæ, Depoſitio* S. ENECONIS *ipſius Monaſterij Abbatis, qui poſt vitæ ſanctiſſimæ decurſum, non ſinè innumerabilium patratione miraculorum, æternam Confeſſor inclytus ingredi meruit.*

NOTÆ.

SANCTVS FIRMVS Martyr.] Hucuſque eius nomen, & martyrium apud *Græcos* conſeruatum inuenimus, ſed abſque agonis loco, vt indicant hæc Menologij verba: *Eodem die* S. FIRMI *Martyris, qui ſub Maximiano Imperatore, pro Chriſti fide comprehenſus, ductus eſt ad Præſidem Magnum* (veriùs Marcum) *nomine; cùmque perſuaderi non poſſet, vt Idolis ſacrificaret, nudus neruis cæditur, ſuſpenſus laniatur, totius corporis compage ſoluta; poſtremò capite obtruncatus, certaminis coronam aſſequutus eſt.* Ab ipſo Galeſin. *h. d.* (licet addita voce *in Græcia* quam nullus apposuit) hoc elogium contexuit: *In* Græcia *item* S. FIRMI *Martyris, qui in Maximiani perſecutione ob fidem captus, nullis, vel acerbiſſimis plagis, quas ei Magnus* (lege, Marcus) *Præfectus infligi iuſſerat, potuit è gradu pietatis amoueri: quare poſtremò lapidibus percuſſus, non modò tormenti huius vi ſuperatus eſt; ſed victor datis demum pro Chriſto Redemptore cernicibus, egregia corona donatur.* Quæ mouerint animum *Protonotarij* ad iſtud gloſſema, *in Græcia*, ponendum; patent ex ipſius *Notis fol.* 112. quibus fatetur ideò ſic repoſuiſſe, quia ex *Græcorum* tabulis encomion deſumpſit. Quod clariùs liquet; nam *Martyr. Roman.* in antiquis, & recentioribus editionibus, tale verbum reſpuit ſolo contentum hoc elogio: *Item* S. FIRMI *Martyris, qui in perſecutione Maximiani acerbiſſimis plagis affectus, lapidibus percuſſus, ac demùm capite caſus eſt.* Iſti conueniunt *Martyrol. Caſtellanum* P. Vazquez: *Luſitanum* PP. Soc Ieſ. *Hiſpanum MS.* P. Ieronymi Rom. dela Higuer. & alia recentiora.

A. *Menologium.*

Martyrologia.

Galeſinij gloſſema explioditur.

AST quæ in hiſce Eccleſiaſticis Tabulis defuerat agonis palæſtra, Noſtri *Flauij*

Vbi paſſus.

Digitized by Google

Flauij Dextri Chronici ope, ex obliuionis monumento reſurgit; ſic *Anno* 300 *in*
Vbi paſſus. MELLARIA *vrbe Hiſpaniæ Bæticæ*, S. FIRMVS *Martyr, qui acerbiſſimis plagis affectus, lampadibus exuſtus, ac tandem ſucciſo capite martyrium conſummauit, ſub Præſide Hiſpaniæ* Marco *Aurelio Vero, Vir-Coſſ. Cuius etiam Corpus, decurſu temporis Romam deportatum eſt, & prima die Iunij maximè colitur.* Ad hinc elicies non *in Græcia* paſſum, vt perperam *Galeſinius*: nec à Præſide *Magno*, vt corruptè in *Menologio*: ſed in *Hiſpania* apud vrbem *Mellariam* Bætica; & à Præſide *Marco Aurelio Vero Hiſpa-*
Biuarij & Cæi error. *niæ Proconſule*, Irrepſit mendum in edito *P. Biuarij* Dextro; vbi cultus *Primæ die* IVLII inuenitur, cùm IVNII *Kalendis* conſignandus eſſet, vt omnia indicant *Menologium*, & *Martyrologia*. Corruptiùs in edito *R. Cæi*, vbi Primo die *Ianuarij* conſignatur feſtiuitas. Agunt de eo, ipſe in *Not. fol.* 100. *lit. T.* P. Biuar. *Ann.* 300. *Comment.* 1. *n.* 14. *fol.* 325. Eius Acta fortè cum blattis, & tineis deliteſcunt, donec Deus illa eruere conſtituat: en quæ excogitauit Noſtra ex Scriptoribus ſedulitas, vt promiſſioni pareamus.

ACTA S. FIRMI MARTYRIS Mellarienſis; ex Menologio Græcorum, & Flau. Dextr. Chron.

FIRMVS *natione* Hiſpanus, *Ciuis* Mellarienſis *in Bætica, Chriſto nomen dedit, in cuius regula ſic firmus ſtetit, & valens, vt neutiquam Romanorum*
Origo. *Principum potentia, aut crudeliſſimorum tormentorum vi, ab illa diuelli potuerit conſtantiſſimus Martyr. Graſſabatur vbique fœda Maximiani perſecutionis procella aduerſus Chriſti aſſectas; Marcus Aurelius Verus, qui &* Valentinianus *dictus eſt*, Hiſpaniæ *Legatus, Principis in hac regione cæpit iniqua adimplere mandata; ideò in Chriſtianos ſæuitum deueniens, Occidentales præſertim Bæticæ plagas horrenda impietatis lue inquinauit, & immaniſſimis fidelium Chriſti ſeruorum funeribus repleuit. Inter alios* FIRMVS
Capitur. *conſtantiæ ſpiritum demonſtrauit; nam à ſatellitibus propter fidem captus, & in ergaſtuli ſpelæo incluſus, aut Diis litare, & Chriſtum deſerere; aut cruciatus obire iuſſus, ſic firmâ iſthæc iuſſa prælocutione contriuit, vt Iudex remedio deſtitutus ad verbera, verbis furibundus exploſis, pertinaci ſeueritate veniret. Fuit fortè* FIRMVS *aut genere nobilis, aut militari ſplendore conſpicuus, qui à Præſide accitus, & ante eius tribunal protractus, blanditiis, ſchematibus, & illecebris Sanctum Martyrem primitus demulcere conſtituit, quibus eum à vera Religione auertere ſatagebat: ſic que vt Romanorum Principum experiretur clementiam, vanas Chriſtianorum fabulas conculcaret, Diis patriis, Romanique Imperij Numinibus, totiuſque Orbis, & Vrbis tutelaribus*
Martyris conſtantia. *adhæreret. Omnia iſthæc proloquia* FIRMVS *firmior in fide ſe præbens, deſpiciens, mucrones, vulnera, opprobria, & iniurias expetebat pro Chriſto, in quo vitam, & ſalutem eſſe catholica peroratione probauit. Idola formâ procera, arte inſignia, & materiâ pretioſa, nihil aliud eſſe, quàm ſpectaculum, operam, & metallum, ſub cuius cauo dæmonia, non numina concludi, libera confeſſione digeſſit. Furiat dictis Martyris* Marcus, *& quem à pio propoſito pœnitentem deflectere ſperabat, firmiorē adinuenit in fide. Quapropter ad carceris latebras dimittens, aut Martyris palinodiam poſcit, aut vitam extrahere*
Cruciatur. *furioſa tyrannide intendit: Sed priorem præ inſigni* FIRMI *in Chriſti obſequio firmitate deſperans Tyrannus: ad poſteriorem recurrit ſæuitiam; nam licet Martyrem nudum cæderent ſatellitum neruicea flagella; in Equuleo ſuſpenſum dilaniarent harpagines, exurerent ardentes lampades, & tota corporis compago ſolueretur tormentis; nec à fide ſuſcepta deuiare, nec Idolis ſacrificium offerre cogi potuit firma* FIRMI *fidelitatis conſtantia. Quo victus* Valentinianus *robore, ne aliis reis præberet exemplum,* FIRMVM *capitali ſententia damnatum dimiſit: quam illicò milites exequentes, capite obtrun-*
Coronatur. *catus ad præmium firmus Agoniſta peruenit æternum.* Kalend Iunij, *Anno Domini*

Digitized by Google

Domini CCC. *Cuius ſacra pignora primò* Mellariæ *adſeruata, pòſt decurſu temporis Romam tranſlata, ibidem honorifice condita, per aliquot ſecula venerata quieuerunt, & adhuc quieſcunt, licèt quo loco ſint recondita penitus ignoremus.*

Valentiniani Prafectura probatur.

En *Acta*, quæ facilè in concordiam cum antiquis reuocabimus monumentis. Primus ſcrupulus qui ſedandus occurrit, de *M. Aurelij Veri Præſidis Hiſpaniæ* præfectura, inſurgit. Cui facili negocio faciemus ſatis, ſi *Inſcriptionem* apud *Tarraconem* inuentam, & ab Ambroſ. Moral. *lib.* 9. *c.* 49. exſcriptam apponimus: quâ licèt iſte *Præſes Valentinianus* etiam vocitetur, parui refert, quia *hoc à frequentibus* (vt inquit R. Caro) *apud Romanos adoptionibus ſæpiſſimè emergere potuit: adoptati enim in nomen & familiam adoptantis, ſacráque tranſibant.* En Epigraphes.

FORTISSIMO. ET CLEMENTISSIMO.
IMP. CÆS. M. AVR. CARO. INVICTO.
AVG. P.M.T.P. COS. II. P. P. PROCONSV.
MARCVS AVRELIVS. VALENTIN.
V. C. P. P. HISP. CIT. LEG.
PR. PR. D. N. M. Q. EIVS.

Hæc in Templo *S. Teclæ*: alia *Cæſari Carino* in S Michaelis baſilica eiuſdem *Marci Aurelij* Præſidis inuenitur, qui ſtatuas Patri, & filio erexit anno CC. LXXXIII. Cum cognomine *Veri* inuenitur primus ex *VI. Viris Auguſtalibus*, qui Herculi Tibure baſim marmoream dedicarunt, vt ex Grutero videſis in *Actuar. Inſcript. Sacrar. fol. M. XIII. n.* 3.

Tranſlatio.

De Tranſlatione ſacrorum pignorum *Mellariâ* Romam, nullum extra *Dextrum* inueni tale quid dicentem. Fortè tempore *S. Damaſi* Noſtri P. M. qui Corpora Martyrum vbique gentium recollegerat, *Romámque* adſportauerat, iſthæc *Tranſlatio* perfecta fuit.

Topographia.

Mellaria. Vrbs fuit peruetuſta *Hiſpaniæ* ad fretum Herculeum quam Ptolemæus *lib.* 2. *Geog. Tab.* 2. *Europ. c.* 6. vocitat Μιρεγλιὰ, aſſignátque in *Conteſtanis* inter ciuitates mediterraneas: cuius conſignatio attraxit aliquorum ſpiritus ad credendum, hodie eſſe *Murcia*. Sed meo videri hæc diuerſa eſt à noſtra, tam diſpoſitione ſituum, quàm literarum contextura. Iſta Mellaria: illa Menralia. *Ptolemæi* in *Conteſtanis*: Noſtra ad fretum *Herculeum*. Illius in mediterraneis prope *Valentiam*: Noſtra in litore prope *Tarteſſum*. De vtraque ſpecta diuerſitatem: Ptolem. ſic: *Poſt hos, verſus mare, habitant Conteſtani, & Ciuitates mediterraneæ* Menralia, *Valentia, Satabis, Illice, Iaſpis.* Quis hac ſituationis epitome de Noſtra *Ptolemæum* loquutum fuiſſe crediderit? Ergo aliò conſignatio quærenda eſt. Idem Ptolem. *c.* 4. agens de vrbibus *Baſtulorum, qui dicuntur Pini*, poſt *Belonem*. quam aliqui perperam dicunt *Tariffa*, conſtituit Menraliam, pòſt *Traductam*, inde *Berbeſulam*, abhinc *Carteiam*, & demum *Calpe* montem, inquo Herculis columna. Iſthæc conſignatio vera dignoſcitur ſi *Plinij*, *Pomponij*, & *Antonini* Geographiam inſpectes, quam huiuſmodi locorum ſitus dimetitur ad vlnas. Hæc hodie ſi *Moralio*, *Biuario* & *Caro* credimus, dicitur B'eier de la Miel. licèt iſte ad *Dextr. fol.* 100. lit T. *Porcuna* Mellariam appellitauerit: nam in *Chorograph. Conuent. Hiſpal. lib.* 3. *c.* 58. palinodiam recantauit, & ſe deceptum terminationis tinnitu fatetur.

Alterius Mellaria ſitus.

Alia eſt Vrbs Mellaria in Conuentu *Cordubenſi*, quam in *Baturia Turdulorum* iuxta Ilipam meam ad XXIV. M. conſtituunt *Plinius*, & *Antonius*; ille *lib.* 3. *c.* 1. his verbis: *Altera* Beturia, *quam diximus* Turdulorum, *& Conuentus Cordubenſis habet Oppida non ignobilia, Arſam*, Mellariam, *Mirobricam.* Iſte in *Itinere Codubâ Emeritam*, ſic: Mellaria M.P. LII. apud Simlerum *fol.* 187. apud Zuritam *fol.* 93. & in *Notis fol.* 567. De ea inſcriptiones aliquot collegit Gruterus *fol.* 178. 2. *fol.* 321. 10. & *fol.* 466. 9. Quibus Mellarienses, aut ordo Mellariensis inuenitur. Apud me nummus in altera parte Bos coronatus, in reuerſo Quercus glandibus abundans, his literis, Mellaria, inſculptis.

Quercum

Digitized by Google



Quercum appinxit ob fertilitatem fructus iſtius arboris, de qua in *Bæturia Turdulorum* iſthæc ſcripta reliquit verba Raſis Agarenus: *Eſta tierra non à otros arboles ſi non* Azigeros, *y por eſo le llaman el llano de las bellotas, e ſon tan dulces, e tan ſabroſas, qualas non hà tanto en Eſpaña*, id eſt: *In Bæturia nulla alia præter* QVERCVM *arbor inuenitur, ex quo planicies glandium vocitatur, quæ ſic dulces, & gratæ ſunt, vt in reliquo Hiſpaniæ circulo præſtantiores non inueniantur.* Hodie iſta MELLARIA Turdula, ſeu Bæturiana dicitur FVENTE-OBEIVNA. An in hac, an in *Gaditana* martyrium pertulerit S. FIRMVS? nondum diuino; quia *Dexter* haud aliud ad coniectandum reliquit veſtigium.

B. B. IVVENCVS Presbyter.] P. Ieronymus Roman de la Higuera è Soc. IESV in *MS. Martyrolog. Hiſpan.* hoc die conſignat Natalem Noſtri Sanctiſſimi Presbyteri IVVENCI: ſed quo duce? nondum diuino. Nos ad *Prid. Idus Septembr.* eius anamneſin reiicimus, *Maurolyci, Conſtantij Felicis*, & *Philippi Ferrarij* veſtigia ſequentes. Iſthæc hoc loco notanda duxi, ne à me omiſſum *Presbyterum* incuriâ oculatus Criticus ſuſpicetur.

C. S. ENECO Abbas Onnienſis.] Eius Nomen, & memoriam repetunt VVion, & Hugo Menardus in ſuis *Martyrologijs Monaſticis*, licèt ille pro *Onnienſe* Cœnobio, perperam *Ouienſe*, & iſte *Ognienſe* repoſuit. Philipp. Ferrar. *in Catal. SS. General. fol.* 227. & in *Topograph. ſacr. verb.* Ouetum *fol.* 93. De eo ferè omnia antiqua Hiſpaniæ *Breuiaria*, à quibus Alphonſ. Villeg. *in Flor. SS. tom.* 2. *h. d.* P. Ioann. Marian. *Hiſt. Hiſpan. lib.* 8. *c.* 14. Ioann. Maldonad. *de Sanct. fol.* 121. Franc. Haræus *fol.* 750. P. F. Anton. de Yep. *in Chron. Benedict. tom.* 5. *cent.* 6. *Ann.* 1011. *c.* 2. & *tom.* 6. *cent.* 6. *Ann.* 1070. *c.* 2. *& ſeq.* D. Ioann. Briz Martin. *Hiſtor. S. Ioannis Pinnatenſ. lib.* 2. *cap.* 30. *fol.* 403. *& lib.* 5. *c.* 22. *fol.* 776. Michaël Martin. de Villar *in expoſit. Epitaph. Cæſarauguſt.* §. 5. *fol.* 37. & 38. & in *Patronat. Bilbilitan. pag.* 474. Eius Acta ſcripſit tribus libris *P. Ioannes Baptiſta Dameto* è S. I. Bilbilitanus. P. Ioann. Mariet. *Hiſt. SS. Hiſpan. lib.* 18. *c.* 10. Illa ex peruetuſto *Breuiario Burgenſi*, & aliis hic exſcribere deſtinaui.

Martyrologia.

Scriptores.

ACTA S. ENECONIS ABBATIS Onnienſis, ex Antiquo Burgenſi Breuiario, & alijs Script.

*Caſtellæ. *Sanctij Comitis mors.* IGITVR *poſtquam nobiliſſimus* Sanctius *Comes* * *migrauit à ſeculo*, Garſias *filius eius apud* Legionem *proditione interfectus eſt. Rex* Sanctius *minor prædicti Comitis gener, Aragonenſium ſcilicet, & Cantabrienſium Rex eorum ſucceſſit imperio. Qui, Redemptoris Noſtri opitulante clementiâ, magna ex parte, eiectâ & oppugnatâ ſpurciſſimâ Agarenorum gente fines regni decentiſſimè ampliauit. Ab ipſis namque Pyrenais, vſque ad Oppidum* Nagera, *quidquid infra continetur à poteſtate Paganorum eripiens; iter* S. IACOBI, *quod barbarorum timore per deuia abrupto calle peregrini declinabant, abſque impedimento, recto tramite direxit. Accenſus itaque zelo eiuſdem Redemptoris, cuius ope ſæpius de inimicis victor extiterat, ſtatuit regnum ſuum à ſordibus, & prophanationibus ſupradictæ gentis penitus emundare, & Eccleſias, atque Monaſteria, quæ olim ab eis diruta fuerant, renouare, Chriſtique ſeruorum gregem, &* B. Benedicti *regulam per Monaſteria ordinare. At vero, diuinâ gratiâ concedente, omnibus occurſibus malis remotis, omniúmque hæreticorum quondam religionis puritatem peſtiferè inquinantium verſutijs canonicali diſciplinâ reſectis, incidit in eius mentem ſumma Chriſtianæ Religionis perfectio. Iam ordo Monaſticus lucidiſſimus Eccleſiaſticæ Hierarchiæ ſplendor, omni*

Sanctij Regis ſtrenuitas.

Monaſteria extruere parat.

noſtræ

Digitized by Google

noſtræ patriæ, tunc temporum ferè ignotus erat. Audiens igitur laudabilem famam Cluniacenſis *Monaſterij, quod eodem tempore Regularis Ordinis perfectione pollebat, cupiens velut apis prudentiſſima fructus bonos facere, quendam Religioſum Virum,** Patritium *nomine, qui ex longo iam tempore, à ſeculo cum ſocijs ſuis remotus ſedebat, ad Venerabilem* Odilonem *Cluniacenſem Abbatem cum conuenienti ſibi apparatu direxit. Quem Venerabilis pater* Odilo *Abbas in amorem glorioſi* Sanctij *Regis* Hiſpaniarum *honorificè recepit, & cum apud ſe non paruo tempore retinuit. Qui poſtquam doctrinâ diſciplinæ regularis cum ſuis ſodalibus pleniùs eſt inſtructus, ad patriam cum magno gaudio eſt reuerſus. Quem ſtatim* Sanctius *Rex primum Doctorem monaſticæ vitæ in Monaſterio* S. IOANNIS *Baptiſtæ de* Penna *conſtituit. Deinde petitione, atque conſenſu Epiſcoporum, & Principum Regni hoc idem agere diſpoſuit in* Onnienſi *Cœnobio, quod Religioſus* Sanctius *Comes ſocer eius à fundamento conſtruxerat. Faminas denique, quæ ibidem ſine reuerentiâ habitabant, expellens, congregatione religioſorum Monachorum per ſupradictum* Paternum *Abbatem introduxit; quibus* Garſiam *Abbatem nomine ſecundum Regulam* S. Benedicti *præpoſuit: Tunc verò* Paternum *Abbatem, paſtore loci diligenter inſtructo, & congregatione honorificè ordinatâ, ad proprium remiſit monaſterium.*

* Paternum.

Paternum Cluniacum mittit.

Onnienſe Cœnobium Monachis ditat.

ERAT *in eo tempore in* Aragonenſi *prouincia quidam Vir Sanctus* ENECO *nomine, qui ab ipſis ſuæ ætatis principijs, Omnipotenti Deo deſeruire diſponens, eius gratiâ præeunte, in omnibus bonis exercitijs vitam agebat. Hic autem ſicut ex antiquitatis memoriâ retinetur, à ſeculi tumultu ſegregatus, ſolitudines montium petijt, vbi iuxta deſiderium ſuum, pleniùs Deo poſſet vacare. Fuit ergo S. Vir (vt conſtans traditio eſt) ex vrbe oriundus* Bilbilitana, *quæ hodie* Calatayud *creditur in* Celtiberia, *ex Muzarabibus parentibus progenitus, quos, & alios Chriſtianos, etſi oppreſſos ſeruitute Sarracenorum retineret iugum, attamen ad fidem Catholicam deſerendam nulla compellebat violentia. Ex hiſce quippe parentibus, in commune bonum, inter rudera ſectariorum velut roſa inter ſpinas, natus eſt* ENECO, *cuius primæuos infantiæ, & pueritiæ progreſſus obliterauit penitùs aut temporum lapſus, aut ſcriptorum incuria. Credibile eſt, illum Deum, quem in exemplar Monaſticæ perfectionis elegerat, à primis, vt aiunt, vnguiculis, æqualibus dotibus impleuiſſe, & maximis chariſmatibus expoliuiſſe, vt tempore meſſis pingue fertili copiâ ſemen in Eccleſia abacis ſplendidioribus appareret.*

Origo S. Eneconis.

Virtus eius in puerili ætate.

TRANSACTA *ſiquidem prima ætatis aurorâ, cum primùm perfectæ diſcretionis cæpiſſet animo lux oriri, qualem ad virtutis portum ſemitam eligeret cogitabat: & licèt Religionis anchoram continuis, & repetitis amplexibus arripere deſtinaret, aſt natura imbecillitas, & antiqui ſerpentis virus ferè omnia Adoleſcentis conamina deturbabat, quouſque Numinis aura iterum ſpiritum viuificans, velociùs ad iter deperditum traducebat. His auxilijs ad vitam redux Tyro ſæpe ſapius intra ſe cogitabundus audiebat*: Nonne vides, infirme pugil, quas vbique Diabolus extendit inſidias, quos ſtruit laqueos, vt quotidie hominum animas decipiat? Hîc blaſphemiis innodatos inſpectabis: Illic periuriis deditos intueberis. Alij te ad turpitudinem proprio exemplo perducent: Alij te auaritiæ nexibus implicabunt. Iſte te ſeducet ad vindictam, ille te præcipitem verbis fallacibus propulſabit. Quo ergo te vertes? Quid niſi malorum in ſeculo pelagum conſpectabis? Quid niſi vndantium peccaminum volumina perſcrutaberis? Quid auiculam à laqueis liberat, niſi eius pennæ? Ergo quaſi columba candida alas tuas extende, in deſertum euola, & cape tegumen in foraminibus petræ. *Sic per varios tentationum anfractus cor* ENECONIS *diu videbatur procellis obrui, donec Deo fauente, ſedatas maris vndas reſpexit obtutus, & ſalutis Lucifer cœpit in naufragantis viſceribus exoriri, quo ad ſuperiora claritatis ſpecimina perductus, patriam, parentes & omnia deſerens, Dei protectione vallatus ad Pyrenæi iuga, velut alter Loth è patrijs flammis*

Viam religionis ingredi cupit.

Ad Pyrenæos Eremita diffugit.

Digitized by Google

diffugiens, ſolitariam vt duceret vitam, ſtrenuus Eremita conſcendit.

Celebre tũc Monaſterium Pinnatenſe.

TVNC *temporis per* Hiſpaniæ *circulos, Cœnobium prælibatum Sancti* Ioannis de Penna, *virtutibus, recollectione, & ſanctitatis famâ florebat, de quibus inſtructus* ENECO, *greſſus illuc dirigere propoſuit, vt ſub ſancti* Benedicti *regulâ, quæ totius Orbis ambitum mirifica, ſanctitudinis ſymbolo colluſtrabat, ſubque tantorum Virorum diſciplina & conſortio, quorum opinio vniuerſos terræ terminos adimplebat, agoniſta militaret ſtrenuus. Hæc ſanè ad actum perducens ſpiramina, ad Monaſterij oſtium acceſſit adoleſcens, qui Monachis intentionem, & ſingula propoſitionis, & itineris accidentia propalans, cucullam humiliter popoſcit. Sancti etenim Viri omnia à iuuene relata ruminantes, ipſúſque humilem efflagitationem contuentes, & intra ſe reputantes, quòd iſtius Viri receptio in maximum Dei honorem, Ordiniſque glorificationem eſſet futura, vnanimiter in eorum conſortium, opitulante Domino, coop-*

Cucullam induit.

tarunt. Ergo Chriſto nomine dato, exutis ſecularibus indumentis, inſimúlque omnibus mundi fomitibus, Nouus Miles Monachali præcinctus lorica propoſuit omnia inimici irritamenta calcare. Sic in arenam Tyro deſcendens, Diaboli inſidias ita facillimè propulſabat, vt licèt ille tanquam Leo rugiens ſæpius circuiret Nouitium, cogitans illius pia conamina perturbare, attamen Dei præſidio, & Monachi ſtrenuitate toties victus receſſit, quoties cum pugile arma fuit auſus diabolica temeritate conferre. In hiſce, & ſimilibus congreſſibus ENECO *tyrocinij tempus conſumpſit, quo expleto, ſecundùm regulam* S. P. Benedicti, *adſtantibus, & probantibus illius Regiæ domus Abbate, & Cœnobitis*

Profeſſionẽ emittit.

voluntariè votum emiſit. Quo nexu denuò lætus ſi primò ſe præbuit, nomine, & re verum religionis ſectatorem, poſtmodùm ita vitæ & moribus Regulæ leges ſeruauit, vt voti dulci vinculo adſtrictus, omnia virtutum ſemina in cordis intimo, ad ſui Patris imitationem, religioſâ ſpeculatione plantaret. Abhinc in Choro diuinas laudes perſoluebat quotidie, pœnitentijs carnem domabat, eámque ſpiritui ſubijciebat; & demum lectione ſacra mentem feliciter illuſtrabat. ſemper fuit ſenioribus obediens, æqualibus humilis, inferioribus affabilis, & manſuetus; itaut omnes, & ſinguli in eo ſpecioſum inuenirent perfectionis, & religionis exemplar.

POST *hæc cùm plurimùm temporis in huius vitæ ſociabilis, & actiuæ miniſterio ſalubriter exegiſſet; ſolitariam & contemplatiuam profundo viſcerum ardore peroptabat, qua ſua peregrinationis curſum cõpleret. Huius perfectionis ſtimulos proprio reſeruit Abbati, qui* ENECONIS *ſpiritum examinans, varijſque religioſis machinationibus eius mentem exercens, cognito diuini Numinis conſilio, & trutinato perfecti hominis conamine, illi facultatem non ſine lachrymis*

Anachoretam egit.

impertiuit. Qua obtenta, vale dicto fratribus, Anachoreta inclytus in Aragoniæ montes ſecedens, oratorium ædificans, & tugurium effodiens, primæuos illos ſolitariæ perfectionis Ægypti, Thebaïdos, Nithriæ, & Syriæ Anteſignanos fuit ad amuſſim, quantum Deus permiſerat, imitatus. Abhinc ſciens abſtinentiam eſſe primum Eremitæ gradum, ſic cupediarum ſarcinam contempſit, vt nequaquam niſi panem cum ſale mixtũ, aut campi gramina comediſſe probatum ſit. Cætera equidem ieiuniorum, mortificationum, pœnitudinum, & humiliationum opera communia felici ſemper impleuit ſpiritu; & licèt eremi durities, & laborum rigor prorſus S. Viri conſumere vires viderentur, tamen eius ſpiritus, diuinis ſic fuit inſpirationibus, Oratione interueniente, confotus, vt quidquid

Plurimi eius ſequebantur veſtigia.

aſperitas deſtruere conaretur, Dei pietas ſolidaret. Non ergo potuit lux iſta diu ſub modio ſpelæi obſcurari, quin potius paſſim eius virtutum lumen per vicinos territorij vicos refulgens vniuerſam fere regionem illuſtrauit. Ex hinc Oppidani in eremum accurrentes, illud ſanctitudinis prodigium demirantes attoniti, ad eius pedes prouoluti, vt eorum miſereretur graui ſubmiſſione petebant. Illos Anachoreta beatus benignè ſuſcipiens, in fidei regulis inſtructos, & ſalutaribus monitis imbutos dimittebat, qui in propria repedantes contriti, & alacres Viri Dei virtutem laxatis lingua membranulis euulgabant. Alij intra illius montis cauernas domicilia ſtruentes, ibidem vitam anachoreti-

cam

Digitized by Google

tam eligebant, vbi ab ENECONE *instructi, & eius exemplo attracti, perfectissimum in posterum agonem eremiticis congressibus expleuêre. Quo, non solùm fama operum S. Viri intra parietes circumscribebatur priuatos, sed etiam ad opulentiores vrbium domos, Regúmque aulas pertingebat mirabilis, & sonora.*

CVM *enim apud Montana* Aragoniæ *hæc ab* ENECONE *agerentur, euênit, quòd* Garsias I. Abbas Onniensis, *B. Odilonis discipulus, & Paterni socius, qui Regis* Sanctij *iussu illud Cœnobium ad formam Cluniacensis regendum susceperat, vbi Monasticam regulam, diu collapsam erexerat, è viuis sublatus est. Quod Rex ægrè ferens totis viribus constituit præfato Monasterio talem Virum præficere, qualem illa nouella plantatio, quæ* Garsiæ *directione concreuerat, exposcebat. Ad id pectore voluens qualem in Abbatem eligeret, Deo inspirante, in eius regiam mentem* S. ENECONIS *deuenit opinio, quam varijs monitionibus, experimentísque præcognitam satis habebat; ex quo sibi persuadens, nullum inueniri posse in Regnis suis Virum, qui Abbatis defuncti locum impleret, nostro Monacho sanctiorem, quantociùs nobilibus Oratoribus electis, illos ad* ENECONEM *exlegauit, quatenus Sanctum Anachoretam ad illud ministerij opus attraherent; ipsíque conscripsit, vt voluntariè sub sua protectione, & directione Monasterium acciperet* Onniense; *præferens proprijs commoditatibus, & consolationibus, commune bonum, & omnium necessitudinem, constito quòd Dei munificentia ad hoc illum tot virtutibus imbuerat, vt corda illuminaret aliorum, & viscera proximorum diuini amoris flammis incenderet. Obstupuit* ENECO *orationi Nobilium, & Regis literas demiratus, postquam illos charitatiuè susscepisset, & Principis scripta velociter ruminasset, humili, & silentioso murmure respondit:* Quod in me Rex prudentiæ specimen inuenit, & discretionis, vt ad istam Abbatiatus sarcinam perferendam cogere imbecillem destinaret homunculum? Quo pacto si meam non est expertus fragilitatem, contendit me Prælatum eligere, hominem patientia vacuum, vt debilium imperfectiones sufferam? spiritu alienum, vt deuiantium torpores accendam? scientiâ nudum, vt errantium ignorantias edoceam? Heu mihi! si pro aliorum salute corruo: si pro alterius bono, de proprio deficio: si propter publicam vtilitatem, ab ipsis meis rationibus aberro. Ergo tutius est inter silentium & securitatem me me ipsum custodire, & tueri, quàm inter aliena pericula periclitari. Melius est enim Christo parere, quàm Regi; cui ista dicite, ne quem perfectum concepit Præsulem, imbecillum postmodùm agnoscat peccatorem. *Eremitæ profundam* Oratores *demirantes modestiam, accepta à Dei Viro benedictione, abiêre; &* Sanctio *quæcumque inspexerant, & audierant, admirabili compendio retulêre. At Rex (cuius cor in manu Dei est) non ex illa euentus ambagine cedens, quin potius resistentiâ B. Viri animum erigens, alios Religiosos Viros emisit, qui* B. ENECONIS *obstacula diluerent, & ad implementum electionis, exemplis propositis, cohortarentur. At ille omnia postponens, in suo semper proposito remanebat.*

ISTIVS *verò reluctationis constantiæ Regi prouido calcar erat, vt sicut in Viro Dei tugurij affectio vires contra eius augebat instantias; ita Principis prudentia, omnibus neruis, S. Monachi humiles renixus ad suum placitum traducere properaret. Quod vt efficaciùs consequeretur ipse* Sanctius *personaliter in eremitorij* ENECONIS *conscendens spelæum, ab eo benedictionem expostulans, ita prosequitur:* Dei voluntas, à quo, Pater, & mea in æternum fuit, & est, constituere in Cœnobio Onniensi talem Abbatem, quòd eius prudentiâ, & virtutibus non solùm religionis feruor conseruetur in illo, sed etiam magis ac magis perfectio Monastica adaugea-

Garsias I. Abbas Onniensis Cœnobij obijt.

Rex Eneconem decernit constituere Abbatem.

S. Vir modestè Regi respondet.

Nec eius exhortationibus dimouetur.

Rex ipse ad illum accessit.

Digitized by Google

tur. Hoc perfici, quo iure poterit, niſi electo tali Viro, qui hiſce dotibus ornatus, & antiquam foueat diſciplinam, & ſuo exemplo in poſterum religionis apices extendat. Regni cœnobia ſum ſcrutatus, & licèt plurimos religione conſpicuos, ſanctitudine claros, obſeruantiâ famoſos, & prudentiâ celebres adinuenerim, Deus, cuius inſcrutabilia ſunt iudicia, meum direxit animum, vt neminem niſi te, in hoc muneris penſum ſublimare curarem; fortè quia nullus Dei voluntatem, meámque intentionem aptior te inter tot millia eſſet implerutus. Hoc ergo cognito, vt quid pertinaci humilitate, Dei, & meo placito reſiſtere conaris? Si quod à Deo accepiſti, non tibi accepiſti; vt quid ſine fructu de accepto rationem dabis? Agricola ſanè ille cœleſtis, qui nec iniuſtus eſt, nec auarus, licèt de ſterili, & inculto campo vſuras non exigat, attamen ſeuerus eſt in expetendo decimas fructuum, quos in cordibus ſeminauit iuſtorum. Nónne legiſti de ſeruo, qui cùm ex talento nihil lucrifeciſſet, propter hoc immiſſus in tenebras exteriores, infructificationis pœnas luit? Nec proſunt prætenſa imbecillitatis conamina, quæ potius ex humili, & timido pectore, quàm ex veritatis ratione proſiliunt. Et eſto quod ſit, vt cogitas; quo ſenſu de Numinis prouidentiâ diffidis? Ille ergo qui impartitur onus, nónne potens eſt dare vires, vt perferas? Qui in manu ſerui fidelis clauum ponit, nónne ſapientiam, conſtantiam, & ſpiritum miniſtrabit, vt illum regat, & moderetur ſtrenuè? Ergo de iſtis dubitare, remiſſionis eſt, timiditatis eſt, & Spiritui-ſancto reſiſtere eſt; quod in tanto Viro, nec ſuſpicari, nec credere Regia Noſtra valet auctoritas; cui obedire, Apoſtoli præceptum eſt. *Omnia hæc Regis verba, ſeruus Dei auſcultauit corde ſummiſſo, & poſtquam vtrinque fortiter, & clamosè diſceptatum eſt, tandem* B. ENECO *Principis ceſſit voluntati, ſtatuens humili potiùs obedire fide, quàm proteruâ reſiſtere timiditate. Ergo cognitâ per* Sanctium *S. Anachoretæ acceptatione lætabundus illum ſecum traxit, & in* Onnienſe *introducens Monaſterium, regimen illius tradidit, & commendauit, cui Cœnobio non tantum de celebri Abbate dignatus eſt prouidere, ſed etiam illud copiâ munerum ditauit, inter quæ, inſignia peripetaſmata, aurea vaſa, & gutturnia argentea, munificentiam Regiam, & Chriſtianam pietatem ſignificantia.*

Nota Regũ in eligendis Miniſtris conſtantia.

Ceſſit Regi S. Vir.

NON *ergo Dei ſeruus iſtum quæritabat honorem, ipſa eum dignitas perquiſiuit; nam vt ex prælibatis apparet, iſtius fauoris penſum, non ex humano proceſſit conamine, ſed ex Numinis deſcendit afflatu. Abhinc Deus, qui iſtam Eccleſiæ Militantis fabricam ſuo nutu diſponit, eo ipſo quòd* ENECONEM *ad aliorum regimen attrahere decreuit, Patrémque, ac Magiſtrum ſuorum elegit ſeruorum, illicò ipſum tantis chariſmatibus ornauit, quanta ad opus miniſterij peragendum proſpexerat expedire; ita vt nec Monachi alienum quærerent Paſtorem, nec Abbas extra metam gregis aliud inuehligaret imperium. Quale ſit diſcrimen inter electionem diuino placito factam, & ambitionis diſpendio conſequutam, in hoc dignoſcitur: Nam illam ſubſequitur auctoritas, prudentia, directio, concordia, & cætera quæ Deus miniſtrat timentibus ſe: Iſtam comitatur ſuperbia, auaritia, iniuſtitia, carnificina, & alia plurima, quæ ipſe electus intra ſe generat, mala, aut ad populi exterminium, aut ad ſui celerem ruinam. Hæc etiam differentia magiſtratus, qui ex iudicio, vel qui ex gratia venit:* Ille vt meritis datus, ſpem ſui debet æquare: iſte vt per munera quæſitus, à periculo expectationis alienus eſt. *Omnia hæc in Noſtro cognoſcimus* ENECONE, *qui tanquam à Deo per merita ſublimatus, tantam, vt Dei miniſtrum, adhibuit curam circa ſui contemptum, & officij gloriam, quòd nihil in eo tàm antiquius fratrum obſeruaret ſpeculatio, quam vnicam illam reſignationem ad Numinis placitum, & profundam diſpoſitionem, quâ ad recipienda diuina, & cœleſtia beneficia humiliter capax efficeretur. Tum verò licèt*

Abbatis ſancti ſuaue regimen.

Diſcrimen inter electionẽ quæſitam, & oblatam.

Symmach. *lib.* 10. *ep.* 15.

Præſulis, & priuati vitæ diſcrimina.

priſtini

priſtini illius mores accuratâ eſſent caſtigatione compoſiti, tamen non ignorans aliam eſſe priuati hominis rationem, aliam præſulatum gerentis conditionem; vitam, omnéſque mores pro officij dignitate transformandos decreuit, præcipuè illos, quos ad muneris exercitium conuenire putauit. Ergo in eo primum obtinuit locum Charitas, quâ ſic fratres profundo dilexit amore, cuiuſlibet bonum deſiderans, vt vnuſquiſque pars eius viſcerum videretur. Hac enim dilectionis exuberantiâ, ignorantes docebat placidus; afflictos ſolabatur miſericors; debiles ſubleuabat pacificus, infirmos recreabat pius, deuios reducebat prouidus, & omnibus Pater ac Magiſter abſque faſtidio erat & ſuauis. Nec ob hoc quotieſcumque expoſcebat occaſio, à rigoribus abſtinebat: nam cùm perfectionis monaſticæ augmentum in ſubditis exiſtere ſatageret, nec nimia facilitate peccamina remittebat, nec ſummo iure negligentias increpabat. Iſtis ſane temperamentis, ſic ſubditos in ſtatera Religionis pondere æqualiter penſitabat, vt nec ſummo rigore deficerent, nec nimiâ manſuetudine inſoleſcerent; ideóque nec aſperitate formidabilis, nec benignitate videretur contemptibilis; quin potius reuerentiâ dilectus, & amore cultus ad vſque vitæ terminum fuit à ſingulis. Nec minus propter aliorum curam, in ſuæ perfectionis augmento claudicabat; quia quantò ſolicitus erat in proximorum procurandâ, & dirigendâ ſalute, tantò in colligendis virtutum manipulis ſingulos prouidus anteibat, ex quo eius pœnitentia, & mortificatio ita ſublimis, & inimitabilis viſa fuit, vt quamquam ſolitariam deſeruiſſe cognoſcimus vitam, non tamen eius rigorem, quo corpus aſſiduè aſpero mucrone domabat. Abhinc eius ſanctitatis, & prudentiæ, quâ Onnienſe *regebat* Cœnobium *ſic per* Hiſpaniæ *limites fama perſonuit, vt plurimos à Domino permotos, calcatis mundi illecebris, ad portum Religionis attraheret. Inter iſtos vnus fuit quidam Epiſcopus Gotholanenſis, nomine* Tactus, *qui cùm ſine Sede vagaretur, Monachatum induens, tantam vitæ monaſticæ perfectionem eſt aſſequutus, tantâ abſtinentiâ præditus, contemplatione donatus, ſilentio imbutus, vt dum viueret, religionis pondus ſuper eius humeros reportaret; póſtque è viuis ſublatus, miraculis clarus, & iuxta Magiſtri ſepulchrum tumulatus, meritò inter Sanctos fuerit abſque dubitatione conſcriptus.*

Charitas.

Perſeuerã. in exercitio.

Fama ſanctitatis.

S. Tactus Epiſcopus.

In Oratione *tàm frequens erat, vt præter ſolitam in choro, adeò mentali vacabat, vt eius vi ſingularia à Domino beneficia retulerit. Inter* Onnienſis Cœnobij *aſcetas erat quidam* Monachus *aſperrimâ conditione elatus, & inæquali ſuperbiâ imbutus: illum S. Abbas ſuaui verborum lenocinio monebat, & aliorum exemplo rebellem animum manſuefacere procurabat, diſponens, vt cognitâ ſui vilitate, ad altiora haud erigeret ſpiritum. Frater monita reducere ad calculum promittebat, ſed fruſtra, quia aut propter diaboli ſuggeſtionem, aut propter prauam naturam, & nimium proprij amoris faſtum, protinus tanquam canis ad vomitum ad priſtinos redibat errores. Monachus quippe deſiderio correctionis iſta perpendens, & periculum in quo (ex defectu humilitatis, quæ ſemper eſt mater, & radix aliarum, & totius perfectionis) verſabatur, agnoſcens, humiliter lachrymabundus à Sancto depoſcebat Abbate, vt donum humilitatis illi oratione à Domino flagitaret aſſidua. Annuit Dei ſeruus, & Numini petitione propoſitâ, lacrymis inſtitit, donec Dei viſceribus commotis, quidquid petere deſtinauerat, impetrauit. Ab hinc* Monachus *ſic ingenij rationem mutauit, vt ex ſuperbo humilis, ex aſpero manſuetus, & ex turbulento fuerit inuentus pacis amator.*

Oratione ſuperbum, humilem effecit.

SED *nec hic totus* Orationis *apex. Inter duos* populos *Monaſterio proximos, circa lucri rationem, dura contentionum altercatio verſabatur, quæ omiſſis iuris apicibus, coniuratione inita aliis in aliorum ruinam irrumpentibus, bello aperto, vtriuſque oppidi exterminium iamiam minabatur. Hæc in aures deuenit* S. ENECONIS *diſcordia, qui zelo Dei accenſus, & proximi excidium auerſatus, vtriuſque populi iurgia exterminare conſtituens, illorum duces eſt humiliter alloquutus. Altera pars illicò Arbitrum nominauit Abbatem: Altera verò, latronis famoſi, & ſtrenui militis ductu, ſuperba,*

Populos diſſidentes placat.

Digitized by Google

nequaquam ad pacis commoda deuenire conſtituit. Quod cùm S. Vir agnouiſſet, ſtatim hominem illum perditum, homicidiis, & latrociniis contaminatum adiens, ſua illi aperuit maleficia, eius in ſeminandis inter illos accolas conflictationibus inſolentiam deturpauit, quibus vt obſiſteret, & Dei miſericordiam conſequeretur, neceſſariò opus erat, ni æternæ mortis experiri vellet ſupplicia, & ad deploranda ſcelera præterita animum erigeret, excitatam à ſe iurgiorum tempeſtatem ſedare niteretur; deincépſque à ſimilibus flagitiis abſtineret: ei toto corde promittens ſe à Domino orationibus ſuorum remiſſionem ſcelerum impetraturum. Hæc audiens homo ille nequam, luminis iam cæleſtis illuſtratus auxilio, ad S. Abbatis pedes prouolutus, pœnitens, lachrymis, & ſuſpiriis inſtanter ſuorum veniam peccaminum expetebat. Ex hinc & ad ſocios verba conuertens, à propoſito iniquo illorum contumaciam reuocans, inter vtriuſque Oppidi acies trophæum pacis erigens, odiis ſedatis, in fœdera amicitiæ vtrumque militem mira auctoritate traduxit.

Homini perdito facinora prælat.

HAC *inſigni victoriâ latus* ENECO, *ſocio pœnitente latrone (qui veſtigia* S. Abbatis, *donec promiſſam culpæ veniam adipiſceretur, haud deſerere conſtituerat) in Cœnobium repedauit. Illum in itinere Chriſtianâ animaduerſione edocuit ſuorum facinorum grauitatem; & vt rediuiuus ad veniam accederet, contritionis antidotum propalauit, eius neceſſitatem expreſſit, illius eſſentiam demonſtrauit, formam per confeſſionem placidâ eloquutione detexit. Ergo ad* Cœnobium *appulſi, cellulam eſt ingreſſus Prælatus, qui orationi vacans, à Domino lachrymarum imbre perfuſus, vt maculas illius miſerabilis peccatoris pretioſo Filij ſui ſanguine diluere ac delere dignaretur expoſcit: cui orationis penſo perſiſtens, aut itineris fatigatione compulſus, aut ſomni potentiâ deuictus, debitum naturæ perſoluit. Vix mortis imago Viri Dei potentias implicauerat, quando ipſe, & latro ante Dei tribunal in ſpiritu arrepti, ſibi viſi ſunt audire vocem dicentem*: Etſi nulla ſit paritas de lumine ad tenebras, nec comparatio adſit inter ſeruum fidelem, & infidum mancipium: attamen ENECO iſtius hominis, pro cuius ſalute rogaſti, criminibus veniam concedimus indulgenter. *Quo audito alacer Abbas è ſomno excitatus, latronem adiit, à quo inſomnij relationem faciens, illum ad perſeuerantiam conuerſionis admonuit. Quod vt facilius, & felicius adipiſceretur latro, cucullam petens, antiquo homine exuto cum operationibus ſuis, nouum induit, & fratribus humilitatis, charitatis, obedientiæ, & cæterarum Monaſticæ perfectionis virtutum exemplar inpoſterum extitit.*

Illius hominis per orationem maculas lauat.

In Monachum recepit.

NEC *Abbatis Orationis efficacia minus apparuit potens in alio, etſi diſſimili ſucceſſu. Iuxta* Onnienſe *ſanè* Cœnobium *duo erant* Proceres *tàm amicitiâ coniuncti, quàm prauis moribus & inſolentioribus operationibus familiares. Iſti dæmonis ſuggeſtione compulſi* S. Viri *opera deridebant; & ad maiora prolapſi, non ſolùm verbis præclara eius facinora lacerabant, ſed & opere bona* Cœnobij, *& poſſeſſiones deſtruere ſunt aggreſſi. Iſta quippe Deus aliquãdo permittit, vt malorum inſultibus exerceantur & boni: Nam ſine labore patientia, ſine controuerſia humilitas, aut ſine agone quo pacto perfulgeret corona? Omnia hæc arrogantiæ Procerum tentamina S. Abbas perferebat patienter, quouſque inſigni modeſtiâ illorum moleſtiam ſibi, & fratribus impactam, Cœnobiique poſſeſſionibus faceſſitam, verbis ad pietatem mouẽtibus compeſcere conatur: quorum nec emendatione ſequutâ nec à propoſito animos auertere cognoſcens, ad Orationem confugiens, vindictam aduerſus Procerum proteruiam à Domino eſt humiliter expetitus. Eius precibus auditis, manè Proceres interſe irruentes (nullâ cognitâ cauſâ) transfixi enſibus occubuêre. Quo audito S. Vir de diuino iudicio ſtupefactus, & de ſucceſſu dolens, rigidam Numinis vltionem, è ſuis flagitationibus obuenientem, toto vitæ tempore deplorauit.*

Proceres infeſtos S. Viro Deus puniuit.

SPES, *certa expectatio futuræ beatitudinis eſt, & cùm hæc virtus deſumat ſuũ eſſe perfectum à ſolo Deo ex toto corde; ideo nullus firmiorem conſequitur ſpem, quam ille qui Deo familiariter adhæret, quia quantò profundius cum Numine commercium initur, tantò ſpei firmitas peraugetur. Ratio eſt, quia hæc fiducia*

Spes in Deum.

ex

Digitized by Google

ex cognitione perfecta bonitatis generatur, ex quo qui Dei familiaritate perfruitur, eius habere præcognitam bonitatem necessum est. Ista igitur virtutis praxis, sic ossibus adhærebat Abbatis, *vt nihil vnquam extra Dei placitum speraret, nihil nisi spe diuinâ perficeret. Abhinc quotidie à Domino innumera impetrabat mirabilia.* Onnienſe *sanè Oppidũ,* & Berouiſca *intolerabili fame laborabant. Agricolæ, & aliorum pauperum caterua, famelici absque auxilio iacebant. Aliqui, prout est subtilis necessitas, adiêre* Cœnobium, *vbi cognito quòd Monachi per tempus, Dei miseratione, vitam transigebant impransi, populos ad miraculum conuocantes, partem in prodigio, corde contriti, & profusis lacrymis expetebant. Omnia quæ erant in Cœnobio edulia pauperibus distribuens* Eneco, *eorum famem pro tempore refecit. Ast postea subuentione intellectâ, tanta hominum, & mulierum cum familiis facta est conuentio, vt camporum planities adiacentium maximas occuparet. Hæc ingens turba cibum à Sancto deposcebat* Abbate, *qui tres tantùm panes in Cœnobio adesse cognoscens, illos in cophino adsportari iussit, & spem in Domino reponens, fidei zelo succensus, & charitatis ardore flagrans*; Nonne (*dixit*) potens est Deus, vt ex petra panem ministret? *Quo dicto, panes in frusta scindens pauperibus erogauit, quos postquam pane saturatos dimisit, tres integri panes inuenti sunt, quibus per quatuor Mensium spatium, omnem illam multitudinem, & quotidie accrescentem absque diminutione pauit.*

Tribus panibus ingẽtem multitudinẽ alit.

A B *hac firma in Deum spe traxit originem contemptus ille, quo omnia aduersantia despiciebat, ideo nec ægritudinum incommoda timebat, nec mortis turpitudinem formidabat, nec casus cæteros miserandos euenientes, aut propter virtutis probationem, aut ex hominum malitia procreatos, pertimescebat. Ab hinc tanta eius constantia fuit, vt cùm à Cœnobio per sex Milliariũm spatium, vt Orationi quietæ vacaret, secederet; euênit, quod quidam latrones potius terroris incutiendi causa, quàm spolij lucro,* S. Abbatis *tugurium inuadere conarentur. Ast cum sequenti nocte ad istud perficiendum facinus cellulam quæritassent, talem Deus in eorum conamine obcæcationem induxit, vt toto noctis tempore per montem vagantes, penitus à* S. Viri *diuersorio aberrarent. Tandem multo mane in eum incidentes, vnus eorum ad instar tonitrui audaci voce infrenduit*: Quid Eneco faceres, si inter latronum laqueos esses detentus? *S. Vir placido ore respondit*: Cantabit vacuus coram latrone viator. *Cui fur*: Fortè si non diuitias, nonne tibi vitam adimere possumus. *S. Abbas dixit*: Optimè loqueris: sed cùm vita mihi potius pondus sit, quàm subsidium; illam si ademeris, præmium; si reliqueris, sarcinam præstabis. *Tum prædonum turma illud animi, & constantiæ specimen demirans insigne, veniâ postulatâ recessit, & explosis latrocinij moribus, propriam vnusquisque salutem correptus pœnitudine quæritauit.*

Aduersantium omniũ in S. Viro contẽptus maximus.

Miraculo probatur.

Commvnis *fuit inter Sanctos Anachoretas, & religionibus addictos Viros, admirabilis vsus coniungendi cum exercitiis spiritus interioribus, aliqua exteriora corporis, & pœnalia; ita vt sæpesæpiùs suauem Mariæ quietem cum Marthæ curis connecterent, & vigiliis. Isto enim opere, nec aliis molesti erant, sed potius pauperibus auxiliares, quia ex lucro laboris manualis, & sibi edulium, & famelicis dapes colligebant. In hoc ergo* Eneco *antiquorum Patrum vestigia sectans, per aliqua temporum interualla, in hisce exterioribus operibus manus ad aratrum apponere satagebat. Non extra lineam erit, aliqua circa hoc mirabilia à S. Præsule patrata proponere. Vineam iuxta Monasterij circulos conserere Dei seruus propriis manibus decreuit, & aliquibus conuocatis in subsidium agricolis, omnes libenter præceptum* Eneconis *subiêre, dempto vno, qui agrestis & durus, potiùs ad proprium lucrum, quàm ad opera charitatis aspirans, S. Viri monita despexit. Sed quidquid campestris ille tunc tẽporis, & antea in hortulo plantauerat; Deo sic volente, nec fructum emisit, nec in posterum vsui fuit, donec rusticus stupefactus ad S. Abbatis pedes accurrens, veniam de præterita inurbanitate postulauit. Cuius misertus*

Exercitiis manualibus insistebat.

Rustici auaritia punitur.

ENECO *vocato fratre, illi peluim aquâ luſtrali plenam tradidit, monens vt arborum radices aridas aquâ illâ rigaret. Monachus præceptum adimplens, virtute diuina, eo ipſo quod ſtipitum radices humorem illum benedictum bibebant, frondibus, & floribus arbores viſæ ſunt plenæ, ſuo tempore fructus domino reddituræ.*

Arboret arida reuireſcunt.

Iuſti, & iniuſti differentia.

NIHIL *eſt ſceleſtis horribilius, nihil contemptibilius iuſtis, quàm opera Satanæ. Ratio differentiæ eſt, quia cùm illi iure belli, vt mancipia, diabolo ſubiaceant; & iſti vt victores quotidie de illo ſtrenuas palmas obtineant; ſic eſt quòd illi timent, iſti triumphant. Singularia de hoſte communi Noſter obtinuit Abbas trophæa, quorum ecphraſim numerare longum: aliqua tamen ſubiiciemus. Erat in Vrbe* Burgenſi *mulier, vnicum filium à dæmone obſeſſum habens, quæ cùm primùm intellexit, S. Abbatem* Onnienſem *innumeris clarere miraculis, filium ad pedes traduxit* ENECONIS, *à quo ſalutem energumeno flagitabat. Vir Dei lacrymarum matris miſertus, manu puerum accipiens, in eius os inſufflauit, & protinus malignus ſpiritus iuuenem magno cum ſtridore deſeruit.* Homo *quidam vxorem ſuam à dæmone vexatam, ad* Onnienſe *Cœnobium perduxit, & infirmitate* S. Abbati *propoſitâ, ſalutem ipſæ coniugi B. Viri precibus recuperauit.* Vir *quidam nomine* Timotheus, *ſic à maligno ſpiritu torquebatur, vt paſſim cogeretur caput in parietes impingere, ex quo multis periculoſiſque vulneribus affligebatur, ita vt miſer ad vltimum vitæ terminum properaret: nam cùm tabes ex vulneribus emanans ſædos progenuiſſet vermiculos, iſti cutem, oſſa, & cerebrum corrodebant. Tantam miſeriam videntes conſanguinei ægrotum ad Cœnobium* Onnienſe *aduexerunt. Cuius ſpectaculum intuens* ENECO *cor ad Deum eleuans, fide, & ſpe plenus, ſignum* CRVCIS *ſuper energumeni corpus expreſſit, cuius tactu dæmon vociferans liberum reliquit* Timotheum: *& quod plus eſt, vulnera vermibus ſcatentia, illicò curata ſunt, nec locum dedêre cicatricibus.*

Obſeſſum liberat.

Item fœminam.

Item hominem Burgẽſem.

LEVIORA *ſanè fuêre huiuſmodi trophæa, contra diabolum parta, quæ* S. Abbatis *virtutem commendarunt; alia, ſecreta, & ab oculis hominum aliena, illuſtriora perhibentur. Horum ergo certamina inter hominem interiorem & vitia mentalia peraguntur: nam ibidem ſuperbia nimio ſui amore ſanctæ aduerſus humilitatem decertat: ibidem liuor efferus odio coniunctus cupit expellere charitatem: hic illecebræ caſtitatem deturpare conſtituunt: hìc antiquus Serpens vitiorum, & ſcelerum pædagogus, aſtuto imaginum colore virtutes ſubuertere nititur; ex quo ſæpè minatur, vt detrudat; aliquando promittit vt fallat; multoties erigit, vt euertat, & denique ſemper laudat, vt animus intumeſcat. Hoc* S. Abbatem *embolio, paſſim fraudulẽter petebat à tergo, quia cùm illum deuincere aperto marte non poſſet, ad fabulas aſtutâ fraude confugiens, Virum Dei in laqueo iactantiæ comprehendere deſtinauit. Abhinc miraculum panis pauperibus erogati ob oculos ponens, eius excellentiam verborum lenocinio extollebat. At S. Abbas cognitâ inimici fraude, intra cor humiliter ſubmiſſus, totam miraculi virtutem Deo tribuens, diaboli figmentum ad nihilum reduxit. Hoc victus Serpens congreſſu, alios quantocius exercere decreuit; ſed cùm eius machinamenta deſtruerentur, haſtam abiiciens, digitum eſt exerere compulſus, &* ENECO *triumphans victoriam alacer decantauit.*

Iactantiam calcauit.

Dæmonis irritamenta denicit ſæpius.

IN *ſanitatis dono ſingularis fuit, nam quos agritudinum grauitas iam extra potentiam Phyſicæ conſtituebat, à S. Abbate ad ſanitatem redactos, paſſim tum Medicorum, tum plebium cœtus mirabatur. Erat apud* Vallem-Oleti, *quidam* Comes Aſturicenſis *Nomine* D. Gonſalus Muñiz, *qui in lectulo per longum temporis tramitem, paralyticus iacebat. Ad huius agritudinis curationem, quidquid medicina parauerat, effecit, ſed fruſtrà. Mirabilia demum* ENECONIS *auſcultans, protinus ſibi perſuaſum habuit, quòd per illius Sancti merita, proculdubio erat ad ſanitatem reuerſurus. Iſtius perſuaſionis efficaciam cum vxore pertractans, illi vt ad* S. Abbatem *pergeret, perſuaſit, quæ coniugis placitum adimplens, magno ſtipata famulatu ad* Onnienſe

Donum ſanitatis habuit.

Paralyticũ ſanat.

Digitized by Google

Onnienſe Cœnobium *protinus properauit. Hic viſo* Sancto Abbate, *ad eius pedes prouoluta*, Credo equidem (*dixit*) Vir Dei, te meam agnoſcere neceſſitatem, quoniam ſuſpicor, ſpiritu diuino cordium te penetrare ſecreta. *Cui S. Abbas*: Scio virum tuum per ſexennium prolixâ laborare paralyſi, cuius vt periculo occurras, hanc meam ſcapularem ſuſcipe veſtem, cum quâ reuertere, & ſuper illũ extende, ſicque illius Dominus miſerebitur. *Hac Comitiſſa reſponſione contenta, oblatis Viro Dei pretioſis muneribus, quæ* S. Abbas *recuſauit, in patriam redux veſtem ſuper Comitis corpus extendens, illicò ſalutem integram omnium admiratione recepit. Qui poſtmodùm in obſequij gratitudinem, Cœnobium adiens, Viri Dei benedictionem promeruit.*

Lugdunenſẽ pauperem infirmum liberat.

NEC *hocce ſolùm charitatis officium ad diuites, & Proceres, Dei ſeruus ſpecialiter dirigebat, quinpotiùs illud ad pauperum ſolamen apertis viſceribus porrigere deſtinabat. Ad eius ergo miraculorum famam*, Lugduno Galliæ, *quidam pauperculus amicum ſuum manibus, & pedibus truncum* Onniam *advexit, illúmque coram* S. Abbate *proſternens, agri miſeriã, & tanti itineris laborẽ ſignificauit. Vnius miſeriâ, & alterius charitate motus* ENECO, *oleo lychni in Eccleſia ardentis vngens infirmũ, illi integram ſanitatem reſtituit actutùm.*

Serpentem enecat.

SERPENS *horridus, & exitiabilis totam* Onnienſis *territorij plagam miſerabiliter depaſcebat, adeò vt hominem integrum deglutiret, bouémque, aliáque animalia duobus morſibus dilaniata deuoraret: cuius tanta erat ſtrages, quod nec bubulci, nec cæteri pecuarij armenta ſecurè agere valerent. Omnia cùm iſthæc conſpiceret* ENECO, *charitate proximorum exæſtuans, agricolis, & aliis ruſticis præcepit, quod in excelſo montis cacumine rogum extruerent capacem. Quo facto, omnibus à tergo genuflexis,* S. Abbas *ſtans preces ad Dominum direxit, vt ſuorum miſereretur populorũ. Statim imperantis voce draconem interpellauit, qui coram accedens, collum erigens, & caudam vibrans, præceptum Viri ſancti quaſi ratione præditus expectabat. Tunc Dei ſeruus imperitauit ſerpenti vt ſeſe in rogum coniiceret flammantem; animal obediens, breui eius atrox compago conſumpta eſt. Abhinc totius regionis circuli à tanto periculo liberi, gratias Domino, & Sancto reddiderunt Abbati.*

Sterili prolẽ impetrat.

QVÆDAM *mulier, quæ per tria luſtra marito coniuncta viuens, filios nondum ſuſceperat, ex quo vitam cum coniuge in amaritudine tranſigebat: nimis afflicta ad pedes euolauit* ENECONIS, *qui fœminæ ſpeciem diffugiens, vix eius verba auſcultare curabat. Aſt mulier vocibus cauſam ſui doloris intonans, ſolamen à Sancto deposcebat Abbate. Ille re intellectâ, & fœminæ lacrymarum occaſionem proſpectans, firmam de futurâ ſobole ſpem promittens, domum lætam dimiſit, quæ poſt annum elapſum, marito peperit primogenitum.*

Prophetiæ dono illuſtratus.

PROPHETIÆ *donum à Domino ſingulariter accepit, vt ex duobus, quos traditio refert, caſibus innoteſcet. Ingens inter duorum Oppidorum accolas contentio exorta eſt, quorum aliud Catholicorum erat, alterum Sarracenorum ciuium. Ita quippe vtriuſque bilis exarſerat, vt extructis aciebus, ſignato milite, & aperto Marte, quodlibet vi armorum defendere, quod ratione non poterat, conabatur. Huius rebellionis inſolentia ad* S. Abbatis *peruenit auditum, qui relictâ cellâ, ad palæſtræ locum conſcendens, vtrius agminis primarios reducere ſermonis efficaciâ deſtinauit. Ducem Agarenorum phalanx habebat hominem hiſpidum, & barbara conditione notatum, qui (licèt caterorum conſenſus eſſet, vt armis abiectis, ad pacem confugerent) ipſe pertinaciter in horrida congreſſus feritate perſtitit. Hunc* ENECO, *ſemel, & pluries humiliter, & efficaci verborum pondere eſt alloquutus, vt à propoſito deſiſteret, ſed fruſtra: quia immanis ille homo potius ſubiturum ſe mortem, quàm concordiam permiſſurum obteſtatus eſt. Tunc Vir Dei cæleſti Numinis cognitione adflatus, audientibus cunctis reſpondit*: Tu tibi ipſi, fili, legem poſuiſti, quia inter tot militum turmas, tu ſolus mortem obibis; neque hic ſupplicij finis; nam tuum corpus non humus, ſed vultures, & feræ deglutient.

Duci Sarraceno mortẽ prædixit.

Euentus

Digitized by Google

Euentus ENECONIS *verba firmauit, quia prælio inito, nullus alius occiſus inuentus fuit, niſi homo ille inculcus; cuius corpus licèt arenâ, & frondibus ſui tegere ſunt aggreſſi, tamen demum partim laniatum, & à feris deuoratum, tantum relictis oſſibus, inuenêre. Hoc miraculum corda omnium admiratione compleuit, præcipuè Sarracenorum, qui Dei mirabilia credentes, omnes protinus cateruatim Chriſto nomina dedêre.*

Agreſtis bubulci punitio prædicta.

NEC *illud miſſum faciemus oraculum. Plantauerat* Vir Dei *vineam iuxta fluminis ripas, quæ Dei irrigatione creſcebat, quam vt deſtrueret, &* S. Virum *moleſtiùs afficeret homo quidã agreſtiu, & inurbanus ex oppido* Tamaienſium *oriundus, ſuum omne pecus quotidie in noualia immittebat, nec his contentus, etiam arbores, quas* S. Abbas *ſuis manibus conſeruerat, eradicabat. Illum* ENECO *pacificè monuit ſæpiùs, nec propterea ab incepto opilo recedebat. Hominis contumaciã Dei Seruus demirans, potius ore prophetico, quàm vltrice dixit bubulco:* Ego te ſum charitatiuè cohortatus, & tu ab impio facto non deſiſtis, citò ſuper te iuſtum Dei perueniet iudicium, ita vt riſus, & populi fabula conſpecteris. *Quod & euênit, nam breui ſurdus, & gibber apparens, cachinnum accolis, & exteris excitauit, ita vt erumperet in riſum vniuerſa vicinia.*

Mortem præſcinit.

ERGO *noſtra S. Abbatis* ENECONIS *ad felicem exitus tramitem perueniens oratio, ſciendum eſt, quòd exiſtens ſeruus Dei in* Solduegenſi *oppido annorum plenus, & meritis dies, vltimam vitæ horam præſciuit, quâ è carnis vinculis ſolutus, ad Sponſi thalamum accedere feſtinabat. Aſt vt fratres ſuos ſolaretur, ad Cœnobium iter arripiens, cùm iuxta illius terminum noctu peruenisſet, duo pueruli facie decori, candidis veſtibus induti, facémque quilibet in manibus habentes, viæ occurrunt, & Sanctum Senem comitantes, itineris ſemitam colluſtrabant.*

Angeli facibus iter demonſtrãt.

Quod cùm ſcirent Monachi conuentualiter ad Cœnobij oſtium occurrentes ſuum Præſulem conſpectabant, qui accedens, & illis benedicens, nonnullis iuſſit, vt duobus illis adoleſcentibus, qui viam facibus aperuerant, aliquid ſubſidij, & leuaminis propinarent: his quæſitis, haudquaquam vllus inuentus eſt, credentes fratres S. Virum, aut ægritudinis grauitate oppreſſum, aut, quod veriſimilius eſt, vi profundæ contemplationis grauatus, illud præcepiſſe. ENECO *verò ſupra pauperem lectulum recumbens, cùm iam corporis ſui fabricam oſſium ſtridore reſolui, & ſpiritum cæli cacumina conſcendere paratum præſentiret, ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum expoſtulans, & illud profundæ deuotionis humilitate, & lacrymarum imbre ſuſcipiens, exhortatis ad religionem fratribus, & vltimâ benedictione donatis, animo quietus, & intræ ſemetipſum contractus, in hac verba prorupit:* En Domine mi Rex, & animæ meæ Sponſe, hora à me diu deſiderata inſtat, quâ huius vitæ laboribus reſolutis, tuam gloriam ſpiritus deſiderat æternam. En iam diſciſſo corporis tegmine, nubiſque denſæ opacitate diſtractâ, lucis perennis radios conſpicere non grauabor. En iam ex Babylonicæ vinculis ſeruitutis liber effectus, in Sion pergere pacificam animus exardeſcit. Te amo, tuum conſpectum deſidero, in te ſperaui, non me ergo confundas in æternum. *Cùm iſta* S. Abbas *ruminaret, Angelicæ voces auditæ ſunt, & totus cellæ ambitus cæleſti lumine fuit repletus: deinde alia vox de fulgore erumpens, dixit:* Anima beata exi de corpore ſerui mei, qui à longinquo veniens, vt mihi obediret, omnia quæ poſſidebat reliquit, & ſequutus eſt me: ergo veni in gaudium Domini tui, vt cum eo in æternum glorieris. *His dictis viſus eſt* ENECONIS *ſpiritus, luce præeunte in cœlum conſcendere, & Angeli concinentes:* Benedictus eſt Domine electus tuus, vt intret in tabernacula tua in ſeculum. *Monachi verò, qui iſta inter lætitiam, & mœrorem conſpectabant, magna voce clamabant dicentes:* Pater venerande, Abbas excellens, Confeſſor illuſtris, Beatiſſime ENECO reſpice afflictionem noſtram, & nobis tuis filiis adhuc in hac lacrymarum valle exulibus impetra à Domino, vt miſerias diluat, mala auertat, & ad æternam ſalutem omnia concedat benignus auxilia, quibus tecum in cœlis ſine fine lætemur.

Ægrotat.

Obiit

Digitized by Google

Obiit Sanctiſſimus Abbas Kalendis Iunij. *Corpus Viri Dei Monachi in feretro deponentes, funus apparatu, & pompâ celebri perficere decreuerunt, vt ita morte honeſtarent, quem patrem cognouerunt in vita. Altera die cereis accenſis, & pſalmis de Eccleſia more decantatis, ad Cœnobij clauſtrum Corpus pertulêre ſacratum, & ipſo in eleuato tumulo collocato, vltimum officij debitum perſoluêre. Quo expleto, aditum multitudini tam fidelium, quàm Sarracenorum, & Iudæorum, qui vndequaque conuenerant, vt Sancti Viri contingerent exuuias, cuius in vita tot inſignia acceperant beneficia, prabuêre. Nec abſque miraculis exequia.* Paralyticus *lecticam pertingens ſtatim ſanitatem accepit. Quiſquis ægritudine laborans ſarcophagum, vel ſudarium tetigit, ab infirmitate diſceſſit immunis. Sic innumeri Deum glorificantes, à paſſionibus liberi, gaudentes repedarunt ad propria. Poſt funebre Officium,* Ioannes *illius Cœnobij Monachus, qui* S. Eneconi *in prælatura ſucceſſit, in ſui Patris laudem concionem texuit huiuſmodi.*

Moritur.

Tumulatur.

Miracula.

SERMO R.P.F. IOANNIS ABBATIS Monaſterij Onnienſis in funere B. P. N. Eneconis Abbatis.

Oratio funebris.

Vidimvs, fratres chariſſimi, vidimus, & inter lacrymas, atque ſingultus vidiſſe gaudemus. Vidimus quomodo tollitur iuſtus, & nemo conſiderat. Neque vlli Chriſtianorum incredibile debet videri, ſi in tranſitu Sanctiſſimi Patris Noſtri Eneconis, vnus angulus ſpeciali terræmotu concuſſus eſt, in cuius obitu penè totus orbis ingemuit. Et ſanè quis locus eſt in orbe terrarum, tàm remotus, aut abditus, quem tranſitus Sanctiſſimi Patris Noſtri Eneconis non commouerit? Aut quis Chriſtianæ Religionis ita alienus effectus eſt, qui auditâ morte eius non planxerit? Fleuit tamen Eccleſia, quòd talem Sacerdotem, atque Abbatem amiſit: ſed exultat paradiſus, quòd talem Sanctum ſuſcepit. Plangunt populi, & lætantur Angeli: gemunt prouinciæ, ſed gaudent loca Sanctorum; atque quotidie euolare cupiebat, cùm diceret: *Quàm amabilia ſunt tabernacula tua Domine Deus virtutum; concupiſcit, & deficit anima mea in atriis tuis.* O Virum Sanctum, & omni ore laudabilem! qui ſic vixit, vt non ſibi tantùm, ſed etiam nobis: quia quotidie erat pro nobis. Fuit ſicut lucerna ardens in domo Dei, non ſub modio poſita, ſed ſuper candelabrum conſtituta. Ita vt etiam multos ſuo præclaro lumine redderet luminoſos. Suauis enim, & mitis fuit, etiam cùm in ſuperbia ſeculi verſaretur. Cùm autem ad Chriſtum conuerſus eſſet, aperuit horrea ſua pauperibus, apothecas ſuas ad ſe venientibus patefecit. Nam parum egerat proximos alere, niſi etiam vndique euocaret, quos paſceret, atque veſtiret. Quantos, inquam, oppreſſos erexit? Quantos captiuos redemit? Quantos intricatos ære alieno creditoribus ſuis redditâ pecuniâ liberauit? Vna ſcilicet negotiatione, & planctus debitorum exterſit, & creditorum gaudia reparauit. Nunquam ſic iratus eſt, vt in ira miſericordiæ immemor fuiſſet. Neque enim poterat Vir ille iraſci, qui contumelias deſpiciebat, & odia vitabat. Nunquam in iudicio ſine miſericordia ſedit, qui nouerat miſericordiâ veſtiendum eſſe omne Chriſtianorum iudicium, dicente venerabili Scriptura propriè: *Miſericordiam, & iudicium cantabo tibi Domine.* Iuſtitiam quoque benignioribus Spiritus-Sanctus elargitur: & quantum æquitati, & iuſtitiæ fauet; tantum ſuis gratiæ, pietatiſque benignus indulget. Et ideò tenebat rigorem in examinatione iuſtitiæ, miſericordiam autem in definitione ſententiæ proferebat. O admirabilem Virem, atque omnium Sanctorum laude cenſendum! Hic etenim omnium Patriarcharum exempla ſequutus fuit. Fidelis vt Abraham

Pſ. 100.

Digitized by Google

Abraham, credulus vt Iſaac, benignus vt Iacob, magnificus vt Melchiſedech, prouidus vt Ioſeph, rapax vt Benjamin; rapuit enim diuitibus, vt pauperibus erogaret: & tamen plus diuitibus, quàm pauperibus profuiſſe cognoſcitur: quia pauperibus in hoc ſeculo profuit, diuitibus in futuro prouidit. Ergo vt dicere cæperam, fuit manſuetus, vt Moyſes, Sacerdos vt Aaron, innocens vt Samuel, miſericors vt Dauid, ſapiens vt Salomon, Apoſtolus vt Petrus, amabilis vt Ioannes, cautus vt Thomas, doctor vt Paulus, videns vt Stephanus, feruens vt Apollo. De ſolicitudine autem, & cura ſui Monaſterij, & Eccleſiarum in fide, & Charitate omnes Apoſtolos, Epiſcopos, & Abbates imitatus eſt. Hæc omnia in ſe habuit, hæc in tempore conuerſationis ſuæ fideliter cuſtodiuit. Et ideò cùm de hoc corpore ad cæleſte habitaculum vocaretur, ſicut ſuperiùs dixi, doluit terra, ſed lætatur cœlum, fleuit caro, ſed ſpiritus gloriatur; denique non ſolùm Chriſtiani, ſed etiam Iudæi, atque Pagani ingenti fletu, ſciſſis etiam veſtimentis, ad S. ENECONIS exequias conuenerunt.

Quo Anno obierit?

Hactenus ACTA, & Concio; quæ licèt trunca, & diminuta conſpicitur, attamen multam, vt viſitur, redolet antiquitatem. Circa ACTORVM ecphraſin nonnulla ad eius illuſtrationem notanda veniunt, vt temporum ſeries abſque nodo noſcatur. *Et primò* de *Anno Obitus*, quem *VVion*, & *Martyrolog. MS. S. Ioannis Pinnatenſis*, M. LVII. aſſignant, ſic: *Kalend. Iunÿ*; Onniæ *Cœnobio Religioſis ſub* Paterno *Regulari I.* Pinnatenſi *Abbate edoctis, & reformatis, à Rege* Sanctio *tradito, poſt* Garſiam *eius Abbatem, & inter alios præfati* Paterni *diſcipulum, cùm Vir Dei* ENECO *Aragonenſis, & Monaſterij* D. Ioannis Baptiſtæ *Monachus, opinione ſanctitatis clarus, in illa Montium ſolitudine, vitam rigidiſſimæ aſperitatis, ſub monachali habitu multis annis ageret; cúmque tum literis, tum nuntiis à Rege ſolicitatus recedere nollet; tandem ipſe Rex ad Virum Dei accedens, vix multis precibus obtinuit, vt* Onniam *ſe transferret, ibidémque Præſulem ageret; qui piam, & exemplarem vitam agens, ipſámque multis, & ſtupendis miraculis claram, in cœlum euolauit, Anno* M. LVII. Quo textu multa probantur in Actis, & illum refert F. Anton. Yepius in *Chron. Benedict. tom. 6. Ann.* 1070. *c.4. fol.* 272. *&* 273. qui *c.6. fol.* 275. *col.* 3. contendit obiiſſe Anno M. LXX.

An Canonizatus?

SECVNDVM, circa eius *Canonizationem*, quam idem Yepius *c.7. fol.* 279. *&* 280. probat ex *Inſcriptione* intra capſam, in qua Corpus erat conditum, reperta, quam & Nos dedimus ſupra *Tom.* 1. *Die XVIII. Ianuar. fol.* 192. & illam cum aliis vetuſtis monumentis refert idem Yepius *vbi ſupra d.c.7. fol.* 279.

An Bilbilitanus?

TERTIVM, de S. Abbatis origine BILBILITANA, quam hodie CALATAYVD dicunt, nullus dubitat: ideò videndi P. Dametus, Villar, & Yepius *d.c.7. fol.* 284. vbi huius Vrbis celebre, & ſolemne Votum de Patronatu S. ENECONI homopolo delato, recenſet, necnon Officium in pluribus *Hiſpaniæ* Eccleſiis recitari ſolitum, & aliorum grandem miraculorum catalogum ſubiungit.

QVARTO NON. IVNII.

DIES II.

A. In Monte Urticenſi Hiſpaniæ S. IOANNES *Eremita, egregiarum virtutum Vir, & multorum miraculorum patrator mirificus, qui pacis amans, relictâ patriâ bellis ardente, Ieroſolymam proficiſcitur; poſt, domum reuertens*

Digitized by Google

tens Xenodochium (latronibus reſiſtentibus à quibus pluries vexatus eſt) pro peregrinis ad S. IACOBVM *iter agentibus extruxit : montes & ſyluas diſſecuit, pontes erexit, & alia in plublicæ rei bonum perfecit, quæ adhuc charitatem recenſent Auctoris : tandem crebris, & innumeris prodigiis effulgens, celebris obdormiuit in Domino Confeſſor.*

B. *Apud oppidum* Socuellamos *Hiſpaniæ, ex Ordine* S. Iacobi de Spatha, *Militari, in Monaſterio Fratrum SSS. Trinitatis Excalceatorum, ſacræ reconduntur exuuiæ* B. MARCELLINI *Martyris Romani, quas Vrbanus PP. VIII. Ordini Fratrum huiuſmodi cum aliis conceſſit, à quo Cœnobium illud eaſdem accepit, quas honorificè colit.*

NOTÆ.

SANCTVS IOANNES de VRTICA Eremita.] Celebris eſt in Hiſpanicæ vetuſtatis monimentis, & totius regionis antiquis tabulis, & Breuiariis memoria huius Sanctiſſimi Confeſſoris, cuius elogia repetunt Scriptores Noſtri paſſim, vt videre eſt apud Florum Sanctorum Auctores, Cayraſco, Vega, Millan, Sanctorum, Villegas, & Ribadeneyra, qui eius ACTA Hiſpano ſermone texuerunt. Quibus adhærent Stephanus de Garibay *Hiſt. Compend. lib.* 12. *c.* 27. P. Mariet. *Hiſt. SS. Hiſp. lib.* 6. *c.* 10. *& ſeqq.* P. Truxill. *in Theſaur. Concionat.* 2. *p. fol.* 1132. Ioann. Maldonad. *de Sanct. fol.* 122. à quo Haræus *fol.* 1154. P. Caniſ. *tom.* 1. *de Act. SS. fol.* 203. Alphonſ. Venero *in Epitom. fol.* 244. Marineus Siculus *de Reb Hiſpan. lib.* 5. P. F. Ioſeph. de Siguenza *Hiſt. S. Ieronym.* 2. *p. lib.* 3. *c.* 10. & Benedict. Gonin. *in Vit. SS. Occid. fol.* 105. & alij plures. Eius ACTA ex duobus MSS. Legẽdariis, alterum *Aſturicenſe*, alterum *Segobienſe*, nec non ex vetuſtiſſimo Breuiario *Burgenſi* in Antiquariorum gratiam primò exſcribemus, pòſt aliquot miracula ex *R. P. Petro de Ribadeneyra* aſſuemus. Philipp. Ferrar. *in Catal. General. SS.* eius memoriam repetit *h. d. f.* 228. Videnda Breuiaria antiqua Hiſpaniæ Compoſtellanum, Salmantinum, Calagurritanum, Palentinum, Seguntinum, & alia quorum catalogum longum erit recenſere; ad Actorum ecphraſim pergo. A. *Martyrologia.* *Scriptores.*

ACTA B. IOANNIS DE VRTICA EREMITÆ Confeſſoris; ex MSS. vetuſtis Legendariis.

SOLEMNEM *Sanctorum memoriam, ad hoc Sancta retinet Eccleſia, vt illorum pia geſta minùs eruditis piæ vitæ fiant exemplaria. Sicut enim praua prauorum dogmata imitatores ſuos prauâ imbuunt doctrinâ; ita pia Sanctorum geſta fidelibus Sanctæ Eccleſiæ veritatis monſtrant veſtigia. Inde eſt, quòd Religio conſueuit Chriſtiana commendare memoriæ, mediante ſcriptura, quæ ad augmentum fidei eſſe cognouerit auxiliaria, iuxta illud Apoſtoli:* Quæcunque ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt. *Ab iſta igitur commendabili conſuetudine, occaſione ſumpta, Vitam* B. IOANNIS *Presbyteri, & Confeſſoris Chriſti propoſuimus compendiosè commendare ſcripturæ, non tàm præſumptioni ſcientiæ noſtræ inhærentes, quàm illi diuino eloquio incũbentes, quo dicitur:* Aperi os tuum &c. *Remota igitur præſumptione, adhibitáque piæ mentis deuotione, illo Prophetico vtentes eloquio:* Audiam quid loquatur *Ad Rom.* 15. *Proucrb.*

Digitized by Google

in me Dominus: *rem vltra vires ingenij noſtri arduam incipimus, quòd ſi fortè defecerit intelligentiæ noſtræ ratio, ſufficiat piæ mentis intenta deuotio.*

Origo.

BEATVS *igitur ille* IOANNES *Confeſſor Domini, & amicus, natione* Hiſpanus, *in territorio* Burgenſi, *in rure Campeſtri*, Quintana * Fortunij *nomine ex parentibus non infimis oriundus fuit: qui cùm adhuc teneræ eſſet ætatis, inutilia declinans exercitia* [humanæ mortalitatis] *& quaſi Deo ſe offerens, literarum ſtudio adhæſit, vt cum Pſalmiſta poſſit dicere:* Hi in curribus, & hi in equis; nos autem in nomine Dei noſtri magnificabimus: *Inde eſt, quod impleuit Dominus petitiones ſuas. Tranſeunte deinde temporis curriculo, ſancto inſtans propoſito, iam iuuenis, exutus puero, ad ſacros Ordines promotus eſt; quibus adſcriptus, attentiùs ſolito, corde, voce, & opere, diuino obtemperauit obſequio. Factum eſt autem in diebus illis, quòd* [diabolus] *ſeminatâ diſcordiâ, tota fermè in guerram conuerteretur* Hiſpania. *Poſt mortem namque* Ildephonſi *potentiſſimi Regis Hiſpanorum, qui ſine harede virilis ſexus obierat, Rex quidam ſurrexit de Aragonia, qui habens prædicti Regis filiam in vxorem, totam ſibi ſubiugare volebat Hiſpaniam, cùm non eſſet qui ei in bello reſiſtere poſſet. Quod attendens pacis amator* B. IOANNES, *propter afflictionem patriæ nonnullas ni (fallor) profundens lacrymas, indoluit. Cúmque diſperſionem, & exterminium gentis agricolæ, ingruente malitia, conſideraret, ſciens in tumultu bellorum, causâ conſimili, propriam perdere poſſe ſubſtantiam, diffiniens apud ſe eam quamtulamcunque multo rectius in operibus miſericordiæ expendendam: aiebat intra ſe: Væ mihi! Quare affligitur populus Dei? Quare peruerſitas ſuperbiæ offendit metas innocentiæ? Hîc figmentum illud verum eſt poeticum:*

Origo.
* *In Breu. Burg.* Hortuño, *idem eſt.*
[*Deficiunt in Burg. & Aſtur.*

Ordines ſacros ſuſcepit.
[*Deficit in Segob. & Burgenſ.*

Quidquid delirant Reges plectuntur Achiui.

*Et ſic pietatis viſceribus affluens, ſubſtantiæ ſuæ partem pauperibus erogauit, quorum poſſeßiones hoſtilis aſperitas ſubrueret: partem ſibi retinens, non ad auaritiam, ſed potiùs ad Omnipotentis impetrandam gratiam. Quia cùm videret nullatenus ſe poſſe habitare in terra natiuitatis ſuæ, ſumpto conſilio Contemplationis diuinæ, proficiſci propoſuit Ieruſalem. Sumpta igitur ſupradicta parte ſubſtantiæ, quæ quaſi obnoxia erat temporali perditioni, & eam in itinere ſanctæ peregrinationis expendens, in theſauris ſcientiæ, vbi rubigo, nec tinea demolitur, collocauit; & ſic Vir Dei virtuti innitens fidei, pacem quærens, guerram fugiens, locum pacis Ieruſalem viſitauit, vt iuxta Pſalmiſtam, adoraret, vbi ſteterunt pedes Domini. Completo itaque propoſito, adeptóque voto, aliquantulam temporis moram * Ieroſolymam faciens, ad propria repedare deſtinauit. Cùmque reuerteretur, cum inſtantia mare ingreſſus, cum magna peregrinorum turba, ventus peſtilens conturbauit maria, vt eorum penè confringerentur nauigia. Quod Vir Dei attendens, pro ſe, & aliis peregrinantibus miſericordiam Dei expoſcens, oratione vix conſummata, ex improuiſo peſtilentia ſedata eſt. Qua de re propoſuit cum mente deuota, ſi Deus cum proſperitate eum reduceret ad* Hiſpanorum *regna, ad honorem B. Nicolai fabricare Eccleſiam, cuius precibus ſe credidit euaſiſſe maris contumaciam. Quid plura? Mare euaſit, per terram iter arripuit, Chriſto duce, Beatóque Nicolao Confeſſore, & ſumma cum incolumitate ad propria repedauit.*

Bona ſua vendidit.

Ieroſolymã proficiſcitur.
* Ieroſolymę *in Aſturicenſ.* Ieroſolymâ *in Burgenſ.*

Oratione tempeſtatem ſedat.

QVO *facto, diuinæ conſtanter maluit vacare contemplationi, quàm terrenæ inhiare commoditati, iuxta illud quod ſcriptũ eſt:* Qui perſeuerauerit vſque in finem, ſaluus erit. *Sed quoniam quandoque ſolicitudines terrenæ, populíque frequens inſtantia mentem retrahunt à contemplatione diuina, adoptauit eremum, in qua Deo remuneratori in ſe ſperantium, vitam ſuam penitus dedicauit. Erat autem in* Oſcenſi *ſylua locus terribilis prope ſtratam* B. IACOBI, Vrtica *nomine, in quo latrones totius ſyluæ ſua habebant diffugia, & ibi nocte tranſgredientibus inſidiantes, cupiditate temporalis pecuniæ, quæ ſemper auidas mentes hominum excæcat, quamplures necabant, alios ſuffocabant, & alios ſpoliabant, vt neque etiam indigenæ ad illum locum accedere auſi eſſent. Hunc locum Vir Dei elegit habitare, hoc affectu, & deſiderio, vt excluſo*

Eremum petit.

excluſo peruerſorum latrocinio, ibi diuino vacaret ſeruitio, recolens fortaſsis illud quod legitur de B. Bonifacio, qui à Pantheone, Romano templo, excluſa multitudine dæmonum, illud conſtruxit in memoriam omnium Sanctorum. Sed quia ſine Regali conſilio, & auxilio, tale quid incipi videretur præſumptio, ſumpto à viris induſtriis conſilio, ad Ildefonſum honoratiſsimum Regem Aragoniæ, qui longa exercitatione militiæ iam ſibi regnum ſubingauerat Hiſpaniæ, perrexit. Quem Vir Dei iuſtis precibus aggrediens, locum impetrauit ab eo optatum. Inde ſummâ cum lætitiâ repedans, vt Deus ſuæ operationis fundamentum eſſe appareret, ad honorem ipſius, & in B. Nicolai recordationem Oratorium fabricare incepit. Sed quoniam, vt ſuperius eſt dictum, maxima latronum multitudo, ibidem latitabat, quidquid Vir Dei in die faciebat, latronum peruerſitas in nocte diripiebat, quia timebant opus S. Viri ſuæ iniquitati fore nociuum. Vehicula, & ea quæ erant operi neceſſaria fraude arripiebant, & temerariis auſibus confringebant, & S. Viri corpori mortem, operi combuſtionem, ſubſtantiæ diſperſionem minabantur. Quæ omnia Vir Dei contemnebat, ſciens conſummationem boni operis, non eſſe ex homine, ſed ex Deo.

In Vrtica Oratorium extruit.

Cvmque conſummata eſſet Eccleſia, ædificauit & iuxta eam aſylum, in quo peregrini haberent refugium, quibus ipſe pro poſſe neceſſaria miniſtrabat. Quod attendentes fideles ad eum confluebant, & ſummâ cum deuotione, de rebus ſuis ei offerebant. Quem etiam quaſi Chriſti vicarium in pœnitentiis ſuis reconciliatorem habebant. Nec tantummodo vulgus, ſed & Principes, ac etiam Imperator Hiſpaniæ, qui prædicto Regi ſucceſsit in regno, inter ſeſe, & Deum, mediatorem ponebant: & diuina fauente gratia erant ei oues, & boues, & pecunia ſufficiens. Sed ne fortè putaretur omnia hæc congregare velle ad auaritiam, in fluuio, qui dicitur Iberus, à quo tota Hiſpania alio nomine vocatur Iberia, pontem firmauit in vico, qui dicitur Lucronium, in quo partem non modicam ſubſtantiæ ſibi à Deo commiſſæ expendiſſe dignoſcitur. Similiter in vrbe Nagera, de nouo pontem fabricauit, qui impetu aquæ, atque multoties corruptus, ſummo cum labore, & expenſis, ab eo multoties eſt reſtitutus. Iuxta vicum B. Dominici pontem ligneum fecit, ſuper torrentem de montibus Cucullæ deſcendentem, cuius longitudo Quingentorum Paſſuum ſpatio diſtenditur. Inter locum etiam habitationis ſuæ, & villam Octaporcam nomine, manibus propriis ſtratam poſuit in locis humentibus, & aquoſis, vt Iacobipetæ longo feſſi labore facilem tranſitum haberent. His, & aliis operibus, quibus Vir Dei ſtudebat, eius fama ſonuit in finibus Hiſpaniæ, vnde Sanctarum domorum, & Hoſpitalium Rectores ad eum confluebant, vt eos viam vitæ, & diſciplinæ doceret, & in regimine Sanctarum domorum inſtrueret. Qui ſe cum poſſeſſionibus S. Viri arbitrio, determinationique, & omnes ferè domus, & hoſpitales à Locronio vſque ad ciuitatem Burgenſem eius conſilio, & auxilio regebantur. Erat enim tantæ abſtinentiæ, ex quo eremum habitare cæpit, quod in die ſemel tantùm cibum ſumeret. Singulis etiam annis, tres Quadrageſimas ieiunabat, abſtinens à cibis omnibus, qui motus carnis illicitos excitare poſſunt. In geſtu autem, habitu, & perſona, etiam ignotis verus Eremita apparebat. Deinde cùm Vir Dei deueniſſet ad ſenectutem, & habitaret in Ciuitate Naxarenſi, accidit vt aſinus, quem pro vehiculo habebat, camum de corio factum diſrumperet; quem cùm Vir Dei manibus propriis repararet, ſubula pupillam oculi ſui perforauit. Qui cùm caſſum lumen ſentiret, & auribus Pontificis Roderici ſummæ honeſtatis Viri, qui tunc temporis illius Diœceſis curam gerebat, infortunium inſonuiſſet; ad S. Virum, quem pro Patrono habebat, acceſsit. Cui cùm Vir Sanctus tàm ſenectute, quàm infirmitate grauatus aſſurgere vellet, lumine cœlitus ſibi reddito, eum inſpexit.

Opinione ſanctitatis, celebris.

Pontem ſuper Iberum facit.

Alia eius opera.

Abſtinentia.

Miracula.

His, & aliis virtutibus Vir Dei illuſtratus ad cæleſtes epulas eſt à Domino inuitatus; ſed antequam ad obitum veniret, eum Dominus carnali infirmitate correxit: & cùm obitum ſuum præſentiret, & vt verius loquar præſciret,

Mortis diē agnouit.

vocato Conſule Lupo, qui dominium Ciuitatis obtinebat, & omni conſilio, eos communiter exorauit, vt eum iam morti proximum, apud Vrtecam, vbi propriam habitationem habuerat, tranſmitterent. Qui honorificè ſummo cum luctu, & mœrore, eum à Ciuitate ſua eduxerunt; & facta oratione pro pace Eccleſiæ, & terræ fructibus, & pro viuis, & pro defunctis fidelibus, benedixit Ciuitati, & eius pariter habitatoribus. Deinde à ſuis conſeruis, & alijs pluribus ad locum deportatur optatum; in quo paucis viuens diebus, rebus benignè diſpoſitis, obdormiuit in Domino, Anno Domini, * M. LXIII. Quarto Nonas Iunij. Poſt cuius mortem miraculorum fama crebreſcente, multorum concurſus factus eſt populorum, inter quos quædam puella de Burouia, ſpiritu maligno cruciata, adfuit; quæ poſtquam ad ſepulchrum S. Viri acceſſit, callidus hoſtis ſentiens ſe non poſſe reſiſtere, quaſi ludens, ait ſe peruerſi viri cuiuſdam imaginẽ gerere, qui nomine Caſtellano Garſias Pelictri dictus fuerat. Sed quia fas non eſt ab hoſte doceri, non ſine diuino nutu hæc dicta fuiſſe poſſumus arbitrari, vt ſcilicet peruerſi caueant, ne poſt mortem ſuam imaginem informent diabolo. Ob hoc ergo tota cum tripudio lætetur Hiſpania, quæ talem Patronum meruit habere in gloria.

Moritur.
** Sic in Tribus Codicibus MSS. Sed corruptè, nã Annus trãſitus fuit, vt probabimus infra, M C. L XIII. Miraculũ.*

Ex R. P. Petro de Ribadeneira. Mulieribus infæcũdis Aduocatus prolem impetrat. Puellam à periculo ſeruat.

MIRA huius patrocinij lux ſpirat in eo, præcipuè in coniugibus, qui multis annis ſteriles, & improles conuixêre, ſeque ipſi commendauere, prolem impetrent. Nimirum quemadmodum S. IOANNIS parentes, qui multis annis in matrimonio conuixerant infœcundi, poſtea filium, fuſis ad Deum precibus impetrarunt; ita vult Dominus, vt idem S. Eremita ſimilium beneficiorum ſit, & agnoſcatur, & colatur patronus.

MARITA quædam ſterilis Viri Sancti meritis inſperatam filiam impetrarat, quæ cùm nonnihil adoleuiſſet, matre lactucas in ripâ fluminis abluente, non procul molendino, præceps in aquas decidit, quarum vortice, impetúque abrepta, in molendini rotas incurrit: at mater protinus exclamauit: S. IOANNES de Vrtica te ſeruet: quo dicto puellula molendini rotas, illæſa, comi renidens ore, tranſiit, & euaſit.

Infantem vitæ reſtituit.

INFANS biennis item Vrtica oriundus feſto Dominicæ Aſcenſionis die, in altum præceps puteum delapſus, fuerat ſuffocatus, qui à patre ad Sacellum Viri Sancti delatus, eiuſdem patrocinio fuit ad vitam reuocatus.

Neglectus Feſti cultus punitur.

FESTO quodam eiuſdem S. Viri die, nonnemo ſuum tonderi gregem curauit, & ne quid eiuſmodi ſeruilis operis pro tunc fieri curaret admonitus neglexit, ſed non impunis. Nam cùm poſtridie, templum Monaſterij illius, ducentæ ex eo grege, qui pridie tonſus fuerat, ouiculæ ducerentur, omnes collapſæ ſimul extinctæ ſunt.

Feſtus dies celebris.

QVOTANNIS feſti ſolemnitas eius celebratur, maximâ populi frequentiâ, qui de cunctis illis confinibus, aliiſque remotioribus oris ad eam ſolemnitatem concurrit, multáque funebria affert veſtimenta, quæ velut anathemata in templo ſuſpendantur, in eorum ſempiternam memoriam, qui vel à limine mortis ad vitam reuocati, fuerant ijs induti; vel iam moribundis parata fuerant, & poſtea Viri Sancti prece priſtinam valetudinem recuperarunt.

Canonici Regulares in Cœnobio S. Virt.

IN hoc S. IOANNIS de Vrtica domicilio diu vixere Canonici Regulares, vſque ad Annum Chriſtianum M.CCCC. XXXI. quibus Priores ab ipſiſmet electi præfuere. Sed Burgenſis Epiſcopus Paulus de S. Maria, qui Iudaicam execratus impietatem, Chriſto nomen dederat, Vir longè doctiſſimus poſtea id domicilium S. Ieronymi cœnobitis conceſſit certis conditionibus, aſſentientibus tribus, qui ſuperſtites adhuc erãt, Canonicis Regularibus, à quibus denique ius omne reſignatum eſt, Anno Chriſtiano M.CCCC.XXXIV. Sexto Idus Ianuarij. Præfectus cœnobio F. Alphonſus de Bonilla, ſiquè ius omne domicilij illius in ordinem S. Ieronymi tranſiuit: quod Eugenius Papa IV. bullis Apoſtolicis confirmauit. Dein Anno Chriſtiano proximè numerato Poſtridie Kalend. Martij cùm transferre vellent Viri Sancti Corpus ex S. Nicolai ſacello, ad tẽplum Monaſterij, in operoſum quod ei extruxerant Mauſolæum, multique Præſules, & Viri Principes, ad eam ſolemnitatem cohoneſtandam conueniſſent,

Poſt Ieronymiani.

ſub

ſub ipſum proceſſionis inſtituendæ tempus, ſubitò impletum eſt Templum, ſacellúmque Anticulis niue candidioribus, aliàs nunquam viſis, quæ hinc inde lætabili concinio circumuolantes, cœleſtem ſuauiſſimi, & gratiſſimi odoris fragrantiam ſpirarunt, populúmque recrearunt. Ipſum verò S. IOANNIS *Corpus immotum reſtitit: itaque Dominus ſignificauit, velle ſe ſacras illas ſui famuli exuuias illic relinqui, ſícque immotæ reſtiterunt. Ante paucos annos idem ſanctum Corpus, in aliud operoſius Mauſoleum, tamen in eodem ſacello, tranſlatum eſt, repertæque ſunt omnes eius carnes conſumptæ, præter ipſum cum oſſibus Cor, quod erat omnino recens, integrum, illibatum, tabiſque purum. Atque in hoc domicilio magna Deo gloria acceſſit, poſtquam S. Ieronymi Cœnobitis traditum eſt, non eò tantùm quòd cultus diuinus auctus fuerit, ſed quòd raro ſuæ religionis, atque virtutis exemplo, cunctos illos accolas ad virtutum ſtudia (vt amant) incitarint, & quòd multas erogent eleemoſynas omnis nationis hoſpitibus ad* S. IACOBVM *in* Gallæciam *peregrinantibus. Nam quoties annona caritate, peſtilentiáque laboratum eſt, ſemper vnicum miſeris in eâ totâ regione fuêre perfugium. Quod Chriſtianæ, Religioſæque charitatis officium Deus, qui Charitas ipſiſſima eſt, ſæpe miraculo probauit, & reditus eorum, quamuis exiles, ſi tot tantiſque expenſis conferantur, liberaliter auxit, pro magna ſcilicet fiducia in* S. IOANNEM, *qui Cœnobium hoc in eum finem fundauit.*

An ab Auguſtinianis Eremitis Cœnobium poſſeſſum?

En ACTA, miracula, & progreſſus Cœnobij à S. Eremita extructi, quod fortè primò ab *Auguſtinianis* Eremitis poſſeſſum, pòſt à *Canonicis Regularibus*, demúmque à *Ieronymianis* fuiſſe, adhuc ex Actis *S. Ioannis* ſuadent ſequentia. I. Quod ipſius inſtitutum Eremitæ titulo circumfertur. II. Quòd extruxerit Cœnobium, quod niſi Regularibus Eremitis, vt quid? III. Quòd à fratribus, quos *Conſeruos* vocitant Acta, Nagerâ ad locum Magiſtri moribundi corpus tranſlatum eſt, optatum. IV. Quòd (ſi fides *P. Ribadeneyra* danda eſt) in S. Viri teſtamento, *Martinum Stephanum* Virum prudentem, ſtudioſum, ſibi probè notum, perfectúmque, in ſui locum, fratrum Rectorem, & Cœnobij Primarium elegit. Quæ omnia regularem Eremitarum diſciplinam ſonant; quâ deficiente, *Regularibus Canonicis* eiuſdem Patriarchæ Cœnobium eſt iſtud conceſſum, vt & notauit Gabriel. Pennot. *in Hiſtor. Canon. Regul. lib. 2. cap. 31. num. 2.* qui perperam in *Burgenſi* Ciuitate Monaſterium fuiſſe conſtructum dixerat, cum non in Vrbe, ſed in Diœceſi ad Vicum *Vrtecam*, ab vrbe XII. M. diſtans, vt obſeruauit Philipp. Ferr. *in Catal. h. d. fol. 229.*

Alfonſi Aragonum Regis bella.

QVATENVS in Actis recenſentur bella ab *Alfonſo Aragonum* Rege, coniuge Vrracæ Alfonſi VI. filiæ, nihil tam notum inter Hiſpanicarum rerum Scriptores, de quo videndi D. Roder. Archiepiſc. Toletan. *lib. 7. Hiſt. Hiſp. c. 1. & 2.* Roder. Palentin. *3. p. c. 30.* P. Ioann. Marian. *lib. 10. c. 8.* D. Prudent. de Sandou. *in Vit. Vrrac. Regin. fol. 111. Era 1149.* Garibay. Silua, & alij, quorum nomina recenſere prolixum. Si ergo S. Vir, vt ex Actis liquet, hoc reuolutionum tempore Iuuenis erat, & timore inſultantium militum patrimonium vendidit, cuius partem in pauperes erogauit, ne in manus peruerſorum deueniret; & hæc bellorum tempeſtas ingruere cœpit Era M. C. XLIX. quæ incidit in Annum Domini M. C. XI. quo pacto in tribus *Codicibus MSS.* tranſitus S. Eremitæ Anno M. LXIII. potuit conſignari? Ergo in MSS. error irrepſit; & amanuenſis literam C. quam centeſimi anni notam eſſe cognoſcimus, omiſit.

An Rex iſte totam ſubiugauit Hiſpaniam?

CIRCA dicterium illud in Actis aſſutum, quod Rex Aragoniæ Alfonſus *longâ exercitatione militiæ iam ſibi Regnum ſubiugauerat Hiſpaniæ*; intelligendum eſt, non vt ſonat, quaſi *Aragonius* totam in ſui poteſtatem haberet Hiſpaniam, quod nec verum eſt, cùm ferè totam *Baticam* Sarraceni poſſiderent, & maximam *Celtiberiæ* partem; illud dicere, & ſignificare credimus, quod *Rex Aragonius* tanquam maritus *Vrracæ* Caſtellæ, Legionis, & Toleti Reginæ, iſthæc omnia regna ſuo placito gubernaret, poſitis in arcium præſidiis ducibus *Aragonijs*, & expulſis *Caſtellanis*, ne amore, & affectu propriæ, & naturalis Dominæ, in partes *Vrracæ* coniugis dilaberentur. Ex quo licèt iſthæc regna Regis titulo

Digitized by Google

moderaretur, quod in cauſa fuit, vt S. IOANNES ab eo licentiam *Oratorium* exquireret conſtruendi, attamen illa tyrannica præſumptione retinuit; donec ardeſcente bellorum ſubſequentium flammâ, hinc inde paſſim vrbes, & dominia iam vni, iam alteri parebant, prout infauſta bellorum fortuna cuiuſuis partibus fauebat. Quorum ſtrages non ſolum viuente *Vrraca*, ſed poſtmodùm *Alfonſo VII.* ipſius filio in Regni apicem ſublimato durauêre, donec *Alfonſus* Aragonius Anno M.C. XXVII. neglectis pacis fœderibus, Anno M.C.XXIV. *Venerabili Petro Cluniacenſi* auctore, & motore firmatis, ad nouas in *Caſtella*, & *Legionis* regna irruptiones, nonnullis *Caſtellanis* Proceribus impulſoribus, animum erexit, atque inſtructis copiis, & ſelecto milite, *Caſtellæ* limites inuaſit, quà *Metina-Celimi*, & *Moronis* oppida conſpiciuntur. Illius copiis ſe oppoſuit *Alfonſus Caſtellæ*, cuius *Aragonius* bene inſtructas, licèt numero ſuis inæquales conſpectans acies, in ſe correctus, omnes ſui exercitus duces, & Præſules congregãs, ab eis quid agendum ſciſcitatus eſt. Tunc *Petrus* Pampilonenſis Epiſcopus illa qua erat animi conſtantia præditus, hæc liberâ voce protulit verba: *Illæ, quas conſpicis Domine Rex, copiæ, noſtris numero impares, non veniunt temnendæ, ſed timendæ. Deum enim ſine dubio propitium habere neceſſe eſt, quoniam iuſtam tuentur partem; nec aliena deſiderant, quinpotius propria defendunt. Nullum contra nos bellum mouent; nos aduerſus illos irruimus, ſuos limites inuadimus, eorum homines occidimus, domos, & agros abſumimus, & depræ damur. Illi pacem, nos bellum amamus perperã: Si hæc ita, cur non pauci iuſti plurimos rebelles ſuffocabunt? In tuam, ô Rex, memoriam reuoco pacis fœdera à te firmata, præſtitum iuſiurandum, ſponſionem initam de reſtituendis arcibus Caſtri Xerizij, & aliũ, cum vrbe Nagerenſi, quæ omnia à tempore Vrracæ eorum Reginæ abſque titulo poſſides; promiſſionem ſcriptam, quà te Regem Alfonſum Caſtellæ in filium ſuſcepturum, & tractaturum vt talem Regia ſtrenuitate firmaſti, & ſigillaſti. Fortè horum aliquid adimplere curaſti? Haudquaquam. Quinimo (quod magis impium eſt) illius adimere patrimonium machinaris, & pætris vice promiſſa, moleſtam vitrici vocem aſſumis. Ergo ſi Dei prouidentia continuò iuſtitiam fouet, quis veſtrûm illam præferat, his ruminatis, perpende: nam ego pro illis iudicium do; ex quo iam illum victorem, iuſtitia auxiliante, contueor; & te deuictum, tyrannide fouente conlacrymor. Quibus omnibus in compendium redactis, eſto ſumma cenſionis meæ, quòd non ſolum à congreſſu te abſtinere debere profiteor, ſed quòd (ſi Dei miſericordiam in reliquo propitiam deſideras) omnia in promiſſionibus deducta reſtituas, damna in hoc bello illata ſoluas, & etiam Priuigni amicitiam conquiras.* His adhæſit Aragonius ſanctiſſimis præceptis Præſulis, ideóque caſtra mouens in propria quieto animo repedauit, nec vltrà Caſtellanos eſt aggreſſus. De quo videndus Sandou. *fol.* 140.

Qui Rodericus Epiſcopus?

QVOD in Actis dicitur, in aures RODERICI illius diœceſis Pontificis inſonuiſſe S. Viri cæcitatis euentum, intelligendum de RODERICO *Calagurritano, & Nagerenſi* Epiſcopo, qui *Sanctio* ſucceſſit, & confirmat in donatione facta ab Alfonſo VII. S. E. Burgenſi de Oppido *Villanida*, die VI. Decembris Anno Domini M.C.LV. vt notauit Sandoual *ſupr. in Vit. Imperat. fol.* 108. qui *fol.* 210. *col.* 4. Anno M.C.LVI. aliam confirmationem iſtius Præſulis refert. Anno M.C.LI. conſtruxit Eccleſiam S. Baptiſtæ in Treuiño, vt lapidis inſcriptio iſthæc proclamat: *Ad conſeruationem memoriæ futurorum, Villa iſta, & Eccleſia fuit fundata per Dom. Sanctium Regem Nauarræ, ac per Epiſcopum Calagurritanenſem Dominum* RODERICVM, *Anno M.C.LI.* Qui etiam conſecrauit Eccleſiam Cœnobij *Vallis-Venariæ*, vt indicat epigraphe tabulæ marmoreæ, in ipſo Cœnobio, hæc: *Dedicata fuit Eccleſia* S. MARIÆ *Vallis-Venariæ, à* D. RODERICO *Calagurritano Epiſcopo ſub Era* M. CC. XXI. *Menſe Septembris, die* XVI. *Kal. Octobris. Exiſtente Dominico Abbate, qui fuit de Caſtelion. Regnante Rege Alfonſo Toleto, & in totâ Caſtellâ.* Annus iſtius Eræ fuit M.C.LXXXIII. Videſis M. Ægid. Gonz. *tom.* 1. *Theatr. Eccleſ. Hiſpan. fol.* 353.

An Alphõſi VII. Confeſſarius?

Nec prætermittendum eſt, quod dixit R.P. Ribadeneyra. S. IOANNEM fuiſſe Alfonſo VII. Imperatori *à Conſiliis*, & aliquando à ſacris *Confeſſionibus*: at à quo ebiberit fonte, non diuino; fides ſtet apud illum. Abhinc, & à ſuprà recenſitis patet S. Virum ad Superos euolaſſe Anno M.C.LXIII. mendumque irrepſiſſe in MSS. Codicibus, quibus Annus M.LXIII. exploſo centenario, conſignatur; quoniam

Digitized by Google

quoniam omnes res gestæ celebres in actis recensitæ euenêre post annum Domini M. C. XI. quo Iuuenilem erat ætatem ingressus, quæ ad ætatis annum XXI. originem assumens, & è viuis sublato Anno M. C. LXIII. remanet quod vixerit LXXIII. Annos. Ideo in Actis ipse senectute grauatus refertur.

S. MARCELLINVS Martyr.] Eius memoriam in hunc diem reponimus, quia de alio eiusdem Nominis agunt hodie antiqua, & recentiora Martyrologia, in quibus de hoc Nostro altum silentium. Istius sacra pignora *Vrbanus VIII. Pont. Max.* Fratribus SSS. Trinitatis Excalceatis liberalissimè concessit, vt patet ex Actis donationis, cuius copiam dedimus suprà *Tom. 2. Die II. Martij fol. 45. & 46.* vbi & applicationem huius sacri Corporis retulimus Cœnobio de SOCVELLAMOS, de quo & Nos alibi. B. *Sacrorum pignorum Donatione refertur remissiuè.*

TERTIO NONAS IVNII.

DIES III.

A. S. ELPIDIVS *B. Iacobi Discipulus, ab eo Primus* Toletanus *Episcopus creatus, sacrat Altare Magistro suo; cum aliis ad* Cherronesum *Hispaniæ Peninsulam patitur die IV. Martij, antiquitus verò hoc dei celebre illius festum colebatur.*

B. CORDVBÆ *in Hispania Batica, passio* S. ISAAC *Monachi, qui & fidem, perferendo cruciatus, sustinuit; & ad Christum per nobile certamen Martyr ascendit.*

NOTÆ.

SANCTVS ELPIDIVS Episcopus, & Martyr.] Natalem istius Sancti Martyris diem consignauimus supra *tom. 2. die IV. Martij*, inter Acta Præsulum Hispanorum apud *Chersonesum* pro fide passorum; vestigiis *Menologij*, & aliorum inhærendo. Ast quia isto die solemnis eius peragebatur olim festiuitas, vt *Iuliani Petri* relatio persuadet in *Aduers. n. 74. fol. 11.* dicentis: *In* Cherſoneſo *Hiſpaniæ* S. ELPIDII *Primi Archiepiſcopi* Toletani, *Diſcipuli* S. IACOBI, *qui paſſus eſt cum aliis. Celebratur III. Nonas Iunij.* Ideò eius celebritatis memoriam hîc repetere fuit in votis, ne temporis tantam obliteraret qualitatem ingluuies. Hic addam *Hali* mei Carmina de S. ELPIDIO loquentis in *Poëmat. de Aduent. S. Iacob. vers. 66. fol. 12.* quod notis illustratum publicum feci. Ibi *Aulus* post ecphrasim duodecim Discipulorum ab Apostolo Ierosolymâ in Hispaniam portatorum, meminit aliorum, quos apud Nostras collegit, quibusque Ecclesias Episcoporum titulo commendauit, vt primò *Dexter* edixerat. En carmina: A. *Olim hoc die cultus.*

Carmina Hali de S. Antistite.

Igitur incapto meßis tnnc ſemine, Sanctus
Omnis Apoſtolico regionis more IACOBVS
Vrbes illuſtrat fere; quo pòſt munere Chriſti
Eccleſias ſignat, quibus vnice Epiſcopus almas

Digitized by Google

Ponitur, eligitur, qui legis dogmata pandat.
Præſicit ELPIDIVM *Toleti.*

Et licèt, vt ſæpiùs diximus, venuſtate & proſodia careant carmina, illa dubio procul vetuſtate ſummam præſeferunt venerationem, & maximam eructant in ipſis inuenuſtis periodis auctoritatem.

B. *Scriptores.* S. ISAAC Monachus, & Martyr.] Celeberrima ſunt iſtius S. Martyris encomia, tàm à *Beato Eulogio*, quàm ab aliis illius ſeculi Scriptoribus cumulata; nec aſpernanda ſequentium, apud quos ſtrenuitatis robur in Monacho repetitur, & fidei conſtantia in Martyre compulſatur. *Eulogÿ* elogia, ipſa inferiùs ſubiicienda ACTA monſtrabunt: interim *Indiculi Luminoſi* Auctorem inſpecta: *Zelo Dei* ISAAC *Religioſus, non humana inſligatione, ſed diuina commotus, nec vſitatum callem noſtris temporibus, ſed obliteratum incedens, antiquum perſecutionis fumum non ſufferens animo, iudicem adÿit; & ea quæ alter flagello diro vexatus negabat, quæ inter verbera ſe non dixiſſe iactator debilis perſonabat; athleta fortis, belliger miles, abundantiori proſecutione firmauit, potiori prælio intentauit, & ingenua mente inchoauit, ingenua morte peregit, conſummauit, implenit. Vt oſtenderet hominibus fidei ſe zelo commotum, non timore neceſſitatis præuentum; vt conſtanti fiduciâ Eccleſia prælians bella apertè proferret, & patulè, quod quibuſdam indiciis ſuper comprehenſum ſatagebant firmare. Vt etiam produceret Dominus athletarum ſuorum mundo victoriam, & militum ſuorum, rudi ſeculo, propalaret conſtantiam, qui bella Domini, & inſtinctu, quo primi intentauerant, prælia rentur.* Antiquus Verſificator, fortè *Cyprianus*, aut *Aluarus*, vterque *Cordubenſis* in peruetuſto Epigrammate, vbi Sancti Martyris breuiter Acta recenſentur, cuius copiam in vetuſto Codice MS. R. P. F. Thomæ de Herrera Auguſtiniani, exſcripſi; quod etiam illius ævi rubiginem redolet, neglectis proſodiæ regulis.

ISACVS *Chriſti Monachus, quem* Corduba *natum*
Agnoſcit, noſtro tempore Martyr abit.
Primus pro fide docuit hic obſcœna Tyranni
Dogmata deſpicere, patula verba notans.
Iudicis exardet furor, hæretquè oſſibus ira,
Quâ Monachus felix, Martyr ad aſtra volât.

Martyrologia. De eo Martyrolog. Roman. Galeſin. Vſuard. Maurolyc. Felicij, & aliorum. Philipp. Ferrar. in *Topograph. ſacr. verb.* Corduba *fol.* 42. Ex Noſtris Ambroſ. de Moral. *lib.* 14. *c.* 7. Mariet. *lib.* 3. *c.* 10. P. Martinus Roa de *SS. Cordubenſ. fol.* 87. Arnald. VVion, & Hugo Menard. *in Martyrolog. Monaſt.* P. Dionyſ. Vazquez *in Caſtellano*: PP. Societ. Ieſu *in Luſitano*: P. Ieronym. Rom. *in MS. Hiſpano*: Qui omnes ex *S. Eulogÿ* memoriali Sanctorum Acta exſcripſerunt. Aquo cum *Surio*, & Noſ eadem ſubiiciemus.

ACTA S. ISAACI MONACHI, & Martyris Cordubenſis; ex S Eulogio M.

Origo. BEATVS ISAAC *ex Ciuibus* Cordubenſium *nobilibus, & locupletioribus parentibus natus eſt; Sed neceſſe eſt exponere, quibus indiciis, vel prodigiis hic* B. ISAAC *extiterit in infantia donatus, vt ex eo diuinitus ad coronam martyrÿ illum fuiſſe credamus electum: ex quo in Matris vtero poſitus terribilem valde parentibus ſtuporem intulerit. Tribus namque vicibus vnâ die, paulo antequam naſceretur, viſus eſt loqui: cuius rei nouitate perterrita mulier, penè mortua, vim verborum nequaquam potuit intelligere. Demum iam natus, cum adhuc ſeptennis exiſteret, virgo quædam cernit per viſionem globum luminis de cælo deſcendere, & inter omnium præſtolantium turbam ſolus hic vlnas extendens, manibus lumen excepit, totámque eius claritatem ori ſuo iniectam ebibit; felicem tunc, & vere beatum omnibus tali condignum munere nuncupantibus. Dùm ergo primæuos adoleſcentiæ annos*

Prodigia in eius natiuitate.

ingrederetur

Digitized by Google

ingrederetur, atque inter opes, bonáque genitorum tenerrimè degeret, adeò, vt peritus, & doctus lingua Arabica Exceptoris Reipublicæ officio fungeretur; ex improuiſo ſpiritali flagrans ardore, Monachorum vitam optans, Tabanos *viculum petit, qui in partibus Aquilonis inter præruptæ montium, & condenſa ſyluarum, ſeptenis ab vrbe milliaribus diſtans, formoſiſſimis in exercitatione vitæ monaſticæ virorum, atque ancillarum Dei, rumoribus decoratur. Siquidem in eodem Cœnobio Virum ſumma timoris Dei reuerentia præditum* Ieremiam *patruelem habebat, qui etiam inclytus opibus, rebuſque abundans, & coniux eius venerabilis* Elizabeth, *ac liberi, totáque penè cognatio, ſumptu proprio fundamenta ipſius Cœnobÿ iacientes, diuinarum legum perenni adhæſuri obſequio, pridem ſeſe eò contulerant. Ibi per triennium* B. Isaac *ſub regularibus diſciplinis, ſeu ſub reuerendiſſimo Abbate* Martino *prædictæ fœminæ fratre, in ſancto propoſito militans, exemplo diuinitus illuſtratus, prior è* Tabanenſi *cœnobio in forum deſcendens, Iudicem adÿt, atque his verbis eum adgreditur*: Vellem, Iudex, cultor fidei ſtrenuus fieri, ſi modò tu non differre ordinem, rationemque eius mihi velles exponere. *Cui cùm libenter, quaſi iam tyrunculo fidei ſuæ credituro inueni, inflatis buccis, turgenti gutture, crepitantia infra caua palati verba inſtitutionis lingua fallax proferret: Sectæ huius auctorem* Mahomat *fore prædixit, qui Angeli* Gabrielis *magiſterio illuſtratus, verbum prophetiſmi ab Altiſſimo nationibus relaturus accepit, legem inſtituit, paradiſum diſſeruit, regnúmque cælorum plenum epulis, & fluxibus fœminarum edocuit: ſed & alia plura, quæ hic diſponi perlongum eſt, ex ritu pro vano arbitrio proſequente. Protinus ephebus ille venerabilis Monachus, vt erat oppimè literis Arabicis imbutus, arabicè reſponſum*: Mentitus (*ait*) eſt vobis: ita maledictionibus tabeſcat diuinis, qui tanto ſcelere implicatus, tantorum agmina perditorum inuaſit, ſecúmque inferorum barathro mancipauit. Ille enim dæmonio plenus, dæmoniacis fauens præſtigiis, lethale morbidis propinans poculum, æternæ perditionis luet interitum. Quare vos ſcientiâ præditi à talibus non abdicatis periculis? Quare non renuntiantes vlcus peſtiferi dogmatis, perennem fidei Chriſtianæ Euangelicam ſoſpitatem optatis? *Hæc, & his ſimilia ore pudico, ſummis reuerentiæ auſibus, viribúſque, linguâ peracutâ, Beato diſſerente* Isaac, *ſtupore nimio Iudex turbatus, ac veluti amens effectus, vbertim lacrymaſſe perhibetur; & quadam mentis hebetudine occupatus vix potuiſſe exprobranti Monacho reſpondere fertur: ſicque manu extensâ faciem eius verberauit, cui confeſtim Monachus dixit*: Conſimilem imaginí Dei vultum audes ferire? Vide qualem propter hoc redditurus es rationem. *Idcirco à conſidentibus ſecum Sapientibus deprehenſus, arguitur, quòd grauitatis Cenſoris oblitus leuiter per ſemetipſum ad cædendum Martyrem egerit: & præſertim, quia ſecundum legum ſuarum ſententiam, is qui pro crimine dignus eſt mori, nullius pœnæ conuitiis lacerari debet. Tunc Iudex ad* S. Isaac *conuerſus ait*: Fortè madidus vino, aut phreneſi captus, ad iſta, quæ profers, non facilè potes aduertere? Nam ipſius Vatis noſtri, quem tu temerè conuitiis impetis, ſententia manet irrefragabilis; animaduerti debere in eos, qui talia de ipſo non verentur profiteri. *Ad quem venerabilis* Isaac *intrepidâ reſponſione, ait*: Ego quidem, Iudex, nec vino madidus, nec quolibet morbo ſaucius ſum, ſed zelo iuſtitiæ conflagrans, quia Vatem veſtrum, vóſque mentis & veritatis expertes exiſtere comperi, veritatem vobis expoſui, propter quam ſi mors vel ſæuiſſima occurrerit, libens excipiam, placidus ſubeam, nec ab eius caſibus ceruices meas auertam. Noui enim Dominum dixiſſe: *Beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum.* Tunc *Iudex carceri eum tradit, ac protinus Regi cauſa eius innotuit, qui tantæ accuſationis euentu perterritus, illicò ferocioribus animis elatus promit edictum, dicens*: Morti vſquequaque fieri debere obnoxium qui tale in Auctorem fidei ſuæ protulerit conuitium. *Hinc Dei ſeruus ad*

Exceptoris officio fungitur.

Monachum egit.

Seſe offert Iudici.

Aduerſus iudicem arguit.

Proſequitur.

Mat. 12. Comprehenditur.

necem

Digitized by Google

Coronatur. *necem damnatus vertice plectitur : hinc in ſtipite eleuatus , capite deorſum appenditur , atque vltra amnem in ſpectaculum vrbis locatur* , III. Nonas Iunias , *Feria* IV. *Era* DCCC. LXXXIX. *Cuius* Corpus *poſt aliquot dies cum cæteris, qui eum imitando perempti ſunt, igne crematum, & in fauillam conuerſum, deinceps in amnem proiectum eſt. Eius corona poſtmodum Cœnobij fratribus innotuit : Nam quidam Sacerdos ex Cœnobio* Tabanenſi , *ex quo idem Beatus ad agonem proceſſerat , peractis Miſſarum Dominico die ſolemnijs* , VII. *ſcilicet* Idus Iunias , *qui poſt* Quintum *martyrij ſui diem euenerat , in quedam lectulo fratrum recumbens , obdormire paululùm cœpit , & ecce ſubito per ſomnium vidit puerum decoris pulcherrimi , à partibus Orientis venire, ſchedámque miræ pulchritudinis manibus geſtantem ſibi aſſiſtere: quam ab eo accipiens, ſcripturam eius legere cæpit ; erat enim his exarata ſermonibus :* Sicut pater noſter Abraham Iſaac filium Deo in ſacrificium obtulit, ita & nunc S. ISAAC in conſpectu Domini ſacrificium pro fratribus immolauit. *Et poſtmodùm quidam è ciuitate venientes hoc idem de Martyre, & alijs confirmarunt.*

Eius notitia martyrij.

Gen. 22.

Quo ordine hæc Acta compacta. Iſthæc ACTA , quæ *D. Eulogius* partim in *Præfatione libri* 1. *Memorialis Sanctorum*, & *libr.* 2. *c.* 2. & alibi reliquit ſcripta : illáque Nos in ordinem redegimus , mutatis clauſulis, vt ab vtero ad paſſionem eius res geſtas , debita temporum,& actionum ratione collocaremus. Neceſſum enim fuit vt aliqua adderemus verba, vt clauſularum fruſta hinc inde collecta ,& à ſuis locis eruta , periodi vinculum necterent, ita vt penitus *Eulogij* ſenſus fideliter conſeruetur : in quo *P. Martini de Roa* ſumus inſequuti veſtigia.

Ambroſius Morales hæc Acta illuſtrauit. CIRCA illuſtrationem Actorum videndus Ambroſius Morales in *Not. ad Memorial. S. Eulogij* in locis ſupra relatis , quibus nihil addere compellor , & propter tanti Viri doctrinam , & quia nuda ecphraſis , & verax euentus , nullam longiori diſſertationi viam relinquit.

Excepter quis ? VNVM hic non omittam circa EXCEPTORVM officium , quo fuit S. Monachus vſus,quódque *Morales* ex *Budæo* ad *Scribas* publicos pertinuiſſe affirmat. Fortè tempore *Eulogij* hoc titulo notabantur *Scribæ* publici ; aſt ſi vim vocabuli diluimus , reſpondet hæc vox Græcæ illi παχυγεάφοι , vel ὑπογεαφεῖς, vt notat Cuiac. ad *l.* 12. *C. de Proxim. ſacr. Scrin.* apud quem non *Scribæ*, ſed *Amanuenſes* vocitantur; ſingularis locus Syneſij *Epiſt.* 67. vbi ἐν τοῖς παχυγεάφοις , Dionyſius Petauius *Amanuenſibus* retulit. Non me latet eadem vertiſſe verba Franc. Portius , in *Actuarijs*. Sed in *l.* 2. *C. Theodoſ. de Numer. Actuar.* EXCEPTORES certo ordine ad *Commentarios* accedebant, ita vt non prout *Tabelliones* , ſed prout *Amanuenſes*, qui infimo loco poſiti militabant, cùm eſſent Primates in Scriniis , Priores , Proceres, & Primores , poſt iſtos EXCEPTORES, quos hodie *Scriuientes* vulgariter nuncupamus. De his durat lapis vetus in Grutero *fol.* 372. *n.* 4.

An Amanuenſis.

L. AVRELLO. MARTIANO.
AVG. LIB.
EXCEPTORI.

An Librarius. Saluabitur *Ambroſij* placitum , ex eo quod omnes iſti *Scriniorum* officiarij , etiam *Scribæ* dicebantur, ideo *Librarius*,qui etiam tranſcriptor erat, vt ex *l.* 92. *D. de Regul. iur.* Scriba vocitatur in lapide apud Ian. Grut. *fol.* 94. *n.* 11.

T. TETTIENVS. FELIX.
AVGVSTALIS.
SCRIBA. LIBRARIVS.

De quibus videndus Iacob. Guther. de *Offic. Dom. Auguſt. lib.* 3. *c.* 7. *fol.* 471. & Robert. Conſtantin.

CORDVBA. Ciuitas Hiſpaniæ Bæticæ , de qua pluribus egimus ſupra diuerſis in locis quæ hic repetere prolixum. Plura congeſſit *Ambroſius Moral.* in ſua de hac vrbe Diſputatione.

PRIDIE

Digitized by Google

PRIDIE NON. IVNII.

DIES IV.

A. Romæ passio S. DECIANI *Ciuis Emeritensis Hispaniæ, qui Philosophiæ Stoicæ egregiè excultus, Catholicam agnouit veritatem, cuius amicitia inter alia Martiali cognita reperitur: demum Imperante Adriano ad lauream Martyrij peruênit.*

NOTÆ.

SANCTVS DECIANVS Philosophus, & Martyr.] Nostri Sanctissimi *Causidici* Christiani memoriam repetunt peruetusta *Martyrologia* à Card. Cæs. Baronio recensita, in *Not. ad Martyrolog. Roman. h. d. lit. A.* & in *Ann. Eccles. tom. 3. Ann. 308. n. 27.* quo loco, nullâ ratione suffultus, aut auctographi auctoritate vallatus, eius martyrium ad tempora retulerit *Diocletiani*, Cùm vt postea probabimus, ad Annum C. XXI. ipsius agonis palæstra inciderit. Sancti ergo Nostri elogium his concinnauit verbis Roman. Martyrolog. *Romæ SS. Martyrum Aretij*, & DACIANI. Ast in scriptura error; nam propria nominis vox, DECIANI est, tanquam à *Deciorum* familiis *Romanis* orta, vt notauit Glandorp. *in Onomast. de famil. Rom. lit. D. fol. 298.* qui de Nostro agens Philosopho, recensitis aliquibus Viris illustribus, ex *Deciorum* familiâ prognatis, prosequitur: *Et* DECIANVS *apud Martialem Stoicus.* Nam quemadmodum ex *Vlpio* effluxere *Vlpiani*, & ex *Sereno*, *Sereniani*, ita ex *Decio*, *Deciani* dimanarunt. Martyrologium Romanum sunt in ecphrasi Nostri Martyris insecuti P. Dionys. Vazq. *in Martyr. Castell.* PP. Societ. Ies. *in Lusitan.* P. Higuera in *MS. Hispano.* Episcop. Equilin. *in Catal. SS. lib. 11. c. fin. n. 163.* Constant. Felic. Galesin. Ferrar. *in Topograph. SS.* verb. *Roma*, & alij recentiores.

A.

Baronij in Anno lapsus.

Et in nominis error.

Martyrologia.

SED quo iure Nostrum nominamus, scisciteberis? Audi Iulianum Archipresbyterum Toletanum in *Chron. n. 287. fol. 63.* anniuersariam adhuc suo seculo in Hispaniis festiuitatem S. Martyris recensentem: *Celebratur adhuc memoria* S. DACIANI *vel* DECIANI, *Viri Philosophi Stoici*, Emeritensis, *quem adeò celebrat Martialis, passi sub Adriano, Romæ, cum aliis, IV. die mensis Iunij.* En quo titulo inter Nostros assuimus Diuos. Nec te moueat ecphrasis *Iuliani* dicentis, S. Martyrem *cum aliis* fuisse martyrio coronatum, obstante Martyrologij Romani auctoritate, vbi vnicum tantùm DECIANO commilitonem adsignat: quia Eminentissimi Cardinalis calamus, cùm aliquorum antiquorum vestigia insequeretur, quibus aliorum sociorum nomina non erant notata, ideo illos omisit, & ARETIVM tantummodo Nostro socium Martyri consignauit. Sed istud Baronij silentium suppleuêre Petrus Galesin. sic: *Romæ Beatorum Martyrum ARECII*, DACIANI, *Camarij, & aliorum*: & Constantius Felicius suo idiomate: *Plauto, Arecio, &* DACIANO *in Roma.* Quibus Iuliani auctoritas, in verbo, *cum aliis*, salua & secura remanet, absque impostura notula, vindicata. De S. DECIANO scripsit luculento sermone Barnabas Moreno de Vargas meus, in *Historia Emeritensi lib. 2. c. 3. fol. 70.* D. Thom. Tamayo de Varg. *in Apospasmat. Emerit. fol. 156.* Eius Acta fortè inter tineas, & blattas rixantia delitescunt: Ast Nos breuiter illa pro instituto propalabimus.

Quo iure Hispanus?

Scriptores.

ACTA

Romani Imperij purpurâ, & in politicis potißimùm actionibus, ex quo nihil antiquius habuit, quàm exemplo patris de Republica benemereri, quem ſi poſſet gloria antecellere conabatur. In primis perſecutionem iam à Traiano *Romæ excitatam aduerſus Chriſtianos totis eſt viribus proſequutus, & licèt non nouarum legum promulgatione, nec edictorum ſeueritate hæc peregiſſe narretur, attamen permißione incitauit, quâ ſic Iudicum animos inflammauit, vt ipſi frænetici Noſtrorum interitum modis omnibus quæritarent. Ab hinc plurimorum fidelium ſtrages, Martyrum cædes, & Chriſti aſcetarum ſupplicia. Inter hæc* DECIANI *Noſtri Præfecto Vrbis fides innotuit, qui ſanctum comprehendi iubens* Cauſidicum, *à verâ ſalutis viâ, blanditijs diuertere, & illecebris ſatagebat. Quibus fruſtra prolatis, & viſcera Philoſophi Chriſtianæ fidei coherentia cognoſcens, ad verbera furibundus acceßit, tandémque victoriæ diffiſus,* DECIANVM *cum* Aretio, Plauto, Camario, *& alijs martyrio coronauit,* Pridie Nonas Iunij *Anno Domini* C.XXI.

Adriani perſecutio.

Comprehenditur.

Coronatur.

En ACTA quæ compaginare potuimus. Illorum clauſulas per partes elucidabimus. Quod DECIANVS Noſter fuerit *Martiali* charus, ipſa Epigrammatarij carmina perſuadent *lib.* 1. *Epigram.* 62. *Emeritenſis ciuis.*

Gaudent iocoſæ Cario ſuo Gades,
Emerita DECIANO *meo.*

In eodem *lib. Epigram.* 40. vt in DECIANO amicitiæ neruos extollat, non ſolùm huius virtutis encomion retulit, ſed *à fide* (vt inquit Raderus fol. 112.) *eruditione, candore animi, iuſtitia, honeſtate, innocentia, & conſtantia laudat* illum, ſic:

Si quis erit raros inter numerandus amicos,
Quales priſca fides famáque nouit anus;
Si quis Cecropiæ madidus, Latiæque Mineruæ
Artibus, & vera ſimplicitate bonus;
Si quis erit recti cuſtos, imitator honeſti,
Et nihil arcano qui roget ore Deos;
Si quis erit magnæ ſubnixus robore mentis,
Diſpeream, ſi non hic DECIANVS *erit.*

Morum integritas.

De Cinædo Noſtri Philoſophi candorem æmulante, cuius hypocriſim patefecit *Martialis* videndum *Epigramma* 25. *lib.* 1. quod omittimus quia obſcœnum.

QVOD fuerit *Philoſophus Stoicus*, ſed abſque vitiis Thraſeæ, & Catonis, qui ſibi mortem conſciuerunt, idem Poëta Bilbilitanus hoc Hexaſticho, Noſtri dogmata perlaudat. *lib.* 1. *Epigram.* 9. *Philoſophus Stoicus.*

Quod magni Thraſeæ, *conſummatique* Catonis
Dogmata ſic ſequeris, talis vt eſſe velis,
Pectore nec nudo ſtrictos incurris in enſes,
Quod feciſſe velim te DECIANE *facis.*
Nolo Virum, facili redimit qui ſanguine vitam;
Hunc volo, laudari qui ſine morte poteſt.

Hîc demirantur *Raderus*, & alij, quòd *D. D. Laurentius Ramirez de Prado* hallucinaretur, & *Emeritæ* tantum Philoſophum denegaret, aſſerens in commento ad iſtud Epigramma; DECIANVM *hunc, quem etiam infra* Epigram. 40. *extollit Poëtarum, Stoicæ ſectæ ſtudioſum, non agnoſcere, nec plenam onomaſticis fidem, qua* Emeritenſem *fingunt, dandam.* Aſt cùm illa Commenta vix ephœbus ediderit, vt ipſe apud *Barnabam Moreno* exculpatur, quid mirum ſi nondum maturâ fruge, qualesquales floſculos ederet ætas? Miror tamen quo titulo ex *Martialis* Epigrammate eliceret DECIANVM fuiſſe Poëtam; nam *in* 40. quod citat, *D.D. Laurentij Ramireſij lapſus.*

Digitized by Google

nihil de poëſi, *in* 62. vbi Scriptores retulit, tumultuariè Poëtas, Hiſtoricos, & Philoſophos inuoluit: à quo ergo iſthæc commenti fabella? Sed ad *Cauſidici* munus pergo. *Cauſidicum* egiſſe Romæ liquet ex eodem lepidiſſimo Poëta *lib.* 2. *Epigram.* 5.

Fuit Cauſidicus.

Non valeam, ſi non totis DECIANE *diebus,*
Et tecum totis noctibus eſſe velim.
Sed duo ſunt, quæ nos diſtinguunt, milliá paſſûm.
Quatuor hæc fiunt, cum rediturus eam.
Sæpe domi non es: cùm ſis quoque, ſæpe negaris:
Vel tantum CAVSIS, *vel tibi ſæpe vacas.*
Te tamen vt videam, duo millia non piget ire:
Vt te non videam, quatuor ire piget.

Abhinc P. Mart. Rader. *fol.* 187. Cauſidicum fuiſſe deduxit, quod & fecerat Ram. *num.* 4. Omnia hæc complectitur epigramma inter AVLI HALI mei opuſcula, literis Gothicis conſcriptum, in quo & alia de conuerſione, & martyrio recenſentur, hoc lemmate; vbi, vt & ſæpè alibi, proſodia negligitur.

Et Martyr.

AD B. DECIANVM MARTYREM Emeritenſem.

EMerita *ô felix vrbs ſemper prodiga Diuis;*
Quæ paſſim cœlos Martyribúſque reples.
Pluribus Eulaliæ *ditaris agone trophæis;*
Pluribus & Iuliæ *nobilitata manes.*
Macra, Fidéſque *tuos,* Sabináque *Martyres almæ*
Agnoſcunt, longe de licèt, vltro lares.
Has ſuperat DECIANVS *heros, quia nobile linquens*
Cauſidici *munus, iura ſacrata capit.*
Et Stoicos *licet, heus tu, prudens ſæpe* Catones
Inſequeris; tandem dogmata vera bibis.
Hæc ab Euariſto *ſuxiſti Præſule; ſed tu*
Primus Euariſto *Martyr in aſtra volas.*
Tunc Hiſpania *felix iam celebrare triumphos*
Cæpit grata tuos, nunc quoque preſſa facit.

Ab Euariſto PP. tinctus. En quæ in Actorum ecphraſi retulimus, ſuis numeris abſoluta. Ex epigrammate elicitur, S. DECIANVM ab *Euariſto* conuerſum, aquâ ſalutis ablutum, & ante *Euariſtum* paſſum, qui Anno Domini C. XXI. ad lauream perueniens agonis, die XXVI. Octobris, à fortiori Martyr Noſter, qui hoc die occubuit, & S. Pontificem in corona præceſſit, eodem anno conſignandus eſt.

Olim eius feſtum celebre. ITEM ex vltimo apparet diſticho, Hiſpaniam à tempore paſſionis concelebraſſe feſtum Sanctiſſimo Agoniſtæ, idémque proſequutum tempore captiuitatis; aſt cùm tot monimenta perierint, itidem, & memorias Sanctorum diſtraxit aut bellorum tumultus, aut Noſtrorum incuria, donec in totius Eccleſiæ bonum, & *Hiſpaniæ* gloriam, hæc qualiacumque eluxerunt antiquitatis, & Eccleſiaſticæ vetuſtatis fragmenta.

Topographia. EMERITA Auguſta patria Martyris, Roma ipſius extitit agonis palæſtra; vtraque de tanto Martyre glorietur, & *Batica* ſimiliter gloriabitur, quæ DECIANVM Noſtrum

Noſtrum habere *Præſidem* promeruit, ſi P. Antonio Quintana-Dueñas danda eſt fides, qui in *Hiſtor. SS. Hiſpal. fol. 68. in Not. ad Acta S. Florentij Martyr. in fin.* contendit duos fuiſſe in Hiſpania *Decianos* Præſides; alterum ſpecialem in *Betica* tempore *Trajani*, qui martyrio coronauit *Florentium*, & alios Martyres: alterum vniuerſalem in vniuerſa Hiſpaniarum Regione, tempore Diocletiani, & Maximiani. Primum ſuſpicatur *Antonius* fuiſſe Noſtrum *Emeritenſem*; aſt cùm Auctorem proferat nullum, fides ſtet apud illum. *An Præſes Betica.*

NONIS IVNII.

DIES V.

A. CORDVBÆ *in* Hiſpania *paſſio* S. SANCTII, *qui ſtrenuus pugil, etſi in Aula educatus Regis Iſſem, attamen S. Eulogij eius Magiſtri lectionibus inſtructus, nec à fide deuiare voluit, nec martyrium pati recuſauit, & Regis Terreni infidelis muneribus & blandimentis contemptis, Regis Regum amore allectus ſacræ Religionis cultum ſtrenuus miles defendit, & certamine feliciter peracto coronam promeruit immortalem.*

NOTÆ.

SANCTVS SANCTIVS Miles, & Martyr.] Inter *Cordubenſes* Agoniſtas ſtrenuus extitit pugil, hoc elogio à S. famigeratus Eulogio *lib. 2. c. 3 Memor. Sanct. Sanctus verò* SANCTIVS *auditor noſter, laicus Adoleſcens, &* Albenſi *Oppido Galliæ-Comatæ olim captiuatus, nunc autem inter Militares Regis Pueros liber præſcriptus, & regalibus annonis nutritus, in eadem vrbe Regia, ſub eadem profeſſione, Nonas Iunias, Era, quâ ſupra, Feria VI. proſtratus eſt, & affixus.* Egerat S. Doctor *ſuprà cap. 2.* de Beato *Iſaac* Monacho, qui die antecedenti, feria V. Era DCCC. LXXXIX. hoc eſt Anno DCCC. LI. pro fidei confeſſione, Martyrem egerat, ideo compendioſa relatione, ne dicta repetat, cauſam agonis, & Eram breuiauit. *Petr. Galeſin.* & cæteri *Martyrologiorum Scriptores* noſtrum encomiaſtem inſecuti Martyrum penè ipſius verba tranſcribunt. Martyrolog. Roman. *h. d.* hæc: *Corduba in Hiſpania* B. SANCII *Adoleſcentis, qui etſi in Aula Regia educatus, pro Chriſti tamen fide in perſecutione Arabica martyrium ſubire non dubitauit.* A quo P. Vazq. *in Martyrolog. Caſtellano*; PP. Societatis IESV *in Luſitano*; P. Higuer. *in Hiſpano MS.* De eo Baron. *Annal. Eccleſ. tom. 10. Ann. 851. num. 4.* Ambroſ. de Moral. *in Not. ad S. Eulog. d. cap. 3.* & in *Hiſtor. Hiſpan. lib. 14. cap. 6.* P. F. Ioann. Mariet. *Hiſtor. SS. Hiſpan. lib. 2. cap. 69.* P. Martin. de Roa *de SS. Cordub. fol. 90.* à quo hæc mutuauimus ACTA, extenſiora quàm ex Eulogio eliciuntur.

A. *Elogium.* *Martyrologia.* *Scriptores*

Digitized by Google

ACTA S. SANCTII CORDVBENSIS Martyris; ex D. Eulogio, & P. Mart. de Roa.

Origo.

SANCTIVS *natione* Gallus, *ex vrbe* Alba *inter Galliæ-Comatæ populos, haud ignobili, oriundus, de nobili proſapia genitus; inter alios iuuenes, quos dira Agarenorum irruptio Galliam inuadentium captiuos adduxerat, vnus* Cordubam *catenatus aduênit, vbi diræ ſeruitutis incommoda ſuſtinuit, ſed politum anguſtijs lapidem in eo ad Eccleſiæ ædificium Dei*

Regiis Tyro.

prouidentia conſtabat. Breui libertatem adeptus eſt, & vnus ex Tyronibus, qui Regi Cordubæ adſtarent, electus; opus à Rege Iſſen inuentum, vt iuuenes hiſce militaribus exercitamentis imbuti, facile è tyrocinio ad bellorum vſum ſtrenui, neceſſitate cogente, repentinis congreſſibus, arma inſumere properarent. His puerulis, quos DONCELES, *illo appellitabant æuo, ex publico vrbis ærario, Regijſque annonis, ipſius ſtipendia perſoluebantur decreto; quod & SANCTIO tanquam Regio Tyroni ſimiliter contingebat.*

Regis fauores reſpuebat.

ERGO *Sanctus Iuuenis, cuius felix ſors, vt captiuitatem in libertatem; ergaſtulum in palatium; ignobilem ſtatum in ingenuitatis apicem; & panem famelicum in Regale ſtipendium conuerteret, deſtinauit; omnia hæc aſpernabatur, & per illorum contemptum à ſublimioribus magnitudinis muneribus abſtinendi votum ingenuè demonſtrabat: generoſo itaque animo refugiebat ea omnia quæ de ſe ipſo, vanâ cupiditatis allectione, cæcus concipit amor, aut aulicus ambit anhelus, vt ſtatuum acceſſio, Principum gratia, Reipublicæ regimen, honorifici tituli, & his ſimilia, quæ tantò Iuuenis oculis reputabantur viliora, quanto ipſius animo contemptibilia. Ad maiora nimirum, & puriora petitionis ſpiritus eius munia dirigebat intentum; nam ipſius nobiliſſimi deſiderij affectus, cùm omnia hæc penſitaret humana, quidquid non redolebat æternum, nauſeantis more reſpuebat; illúcque prouidus properabat, vbi abſque diminutione præmium, ſine tædio gaudium, vitam abſque mortis angoribus retineret. Toto quippè vitæ tempore ſic eius libertatem compoſuit, vt ſolùm illam eò dirigeret, quò ſub virtutum tutela iter ad altiora per humilitatem, & ſubiectionem capeſſeret.*

Humana omnia deſpexit.

PALATINVS *cùm iam eſſet Tyro, neutiquam in vitia dilapſus eſt aulica. Omnem vanitatis ſtipulam, adulationis illecebram, ambitionis anguſtiam, & cæteras palatinorum inquietudines, tantâ animi reſignatione contriuit, vt illarum ſtrages penitùs amandaret. O res mirabilis! Quis inter flammarum voracium globos ſine læſione progreditur? Quis inter ſerpentis epidemia cõtagium, abſque infectione proſilijt? Quis tàm nouum modeſtiæ arbitrium inuenit, vt inter multorum vitia, æqualium exemplis inducta, & Superiorum plauſu probata, illæſus euaſit? Quis admirabilior in fidei conſtantia, legiſque obſeruantiâ, inter infidelium cætus, inter Sarracenorum conuentus, vbi illi ſæpeſæpiùs Dominis, & Principibus extitêre gratiores, qui impudentiores perfrictâ fronte ſceleribus apparuere? Ergo* SANCTIVS, *vt Angelus inter dæmones, vt Catholicus vixit inter Agarenos, quos ſi ſublimia non docuit (res ex obſtinatione impoſsibilis) ab illis nec minimam morum guttam ebibit.*

Semper inter ſectarios fidelis extitit.

Fuit S. Eulogij Diſcipulus.

MAGISTRVM *continuò Sanctum habuit* Eulogium, *ex quo eius puritas deſignatur. Tanto ex Doctore puram doctrinam ſuxit, quæ ſpiritui pabulum prabens, viſcera diuini amoris igne flammantia concoxit. Illo igitur duce, illo denique ſtimulo S. Iuuenis ita Chriſtianæ perfectionis curſu ſemitam metiebatur ſtrenuus, ſicut poſtmodùm illius manifeſtauit confeſſio ex vitæ integritate fidelis, ex mortis conſtantia glorioſa. Profundè quidquid in aula perceperat, deſpectauit; vt à Deo illam acciperet remunerationem, quam Sancti propter breuem paſſionis curſum exegerunt, æternâ vitæ cœleſtis gloriâ confruentes. Publicè Chriſti fidem eſt faſſus; Regium palàm remiſit ſtipendium; voce liberâ Pſeudo-Prophetam obiurgauit, quem ariolum, veteratorem, & obſcæniſſimum dixit mendaciorum architectum.*

NON

NON *sic ausum, quantò contemptum Sarracenorum turba persensit. Ægrè quidem tulit hominis despectum, cuius munera honestiorem gratitudinem expetebant. De beneficiorum debito Martyrem coarguunt vniuersi, & quem mercedis recordatione spectauere benevolum, inimicum agnouêre propatulum. Raptatur ad Iudices Miles, illi blando sermone Regis munificentiam Iudices proposuere, quâ ex seruo ad ingenuitatem sublimatus, ex hoste ad prætorianam militiam euectus, ex spelæo ad palatij sacra translatus, ex humili, & abiecta conditione ad magnificam, & supremam curiæ dignitatem conspiciebatur erectus; quæ omnia in cordato homine, & nobili, spiritum ad obsequij integritatem benefactoris compulsura, suadebant.* Quis vel ex animantibus, (*aiebant*) gratitudinem mercedi prohibuit? Si ergo istius pretium augetur magnitudine offerentis, quis nostro Principi æqualis? à cuius manibus iterum coagulatus, ex antiqua seruitute, ad nouam, quam nunc possides, libertatem elatus es. Nonne adhuc ingratus eris, auctorẽ tuæ felicitatis abnegans, cui pro officiorum repetitione, iniuriarum multiplices cumulos repensabis. Forte vestræ vos legis præcepta hanc licentiam liberiorem edocent? Permittit ne illa, quæ passim in bestiis abhorremus immanibus. Absit hoc à te, qui nobilitate polles: absit à lege tua, cuius tot myriadum cordatorum acies insequitur efficaciam.

Comprehẽditur.

Iudicij accusatio.

IVDICIS *accusatio fortiter Adolescentis viscera vulnerauit, non quà ingratitudinis vitio notabatur, sed quà Christi legem minus iustam prædicabant Agareni, quasi suspicantes, quòd inter præcepta Christiana, esset aliquod inductiuum ad huiusmodi ingratitudinem exercendam; ideo* SANCTIVS *hac liberâ voce profatur:* Lex Catholica tanta iustificationis symbola continet, quòd nihil in ea antiquius commendatur, quàm Principibus, etiam infidelibus obsequia in licitis impartiri, tanquam ipsi Christo Domino, à quo omnis benè ordinata potestas emanat: Audite Apostolum: *Seruos Dominis suis subditos esse, in omnibus placentes, non contradicentes, non fraudantes, sed in omnibus fidem bonam ostendentes, vt doctrinam Saluatoris Nostri Dei ornent in omnibus.* En ex Apostolo Christi lex, quâ irreuerentia, & ingratitudo damnatur. Si de hac aut de illa me probaueritis conuictum, illicò egomet me vestris rigoribus condemnatum exhibeo. Ast Regia beneficia cognosco, pro me in eius obsequium respondeat meæ fidelitatis integritas, in qua nec serui officium, nec subditi fides, vllâ intermissione defecit; si nunc ab eius abstineo nutu, & vestri dogmatis abhorreo mandata, non ingratitudinis vitio, sed Dei mei reuerentia ad ista exequenda compellor, quia quæ Christi non sunt, respuenda veniunt. Vos vestros profitemini errores, impostorem pro Propheta cognoscitis: ego vnius Dei veritatem amplector, vnam Fidem, vnum Baptisma profiteor; quo ergo iure concordia stabit? Quæ ergo coniunctio Dei cum Belial? Ergo nec Regis gratia mihi proderit, nec libertas valebit, nec vita proficiet, si à fide suscepta separarer. Quo ruminato, de me quidquid placebit efficite; nam in oculis meis vestrum præmium, vel pœna non erit ita efficax, vt possit Christus à corde meo vel minimum discindi.

Martyris responsio.

1. Petr. 2. 18.

Ad Tit. 2. 9.
Ad Coloss. 3. 22.
Ad Ephes. 6. 5.

HIS *dictis Iudices, proscriptis stipendiis, & aliis Regalibus muneribus circumcisis, Christi Militem exauctorarunt, credentes ad deditionem cogere inopiâ cibi, quem haud poterant armis indiscretæ rationis euincere. Omnia spreuit hæc Iuuenis excelsâ animi constantiâ, quasi videns, se quantociùs Dei miseratione deuenturum ad præmia. Cordis lætitiam, & oris elegantiam agnouêre tunc Iudices, ideò Tyronis resipiscentiam desperantes, compendiosa celeritate in eum mortis sententiam edixêre. Quam protinus ministri publici exequi festinantes,* SANCTIVM *cœlesti lætitiâ perfusum, è carcere eduxêre, in forum perduxêre, vbi ceruicibus abscissis euolauit ad Dominum* Nonis Iunij, *Anno Domini* DCCC. LI. *Feria* VI. *Eius sacrum Corpus è regione vrbis,*

Minerbus Regalibus exauctoratur.

Coronatur.

Digitized by Google

vltra Bætim *in ſtipite affixum repoſuerunt, donec cum aliorum Martyrum exuuiis, poſtmodum in rogum iniectum, & in cinerem reſolutum, vndas fluminis ſacrauit fauilla.*

Hactenus Acta ex R. P. Martino de Roa, quæ nulla indigent probatione; niſi quatenus ad *Tyronum* vſum in Palatio *Regum Maurorum*, à quibus adhuc hodie apud Turcas *Genizari* conſeruantur. De huius tyrocinij antiquitate videſis Scriptores Turcicos, & interim Ambroſ. Moral. in *Not. ad vit. S. Pelagij, fol.* 351. *in* 4. *Tom. Hiſpan. Illuſtrat.* vbi hæc verba: TYRONES *autem Regis* Sarraceni, *nobiles pueros, aut iuuenes fuiſſe.* De quo & Nos alibi.

Tyrones qui?

Galli reſtitutus Martyrem.

VALDE miror quâ ratione *Andreas Sauſſayus* Gallicanæ Eccleſiæ in inueſtigandis Diuis infatigabilis inſectator, tantum Martyrem è ſuo amandauerit Martyrologio, cum ex ipſiſſimo *S. Eulogij* textu, & relatione, Sole clariùs, appareat, illum fuiſſe *Gallum* origine, ex vrbe ALBA inter *Galliæ Comatæ* populos? Sed ſæpeſæpiùs dormitat Homerus.

Topographia.

ALBA quæ & AVGVSTA Elicocorum vocitatur à Ptolomeo, vrbs eſt in Gallia Narbonenſi; ſed Plinius illam ALBAM Heluorum appellitat. Brietius in Geograph. 2. p. lib. 6. c. 4. fol. 344. eam poſtea dictam VIVARIVM, hodiéque dici VIVIERS affirmat.

OCTAVO IDVS IVNII.

DIES VI.

A. S. VINCENTIVS *Epiſcopus* MEVANIÆ *in* Hiſpania, *qui cùm in Italiam conſcenderet, fidei causâ à Capitolino Præſide tentus, in Hiſpaniam reductus, à C. Porphirio ſucceſſore Capitolini variis tormentorum generibus cruciatus ad gloriæ trophæum peruenit.*

B. Romæ S. PAVLINÆ *Virginis, & Martyris, quæ cum patre* Artemio, *& Candida matre, iuſſu Sereni iudicis martyrium impleuit. Cuius ſacra lipſana in Cœnobio S. Michaëlis de Treuiño in diœceſi Burgenſi honorificè reconduntur.*

C. Magdeburgi S. NORBERTI *Epiſcopi, & Confeſſoris, & candidati Præmonſtratenſium Ordinis Patriarchæ; cuius apud Hiſpanias olim pedem fixit ſic inſtitutio, vt plurima, hæcque celeberrima conſtruxerit deuotio Monaſteria, è quibus Sanctiſſimi prodierint, quorum adhuc memoria inſignis, vtriuſque ſexus Cœnobitæ.*

NOTÆ

Digitized by Google

NOTÆ.

SANCTVS VINCENTIVS Episcopus & Martyr.] Ingens sese offert disceptatio circa veram agonis palæstram Nostri Sanctissimi Præsulis. Nuncusque *Itali* aliquot, apud *Meuaniam* vrbem in *Vmbria* iuxta *Perusium*, passum Martyrem somniarunt, solo nominis vrbis tinnitu illecti, quo credentes nullam in Orbe vrbem hoc nomine insignitam fuisse, tantum ignari contraxerunt errorem. Huius opinionis fuêre *P. F. Ioannes Brachius* ex ordine Prædicatorum, à quo Philipp. Ferrar. in *Catalog. General. SS. h. d. fol.* 234. vbi ista refert. *Meuania in Vmbria* S. VINCENTII *Episcopi, & Martyris sub Maximiano.* Acta ex Equilino *lib.* 5. *Catalog. c.* 93. exscripsit in *Catalog. SS. Ital. fol.* 346. Memoriam repetit in *Topograph. sacr. verb.* Meuania *fol.* 78. Ast à quo auctographo extraxerint, nec ipsi proferunt, nec quem imitentur ex aliis *Italis* inuenio. *Italus* erat *Galesinius*, & non solum in *Italia* passum Nostrum Præsulem, displicuit; sed ad *Thraciam* eius transtulit agonem. *Constantius Felicius* Italus erat, & illo idiomate *Kalendarium* conscripsit, nec vrbis Italæ *Beuagna* (sic sonat illo idiomate) meminit, sed voce vsus Latina *Meuaniam* nominauit, quod neutiquam fecisset *Italicè* scribens, si apud *Meuaniam* Italiæ Martyrem agonizasse dignosceret. *Abbas Maurolycus* Italus erat, & tamen nullam de *Meuania* Italâ demonstrationē appingit. Nec *Primus Cabilonensis* quid contra Nos conducit, quinpotius *Meuaniam*, & *Leuaniam* Tusciæ confundit. Ergo quid noui apud antiquiores Martyrologos? Nonne *Brachius*, siue *Braceschus*, & *Ferrarius* istam induxerunt nouitatem? Ita. Nostros nunc audiant Itali. Primas ferat F. Luc. Dexter in *Chron. Ann.* 100. in hæc verba profumpens: S. VINCENTIVS *Episcopus* Meuiæ, *vel* Meuaniæ, *prope Vrcem Hispaniæ vrbem in confinio Baticæ, & Tarraconensis, petit Italiam, & à Capitolino Iudice reductus in Hispaniã, &* Carthagine Spartaria *tortus* Meuiam *reducitur, & à C. Porphirio successore Capitolini dilaceratus est. Eius Episcopatus Meuanienſis* (aliàs Meuiensis) *Assotum postea est translatus, quæ Erotus postea paulo corruptiori vocabulo cœpit nominari. Nunc Corpus S. Martyris, & Episcopi iacet in Oppido* Deltano, *vulgo* Totana, *non procul Elisræa* (fortè *Larrissa*) *inter Postellam, & Leuiniam* (nunc *Lebrella* dicta est) *XLIV. M.P. à Carthagine.* His congruunt verba Iuliani Petri Archipresbyteri Toletani in *Aduersar. n.* 368 *fol.* 81. si periodi errores diluas, quibus vndique scatet Codex excusus. *Corpus* (inquit) S. VINCENTII, *Episcopi Memanienſis* (lege, Meuanienſis) *& Martyris, quadam S. Matrona* Lucentensis, *quæ* Luceria, *&* Susanna *nunc dicitur, emptum pretio, sepelinit inter Memaniam* (repone Meuaniam) *& Portullium, vel Portillam, in quodam prædio suo, distante* Portullio VIII. M.P. *& ab Vrbe* (*Carthagine Spartaria quæ per antonomasiam, vt Roma, dicta est Vrbs*) XLIV. M.P. *Inde translatum est ad vrbem Dotanam* (Doltanum dixit Dexter) *caput regionis Deitaniæ. Congregauerat* Perusij, *quæ est vrbs* Hispaniæ, *Capitolinus Iudex Tusciæ, pòst* Hispaniæ, *multos* (fortè fideles) *nunc à Mauris corrupto vocabulo dicta* Parrazes, *prope confluentem Mundæ, & Securæ.* Hos sequuntur ex Nostris Roder. Caro *in Not. ad Dextr. fol.* 56. *lit. Z. & fol.* 57. *lit. A.* P. F. Francisc. Biuar. *Ann.* 100. *Comment.* 3. *n.* 1. *fol.* 206. qui hunc locum *Iuliani* omiserunt. D. Francisc. Cascal. *Hist. Carthag. Discurs. fin.* §. 6. P. Varg. *Hist. Hortens.* §. 1.

A. *Disputatio de loco palæstræ.*

Nullus ex Italis antiquis de Meuania Italia loquitur.

Plurimi sic Hispani, de Hispanâ Meuania.

CREDEREM *Meuanienses* Italos ex nominum similitudine hallucinatos, & quem sibi VINCENTIVM Meuanienſem Diuum adscripsêre, longè à Nostro & tempore, & dignitate diuersum fuisse sequentia fundamenta suadent. I. quia illum suum VINCENTIVM in viuis fuisse tempore Diocletiani, qui ad Imperium Tyrannus adscendit, ex *Baronio*, Anno CC. LXXXIV. Acta à *Ferrario* conscripta recensent. Ast Noster hic Præsul, & Martyr coronatur tempore *Traiani* ad Annum Domini C. vt indicat *Dexter*; ergo ille à Nostro C. LXXXIV. annorum intercapedine diuersus censendus est. II. nam iste de quo hac die agunt martyrologia, Episcopus, & Martyr designatur. Sed ille de quo veneratio est apud

Alium fuisse Meuaniẽsem Italiæ Diuum probatur.

I.

II.

Digitized by Google

Italos Meuanienſes, tantum fuit Epiſcopali infula indutus, & colitur *die IX. huius Menſis*, vt eo die dicemus. Quod in errorem protraxit *Italos*, quoniam agnoſcentes *Vincentium* apud Meuaniam occubuiſſe, & VINCENTIVM reperêre Martyrem in *Catalog. Equilini*, vtrumque VINCENTIVM confundentes, de duplici vnum effecerunt Diuum. Quod vt pateat, Prolegomenon Noſtrum ad *diem IX.* huius Menſis diſquirat Lector. Acta noſtri ex Equilino, Dextro, & aliis pleniora deſcribemus.

ACTA S. VINCENTII EPISCOPI, & Martyris Meuanienſis; ex Dextro, & aliis.

Origo. VINCENTIVS *natione* Hiſpanus, *eius inclamantibus virtutum operationibus ad præſulatus* Meuanienſis *vrbis apicem euectus eſt. Poſtquam verò ſuas oues ſalutaribus pauiſſet dogmatibus, cum* Benigno *fratre germano* Italiam *petijt, vbi peragratis aliquot illius regionis vrbibus, tandem apud* Peruſium *cum fratre, & aliis pedißequis tentus, à* Capitolino *Præfecto Tuſciæ in ergaſtulum coniectus, Chriſti fidem renuntiare præcipitur. Sed cùm in eius confeſsione perſiſteret, ad Templum Martis ductus, vt illi immolaret, eo orante, Idola omnia, exeuntibus dæmonibus, corruêre. Dæmonum autem caterua vlulabant in aëre, donec verberibus cædentes paganos, ex eis ſexcentos miſerabiliter occiderunt. Omnes verò fideles qui ferro vincti à Deo miſericordiam depoſcebant, Chriſti virtute ab ipſis dæmonibus ſunt ſoluti. Tanto miraculo* Mauertius *Comes crudeliſſimus, qui & de vicinis locis Epiſcopos congregauerat, vnà cum innumeris aliis Gentilibus, conuerſus eſt.* VINCENTIVS, *& frater* Benignus *cum ipſius comitibus, liberi in patriam repedantes,* Meuaniam *deuenêre, vbi Epiſcopus officij munus in clientes proprios exequens, quotidie ſplendidiores virtutum aggeres cumulabat. Euênit autem vt idem* Capitolinus *Hiſpaniæ Præfectus renuntiaretur, qui* Hiſpanias *adiës, protinus ad conquirendos Chriſti aſcetas animum applicuit, & odium; qui cùm apud* Carthaginem Spartariam *ſolij faſtigium erigeret, quotquot inuenit per illius regionis Epiſcopos, & Sacerdotes, cæteroſque fideles, vinculis obrutos, in Vrbem adduci iußit, quos protinus gladio occidit, excepto vno* VINCENTIO, *in quo acriora ſupplicia exequi deſtinauerat. Poſt aliquot dies eductus Epiſcopus, cùm fruſtra, vt Deos adoraret, ſuaderetur, lapidibus contuſus, iubente Præfecto, in Equuleo ſuſpenditur, ac flammis exuſtus, rurſus in carcerem coniicitur, qui, cùm ei fores diuinitus reſeratæ fuiſſent, loco lumine cæleſti illuſtrato, iuſſu Capitolini in mare demergitur. Aſt ab Angelo, inſpectante populo, erectus, protinus, qui eum demerſerant, & alij plurimi, tantum miraculum cernentes, conuerſi ſunt, qui tumultuariè Epiſcopum eleuantes ad Ciuitatem ſuam* Meuaniam *propriis humeris reportarunt. Sic S. Præſul per tempus in pace viuebat, donec mortuo* Capitolino, *in eius locum ſucceſſerat* Porphirius *Hiſpaniæ Præfectus, qui communem cum cæteris Gentilibus indignationem aduerſus Chriſti membra conceperat. Is, cùm primùm* Hiſpanias *ingreditur,* Carthaginem Spartariam *appellens, tenere* VINCENTIVM *decreuit, quem illicò Satellitum miniſterio cùm carceri mancipaſſet, aut Dijs litare, aut omnia cruciatuum genera ſubire imperauit. Omnia reſpuit idololatriam redolentia, Pontifex; tormenta pro fidei confeßione, corde patulo, & vlnis eſt amplexatus apertis. Ad iſta deuenit Præſes, ex quo Martyr ferùs objcitur, & ab eo minimè læſus, in altiſſimam foueam aquis plenam præcipitatur. Verùm viſcera aperiens terra, aquas abſorbuit, & XVIII. miniſtros fugientes deglutiuit. Quod aduertens miraculum S. Antiſtes, nemine perſequente in propriam reuerſus cellam, ſequenti die, ſacris myſteriis peractis, coram populo ſpiritum emiſit,* VIII. Idus Iunij, *Anno Domini* C. *Eius ſacrum* Corpus *quædam Matrona nomine* Luceria *à Gentilibus pretio redemptum, qui illud rapuerant exurendum, in prædio ſuo, quod vocatur* Campus Salutis, *ſepeliuit, inter* Portellã, *&* Leuinĩ; XLIV. M. *Paſſuum Carthagine Spartaria.*

In Italiam pergit.

Comprehẽditur.

Liber dimittitur.

In Hiſpania capitur.

Cruciatur.

Ab Angelo liberatur.

Iterum capitur.

Moritur.

Sepelitur.

En

En ACTA puriora, de quibus nihil est quod dubites Itale; & vt plenius, mouearis, quo pacto (si isthæc omnia *Perusij* confecta sunt *Italiæ*) in mare demergitur VINCENTIVS, si hæc vrbs, & *Meuania Italiæ* à mari vndequaque seiunctæ longinquis itineribus conspiciuntur? Nonne *Perusium* à Thyrreno LXX. ab Adriatico LX. & amplius leucas distat *Italicas*? Ergo in mare demergi non potuit Martyr, nec ministri ad fidem conuersi, tanta itineris distantia potuêre propriis humeristam citò ad patriam reportare. *Meuaniæ Hispaniæ*, hoc faciliùs, quia *Carthagine*, vbi martyrium euenit, maris vndæ propriis manibus contrectantur. Quod & notauit Biuar. *d. Com. 3. n. 1.* *Italorum opinio cõuincitur. I. à non verisimili.*

ITEM quòd in *Italia* hoc martyrium euenire non valuit, patet; quia vt ex *P. F. Ioanne Baptista Braceschо*, & *Philippo Ferrario* deducitur, VINCENTIVS Episcopus *Meuaniæ* in Vmbria, de quo ipsi ACTA componunt, & cum Nostro confundunt, fuit primus illius vrbis Episcopus, & hoc, tempore *Herculani* I. Perusini Præsulis, *Chrispoliti* Bittonienſis, & *Ioannis* Spoletani, qui omnes tempore *Diocletiani* infulas induerunt. Ast VINCENTIVS *Meuanienſis* Hispaniæ Anno Domini *Centesimo* coronatur; ergo diuersus ab illo de quo loquuntur *Braceschus*, & *Ferrarius*. Et confirmatur; nam ipse *Ferrarius* die IX. Iulij in *Catalog. SS. Italiæ, fol.* 418. Acta Sancti Britij Spoletani Præsulis consarcinans, ex ipso *P. Braceschо*, aut *Brachio* de SS. Spoletan. contendit istum Antistitem, imperante Diocletiano, VINCENTIVM *Meuanienſis* Sedis Episcopum ordinasse, prout Perusiæ *Herculanum*, Bettonij *Chrispolitum*, & alios. Si ergo hæc ita, nihil commune cum Nostro, qui C. LXXXIV. annos adminus præcesserat, habere dignoscitur. II. *Extemporũ distantia.*

Denique, vt huic comprobationi finem imponamus, nulla olim extitit, nec adhuc extat, vrbs, oppidum, aut vicus, qui *Portulium*, & *Leuania*, iuxta *Meuaniam* in Vmbria vocitetur, vt Equilini ecphrasis adimpleatur. Istæ ergo voces in oppidis apud *Carthaginem Spartariam* olim, & adhuc licet corruptis significationibus, exaudiuntur: igitur in *Hispania*, non in *Italia*, martyrij palæstra fuit. De *Portullio*, quod hodie *Portella* dicitur; de *Leuania*, quod nostro æuo *Lebrilla* vocitatur consule *Dextrum*, & *Iulianum* in antiquis: *Biuarium*, & *Carum* in recentioribus; & si illis non adhæres, à quantumuis misero mulione, seu tabellario locorum huiusmodi situs edisce. III. *Ex locorũ ignoratione apud Italos.*

MEVIA. MEVANIA. Siue MEVITANIA sic tripliciter legitur, vrbs antiquissima Plinio *lib. 3. c. 3.* est, à qua Regio, dein *Deitania*, & *Contestania*, de quibus videndi Rod. Car. *d. fol. 56. lit. C.* Biuar. *d. Comm. 3. n. 1. fol. 206.* *Topographia.*

S. PAVLINA Virgo, & Martyr.] Circa locum, quo sacra istius glorioſissimæ Virginis, & Martyris requiescant lipsana, singularis, licet pia, contentio est. Philipp. Ferrar. in *Catalog. Gener. SS. Italiæ fol.* 346. Corpora SS. Artemij Patris, & *Paulinæ* filiæ à Sergio II. Papa in ædem *S. Martini de Montibus* dictam, translata fuisse, ibidémque quiescere fatetur. Quod & dixerat Anton. Gallonius in *Act. SS. Virgin. Roman. fol.* 123. qui illud exscripsere ex Baronio in *Not. ad Martyrolog. Roman. h. d. lit. D.* Omnes isti mouentur ex tabulæ epigraphe huiusmodi: *Ne i tempi di N. Signore Sergio Papa il Giouane, sono stati reposti in questo santo Altare, li Corpi del B. Siluestro Pontifice, del B. Martino, col Beatisimo Fabiano; poco più sotto; di Artemio, Sillano, Pollione, Theodoro, con la B. Sotera, e Paulina.* Quæ licèt sic se habeant, Ecclesia *Placentina* Italiæ contendit non solum Corpus S. PAVLINÆ possidere, sed etiam exuuias SS. Artemij, & Candidæ coniugum, parentum Nostræ Martyris, vt testatur idem Ferrar. *d. fol.* 346. & patet ex Officio nuper Romæ approbato, & illi Ecclesiæ concesso. Sed quidquid sit, S. PAVLINÆ pignora adseruantur in *Cœnobio S. Michaëlis de Treuiño* diœcesis *Burgensis* in *Hispania*, vt testatur P. Ioannes Bolland. in *Act. SS. tom. 1. die XXIX. Ianuarij fol.* 975. *n.* 2. his verbis: *Asseruatur hic* (in Cœnobio S. Michaëlis) S. PAVLINÆ *Virginis, & Martyris Corpus, ex Italia cum aliis Diuorum lipsanis, allatum ab* Antonio de Padilla *è Societate Iesu, & Religiosissimis his Patribus* (Præmonstratensibus) *anno* M.CD.XII. *die* 23. *Aprilis donatum. De Ea agemus VI. Iunij.* Ex quibus liquet Translationem huiusmodi veriorem, propter recentem Auctoris speculationem. B. *Quo in loco pignora? An in Æde S. Martini in Montibus? An Placentia Italiæ? An in Hispania?*

S. ergo Virginis memoriam recolunt Beda, Vsuardus, Ado, Notkerus, Rabanus, Galesinius *Martyrologia.*

Galeſinius Maurolicus, Conſtantius Felicius,& Cæteri recentiores, à quibus *Martyrologium Romanum* Baronij, *Caſtellanum* P. Vazquez; *Luſitanum* PP. Societ. Ieſ. Petr. de Natalibus *lib.*5.*c.*92. Eius res geſtæ inter Acta SS. Parentum ſuorum, quæ communia cum relatione agonis SS. Marcellini, & Petri, ſunt;referuntur à Surio *tom.*6. Lipoolæo, Graſſio, & à Noſtrisflorum SS. Scriptoribus: illa, expoſis aliorum actionibus, ſynoptica relatione texemus.

ACTA S. PAVLINÆ VIRGINIS & Martyris Romanæ; ex Actis SS. Surij.

Origo.

PAVLINA *Virgo* Romana *patrem habuit* Artemium, *&* Candidam *matrem,qui Ethnicorum vanâ religione imbuti, Dijs cultum idololatræ perſoluebant. In hiſce Virgo erroribus edocta,perditionis ſemitam cum cæteris Gentilibus inſectabatur ignara, donec Deus ſuæ ſimplicitatis miſertus,illam ad fidei Catholicæ cognitionem, per arduum diſpoſitionis ſuæ iter adduxit. Nam cùm inſcrutabiles ſint viæ Domini,& occulta iudicia eius,permiſit,vt dæmon in corpus Virginis ingrediens, illius ſpiritum miſerabiliter vexaret, cuius miſeriam parentes quotidie fruſtra plangebant. Aſt cùm Dei prouidentiâ, Romæ* Petrus Exorciſta *pro fide,* Sereno *iubente, teneretur; & Artemio, vt illum in obſcuriſſimo carceris ergaſtulo, vinculis ferreis conſtrictum cuſtodiret, commendaretur; euenit, vt* Petrus, *intellecto cuſtodis planctu, iſthæc ad eum verba direxerit: Audi conſilium meum,* Arthemi, *& crede in Vnigenitum Filium Dei viui,* IESVM-CHRISTVM, *qui eſt liberator omnium in eum ſperantium, & credentium. Si enim benè credideris, mox erit ſalua* PAVLINA *filia tua. Reſpondit* Arthemius: *Miror valde imprudens conſilium tuum, quòd cùm te iſte Deus tuus liberare non poſsit, in ipſum licèt credas, & quotidie pro eius nomine plagas,& vincula perferas; mihi perſuadere vis, liberaturum illum filiam meam, ſi ego in eum credidero. Dixit ei* Petrus: *Poteſt me liberare Dominus meus,& de his vinculis, & de pœnis omnibus: ſed non vult impedire coronam meam. Vult autem,vt perficiam curſum meum perferendo hos cruciatus temporarios, vt poſsim adipiſci gloriam ſempiternam.* Arthemius *ait: Si vis me tuo credere Deo, da operam vt fiat quod dicturus ſum: Ecce ego hodie duplicabo ſuper te catenas, & clauſtra omnia carceris communiam, téque in imâ hac, & obſcurâ cuſtodiâ ſolum includam; etſi ex his omnibus te eripuerit Deus tuus,credam equidèm in illum; ſed tunc demùm, cùm videro* PAVLINAM *filiam meam incolumem. Tùm* B. Petrus *ſubridens, ait: Infirmitas fidei tuæ poterit curari, ſi hoc, quod dicis, feceris?* Arthemius *dixit: Credam planè in illum,ſi & te his vinculis abſoluerit,& meam filiam curauerit.* Petrus *ait: Vade in domum tuam, & præpara mihi manſionem,& te neque abſoluente me his vinculis,neque oſtium aperiente,neque per iter deducente, ad te perueniam, in nomine Domini mei IESV-CHRISTI. His, & aliis inter eos prolatis,* Arthemius *diſceſsit. Veniens autem domum, narrauit ea* Candidæ *vxori ſuæ, quæ maritum de incredulitate increpans, vt finem euentus ſpectet, variis argumentis ſupra muliebrem ſexum propoſitis, perſuadet; & in Chriſti virtutem ſpem firmo corde collocans,* PAVLINÆ *ſalutem, dubio procul, numeratis inſtantibus expectabat. Vix ergo noctis vmbra Orbis circulos obſcurauit, cùm adeſt homo Dei* Petrus, *Arthemio, & Candidæ ſe offerens, candidis indutus veſtibus,* CRVCIS *trophæum tenens in manu ſua; cuius aſpectu perterriti coniuges continuò Deum laudantes, Chriſtum verum Deum vnanimi voce fatentur. Hæc vix in domus abditis inſonuit,quando* PAVLINA *Virgo,* IESV-CHRISTI *nominis pronunciatione illuſtrata,à dæmonis vexatione libera, Deum profitens, ad pedes S. Exorciſtæ procidens, Chriſti virtutem lachrymabili, & ſilentioſâ alacritate firmauit. Miraculum dæmon in aëre confirmauit, inclamitans:* Virtus Chriſti,quæ in te eſt Petre,me ligauit,& expulit à Virgine. *Cùmque hæc fierent, omnes qui in domo* Arthemij *erant, crediderunt, & accerſito Marcellino Presbytero baptizati ſunt*

Conuertitur ad fidem.

Paulina à diabolo liberatur.

cum

cum alijs de vicinia, qui miraculum exaudientes ad CCC. numerum itidem in Christum crediderunt. Postmodum Serenus Iudex cognito Arthemij, Candidæ, & PAVLINÆ successu, illos fremens in carcere fecit includi, quos cum in fide firmissimos inuenisset, nec vt Dijs sacrificarent verbis, nec verberibus compellere valuisset, eos in Viâ Aureliâ, immensâ ruderum mole obrui præcepit. Quod cùm Satellites perficere conarentur, perspectâ accurrentium Christianorum magnâ copiâ Arthemium *gladio percusserunt*: Candidam, *&* PAVLINAM *per præceps in cryptam impellentes, lapidibus oppresserunt, in quo certamine animas Deo reddiderunt strenuæ*, VIII. Idus Iunij, *Anno Domini* CCC.II. Paulinæ Corpus, *tandem Româ in* Hispaniam *allatum in Cœnobio Præmonstratensium* S. Michaëlis de Treuiño *diœcesis* Burgensis *honorificè colitur.*

Coronatur.

Corpus in Hispaniam transfertur.

En ACTA, quæ ex illis SS. Marcellini, & Petri Martyrum ab *Eginharto* descriptis, excerpsimus, qui Autor (vt *Surio* placet) item alia *Iambico*, licet non admodum exacto, conscripsit carmine, quod apud eundem perleges Surium. Alia hìc non sunt quæ probentur, ideo ad vlteriora pergo.

Cœnobij situs, & fundatores.

COENOBIVM S. Michaëlis de Treuiño: Antiquum *Præmonstratensis* instituti est, ab Anno M. C. LXX. conditum à Dynastis domus seu familiæ de PADILLA, è quibus *Comites S. Gadeæ* in Veteri Castella effluxêre. In hoc etenim Monasterio habitum induisse ferunt GVNDISALVVM filium SANCTII Regis Castellæ cognomento *Desiderati*, & in Capitulo Cœnobij conditum, illius Patres contendunt. De eo etiam diximus supr. *Tom. 1. Die XXIX. Ianuar. fol.* 345. vbi S. RADEGVNDEM Sanctimonialem huius Præmonstratensis instituti occubuisse, ibidémque eius sanctum adseruari Corpus, probauimus.

S. NORBERTVS Episcopus, Præmonstratensium Patriarcha.] Insigne candidatorum apud *Hispanos* symbolum, si instituti apices experiamur. Catholicæ fidei candoris exemplar illustre, si vitæ monasticæ regulam, Regulariúmque vitam *Canonicorum* inspectemus. Omnia hæc à Patre dilapsa NORBERTO, de quo (vt *Masculi* verbis vtar) habuit Mater oraculum nondum nato: præmonstrari videlicet vaticinio debuit futurus *Præmonstratensium* Parens, vaticinaturus etiam ipse multa. Inter Aulæ purpuras est aliquando versatus, sed muricis fastum auersatus erubuit. Indutus est melote, pastor futurus populi; multò sibi hac veste est visus ornatior, quàm Leonis spolio. Mira res! agnina pelle contectus, lupis inprimis terrori fuit; eius audito vel nomine reliquêre prædam: sed illud penè superauit fidem, quòd Lupum ipsum iussit vigilando tueri gregem. Nactus est enim verè, quod simulatè dixit Arpinas Orator, *Præclarum custodem ouium, lupum.* Quid mirum? Quando Petrum ipsum Leonem impie Romana culta vastantem percussit anathematis telo. Stygij quoque leonis ex vnguibus non semel eripuit prædam. Icto eius humero, vt ab adamante resiliit ferrum; tam fortis humerus cœlo aptior sustinendo fuit. Demum visus est ab obitu mirè in lilium verti; ne febris æstu exauriisse videretur, efflorvit. Eius memoriam recolit *Martyrolog. Roman. h. d.* à quo Recentiores. Eius ACTA sinceriora apud Sur. *tom. 6.* Ea carmine synoptico descripsit *P. Marcellus Flores* Canonicus Præmonstratensis, quæ dabimus, vt Hispanorum monimenta, vt sæpiùs diximus, in publicum proferamus, licet infinitis mendis purgata quæ amanuensis incuriâ irrepserant.

C.

Digitized by Google

PANEGYRIS
SIVE
In laudem S. NORBERTI *Fundatoris Canonicorum Regularium Candidi Ordinis Præmonſtratenſis, Antuerpienſium Apoſtoli, Archiepiſcopi Magdeburgenſis, & totius Germaniæ Primatis,* EPIDICTICVM *Poëma.*

INTRODVCTIO.

Deuter. cap. 23.

AVDIAT æthereum ſpatioſi limen Olympi,
Peruigiles patulus terrarum præbeat aures
Orbis, & vt pluuiæ mea nunc concreſcere certet
Doctrina, ac liquidum labatur roris ad inſtar
Eloquium, veluti cùm præceps it ſuper herbam
Florentem celſis effuſus nubibus imber;
Accipite hæc animis, lataſque reducite mentes
Agmina NORBERTI, populus, gentéſque togatæ.
Non prius auditum iucundo carmine dicam:
O Pater omnipotens, ſolus qui cuncta miniſtras,
Mitte caput mihi, confirmans, & mente ſerenâ
Annue tu cœptis, redimas & tempora lauro.
Almiparens Virgo, noſtris conatibus adſis,
Sis mihi tu facilis, gratóque in amore ſecunda,
Ingenióque meo ſubmittas fulgida vela.
Gen. 2. & 3. Cùm fingens Adami diuinus pectora Plaſtes,
Cuncta ſubegiſſet manibus vitalia noſtris,
Præualuit ſerpens, monſtrum execrabile, & ira
Telluris genitus, multas extentus in vlnas
Qui ſtygias ripas, lucóſque habitabat Auernos;
Martius anguis erat, nocuus, maculoſus, & atro
Igne micans oculis, linguis vibrantibus atque
Sibila iactabat, virúſque vomebat ab antro;
Atque ibi feruenti concepta incendia paſtu
Gurgite mulcebat rapido, & frendentibus iris,
Nondum etiam toto demerſus corpore in antro,
Aduerſa caput extollebat margine portæ,
Sicque homines cunctos tanto ſpoliauit honore,
Dum vetitum Genitor lignum guſtauit vterque.
Tunc Verbum Patris ſumma deuenit ab arce,
Aſſumens noſtram carnem, ne perdat alumnos,
Quos redimit moriens diffuſo ſanguine ſacro.

O Pater!

Digitized by Google

O Pater! ô hominum, diuûmque æterna poteſtas!
Quas populus grates, quanam tibi munera reddit?
Omnibus in terris nullus ſine crimine viuit:
His obſcœnus amor placet, illis vita ſuperba;
Condit opes alius, pretioſóque incubat auro:
Percitus hic ira triſti implacabilis ardet,
Et cæca interior ducit ſua quemque voluptas.
Rari quippe boni, numero vix extitit alter:
Cuius in extremis petulans, & praua libido
Creuerit exiguum validis radicibus hærens.
Aſtitit interea NORBERTVS *circiter vnus*
Qui tantam poſſet propugnans vincere cladem,
Fortiter aggreſſus duro certamine bellum;
Exeat hinc, eius ſpargatur fama per orbem.
Inclytus exultet multis memoratus in oris,
Cum tamen ipſius tentem depangere laudes,
Valde meis penſum portarem viribus impar;
Ni veſtris opibus validus tutarer hopliſtes,
Haud aliter ſermo leuibus perlabitur vndis
Iam meus, & pelago profundo trado phaſellum.

VITA S. NORBERTI PATRIARCHÆ

CAP. I.

EDITVS *eſt atauis* NORBERTVS *Regibus, oris*
Quas rapido Xantus curſu vagus irrigat amnis,
Quem nobiles pariter mundo genuere parentes:
Alter Heribertus fuerat de nomine dictus,
Altera Hedewiges (genitrix digniſſima Nati)
Quæ dum turgenti prolem geſtabat in aluo,
Audijt in ſomnis verbum (mirabile dictu!)
Quod ſic diuinus veniens ex æthere promit
Nuntius, atque illam tali ſermone trahebat:
Gaude clara parens tibi ſit fiducia magna.
Magnus erit Puer hic grauido quem viſcere claudis,
Eccleſiæ lumen, Doctor, magni Ordinis Auctor,
Et Domini Antiſtes toto reſonabit in orbe.
Vix PATER *inſignis guſtauit luminis auram;*
Huius & incertæ vitæ vix limina ſenſit,
Cùm veluti in præceps actus, iamiam ipſe per omne
Fáſque nefáſque ruit, vitijs nam pabula præbens,
Mundanos mores teneris exhauſit ab annis.

Hinc licet inſpicias, quibus hic eſt artibus æquum
Inſtitui pueros, ſiquidem qua quiſque docetur
Perficit, & multum iuuat hos audire magiſtros,
Qui rectas doceant calles, dicente Poëta:
Fingit equum tenerâ docilem ceruice magiſter
Ire viam, quam monſtrat eques venaticus, ex quo
Tempore ceruinam pellem latrauit in aulâ,
Militat in ſyluis catulus: nunc percipe puro
Pectore verba puer, nunc te melioribus offer;
Quo ſemel eſt imbuta recens, ſeruabit odorem
Teſta diù.
NORBERTVS *noſter Regiâ nutritus in Aulâ,*
Cum faſtu nimio vitam protraxit inertem.
Sed Pater Omnipotens illi tunc obuius inſtat
Protinus, & flexos conatur ducere greſſus,
Delitiis opulentus iter dum pergeret olim,
Quadrupedem celerem ferrata calce fatigans,
Perluſtránſque agros pingues ſpatiatus ad auras:
En ſubito cœlum, variuſque in ſydere motus
Vrget, & incerta denſantur in aëra nubes;
Hinc gelidus ſicca Boreas bacchatur ab arce,
Africus inde furit, vires capit Eurus ab ortu
Purpureo, pluuiiúſque Notus per nubila currens,
Prælia fronte gerit, certantque in turbine venti.
Ignea rima micat, crepitántque in nubibus ignes,
Et celſi magno miſcentur murmure cœli,
Intonat atque ingens ſtrepitus, tonitruque tremiſcunt
Ardua terrarum, ſonitus crepitare videtur,
Percutiunt terras, feriunt & fulmina montes.
Talia NORBERTVS *timuit, penituſque ſtupentem*
Terrificant animum, pulſantque tonitrua mentem:
Obmutuit pauidus, geliduſque per ima cucurrit
Oſſa tremor, cordique hæſit formidine ſanguis.
Interea è ſurſum ſonitus clangore reſultat,
Atque improuisò vibratus ab æthere fulgor
Cum ſonitu venit, lapſum, mortémque minatur
NORBERTO, *ac ſæuo violauit vulnere corpus:*
Ad terrámque ruit pullo deiectus equino.
His famulus viſis, oblitus munere ſerui,
Talia verba dabat, rumpens hanc pectore vocem:
Quò NORBERTE *petis? vel quò ſic profuga vadis*

Ignotas

Ignotas tentare vias? Hac itur ad astra;
Est tibi carpentem penitus confringere durum
Pungentem stimulum; diras iniuste palastras
Exerces rapidus; sursum iam dirige cursum.
Ad sonitum vocis (veluti qui expellere somnum
Nititur, & lucem, transacta nocte, requirit:
Aut sicuti immensis iactatus naufragus vndis,
Cùm resoluta nauis ventis oppressa dehiscit
Submersa & ponto, cæsis se abscondit in antris,
Tollitur in cœlum, turbato gurgite nauta:
Cùmque peroptatis emergens applicat oris
Protinus intendit saltu contingere terram,
Congaudénsque animo iam vota in litore soluit.)
Contritus surgit, tollitquè ad sydera vultum
NORBERTVS, *retroque pedem cum voce reflectit.*
Et veluti annosam valido cum robore quercum *Virg. 4. Æn.*
Alpini Borea, nunc hinc, nunc flatibus illinc
Eruere inter se certant; it stridor, & alte
Consternunt terram concusso stipite frondes:
Ipsa haret scopulis, & quantum vertice ad auras
Æthereas tantum radice in tartara tendit.
Haud secus assiduis hinc atque hinc nubibus ille
Tunditur, & pauido cognoscit crimina corde.
Mens commota manet, feruéntque in pectore cura;
Atque Boanerges Domini magnalia cantans,
Despicit ornatum, Regalia tecta relinquit:
Iamque piget vitæ, veniamque exposcere factis
Prouidus aggreditur, rectam traducere vitam
Instat, cùmque breui longe progressus abiret:
Laudibus eximiis illis fulgebat in annis
Presbyter, & Sanctus mansit venerabilis. Inde
Diuino impulsus monitu petit ardua montis
Monstrati, cuius nunc eius nomine gaudet
Ordo, hîc illius construxit limina sacra,
Illáque nunc saxo venerantur structa vetusto;
Eminet atque domus vastis innixa columnis.
Virginitas felix magni Patris inclyta Mater,
Angelicis comitata choris conclamat: Amice
Accipe NORBERTE *alba hæc indumenta, reseruans*
Tàm tibi, quàm socijs, hæc vestis pignus amoris.
Principium hinc duxit pia Norbertina propago:

Candidus hinc cœpit radices fundere cœtus.
Pontificis ſumit munus, Paſtoris honorem;
Non chlamyde indutus, duris ſed pellibus, atquè
Haud tumido incedens, humili contentus aſello.
Eccleſia ſacros theſauros computat idem,
Quos vbi perceptos à longo comperit æuo;
Solus, & vnus adeſt, poſcit, flagitátque requirens
Niſibus extorquens illos.
Adfuit infeſtus contemnens munera ſacra
Vir Tanchelinus, totumque intinxerat Orbem,
Nequitiæ tetrum profundens ore venenum:
Abdita NORBERTVS *fraudis fontana recluſit,*
Hæreticos pulſit, Dominique libamina ſacra
Protulit in medium ſolus, liberámque reliquit
Vrbem, cum fuerant poſiti ceruicibus enſes,
Extinxit flammas, ortaque incendia clauſit.
Quid NORBERTE *tibi mea quid nunc carmina pangent?*
Ad quem te referam Præſul prædictus ab aluo?
Cùm tamen eximiis liceat componere magna,
Te ſimilem Paulo nobis cantare licebit.
Quondam Chriſticolas omnes exoſus ad vnum
Hic fuerat cædis ſpirans, paritérque minarum,
Ibat in extremas terras, vt perderet illos
Saulus, & irarum voluit ſub pectore fluctus,
Vt perdat Domini ſociorúmque agmina Chriſti:
Cùm ſubitò tactus, luſtratus lumine cœli,
Iam Vas electum Chriſti præconia pangit
Vindicis humani generis, nam percipit aure
Vocem, quam retinens, his verbis ipſe monetur:
Quid me perſequeris, quid ferro Saule minaci
Bella paras? hic ſiſte gradum, compeſce furorem,
Vlterius ne tende odiis, mea iuſſa capeſſe.
Indomitum ſtimulum fruſtra pedibúſque manúque
Conteris ignarus, Cui Saulus: Proſequar ipſe
Quod cupis, vt faciam, mihi nunc tua corde voluntas.
Hinc is qui quondam ſeductor gentibus eſſe
Caperat inſignis populis iam Doctor habetur.
NORBERTVS *pariter calles calcauerat antè*
Nequitiæ, & ſimili facto reſipiſcere cæpit.
Ille docet gentes, & Regna per omnia Chriſtum
Prædicat; Hic etiam populos ſermone docendo,

Ad

Ad verum conuertit iter, magnalia ſummi
Numinis exponens, errores vincit, & omnes
Virtutis callem tanto Ductore capeſſunt.
Hoſtis & ille prius, demum virtutis alumnus.
Hic fuerat pacis ſacræ contrarius olim;
Denique & illius longo flagrauit amore.
Propter oues Domini acres ſuffert ille labores:
Prædicat hic ipſum ventos perpeſſus & imbres,
Pauperiem, frigus, diros æſtuſque calores.
Vt ſit cum Chriſto Paulus (ſic protulit ipſe)
Vincula longa ſui diſſolui corporis optat: 1. Philip. 23.
NORBERTVS *cupiens patriâ gaudere beatâ,*
Omnia contempſit, mortis nec frigidus horror
Membra quatit, vitam ſemper deferre paratus,
Sponte ſuâ Domino, noſtræ qui eſt cauſa ſalutis.
NORBERTI *eximium cuncti admirentur honorem:*
Qui Paulo ſimilis fidei vexilla tetendit.
O præclare Vir! O pater! O dux inclyte noſter!
Quis te pro meritis nunc commendare valebit?
Attamen adſtetis præſentibus auribus oro,
Familia inſignis, placidóſque reducite vultus;
Fulgentem pietate Virum, virtutis Alumnum,
Cultorem fidei cantet prænuntia fama.

DE LAVDIBVS SANCTISSIMI Patriarchæ, CAP. II.

PAtris inſignis modulemur omnes
Geſta virtutum, ſuperante marte,
Arma ſumamus, peragamus ipſi
Prælia ſoli.
Bina cenſentur decorare iuſtos,
Alterum cordis probitas, & almi
Pectoris lumen, generoſa virtus
Prima relucet.
Alterum cordis ſapientis imber,
Irrigans terras, documenta præbens;
His quidem rebus ſtabilita gaudet
Vita perennis.
Atque NORBERTI *pietatis alget*
Luce diuina radiante curſus,
Splendidam palmam, celebreſque tollit
Laudis honores.

Digitized by Google

Cœlico exultat ſapientis ore
Prapotens Doctor, validus Magiſter,
Exprimit leges, reſeratque mores
Diuite lingua.

Quid ſi virtutes NORBERTI *pangere vellem,*
Non mihi ſi centum linguas ſuperadderet ipſa
Fama volans, omnes numero reſtringere poſſem.
Qua caruit quaero? Charitas qua maxima virtus
Eſt, ex qua reliqua veluti radice feruntur
Adfuit hac illi; cùm ſeditione ſubortâ
Pro grege commiſſo morti ſe ſubdidit vltrò.
Imperat excelſus diuino iure Magiſter:
Diſcite qui vultis requiem aſpirare beatam
Matth. 11. *Me monſtrante viam, mites, humiléſque ſubeſſe.*
NORBERTVS *tanti Doctoris iuſſa ſequutus,*
Deiectus cunctis ſemper, humiliſque videri
Intendit, properátque animos torquere ſuperbos
Mitibus alloquijs, blandis ſermonibus atque,
Vt miſerans religat mortalia vulnera Paſtor.
Extitit excellens eius demiſſio tantum,
Vt meus exiguus nequeat decurrere ſermo:
O humilis Pater! O Rector mitiſſime cordis!
O ſemper cœlis animi ſubmiſſio digna!
Qua te præcellit virtus? Qua poſſit in aſtra
Te ſine pulchra nimis præſtò conſcendere virtus?
Omnibus es Princeps illis, Matérque Magiſtra,
Et pariter cuſtos ipſarum ſola vocata,
Lectorumque Virûm ſignum: tum denique quiſquam
Congregat æternas fruges, & humillima temnit,
Pulueris in ventos pondus portare videtur.
Ille humilis verè qui tunc ſua cuncta negauit;
Pauper & effectus ſpiritu, nunc Regna polorum
Occupat, atque leui populi qui illuſus ab aura
Sæpius oblatos hominum deſpexit honores,
Seruorum minimum contentus munus obire.
Longius an pergam? Illi nam patientia duris
Adfuit in rebus, nulli vt ceſſiſſe labori
Viſus: ad extremum illius prudentia magna,
Arctáque temperies, eſcam ſub veſpere tantum
Et modicam ſumens, ieiunia membra domabant.
Pluraquidem Domini poterit quis pangere mira,

Qua

Quæ illius meritis toto tunc orbe patrauit?
Fœmina quæ orbatam ducebat lumine vitam, Miracula.
Respicit, atque oculos ipso insufflante recepit.
Altera sub diro squalebat corpore morbo
Lethali languore iacens, sine viribus ægra,
Dirisque ardebant moribundi febribus artus:
Ast vbi NORBERTVS *vênit, miseransquè supinas*
Extulit in cœlum palmas, Diuumque rogauit:
Optatam Domine huic famulæ concede salutem
Corporis, atque animi (faxit tua sacra voluntas)
Si tamen expediat, tibi nam redduntur honores,
Tu qui mortificas, tu qui vitalia donas,
In tumulum ducis solus, paritérque reducis,
Suppliciter posco, nunc audi verba petentis.
Panditur illius precibus tunc ianua cœli,
Fœminaque euasit turgenti libera morbo.
Sæpius ignoti venturi conscius æui,
Abdita prædixit diuino Numine Vates,
Luci augens lucem, pellens tenebrisque tenebras;
Vera docens veris, fallentia cuncta repellens,
Iustitiam iustis tribuens, reprobísque flagella,
Insidias noscens, cedenti parcere curans
Dansque reis veniam, potius conuitia suffert.
Peruolet excelsum nomen, conscendat ad astra.
Pro tumulo mundum NORBERTI *ponimus omnem,*
Virtutes eius præstantia pangimus arma.
Arma, viroſque, duces, & spumosum vndiquè fretum,
Addimus, & sæuam conantem rumpere frustra
Barbariem, cuius fraudes tunc ille repressit;
Anguifer excelso sistens è culmine clamet:
Exuuias hominum Princeps NORBERTE *tulisti:*
Nunc clara in latos currit fortuna triumphos,
Et tibi sydereum pandit pro munere cœlum,
Pro facibus stellas, claro pro sanguine Christum,
Pro curru Empyreon, pro lauro suscipis ipse
Aureolam pulchram, quam toto corde fatenti
Imperij Dominus, regum Rex, atque Potestas,
Sublimis cunctis, cœlesti iure parauit.
Ingenti celebrent eius noua gaudia plausu,
Cœlestem qui agitant mortali in corpore vitam:
Et geminent cantum multâ dulcedine læti.

Candidus ipſius ſanctus, deuotus & Ordo,
Cùm Pater inſignis componit lumina ſomno
Longo, atque ad Superos anima exhalata recedit,
Et ſimul inſuetum mirentur limen Olympi,
Angelicos reſonare choros, turbaſque beatas
Illi occurrentes, ſublimique in ſede locantes.
Ad quid verborum laxas eſt fundere habenas?
Si noctéſque dieſque inſomnes ducere tentem,
NORBERTI *haud valeam minimam componere laudem.*
Ingenium ſuperat virtus: ſapientia clamat:
Non infœcundas reddent bona ſemina ariſtas,
Producetque arbos placidos vberrima fructus.
En tibi NORBERTVM, *fœcundamquè aſpice prolem.*
Relligio eſt Patrum multos ſpatiata per agros.
Talia voce refert præfulgens Archiſacerdos,
Paſtor Alexander: capite, & ſimul ore fauete.

Igitur ORDO hic PRÆMONSTRATENSIS ad Hiſpanias deuenit circa Annum Domini M. C. XXXV. Nam ſequenti extructum Cœnobium S. MARIÆ quod de *Retuerta* dicitur, contuemur. Hinc cætera Cœnobia ſequentia.

CATALOGVS COENOBIORVM
Ordinis Præmonſtratenſis in Hiſpania ab eius initio.

I. Monaſterium *Retortenſe*, quod & Claro-Fontium dicitur, in diœceſi Palentina à D. Sanctio Aſures Comite Valliſoletano, conditum, Anno M. C. XXXVI. Cuius filia D. Elo ſcripturam fundationis firmauit. 1136.

II. Monaſterium *Vitenſe*, *de la Vid*, in diœceſi Oxomenſi ab Alfonſo VII. Rege Caſtellæ, contemplatione Venerabilis D. Dominic eius fratris conditum, cui multa donauit. Poſtmodum eius ſucceſſores Patronatum ad Duces Pennarandæ, & Comites Mirandæ tranſtulere. Vitenſe dicitur, eo quod Alfonſus Rex, qui Cœnobiũ extruxit, cùm aliquandò per ripas Durij fluminis, venationis cauſâ, ſecederet, in formoſiſſimam incidit vitem vuis plenam, cuius fructus cùm colligere deſtinaſſet, in palmitum frondoſâ opacitate B. MARIÆ Virginis Matris Imaginem, vetuſtate venerandam, & venuſtate decoram inuenit: quam ad proximum eremitorium propriis humeris adſportauit, & ibidem hocce Cœnobium erexit. 1170.

III. Monaſterium *Ibeacenſe*, vulgo *Ibeas*, in diœceſi Burgenſi, Beato Chriſtoforo dicatum, quod per hæc eadem tempora extruxit D. Sanctia de Frias, & Fernandus Perez de Caſtro Regis Oeconomus, è quo Comites de Llemos deſcendere dicunt. 1170.

IV. Monaſterium *Bujedenſe*, vulgo *Buxedo*. B. Dei-Genitrici dicatum in diœceſi Calagurritana, ab ipſa D. Sanctia conditum. 1170.

V. Monaſterium *Cerratenſe*, S. Pelagio Martyri Cordubenſi dicatum in diœceſi Palentina, cuius Patronatum poſſidere Marchiones de Auila-Fuente hodie fatentur Monachi. 1170.

VI. Monaſterium

VI. Monaſterium *Monzonenſe* S. Cruci dicatum, in palentina diœceſi, ab Alfonſo VII. Rege conditum. 1170.

VII. Monaſterium *Vrdaxenſe* S. Saluatori dicatum, in Pampilonenſi diœceſi in Regno Nauarræ, de quo Arnald. Oihenart. *Hiſtor. Vtriuſq. Vaſcon. lib. 2. c. 3. fol.* 103. 1170.

VIII. Monaſterium *Velpuchenſe*, Dei-Genitrici dicatum in Vrgellenſi diœceſi Cathaloniæ, ab *Hermengaudo Vrgellenſi Comite*: Cuius Patronatum Reges Hiſpaniæ poſſident. In hoc Cœnobio inſignes adſeruari Reliquias contendunt Præmonſtratenſes, præcipuè ſandaliam B. Virginis MARIÆ, & Corpus B. Ioannis Organnanenſis, qui in Cœnobio, & in diœceſi Vrgellenſi colitur, & in Gallia eius recitatur Officium. Sed tale quid nunquam inueniſſe me, noui. 1170.

IX. Monaſterium *Segobienſe*, S. Virgini Mariæ Hortanæ dicatum, à Gundiſaluo huius nominis I. Epiſcopo Segobienſi conſtructum Anno M. C. LXXVII. vt inquit Colmenares Hiſtor. Segobienſ. c. 17. §. 14. fol. 150. qui addit, quòd hocce Cœnobium Anno M. DC. XXXVI. ad Parochiam S. Facundi in ſuperiorem Ciuitatis partem fuiſſe tranſlatum. 1177.

X. Monaſterium *Aquilarenſe* in diœceſi Burgenſi B. Dei-Genitrici dicatum, & ab Alfonſo VII. dicitur fuiſſe conſtructum; in eo loco vbi olim Bernardum Carpenſem Eccleſiam ædificaſſe opinantur, ibidémque in Oratorio D. Petro extructo ſepultum. Hic Domini Noſtri, Ieſu-Chriſti in Cruce pendentis imaginem aſſeruatam eſſe conſpicimus, quam à Nicodemo factam fuiſſe conſtans fama eſt. 1177.

XI. Monaſterium *Villa-Maiorenſe Treuinnij*, S. Michaëli Archangelo dicatum in diœceſi Burgenſi, à Dynaſtis domus, ſiue familiæ *de Padillas*, S. Gadeæ Comitibus extructum per hæc tempora. Ibi Corpora S. Radegundis, & S. Paulinæ Romanæ. 1177.

XII. Monaſterium *Metinenſe-Campeſtre*, S. Saturnino dicatum in diœceſi Valliſoletana, ab *Andrea Voch* extructum, qui etiam ſuis expenſis Motenſe Caſtrum fecit, ad Annum M. CC. 1200.

XIII. Monaſterium *Ciuitatenſe* Dei Genitrici dicatum: Aſt à quo fuerit extructum nondum didici. 1200.

XIV. Monaſterium *Abulenſe*, Sancto Spiritui dicatum, à D. Nunio Mattheo conſtructum, è quo Marchiones delas Nauas, & Velada originem trahere dicitur.

XV. Monaſterium *Taurenſe*, S. Sophiæ dicatum, in diœceſi Zamorenſi, quod prius circa Annum M. CC. in Eremitorio S. Michaëlis *de Gros*, extructum fuit, donec Anno M. CCCC. VIII. illud Regina D. Maria in Taurenſem vrbem tranſtulit, vbi etiam Eccleſia Parochialis S. Thomæ Cantuarienſis Ordini Præmonſtratenſi paret, cuius Parochus ab Abbate eligitur Retortenſis. 1200.

XVI. Monaſterium, ſiue Collegium *Salmanticenſe*, S. Norberto dicatum, conſtructum fuit Anno M.D.L. pro fratrum huius ordinis eruditionis ſtudio. 1550.

XVII. Monaſterium primum *Madridenſe*, S. Norberto dicatum, quod deuictis aliquibus contradictionibus, inſtante Philippo III. Rege Catholico extructum fuit Anno M. DC. XI. 1611.

XVIII. Monaſterium *Valliſoletanum*, S. Norberto dicatum, Anno Domini M. DC. XXX. conditum fuit, cuius expenſis ignoro. 1630.

XIX. Monaſterium ſecundum *Madridenſe*, Sancto Ioachimo dicatum, quod auſpiciis *D. Ioannis de Chaues, & Mendoza* Regis Philippi IV. à Conſiliis, conſtructum, eius domui *dela Calzada, & Sancta Cruz* paret Iure Patronatus. Hic Venerabilis Imago B. MARIÆ Virginis,

Virginis, quam de *Afflictis* vocant, colitur. Cœnobium verò fuit conditum Anno M. C. XXXVI. 1636.

Alia in Præmonſtratenſium ordine apud Hiſpanias condita fuerunt Cœnobia, quæ hodie ad Parochiales Eccleſias ſunt redacta, quas Fratres eiuſdem ordinis adminiſtrant. Alia etiam Monaſteria conſeruantur, ſed ſine die, & Conſule conſtructionis, videlicet;

XX. Monaſterium *Medianillenſe*, quod ſubeſt Collegio Salmanticenſi; at cui dicatum, vel à quo conſtructum, vel quo anno, aut in qua diœceſi; Auctor relationis occluſit.

XXI. Monaſterium *Arenillenſe*, S. Pelagio Martyri Cordubenſi dicatum, in diœceſi Legionenſi.

XXII. Monaſterium *Albenſe*, S. Leonardo dicatum, in diœceſi Salmanticenſi, hodie Ieronymianis Monachis paret, excluſis Præmonſtratenſibus.

XXIII. Monaſterium *Villorienſe* Sanctimonialium, Dei-Genitrici ſanctiſſimæ dicatum, in diœceſi Aſturicenſi.

Hactenus Cœnobia Præmonſtratenſia, quorum ecphraſim accepi à R.P.M.F. Antonio de la Torre, S. Ioachimi Madridenſis Cœnobij Abbate, S. Inquiſitionis Conſilij Supremi Qualificatore, & olim totius Hiſpaniæ Prouinciæ ſui Ordinis Generali, literis, & eruditione perſpicuo.

SEPTIMO IDVS IVNII.

DIES VII.

A. SS. PETRI Presbyteri, VVALABONSI, *Diaconi*, SABINIANI, VVISTREMVNDI, HEBENTII, & HIEREMIÆ *Martyrum* Cordubæ *Hiſpaniæ Baticæ glorioſus triumphus, qui ex diuerſis locis Prouinciæ attracti amore ſtudiorum, & Zelo fidei, demum à Sarracenis tenti illuſtre de amoris, & Zeli affectione ſpecimen martyrio reliquerunt.*

NOTÆ.

A. *Martyrologia.* SANCTI VVALABONSVS & Socij Martyres.] Eorum agonem luculentis periodis deſcripſit S. Eulogius Noſter *in Memor. SS. lib. 2. c. 4.* A quo Vſuard. & cæteri recentiores: quibus fauet Martyrol. Rom. h.d. his verbis: *Cordubæ SS. Martyrum* PETRI *Presbyteri* VVALABONSI *Diaconi*, SABINIANI, VVISTREMVNDI, HEBENTII, & HIEREMIÆ *Monachorum.* Cuius verba ſuis idiomatibus traduxere P. Vazq. *in Martyrol. Caſtellan.* PP. Societ. Ieſ. *in Luſitan.* P. Higuera *in MS. Hiſpan.* & Conſtant. Felic. *in Italo.* Philipp. Ferrar. *in Topograph. SS. verb.* Corduba, *fol.* 42. Arnald. VVion & Hug. Menard. *in Martyrol. Monaſt.* Ex Hiſtoriographis, Ambroſ. Moral. *l.* 14. *c.* 8. P. Marieta *lib.* 3. *c.* 12. P. Martin. de Roa *de SS. Cordubenſ. fol.* 92. *col.* 2. & de

Digitized by Goog

de *SS. Aſtigitan. lib. 2. c. 8.* P. Ioann. Marian. *lib. 7. c. 15.* P. Bleda *lib. 7. Hiſt. Maur. c. 10.* P. Yep. *in Chron. Benedict. Cent. 4. Ann. 852.* P. F. Didac. de Coria *Hiſt. Carmelit. lib. 9. c. 29. & lib. 11. c. 15.* P. Anton. Quintana - Dueñ. *de SS. Hiſpal. fol. 259.* Martin. de Anaya *in Apolog. pro SS. Hiſpalenſ. p. 5. fol. 25.* Petr. Equilin. *in Catal. SS. lib. 11. c. fin. n. 165.* licet vnum ex his Martyribus *Eutychium* nominet. Cæſ. Baron. *Annal. Eccleſ. tom. 10. Ann. 841. n. 4. & ſeq.* Eius ACTA ex D. Eulogio recenſemus. *Scriptores.*

ACTA SANCTORVM PETRI PRESBYTERI, VValabonſi Diaconi, Sabiniani, VVistremundi, Hebentij, & Hieremiæ Monachorum, Martyrum; ex Diuo Eulogio Archiepiſcopo Toletano Martyre.

VENIAMVS *nunc ad illum Myſterij* ſenarij *ſacratiſſimum Martyrum globum, qui vno die, vnaquè horâ ſub ictu ſequentis mucronis ob teſtimonium veritatis occiſi ſunt.*

E quibus PETRVS *Sacerdos in vrbe* Aſtigitana *progenitus,* & S. VVALABONSVS *Diaconus ab* Eleplenſi *Ciuitate exortus, vtrique prioribus (hoc eſt* Iſaacio, *&* Sanctio *Martyribus de quibus ſupra) coæui Martyribus,* Cordubam *ſtudio meditandi adeuntes, liberalibus diſciplinis traditi ſunt. Sed Deo fautore, ſcientiâ, & doctrinâ Scripturarum pollentes, ſub* Frugello *Abbate, Monaſterio Sanctæ, & Glorioſæ Virginis* MARIÆ *præficiuntur: Quod in Vico* Cuteclarâ, *non longè ab vrbe in parte Occidentali, præclaro Ancillarum Dei propoſito enituit. Sanctus quoque* SABINIANVS *ex vico* Froniano, *Montanæ Cordubenſis, iam plena iuuentutis Monachus, ortus. Et* VVISTREMVNDVS *ex* Aſtigia *adoleſcens ſtrenuus, è cœnobio* S. Zoili Armilatenſi, *quo dudum ſub regula, vel Abbate ſe dederunt: Vnus à tempore longo in caſtris Domini militans:* VVISTREMVNDVS *verò nuper ſe in idem Cœnobium conferens ad martyrium ambo diſcurrunt: Qui locus penè à* Corduba *in parte Septemtrionis Triginta, & amplius Milliaribus diſtans, vaſtiſſimam horret inter deſertam montium ſolitudinem: ad cuius collis radices, quo idem ſitum eſt, flumen* Armilata *diſcurrens, magno piſciculorum ſolatio, inediam refouet Monachorum. Ex quo etiam Cœnobium* Armilatenſe *appellatur.* *Origo Martyrum.* *Monachi.*

Beatiſſimus verò HEBENTIVS *virili iam ætate perfectus, è Ciuibus* Cordubenſibus, *Monachorum vitam oblectans,* S. Chriſtophori *Monaſterium incoluit, quod ſitum eſt in ſpectaculum vrbis in parte Auſtrali ſuper crepidinem vlteriorem Bætis: Ibique ſeculo mortuus, Chriſto autem viuens, ſub arctiſſimâ regulâ degens, vt pote ſponteneo carceri ſe tradens, altis macerianum ſæpibus circumcluſus, ferreiſque laminis intus ad carnem cinctus, per feneſtras ſe aduentantibus exhibebat viſendum. Iſte talis, & tantus cum Beato ſene* Hieremia, *de quo ſupra affati ſumus, quique etiam inter cæteros Dei ſeruos, acrioribus ſtimulatus flagris, occubuit. Hi Sex* VIRI *fortiſſimi, & præclariſſimi ſimul ad expugnandum hoſtem improbum deſcendentes, omnes quaſi ex vno ore clamauerunt dicentes:* Et Nos ſub eadem profeſſione, ô Iudex, manemus, quâ pridem confratres Noſtri Sanctiſſimi *Iſaac,* & *Sanctius* deciderunt; exerce ſententiam, crudelitatem exaggera, & in vltionem tui vatis totis exardeſce furoribus. Quoniam Chriſtum Deum veraciter confitentes, præuium Antichriſti, & auctorem prophani dogmatis vatem veſtrum eſſe profitemur. Voſque lethali ſucco prophetiſmi eius infectos, & virulento prædicamine Zabuli propinatos, æterna poſtmodum luituros tormenta ſcientes dolemus: veſtrámque orbitatem, & ignorantiam ſatis deflemus. *Hæc cum animoſo ſpiritu Sancti Dei profeſſi ſunt, & ſtatim decollari iubentur. Priùs tamen Beatum ſenem* HIEREMIAM *lib. 2. c. 1.* *Seſe Iudici offerunt.* *Coronantur.*

Digitized by Google

HIEREMIAM, *neſcio ob quam aſſertionem, flagellis grauiter caſum, & inter ipſa verbera (vt ferunt) emortuum, vix hærentem greßibus foras traxerunt. Qui Martyres dum ad locum mactationis accederent, inuicem ſeſe quaſi ad epulas inuitarunt. Et primò quidem Reuerendißimi Dei miniſtri* PETRVS, *&* VVALABONSVS *ruentes, cæteri deinceps ſub eodem iugulantur momento*, VII. Idus Iunias, *Feria* I. *Era* DCCC. LXXX. IX. *Quorum Corpora ſtipitibus defigentes, poſt aliquot dierum interuallum, vaſtißimo conſummarunt incendio, eorúmque cineres perdendos flumini tradiderunt.*

Corpora igni tradita.

ACTA iſthæc *Ambroſ. Morales* notis illuſtrauit, ſed aliqua notatu digna omiſit, alia minus rectè probauit; ideò, & omiſſa ſupplebimus, & corrigemus errata. Quod vt facilius deprehendatur, ipſum Ambroſij ordinem inſequemur.

Senarius Numerus myſticus.

DE SENARII numeri myſteriis, quem *ſanctißimum Martyrum globum*, dixit *Eulogius*, nihil *Moralius*: fortè quia communia ſymbola illi; aliis fortè ignota. Aliqua Nos ſubiiciemus recondita, ne in tam myſtico Numeri ſymbolo, & à S. Martyre commendato, Lector è Noſtris ſcholiis ieiunus diſcedat. SENARIVS enim NVMERVS, aut Sacros ſi euoluas Codices aut ſi Philoſophorum libros mediteris, amplam ad myſterij ſignificationem, ſegetem exhibebit. I. SENARIVS eſt Numerus perfectior omnibus, ex eo quod Deus, ſummus artifex in ipſo ſua perfecerit omnia opera. Nec enim *Senarius* ſacer, & perfectus ſolum perhibetur, quòd hoc dierum numero conditæ ſint vniuerſæ rerum ſpecies, vt opinatus eſt *Guillelm. Hamer.* Comment. in Geneſ. ſecutus S. Gregor. Magn. *lib.* 35. *Moral. c.* 20. ſed etiam ea de cauſa SEX diebus Deus opera ſua perfecit; quia SENARIVS perfectus eſt, ac ſacroſanctus. Itaque etiam ſi iſta non eſſent, ille perfectus eſſet; niſi autem ipſe perfectus eſſet, iſta ſecundum eum perfecta non fierent, quemadmodum ſentire viſus eſt Hugo de S. Victor. de Sacrament. ſic: SENARIVS *quia ex partibus ſuis conſtat, ſignum perfectionis eſt, & idcirco voluit Deus* SEX *diebus complere opera ſua, vt oſtenderet ſe in his quæ fecerat, nec ſuperuacaneum aliquid poſuiſſe, nec imperfectum reliquiſſe.* Confirmat hoc axioma S. Auguſtin. *de Trinit. lib.* 4. & in *Geneſ. ad lit. lib.* 4. his verbis: SENARII *perfectionem nobis à ſacris literis commendatam in eo maximè, quòd Deus* SEX *diebus perfecit opera ſua, & die* SEXTA *fecit hominem ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam.* Sicut igitur perfecto nihil deeſt; ita neque ordinationi, aut rebus ordinatis quidquam, aut addi tanquam diminuto, aut detrahi tanquam à ſuperabundante poteſt, non poteſtate quidem terminatâ, ſed ipſâ rerum ſerie ſibi terminos præſcribente: id fuit, ac ſi dixiſſet, per SENARIVM illum eorum quæ creata ſunt, ordo melior, ac diſpoſitio non potuit aſſignari, aut eſſe: quare die SEXTA ſubdit Propheticus ſermo: Vidit Deus vniuerſa quæ fecerat, & erant valdè bona: & factum eſt veſpere, & mane dies SEXTVS. Cum ergo audis SEX diebus conſtructum fuiſſe Mundum, non intelligas de numero dierum tantùm, ſed de perfectione Vniuerſi, quæ per SENARIVM perfectum numerum deſignatur. Vnde cùm ad hunc abſolutum numerum opus Dei peruenißet, dixit diuini verbi Scriba: Perfecti ſunt cœli, & terra & omnis ornatus eorum. Et ſic (inquit Petr. Bung. *de Numeror. Myſter. fol.* 269.) Orpheus Myſtarum princeps, hymnos iubet ſexta generatione finiri, cum ait:

Gen. 2.

Gen. 2.

Ætate in SEXTA *ſtudium finite canendi.*

Quod de rebus creatis non vltra cani poſſit, cùm ibi tota ſit terminata perfectio. Cognita ergo huius Numeri perfectione, ad Myſteria ſacra veniamus. Tabernaculum SEX erat cubitorum ex vtraque parte. SEX diebus gloria Domini inclinauit ſuper monte Synai, cooperiens illum nube; quo ſignificatur huius vitæ tempus. SEX alæ Cherubin, tempus ſæculi demonſtrant. SEXTVS menſis fuit, in quo factum eſt verbum Domini in manu Aggæi Prophetæ. SEX tribulationes apud Iob ſunt huius vitæ paſſiones. SEX annis ſeruiebat Domino ſuo ſeruus Hebræus. SEX annis ſeminanda terra. SEX diebus licebat operari. SEX diebus colligendum

Ezech. 42
Exod. 24.
Eſai. 6.
Agg. 1.
Iob. c. 5.
Exod. 21.
Leuit. 25.

Digitized by Google

colligendum manna, & SEXTO duplum legendum, & alia plurima à Bungo excogitata. Hactenus de Numero hoc. *Leuit. 25. Exod. 16.*

NVNC ad originum probationem, quas vnicuique Martyri consignat *Eulogius*, deueniamus. B. PETRVS ex vrbe ASTIGITANA oriundus memoratur. De ea videtis, quæ supra diximus *Tom. 1. Die XV. Ianuar. fol.* 164. Hodie in Conuentu Hispalensi Bæticæ dicitur ECIJA. *Astigitana vrbs.*

POST *B. Petrum* Martyrem *Astigitanum*, subsequitur S. VVALABONSVS Diaconus, quem ab ILIPENSI Ciuitate exortum indicat *Eulogius*, Quo loco Ambrosius Morales *in Notis n.* 3. Duas fuisse in Hispania ILIPAS, totis viribus fatetur; alteram in Bætica, alteram in Lusitania: illam *peñaflor* in Conuentu Hispalensi; hanc in Bæturia Turdulorum ZALAMEA *de la Serena*, olim Cordubensis Conuentus: & cùm proprio ex capite circa locum originis S. Martyris iudicium dare decerneret, pro PEÑAFLOR sententiam tulit, nullo prorsus innixus fundamine, vt ex eius *Notulâ* patescit. Quam opinionem postmodùm insequentes Bætici Scriptores, sine delectu, Martyrem Oppido PEÑAFLOR adiudicarunt inconsulti, in præiudicium iuris quæsiti Oppido ZALAMEA, pro qua decertare, tanquam pro patria mea opus erit. HINC saluâ pace *Moralij*; EGO B. Martyrem ex ILIPA *Baturia* oriundum fuisse, ex sequentibus contendam. *Qua Origo S. VValabonsi?*

PRIMO, quia esto quod *Eulogius* haudquaquam vrbi *Prouinciam* consignauit, eius verba intelligenda sunt, de ea vrbe, seu Oppido, quod *Curiæ*, in qua factum euenit, subiectum credimus. ILIPA, quæ PEÑAFLOR Hispalensi Conuentui parebat, & nihil eum *Corduba* commune in iurisdictione habebat; At verò ILIPA, quæ & ZALAMEA, Conuentus erat *Cordubensis*, in qua factum narratur: ergo potius pro ista, quam pro illa iudicandum est. Audi de vtraque *Plin. lib. 3. c. 1.* Conuentus hosce referentem: *Oppida* HISPALENSIS *Conuentus, Celtica, Axatiana, Arucci, Menoba,* ILIPA. Et postmodùm prosequitur, paucis interiectis; *Altera* Bæturia, quæ diximus Turdulorum, *& Conuentus* CORDVBENSIS *à Bati ad Fluuium Anam tendit.* Hic igitur sita est Nostra ILIPA, vt ipse fatetur *Moralius*, licèt perperam in Lusitaniæ circulo consignauerit: ergo constito quòd MEA hæc ILIPA semper fuit Conuentus Cordubensis, & altera alterius, id est Hispalensis; credibilior ratio est, S. Martyrem ad propriam Curiam aduentasse, ex vrbe illi subiecta, quàm ex exterâ. *Pro Ilipa Baturia probatur I.*

NEC obstabit, si perperam dicatur, tempore Sarracenorum, & quando martyrium euenit, Regem Cordubæ omnia possidere, absque antiquorum Conuentuum delectu: Quia respondetur, quòd esto quòd omnia possideret, attamẽ districtus, & Conuentus antiquæ Geographiæ semper fuêre separati, & in quolibet Præfecti constituebantur, vt & vrbium nobilitas seruaretur, & accidentium subleuationum temeritati succurreretur: prout & hodie in Regnis Hispaniæ Catholico Monarchæ parentibus. Hinc ILIPA Bæturiæ mea semper, quousque Rex Sanctus Cordubam adquisiuit, Cordubensi Tyranno paruit, vt liquet ex Scriptoribus Nostris. *Obiectioni tacitæ respondetur.*

SECVNDO, Nam eo quod *Eulogius* omisit Prouinciam, vnusquisque suam vrbem, nomine ILIPÆ aut ILIPVLÆ, siue ELEPLÆ insignitam, illustrare huius S. Martyris origine conatur. Ideo Martin. de Anaya in *Apolog. Contr. Quintana-Dueñas fol.* 25. *p.* 5. Illum Diuum ad NIEBLA, quæ olim ELEPLA, perduxit. Bermudez de Pedraza *Hist. Granat.* ad GRANADA, quæ olim ILVPVLA, vel circiter, refert. Sed & Nos meliori iure ex supradictis ad Nostram ILIPAM Bæturiæ B. Martyrem protrahemus, & vt in cæteris euenit, vnusquisque in suo sensu abundet. *Probatur II. ex locorũ varietate.*

Postmodùm *VVistremundum* ex ASTIGIA oriundum fatetur *Eulogius*. Sed quæ hæc vrbs sciscitaberis, nam de ea *Moralius* silet. Hinc notandum est, hanc Vrbem diuersam ab ASTIGI, quam hodie ECIJA dicimus. ASTIGIA titulo *Veteris*, consignatur à Plinio *lib. 3. c. 1.* Titulo *Claræ*, ab Aulo Halo meo vers. 237. fol. 39. Eam hodie dici, vt suspicatur P. Martin. de Roa *Histor. Astigit. c. 3. fol.* 15. VALCARGADO; licèt alij contendant esse vicum, hodie ALAMEDA dictum. *Astigia vrbs qua?*

SEXTO IDVS IVNII.

DIES VIII.

A. *Apud* Leramam *in Maſburgijs Hiſpaniæ* S. CALLIOPÆ *Martyris, quæ pro fidei confeſſione, poſt vberum abſciſſionem, carnium aduſtionem, & ſuper ardentes teſtulas volutationem, Nerone imperante, truncato capite ad martyrij coronam viriliter properauit.*

B. Gerundæ *in Hiſpania Citeriori*, SS. GERMANI, PAVLINI, IVSTI, & SCICII *Martyrum, qui in Diocletiani Imperatoris perſecutione à Ruffino Iudice vocati, vt idoli cuiuſdam ſculperent imaginem (erant enim in arte periti) & polirent; ſed fidei conſtantiâ, non ſolum in illud obſcœnum opus manus apponere nequiuerunt, ſed Iudicem increpantes, ab eius cæcitate reducere contendêre. Ex quo comprehenſi, & varijs obiecti verberibus, & ſupplicijs, ad æterni gaudij requiem feliciter cucurrerunt.*

C. Valentiæ *in Edetanis Hiſpaniæ Citerioris*, S. EVTROPII *Abbatis primùm Seruitani, pòſt ipſius vrbis Epiſcopi, qui mirificis clarens virtutibus, & illuſtribus coruſcans miraculis, doctrinâ inſignis, & eruditione præclarus obdormiuit in Domino.*

D. Aſturicæ *feſtiuitas Nouæ Eccleſiæ Cathedralis Conſecrationis, quæ annuali repetitur feſto, & magnifico reiteratur applauſu.*

NOTÆ.

A. *Menologium.* SANCTA CALLIOPA Martyr.] Eius nomen, & agonem deſcripſit Græcorum *Menologium:* aſt quo loco illum conſummauerit, reticet; quod & efficit *Martyrologium Romanum.* Illius hæc ſunt verba: *Eodem die S. Martyris* CALLIOPÆ, *quæ ſub Decio Imperatore, ſpecie Corporis, & Animæ pulchritudine inſignis, à Chriſti amore, & fide ſeparari non potuit: ſed licèt exciſæ fuerint illi mammæ, licèt ſuper acutas teſtas pertractæ, & incenſæ carnes ſale aſperſæ, tamen adiuuante Chriſti Angelo, capite truncata, martyrio coronata eſt.* Iſtius hæc: *Eodem die* S. CALLIOPÆ *Martyris, quæ ob Chriſti fidem, mammis abſciſſis, atque aduſtis carnibus, ſuper teſtulas volutata, capite demum truncata, Martyris palmam accepit.* Eadem referunt Martyrologia P. Dion. Vazq. *Caſtellanum*: PP. Soc. Ieſ. *Luſitanum*; & P. Higuera *MS. Hiſpanum.* Sed quod ſupra relatis defuit, Iuliani Noſtri Archipresbyteri Toletani *in Aduerſ. n. 555. fol. 128.* ſuppleuit ſedulitas. Hic

Martyrologia.

agens

agens de Noſtra S.Martyre, huiuſmodi ecphraſim concinnauit: : : : : : : : *Triboraci (quod oppidum nunc* Lerma *eſt in* Masburgiis) *Commemoratio* S. CALLIOPÆ *cognomento* LERAMÆ, *à quo nomen accepit oppidum, fortiſſimæ Chriſti Martyris, quæ in perſecutione* Neronis *mamillarum abſciſſione, carnis exuſtione, & ſuper ardentes teſtas volutatione, demum capitis abſciſſione, fidei cauſa Martyr euaſit. Agunt de ea Græcorum Menologia, & Martyrologia* VIII. *die Iunij, Anno* XIII. *Imperij Neronis.* Vt iſte locus *Iuliani* integer redderetur, ſuſpicabar, in parte vitiata ſubſtituendum: LERAMÆ, vt ſit clauſula: *Leramæ Triboraci, quod oppidum* LERMA *eſt in Masburgijs:* quà lectione verbum demonſtratiuum *Lerma* reſpondet *Leramæ*, in lacuna ſubſtitutum. Nec in diuerſitate temporis Imperatorum hallucineris, ex eo quòd Græci ſub *Decio*, & Iulianus ſub *Nerone* paſſam S. Martyrem profiteantur: nam ambiguitatis ſolutio communis eſt. *Græci* à loco paſſionis remoti, nec agonis palæſtram agnouêre: quid ergo ſi temporis apud illos numerus intercidit? *Iulianus* verò *Hiſpanus*, & in perquirendis Sanctorum indigenarum agonibus ſedulus, quid mirum ſi Martyris homopolus verum martyrij computum adinuenit? Cui in hoc potius quàm Menologio ſtandum eſt. ACTA quippè S.Martyris â nullo conſcripta cognoui; illa ex exteris, & Noſtris coagulabimus.

Iuliani lacuna ſuppletur.

Menologij incuria deprimitur.

ACTA S. CALLIOPÆ MARTYRIS Leramenſis in Masburgis Hiſpaniæ; ex Varijs.

CALLIOPE *cognomento* LERAMA *ad Oppidum in* Hiſpaniæ *Masburgis* Setiſacum (*pòſt ob S.Martyris trophæum*, Lerama *dictum*) *primos ambientis aëris flatus eſuxit: Illo æuo quo* S. IACOBVS *Apoſtolus, &* Hiſpaniæ *Magiſter Chriſti nomen per totius regionis circulos prædicabat. Illo per Herodem occiſo, eius Diſcipuli* Hiſpanias *luſtrantes innumeram fidei ſegetem peperêre. Horum alicuius (vt creditur) ſuaſionibus, & doctrinis* CALLIOPA *religionis amore incenſa, fidem eſt Catholicam totis viſceribus amplexata. Sub huius ſalutiferi regula inſtituti, quotidie virtutum cumulus augebatur, ita vt animi dotes Virginis per totius prouinciæ terminos elucerent, velut inter ignes Luna minores. Eius corporis pulchritudo ſic fuit pudore commixta, vt qualis fuerit in illa hæſitaueris ſplendidior. Certant enim inter ſe ſæpeſæpius, & animi elegantia, & corporis venuſtas. In Virgine vtriuſque candor, alterius comparatione perlucet, & vnus ab alio gratiam inſumens, perfectiſſimum pulchritudinis inuolucrum recepit ab ipſa vicinia. Hac igitur innocentia cordis, & pudicitia venuſtatis ſemper fidei adhærens ad adoleſcentiæ peruenit annos, quibus marito matura connubium cum ſimillimo (opus eſt fateri) Chriſti famulo contraxit, cuius matrimonij oneribus incumbens, placidam coniugij normam adimpleuit humillima. Inter tot tantáque coniugalis amoris vincula, inuida antiqui ſerpentis rabies, vt nodum charitate conſtrictum ſolueret, validum romphæi cuſpidem immiſit. Erat quippe Citerioris Hiſpaniæ Prafectus per hæc tempora* Seruius Sulpicius Galba *in Chriſtianos ſeueriſſimus, qui* Neronis *perſecutionem extendens, plurimos in Noſtris Vrbibus coronauit. Inter alios Triboraci* CALLIOPAM *Chriſti aſſeclam agnoſcens, illam in funeſtum carceris ergaſtulum detrudens, vt à propoſita fidei tenacitate deſiſteret, compellere ſatagebat. Perſtitit viriliter in confeſſione Chriſtiana fœmina, cuius conſtantiam in tanta venuſtate, fortitudinem in tanta pueritia, & firmitatem in tanto ſqualore demiratus ſæpe* Sulpicius, *ebrius furore, Martyri mamillas exſcindere ferreis, & aduſtis forcipibus imperauit. Nec iſthæc amore ſaucium Agoniſta cor, tormenta mouêre, ſicut nec Iudicis inſaniam tantum animi robur vel minimùm ſedauit. Vterque reuertitur ad inſtantiam,* Galba *vt verbere Martyrem vincat,* CALLIOPA *vt viribus ſternat Præſidem. Iſte ad vlteriora procedens, teſtulas acutis cuſpidibus efformatas humo extendi præcipit, ſuper quas Martyrem nudam adtrahens, è toto pulchro corpore ſanguinem eliciens, nihil ex ore quod idololatriam redoleret, eſuxit.*

Origo.

Chriſto adhæret.

Coniugem accipit.

Comprehenditur.

Cruciatur.

Digitized by Google

Excanduit Præſidis ira, & ac ſi Corpus ſui cauſam præberet furoris, in illud bilis acrimoniam conuertens, ab eo vindictam exigere contendebat. O cæcitas imperantis! Ergo glorioſam fœminam ſtipiti affigere ſatellites, & lampadibus incenſis eius crudeliter latera adurere cœperunt, donec corpus ſeminſtulatum è ſtipite cadens, illud ſale conſperſum in ergaſtulum proiecêre. Hic Martyris Deus eſt vulnera medicatus; nam Angeli miniſterio in primeuam elegantiam

Coronatur. CALLIOPA *redacta eſt; quod intuens* Galba, *protinus capitalem ſententiam ferens, illam militibus commendauit, qui ſanctam fœminam extra vrbem trahentes, abſciſis ceruicibus, Martyrem effecerunt,* VIII. Idus Iunij, *Anno Domini* LXIX. & XIII. Imperij Neronis.

An Nupta? Iſthæc ACTA facillimè comprobabimus, ſi connubium S. Martyris adfirmetur. Quod ſine dubio ex ipſa *Menologÿ* clauſula elicitur. Nam ſi tantùm Martyr vocitatur, probabiliter credi poterit, ipſam iam virginitatis honore non gaudere, quia non eſt credendum *Menologium*, & *Romanum Martyrologium*, & quod eſt fortius *Iulianum Noſtrum*, illam tanta priuare excellentia fœminam voluiſſe; ſi illa, vt credimus, eniteret. Quæ coniectatio patronum habet *Aulum Halum* meum in *Codice MS. Carminum*, vbi hoc *Octaſtichon* reperitur.

IN TVMVLO S. CALLIOPÆ Martyris Leramenſis in Hiſpania.

CALLIOPA *en vocor, orta in Ciuitate* LERAMA,
Quâ Chriſto nomen ſorte fauente dedi.
Poſthæc dum vixi ſimili coniuncta marito,
Coniugium felix, lege iubente ſequor.
Demum pro Chriſto conſtans mandata Neronis
Reſpuit hincque fides, verbera, flagra ferens.
Galba *miniſterij ductor me vincere tentat;*
Impius aſt telis vincitur ipſe ſuis.

Iam vides connubium; & coronam tempore *Neronis* inſpectas; de *Galba* Præfectura illo æuo apud Hiſpanias in Citeriori, vbi LERAMA Ciuitas, plura apud Scriptores, ideóque de re nota Auctores cumulare prolixum. Pro omnibus Sueton. Tranquil. in *Galba c.* 8. & 9. vbi poſtquam de Præfectura *Hiſpaniæ Tarraconenſis* eidem delata egiſſet, proſequitur: *Per octo Annos variè, & inæquabiliter prouinciam rexit, primò acer, & vehemens, & in coërcendis quidem delictis vel immodicus.* Videndi *Dion, Plutarchus*, & cæteri Rom. Rer. Scriptores.

Galba Hiſpaniæ Præfectus.

Topographia. SETISACVM, ſic legendum, non TRIBORACVM, vt perperam in edito Codice *Iuliani* Noſtri. Hæc vrbs antiqua Hiſpaniæ in Murborgorum prouincia, ex Ptolom. *lib. 2. Geograph. Tab. 2. Europ. c. 6.* vbi poſt *Cantabros*, proſequitur: *Sub his* MVRBORGI, *in quibus Ciuitates, Braum, Siſaraca, Deobrigula, Ambiſna,* SETISACVM. Populos iſtos *Masburgios* vocitat Villanouanus, & Ludouic. Non. in ſua *Hiſpan. c.* 55. In his, qui inter *Vacceos* conſignantur, LERAMA Oppidum, hodie LERMA ex Florian. de Ocampo *Hiſt. Hiſpan. lib.* 3. *c.* 40. XXI. Mill. ab *Burgenſi* vrbe diſtans. Fuit titulo Comitatus inſignis de Domo, & familia *Sandoualium*, donec *D. Franciſcus de Sandoual* titulum in *Ducatum* erexit. Aſt nepote ſine liberis decedente, diuiſis titulis *Dux Infantatus*, provt nepos virilis, Comitatum accepit: *Dux Cardonenſis* Ducatum, additum à *D. Franciſco*, poſtmodùm *Cardinale*, qui in dicto Oppido Collegiatam Eccleſiam erexit, omnibus ſuis miniſtris abſolutam.

Vrbium nomina mutantur. NEC eſt nouum, vrbes nomina in titulos Sanctorum, quorum martyrium eſt apud ipſas conſummatum, aut quorum corpora ibidem requieſcunt, commutari. *Scalabis*, propter agonem S. Irenæ, hodie *Santaren* dicitur. *Compoſtella*, hodie *Santiago*; & aliæ innumeræ, quarum Catalogum recenſere longum.

SS. GER

Digitized by Google

SS. GERMANVS & Socij Martyres.] Eorum meminit Philipp. Ferrar. *in Catalog. Gener. SS. die 31. Maij in Notul. fol. 224. n. 1.* vbi hæc verba adnectit: *In Histor. SS. Cathaloniæ memorantur* GERMANVS, IVSTVS, PAVLINVS, *&* SCICIVS, *nulla facta* Victuri, *&* Syluani *mentione. Sic in Tabul. & Kal. Eccles. Gerundensis, vbi horum Natalis feria II. post festum Trinitatis celebratur.* Eadem Anton. Vincent. Domenec *Histor. SS. Catalon. lib. 1. fol. 51. col. 2.* Ieronym. Pujad. *Hist. Catalon. lib. 4. c. 79. fol. 213. col. 4.* Et merito, quia diuersi sunt isti Martyres, ab illis, quos illo die consignauimus ex *Notkero, Canisio,* & aliis, quia vt ibidem asseruimus, isti, dempto GERMANO, nominum differentiâ discernuntur. Illi *Germanus, Victurus,* & *Syluanus.* Isti *Germanus, Paulinus, Iustus,* & *Scictus.* Illi sine Actis. Isti cum relatione martyrij, quam ex *Codice MS. Gerundensi,* damus: B. *Scriptores.* *Martyres isti ab aliis diuersi.*

ACTA SS. GERMANI, PAVLINI, IVSTI, & SCICII Martyrum Gerundensium; ex Codice MS.

GERMANVS, PAVLINVS, IVSTVS, & SCICIVS *ex vrbe vbi nunc est* Pera *in* Emporiis *oriundi fuêre. Nam ibidem erat quidam vir nomine* Heter, *qui ex se progennit filios* Lirum, *&* Syrum, *hos matrimonio coniunxit cum* Flora, *&* Gelida *filiabus alterius incolæ nomine* Cors. *Ex istis coniugijs prodiêre Nostri quatuor Sancti. Nam* SS. GERMANI, *&* PAVLINI *patres fuêre* Lyrus *&* Flora: SS. IVSTI, *&* SCICII, Syrus *&* Gelida. *Dum ergo* Floræ *tumesceret venter, euênit, quòd in somnijs sibi visa est videre, quatenus ex eius aluo ignis coruscans totum terræ ambitum illuminans, prosiliret. Quæ omnia* Lyro *retulit, qui insomnium demiratus conticuit. Ergo tempore designato* Flora GERMANVM, *&* PAVLINVM *adelphos fratres enixa, illos reuerenter alere incepit. Erat in vrbe mulier* Facunda *nomine, Christi fidei addicta, cui* Flora *prælibatum somnium mysterioſis adnutibus enarrauit. Quod cùm* Facunda *percepisset, sancti Spiritus inspiratione commota, somnium his clausulis patefecit:* Filia mea, somnium quod vidisti, à Domino meo IESV-CHRISTO conflatum est. Nam scire debes, quod isti tui filij sunt Ecclesiam Dei, velut faces coruscantes, illuminaturi. Quapropter, prout tibi Deus tanti beneficij Auctor, huiusmodi voluit reuelare secretum, tu beneficio haud ingrata persistas. Vt ergo ab isto vitio immunis euadas, protinus baptismatis lauacro munita, Dei placitum gratanter adimple, & tantã gratiam fide liberalis exolue, vt postmodum cum filiis in cœlis gaudiis perfruaris æternis. Flora *sanè* Facundæ *verba complectens, feruida charitate constricta protinus Christo nomen dedit occultè, & fidem, donec vixit, intrepidâ firmitate seruauit.* Lyrus *emortuâ vxore* GERMANVM, *&* PAVLINVM *filios in domum* Gelidæ *matertera nutriendos immisit.* Gelida *verò cùm nocte quadam in vtramque aurem dormiret, vocem audiuit dicentem:* Gelida soror accede huc. *Illa vocis sonitu perterrita, huc, & illuc inspectans,* Floram *suam adspectu decoram, & ore venustam inuisit, sibi dicentem:* Vis soror mea tantam pulchritudinem, quantam in meis oculis demiraris, obtinere? *Gelida dixit:* Quo pacto hoc fieri potest? Siquidem ego à natura nigra, & deformis sum nata. *Cui Flora:* Vade ad *Stephanum* Sacerdotem, qui non procul abest, à quo edisces, quid factura es, vt me pulchrior euadas. *Quibus dictis euanuit.* Gelida *timore correpta, somnium excutiens, vt* Stephanum *perquireret Sacerdotem, viam vicini montis ingressa est. Post varios ergo compendiorum anfractus, Domino duce, ad locum, quo* Stephanus *morabatur, peruenit. Qui à Deo edoctus* Gelidam *benignè recipiens, illam in fidei mysterijs instruxit, & post triduum, ieiunijs, & orationibus vacantem, baptizatam dimisit. Nec est prætermittendum, quod die tertio euenit, nam cùm* Stephanus *Sacrum faceret,* Gelida *adhuc catechumena, in manibus Sacerdotis hostiam eleuantis, pulcherrimum puerum inuisit, qui illam manu dextrâ inuitabat.* *Origo.* *Parentes.* *Somnium Floræ Matris declaratur à Facunda.* *Christo nomen dedit.* *Item Gelida soror.*

His *ſic peractis*, Lyrus *leuir ad ſecundas pertranſiens nuptias*, Florentiam *vxorem accepit, ex quâ duos liberos ſuſcepit, quorum alius pulchritudine decorus; alius exilis, & leprâ conſperſus extitit. Quod vt agnouit cognatio, in enixæ domum prorumpens, gratulatura, partus inæqualem demiratur ſortem. Ergo* Gelida, *occaſione ſumpta,* Florentiam *eſt ſic viriliter alloquuta.* Conſobrina ſoror, ſi cognouiſſes myſterium, quod in te Deus operatus eſt, potius lætitiam, quàm moleſtiam inſumeres. Quid enim eſt conferre tibi filium informem, ſqualidum, & leproſum, niſi hoc ænigmate oſtendere, quàm ſit fœda, ſordida, & horrida Gentilium lex, & idolorum vanitas, quam profiteris? Si ergo filio ſanitatem deſideras, in Dominum meum Ieſum-Chriſtum, Dei Filium, natum ex Maria Virgine, crede; & tu, filiique tui protinus baptizentur, vt videas magnalia Dei. *Poſt hæc* Florentiæ *omnia quæ ei euenerant cum* Stephano *prolixâ enarratione recenſuit. Quibus auditis,* Florentia *Spiritus-ſancti feruore ſuccenſa,* Stephanum *accerſiri rogat, qui accedens, illam in fide per ſemeſtre inſtructam, vnà cum filijs aqua ſalutari abluit. Quâ acceptâ, filius leproſus protinus integram ſanitatem obtinuit. Poſtea cùm quadam die, multo mane in domus cubiculo occluſo, præſentibus* Gelidâ, Florentiâ, *& alijs fidelibus,* Stephanus *Miſſa ſacrificium perageret, euênit, quod tempore eleuationis Hoſtiæ, ad oſtij portas accederent* Germanvs, *&* Pavlinvs, *& per eius rimulas conſpicerent in manibus Sacerdotis eleuatum Chriſtum Seruatorem Noſtrum; illos manibus, & oculis vocantem; ad cuius viſionis ſpectaculum roborati, validis clamoribus Chriſti virtutem profeſſi ſunt, & in cubiculum ingreſſi, poſt ſacrificium, gratiam Baptiſmatis percepêre. Altera die cùm in ipſo Oratorio* Florentia *velut altera Magdalena, ad pedes* Stephani *ſedens, contemplationi vacaret, interim quod* Gelida, *prout Martha, miniſtraret; domum ingreſſus eſt* Lyrus, *qui inueniens vxorem in ſecreto domus receſſu iuxta Sacerdotem, zelotypia commotus, enſe euaginato ſanctum Presbyterum eſt aggreſſus. Aſt Deus, qui in tempore ſuis fauet, & fouet, & hæc compendia quærebat vt omnes ad Eccleſiæ gremium perduceret,* Lyri *ſuſpicionem puniuit, nam illum, immobilem in operatione, & rabidum in dolore conuertens, ibidem furore correptum dereliquit. His per* Gelidam, *&* Florentiam *notatis, ad Aram Virgini Matri, pro Miſſa ſacrificio conficiendo, erectam ſupplices acceſſerunt, & ad Deum oratione facta, vt ſibi prouideret,* Lyrum *circundant, cui filium ſanitati reſtitutum, demonſtrant, dicentes:* Si vis ſanus fieri, crede in Chriſtum, & ſanaberis. *Quæ cùm perciperet verba* Lyrus, *valido clamore dixit:* Credo in Ieſum-Chriſtum, & baptizari volo. *Quo dicto protinus ſalutem priſtinam recepit. Omnibus ſic peractis,* Gelida *ad propriam domum reuerſa eſt, vbi cum coniuge ſuo* Syro *communem vitam agebat. At cùm quadam die ſanctiſſima fœmina in ſeceſſu cubiculi orationi perſiſteret genuflexa, à proprio coniuge viſa eſt, qui eam Chriſtianam eſſe coniectans, arrepto gladiolo, in illam deſæuiens, illius iugulum deſecare conatur. Sed à Dei Angelo pueruli pulchrâ formâ apparente, præpeditus, in terram veluti mortuus corruit, vbi iacuit, donec adſcitis, per* Gelidam, Lyro, Florentia, *& alijs Chriſticolis, quibus ſucceſſum prædixerat, ſalutem coniugi lachrymabiliter poſtulabat.* Lyrus *verò omni ſpe in Deo poſita, in diuerſorium ingreſſus, & quaſi mortuum fratrem inueniens* Syrum, *illum in lectum repoſuit. Qui breui interuallo in proprium ſenſum reuerſus, omnia quæ viderat, & euenerant, circunſtantibus enarrauit, & aquam Baptiſmatis enixè efflagitans, illâ lotus, integram ſanitatem* Stephano *demirante recepit. Poſtmodum* Ivstvs, *&* Scicivs *eius filij ſimiliter, poſt naufragium originis, ad portum ſalutis, tabulâ Baptiſmatis mediante, feliciter peruenêre. O altitudo diuitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei, quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius! Quis non videt, quibus circulis hoſce Martyres ad ſui nominis agnitionem adtraxit. Sed quid hoc? Videte, quibus ad martyrium perduxit.*

Item Florentia conſobrina.

Item Germanus, & Paulinus fratres.

Item Lyrus maritus.

Item Syrus Lyri frater.

Itẽ Iuſtus, & Scicius fratres.

Cvm ergo SS. Germanvs, Pavlinvs, Ivstvs, *&* Scicivs *ad virilem peruenissent ætatem, vt otij onera excuterent, honeſtam artem addiſcere*

discere sunt aggressi; ideo sculpturæ exercitio illecti, totis viribus, vt illam perfectiori calculo comprehenderent, desudarunt. Sic enim omnes eius eruditionis apices exuxêre, vt merito inter huius doctissimos seculi opifices, primum tenerent locum. Ergo parentibus orbati, toti se ad opera manuum suarum conuertêre, & bene illis erat; quia cum mundanos aui diffugerent tumultus, in fide constantes, à coniugio abstinentes, & quæ Dei erant amulantes, ab illo mirabilia percipere innumera promeruêre. Inter alia celebre fuit: Nam cùm domus ædificaretur in loco vicino, vnus ex operarijs è summo fabricæ angulo corruens, sic confractus inuentus est, vt de eius vita desperaretur; ast Sanctorum deprecatione Sculptorum, sanus, & liber euasit. Ab hinc cùm in aliud Oppidum conuenissent, cæcum, surdum, & mutum incolam inuenientes, eius miseratione commoti, tactis oculis, lingua, & auribus, ad pristinam loquelam, visum, & auditum, Christi inuocatione traxêre. Cuius miraculi fama sic ciuium corda compleuit, vt stupefacti Sanctos insequerentur Artifices: qui leuem laudis auram effugientes, deserto Oppidulo, in aliud peruenerunt. Hic quippe erat homo à dæmone obsessus, quem per Christi nominis inuocationem, protinus ab iniurijs mali spiritus liberarunt. Sed cùm ibidem quoque à plebium turbis insequerentur, dimisso populo, Gerundam *conuenêre, ad cuius portam, cùm hominem fere decrepitum, & claudicantem, eleemosynam expetentem inuenissent, illum liberum, vt domum repedaret, Christi nomine, dimiserunt.*

Martyres sculpturæ artem addiscunt.

Miraculũ.

Aliud.

Illo *siquidem seculo Romani Orbis habenas* Diocletianus & Maximianus, *crudelissimi Christianorum inimici tenebant, qui vt ferocius persequerentur fideles,* Dacianum Hispaniarum *Præsidem constituêre. Hic* Valentiam *pertingens,* Ruffinum *in partes Catalonia dimisit, vt penitus prouinciam illam à latronibus (sic Christianos vocitabat) repurgaret. Qui* Ruffinus *cùm* Gerundam *accederet, occiso* Felice, *& alijs, ad vlteriora in Christiani nominis exterminium, infidâ defatigatione processit. Quod vt facilius exigeret, Deorum aliquot simulacra constituit effingere, quæ à peritis in arte affabrè elaborari desiderans, artifices huius generis eruditos conquisiuit. De* SS. Germano *& fratribus ad eius fama peruenit auditum, quibus, suis obtutibus, accersitis, dixit* Ruffinus: Vestræ sculpturæ opinio in omnium volitat ora, ideò vos coram me conueniri volui, quia nonnullas Deorum populi Romani imagines, quas omnis populus iste adoret, à vobis effigiatas desidero, ideò illas vt illicò scalpro valido elaboretis, exposco. Germanvs *respondit.* Omnes Dij Gentium dæmonia: Solus vnus Deus est, qui fecit cœlum, & terram. In admirationem rapior Ruffine, quo sensu præcipis, quòd nos Deos tuos confingamus, qui si nostrarum sunt opera manuum, inferiores nobis erunt, cùm notum sit, quod qui agit, excellentior sit re acta; Ergo Ruffine, Deum Creatorem cœli & terræ humiliter adora, qui eius operante clementiâ Filium suum vnigenitum in hunc mundum dimisit, ex Maria Virgine natum, pro nobis passum; qui est Rex Regum, & Dominus Dominantium. *Obstupuit Iudex, & Sanctos in ergastulum conijci, vt fame perirent, iussit; Custodi commendans, ne penitus epulæ fructum immitteretur. Sed Angelus Domini, in medium eorum stans, confortauit illos, & quanto pretio vniuscuiusque constantia apud Deum esset, asserit, quibus dictis euanuit. Post octo igitur dierum spatium, sunt Sancti Pugiles coram* Ruffino *perducti, & vestibus spoliati, plumbeis globulis flagellati, in carcerem redacti. Media quidem nocte iterum Angelus Domini apparuit, qui eorum vulnera contrectans, & ab eis sanguinem abstergens, demum illos pristinæ sanitati restituit. Post triduum illos iterum accersiri iussit Iudex, quos fallaci oblectamento suscipiens, hæc Sanctis Martyribus dixisse fertur:* Vt quid pro Crucifixo mortem oppetitis? Illum deserite, & ad nostros confugite Deos. Illum insequendo, cruenta vos imminet mors. Istos adorando, honorabilis & læta vos remanet vita. Ego totis viribus vestram exaltabo prosapiam, & vt ab omnibus honoremini, imperiali auctoritate curabo. *Tunc omnes Sancti*

A Ruffino vocati.

Capiuntur.

Cruciãtur.

exclamantes vno ore dixerunt : O dæmonum membra : Vos veſtros Deos adorate ; Nos credimus in Ieſum-Chriſtum , extra quem , neminem adorabimus. *Eorum conſtantiam notans* Ruffinus, *extra vrbem, iuxta* Tenebricoſæ-Vallis *rudera tribunal collocari præcepit, cui inſidens, aduerſus Dei Martyres ſententiam tulit huiuſmodi :* GERMANO, qui Deum eſſe Patrem, & Filium fatetur, ceruices malleo confringantur, PAVLINO, qui Chriſtum Crucifixum, Verum Deum eſſe contendit, caput ab humeris diſcindatur. IVSTO, qui Chriſtum eſſe caput vniuerſalis Eccleſiæ vociferatur, iugulum amputetur. SCICIO, qui Chriſtum immiſiſſe Spiritum Sanctum in linguis igneis, in Apoſtolos, prædicat; igne comburatur. *Quod vbi cognouêre Martyres, Deo gratijs actis, ad palæſtram ſe accingunt, & tempore, quo ſatellites ſententiam executioni mandabant, repente Cælũ contremuit, & vocis ſonitus auditus eſt, dicentis:* Pretiola in conſpectu Domini mors Sanctorum eius : *Quo audito* Ruffinus , *præ timore è Cathedra dilapſus, in vrbẽ cum cætera plebis caterua tremebundâ confugit.* CORPORA *Sanctorum occiſa, quædam deuota, & honeſtæ fœminæ noctu colligentes , illa in proprijs tecbis marmoreis, cum vniuſcuiuſque nominis expreſſione , in loco vbi poſtmodùm Eccleſia* S. Felicis *erecta fuit , ſepelière. Dies agonis creditur* VI. Idus Iunij , *Anno Domini* CCC. *Pòſt à* Carolo Magno *ſacra lipſana in honoratiorem ſitum tranſlata quieuêre , donec à* D. D. Arnaldo de Monrodon *Epiſcopo in Eccleſia Cathedralis* Gerundenſis *Capellà repoſita , magna Ciuium veneratione coluntur ; præſtante Domino N. Ieſu-Chriſto, qui cum Patre, & Sancto Spiritu viuit & regnat. Amen.*

Sententia in Martyres.

Coronãtur.

Conduntur.

En Acta latinitate donata , in quibus quæ probanda veniunt, communia. Nam *Daciani* Præſidentiam, & *Ruffini* legationem, nullus eſt qui ignoret, præcipue ſi Acta *S. Felicis*, & aliorum Martyrum percurrat. Quod Chriſtiani vocarentur LATRONES, quo titulo, & NOVÆ SVPERSTITIONIS inuentores cognoſcebantur, adhuc antiqua monumenta ſuperſunt, quibus huiuſmodi conuitia continentur. Cæſ. Baron. in *Annal. Eccleſ. tom.* I. *Ann.* 69. *n.* 46. ex lapidis *Hiſpanici* epigraphe, has notas in huius probationem edidit :

Chriſtiana fides à Gentilibus Superſtitio credita.

NERONI. CL. CÆ. AVG.
PONTIF. MAX. OB PRO
VIN. LATRONIB. ET HIS
QVI NOVAM GENERI HVM.
SVPERSTITIONEM INCVLCAR.
PVRGATAM.

QVATENVS ad *Tranſlationem* ſacrorum pignorum à *Carolo Magno*, & *D. D. Arnaldo de Monrodon* Gerundenſis Eccleſiæ Epiſcopo factam, licet aliqui de Aduẽtu in Hiſpanias Imperatoris Caroli dubitarint, in probationem ſufficiat authentici inſtrumenti clauſulam à dicto Epiſcopo ordinatam ſubiicere ; quâ , & Tranſlationis à ſe factæ memoriam , & *Caroli* aduentus recordationem, *Gerundenſiſque* Vrbis oppugnationem præſcribitur, vt patet ex *Hiſt. SS. Cathalon.* P. F. Anton. Vincentij Domenec *lib.* I. *fol.* 10. *col.* 4. ſic :

Tranſlatio Corporum.

> QVODQVE virtutum decore, adeò (CAROLVS MAGNVS) refulgebat, quòd Altiſſimus pro eius claris meritis, & dignis, ſibi gratis dignatus fuit grandia & crebra miracula operari, vt geſtorum ſuorum pollens Hiſtoria manifeſtat. Et quod propterea fuit per S. Sedem Apoſtolicam, dignè Sanctorum Catalogo aggregatus, & de eo per totam Alemaniam feſta dies intitulata IV. Kalend. Februarij in Dei Eccleſia, Anno quolibet celebratur. Attendentes inſuper, & ad memoriam reducentes, quòd inter cæteras Hiſpaniæ Ciuitates, Gerundenſem Ciuitatem armorum potentiâ abſtulit Sarracenis, & Gerundenſem Eccleſiam, ſponſam noſtram, nec non ferè omnia Monachorum cœnobia noſtræ diœceſis fundauit pulcherrimè, ac dotauit etiam & affluenter. Ideo volentes, & pia conſideratione ducti plurimùm affectantes ; vt tàm in dicta Eccleſia Gerundenſi, quàm in cæteris Eccleſiis noſtrarum

Digitized by Google

ſtrarum Ciuitatis,& Diœceſis, de eo celebris, & colenda memoria perpetuo habeatur, de conſilio, & aſſenſu noſtri Venerabilis Capituli ſtatuimus,ac etiam ordinamus,quod de cætero dicta die fiat annuatim feſtum Signi Noui de Almo Confeſſore B. Carolo Magno prædicto in Gerundenſi Eccleſia prælibata: Et quod in Altari Capellæ Beatorum Martyrum GERMANI, *IVSTVRI, PAVLINI, & SCICII, quam fundauimus, & dotauimus in ipſa etiam Eccleſia, ſimul cum ipſorum Sanctorum inuocatione, eiuſdem Almi Confeſſoris ſit, intituletur, & perpetuo collocetur, &c. * IVSTI.

Poſt hæc P. Anton. Vincent. Domen. d. lib. 1. fol. 54. plura de hiſce SS. Martyribus miracula recenſet, quorum ecphraſim qui perlegere cupit, ACTA ab eo conſcripta Hiſpano ſermone, percurrat, vbi ad amuſſim. *Miracula remiſſiuè.*

PERA. Vrbs vt creditur vetuſtiſſima in Hiſpania Citeriori, intra Gerundenſis Ciuitatis circulum, in Empuritanorum Gotholanorum confinio, vt referunt idem Domenec, & Pujad. d. lib. 4. c. 79. fol. 213. col. 4. Sed quod hodie Oppidum, ignoratur. *Topographia.*

S. EVTROPIVS Epiſcopus.] Fuit diſcipulus *S. Donati*, Abbas *Seruitanus*, Coadiutor *S. Leandri* in diſpoſitione canonum Concilij III. Toletani,quo Gothi fidem Catholicam, perfidiâ ſectæ Arij abiuratâ, complexi ſunt; pòſt *Epiſcopus Valentinus*. Arnald. VVion in *Martyrol. Monaſtic. h. d.* de eo iſta verba recenſet: *Valentiæ in Hiſpania* S. EVTROPII *Epiſcopi, & Confeſſoris: hic ex Abbate Sirbitano* (lege Seruitano) *Epiſcopus Valentiæ factus, doctrinâ, & exemplo populos ſibi commiſſos in fide continuit.* Illum ſequuntur *Hugo Menard.* & Philipp. Ferrar. *in Catal. Gener. fol.* 237. & in *Topograph. SS. fol.* 131. Non eſt audiẽdus Franc. Tarrafa de *Reg. Hiſpan. in Siſebuto. Ann.* 595. qui Noſtrum EVTROPIVM Hiſpanum, cum alio *Gallo Arauſicanæ* Eccleſiæ Epiſcopo, qui vixit tempore *Valentini II.* Imperatoris, de quo *S. Verus* Epiſcopus vitam luculento ſermone deſcripſit, vt notauit Vſuard. *ad diem VI. Kal. Iunÿ*, confundit. Nam quis *Verum* Epiſcopum *Hiſpalenſem* per illa tempora inuenit? De eo S. Iſidor. *de Script. Eccleſ. c.* 32. Honor. Auguſtodun. *lib.* 3. *c.* 38. Trithem. *de Vir. Illuſtr. Benedictin. lib.* 2. *c.* 14. S. M. Maxim. *in Chron. Ann.* 590. Iulian. *in Aduerſ. n.* 464. *fol.* 130. Ambroſ. Moral. *Hiſt. Hiſp. lib.* 11. *c.* 70. Ioann. Viclarenſ. *in Chron. Ann.* 8. *Marutÿ Imperat.* qui agens de Synodo congregata Toleti, ob deteſtationẽ Ariani erroris, concludit: *Summa tamen Synodalis negotÿ penes* S. Leandrum *Hiſpalenſis Eccleſiæ Epiſcopum, &* Beatiſſimum Eutropium *Monaſterÿ Seruitani Abbatem fuit.* Abhinc cauendum eſt à Baronio *Annal. Eccleſ. tom.* 7. *Ann.* 589. *n.* 44. qui pro EVTROPIO, perperam repoſuit, EVPREPIO. Ex Neotericis videndi Eſcolan. *Hiſt. Valent. lib.* 2. *c.* 12. *n.* 5. *pag.* 313. P. Diago *ead. Hiſt. lib.* 5. *c.* 9. *&* 10. *fol.* 202. *& ſeqq.* R. P. F. Thom. de Herrer. *in Alphabet. Auguſt. lit. E. fol.* 207. P. Maluend. *Ann. Prædicat. tom.* 1. *Ann.* 1194. *fol.* 34. *col.* 4. Gabriel Pennot. *l.* 1. *Hiſt. Canon. Regul. c.* 56. *n.* 4. Padilla, Vaſſæus, Mariana, & P. Marquez, cæteríque Rer. Hiſpanicarum Scriptores. Eius Acta nullus ſcripſit; ea Nos ex Variis contexemus. *Martyrologia.* *Tarrapha error.* *Scripteret.*

ACTA S. EVTROPII EPISCOPI VALENTINI; Ex D. Iſidoro, Maximo, & alijs Scriptoribus Eccleſiaſticis.

EVTROPIVS *ex nobiliſſima* Gothorum *gente creditur ortus in* Hiſpania, *vbi à primis vnguiculis ad ſtudia literarum illectus, plurimos de ſe iam maturus in ſacra eruditione ſpirauit odores. Perrexerat ex Africa in* Hiſpaniam *Sanctiſſimus* Donatus, *& profeſſione, & opere Monachus, qui violentias barbarorum Gentium imminere conſpiciens, atque ouilis diſſipationem, & gregis Monachorum pericula pertimeſcens, ferè cum Septuaginta Monachis, copioſiſque librorum codicibus, propria deſerens, noſtra littora perluſtrauit; nam prior in* Hiſpaniam *Monaſtica obſeruantiæ vſum, & regulam, puriori-bus inuexit laticibus; ex quo in Noſtra Regione Monachos in Cœnobiorum cellulis,* *Origo.* *S. Donatus in Hiſpaniam venit.*

Digitized by Google

cellulis, ex eremis, ſpeluncis,& montibus diſperſos abſque Prælatis,& Abbatibus congregauit, Seruitanumque *Monaſterium, inter* Carthaginem Spartariam, *&* Valentiam *conſtruxit, vbi plurimos aſcetas ſanctitate conſpicuos,& literis claros nutriuit. Ad huius ergo inſtituti famam innumeri tàm Procerum, quàm communium ciuium Viri, propter vitæ actiua, paſſiuaquè fructus, velociter cucurrêre; inter quos* EVTROPIVS *calcatis mundi illecebris,& deſpectis ſeculi honoribus, portum in* Seruitani *Monaſterij cæleſti emporio efficaciter adinuenit. Ibidem ad* S. Donati *vbera nutritus, eximij Patris virtutes ebibens, quà doctrinâ, quà moribus, viuum Magiſtri beatiſſimi fuit reputatus exemplar. Illo è viuis ſublato, & inter cæleſtes Ciues ſuſcepto,* EVTROPIVS *in Sanctiſſimi* Donati *Abbatis ſuffectus eſt. Huius muneris onera, renuens licet, ſuſcipiens, antiqui Conditoris* Auguſtini, *& moderni fundatoris* Donati, *ſic eſt imitatus veſtigia, vt neutiquam ab vtriuſque regulis ipſe, aut Monachi in minimo deuiarent. Eccleſiæ* Carthaginis Nouæ *inſulas induebat* B. Licinianus, *poſt apud Conſtantinopolim Martyr, ad quem Noſter S. Abbas* Epiſtolam *direxit, in qua ſciſcitatur, quam ob rem baptizatis infantibus Chriſmatis vnctio tribuatur. Necnon ſcripſit ad* Petrum *Epiſcopum* Ercauicenſem, *aliam de diſtrictione Monachorum, ſermone ſalubri compoſitam, & valde Monachis neceſſariam, quæ adhuc (vt fertur) MS. in Floriacenſi Bibliotheca ſeruatur. Plurimas denique diuerſis conſcripſit, vt ex S. Iſidori apparet elogio.*

Seruitanum Monaſterium extruit.

Eutropius fit Monachus.

Abbas Seruitanus.

Epiſtolas ad varios ſcripſit.

PER *hæc tempora mortuo* Leouigildo *Gothorum in* Hiſpania *Rege, qui Catholicæ* Hiſpanicæ *Eccleſiæ plurimùm edictis Præſules afflixerat,& exilijs, in eius locum* Reccaredus *glorioſiſſimus, &* Catholicus *pòſt, ſucceſſerat* Princeps, *qui protinùs, vt ad regiminis adſcendit faſtigium, in Gothorum ad Catholicam fidem conuerſionem intendens, omnem operam continua defatigatione conſumpſit, quouſque rem ad perfectionis apicem, gloriosâ confeſſione perduceret. Quod vt feliciùs fieret, Concilium apud* Regiam *indixit vrbem, vbi tam ipſe, Regina, Epiſcopi, & clerus; quàm Proceres, Palatini, Ciues, & cæteræ plebium turbæ, Arianâ face polluti, ipſam publicâ abiuratione damnarunt,& confeſſioni fidei Nicænæ adhærentes, ſymboli eiuſdem articulos ſunt cordis humiliatione profeſſi. Summa ergo huius* Toletanæ *Synodi, negotiique complementum, abiurationum diſpoſitio, fidei profeſſio, & canonum ſtrues penes Sancti* Leandri *Hiſpalenſis Eccleſiæ Epiſcopi auctoritatem, & Noſtri Beatiſſimi* EVTROPII *Abbatis* Seruitani *curam ſtetit. Vnde liquet quantis apud Regem,& Hiſpaniarum Antiſtites meritis decoraretur, qui ſocium habuit in re tàm graui,& conſpicua celebre illud Eccleſiæ lumen,* Gregorij Magni *Pontificis amicum, & totius conuerſionis Gothorum, Conciliique Apoſtolicum Legatum. Expleto denique tanti facinoris opere* EVTROPIVS *ad proprium repedauit Cœnobium, donec è viuis ſublato vltimo ex duobus* Epiſcopis Valentinis, *ad illius Eccleſiæ regimen fuit, eo renuente, tranſlatus, vbi quoad vixit, in grege ſibi commiſſo ſalutaribus paſcendo doctrinis, in fidei regulis inſtruendo, in virtutum cumulis colligendis, vitam conſumpſit, & clarus miraculis obdormiuit in Domino,* VI. Idus Iunij, *Anno Domini* DC. *vel circiter, regnante* Reccardo *Catholico Gothorum Principe.*

Gothorum conuerſio.

Cura Canonũ Concilij penes Leandrum, & Eutropium.

Epiſcopus Valentinus.

Moritur.

Cœnobium Seruitanum cuius inſtituti? Hæc ſunt, quæ potuimus ACTA coagulare, quorum ecphraſim communiter recipiunt Scribentes. Aſt cuius inſtituti fuerit *Donati* regula, quam EVTROPIVS profeſſus eſt, hìc opus, hìc labor. Lis eſt inter *Benedictinos*, & *Auguſtinianos*; vtriuſque Ordinis Scriptores in hanc prouinciam deſudant: Pia quippe contentio eſt. Nos noſtram proferemus ſententiam *Tomo VI. huius Anamneſis, die 1. Nouembris*, quo *S. Donati* Acta recenſebimus, vbi quid in hoc notatu dignum inuenerit ſedulitas, cumulabimus.

Cui ſucceſſit Epiſcopo? DIXIMVS *quod mortuo vltimo ex duobus* Epiſcopis Valentinis *ſucceſſit Abbas Noſter?* Et optimè, quia tempore conuerſionis Gothorum duo erant ipſius Vrbis Epiſcopi, alius Arianus, alius Catholicus, qui vnus poſt alium regimini Eccleſiæ præfuit, quibus defunctis, ingreſſus eſt EVTROPIVS. Rationem aſſignat P. Diago

Hiſt.

Digitized by Google

Hiſt.Valent. lib.5.c.10.fol.209.col.2. Nam mos erat tunc quando quælibet Eccleſia duos Epiſcopos agnoſcebat, quod ſuperſtes regimini deceſſoris præficeretur. Sicque non eſt deferendum *Eſcolano* dicenti S.Abbatem ſucceſſiſſe *Celſino*, cùm haud conſtet, an iſte, an *VViligiſcus* vltimò deceſſerit.

Quas Epiſtolas ſcripſerit?

SCRIPSIT Epiſtolas ad Varios, præcipuè alteram ad B. LICINIANVM Epiſcopum Carthaginenſem, & alteram ad *Petrum Ercauicenſem*: de hiſce Epiſtolis meminit S.Iſidor.*d.c.*32. his verbis: EVTROPIVS *Eccleſiæ* Valentinæ *Epiſcopus, dum adhuc in Monaſterio* Seruitano *degeret, & Pater eſſet Monachorum, ſcripſit ad Epiſcopum* LICINIANVM, *cuius ſupra fecimus mentionem, valde vtilem* Epiſtolam, *in qua petit ab eodem, pro qua re baptizatis infantibus, Chriſmatis vnctio tribuatur. Scripſit, & ad* PETRVM *Epiſcopum* Ercauicenſem (ſic legendum) *de diſtractione Monachorum, ſermone ſalubri compoſitam.* Quod & notauit Biuar.*ad Max.Ann.*590. *n.5.fol.679.*

Qui Canones Concilij fecêre?

CIRCA Aſſiſtentiam in Concilio Toletano III. quo Gothi Arianam ſectam abiurarunt, necnon S.Abbatis ſollicitudinem in conficiendis Concilij canonibus, & ad alia negotia feliciter exequenda, tantique perfectionem operis, cum Leandro, conſequendam; poſt S. M. Maxim. *in Chron. Ann.*590. adſit S. Ioannes Viclarenſ. *in Chron. Ann.*584. his verbis: *Summa tamen* Synodalis *negotij penes* Leandrum *Hiſpalenſis Eccleſiæ Epiſcopum, & Beatiſſimum* EVTROPIVM *Monaſterij* Seruitani *Abbatem, fuit.* Quod & notauit Biuar. vbi Supr. *d.Ann.*590.*n.2.fol.673.§.9.*

Abbas Seruitanus ſucceſſit S.Donato.

QVOD ſucceſſerit in Abbatiatu Seruitano EVTROPIVS Sanctiſſimo Donato Monachorum in Hiſpania Magiſtro; ita Iulian. Archipresbyt. Toletan. in Aduerſ. n.464.fol.130. hac clauſulâ: *Succeſſit illi* (DONATO) *in Abbatiatu* Seruitano EVTROPIVS, *qui fuit Epiſcopus Valentinus.* Quod & fatentur Scolanus in *Hiſt. Valent. d. lib.2. c.12.* Diag. in *Annal. Valent. d. lib.5. c.9. &* 10. & cæteri relati.

Annus obitus.

QVATENVS ad Annum OBITVS apud omnes altum ſilentium, illum Annum conſignauimus in ACTIS, quia Anno DC. X. iam alius erat Epiſcopus Valentinus, ſcilicet *Marinus*, qui ſubſcripſit Gundemari Decreto. Cætera communia ſunt, illa conſultò prætermittimus.

ASTVRICENSIS Eccleſiæ Conſecratio.] Huius feſtiuitatis ſolemnitatem alibi cum eiuſdem S. E. Aſturicenſis DEDICATIONE iungemus. Hic illud ſcias, hoc feſtum introductum, ob noua Encænia ibidem celebrata: De quibus & Nos alibi. D.

QVINTO IDVS IVNII.

DIES IX.

A. S. VINCENTIVS *B. Valerij Cæſarauguſtani Leuita, natione* Agennenſis *in Gallia, cùm in patriam pergeret prædicationis gratiâ, ibidem tentus martyrio coronatur; cuius corpus Valentiam Hiſpaniæ adlatum, poſtea ad* Caſtrenſe *Galliæ* Cœnobium *tranſlatum, honorificè quieſcit.*

B. Meuaniæ *in Vmbria* S. VINCENTII *Epiſcopi* Toletani, *qui cùm per viginti & tres annos ipſius Vrbis Eccleſiã mirabiliter*

mirabiliter rexiſſet, cui literas Anterus Pontifex Maximus direxerat, relicta Sede, in Italiam tranſit, vbi in Gentilium conuerſione viſcera, & vires accommodans, ad vſque tempora Diocletiani, & Maximiani peruenit; quibus, à B. Brictio Spoletano Præſule Eccleſiæ Meuanienſis Epiſcopus deſignatus, ibidem multa pro grege perpeſſus, tandem Confeſſor in Domino quieuit.

NOTÆ.

A.

Duo fuerũt Vincentij Leuitæ Cæſarauguſtani.

SANCTVS VINCENTIVS Martyr Agenenſis.] Duos fuiſſe huius nominis *Leuitas Cæſarauguſtanos*, ipſóſque à *S. Valerio* illius vrbis Epiſcopo nutritos, abs Tyrannis interfectos propter nominis Chriſti confeſſionem, nemo ſanæ mentis ibit inficias. De *Oſcenſi* apud *Valentiam* paſſo, iam diximus *Tom. I. die XXII. Ianuarij*. De *Agenenſi* in *Gallia* occiſo, hoc edicere die compellimur, quia eo tàm antiquorum, quàm recentiorum Martyrologia ipſius conſignant agonem. Audi Romanum h. d. *Agenni in Gallia* S. VINCENTII *Leuitæ, & Martyris*. Eadem *Beda, Vſuardus, Ado, Notkerus, Bellinus, Maurolicus, Galeſinius*, & cæteri Neoterici, & Equil. in *Catal. SS. lib. 11. c. fin. n. 167*. Ex Noſtris *Martyrol. Caſtellanum* P. Vazq. *Luzitanum* PP. Soc. Ieſu *Hiſpanum MS.* P. Higuera. Heleca Cæſarauguſtan. *in Addit. ad M. Max. fol. 222. col. 2*. Abbas Carillo in *Vita S. Valer.* c.... fol...., P. Morillo *Hiſt. Cæſarang. 1. p. c. 25. pag. 218*. Eſcolan. *Hiſt. Valent. Decad. 1. lib. 1. c. 12. fol. 310*. Franciſc. Didac. de Aynſa *Hiſt. Oſcenſ. lib. 2. c. 19. fol. 206*. Vincent. Blaſco in *Hiſtor. Aragon. lib. 3. c. 22*. & alij plures. Non me latet, Scriptores *Gallos* nihil penitus circa *Leuitici* Ordinis munus apud *Cæſarauguſtam* ſcripſiſſe, quin potius à *B. Capraſio* Epiſcopo *Agennenſi* ordinatum Diaconum contendunt. Aſt quæ illos effugêre Actorum qualitatis ſpecialia, à Noſtris ediſcent. Pro omnibus Heleca: CÆSARAV . STA *felix putanda eſt, quæ* DVOS *ſub* Valerio *Pontifice habuit* VINCENTIOS, *vtrumque* Archidiaconi *laude præſtantem: Alterum* OSCENSEM *ex Hiſpania:* AGENNENSEM *alterum ex Gallia. Antiquior* AGENNENSIS, *quem in Galliam miſit prædicationis gratia* S. Valerius. *Ei ſucceſſit Iunior* VINCENTIVS, *qui præclarum virtutis, & innocentiæ præbuit ſpecimen. Vterque paſſus in perſecutione Diocletiani. Hic Anno* CC. LXXXVII. *Ille verò* CCC. IV. *Vterque poſtea ſepultus in Vrbe* Valentiâ *Hiſpaniæ. Prior Hiſpanus* (ſic legendum ex Aynſa) *allatus eſt ad Promontorium Sacrum. Hic verò* (hoc eſt Gallus) *in Gallias ad Monaſterium Caſtrenſe, Anno circiter DCCC. L. Hiſpanus* DCC. L. *Obſidente Valentiam Abderraghmene. Vtrumque celebrat* Prudentius; *Leuiter* AGENNENSEM, *cùm dicat:*

Heleca teſtimonium.

Scriptores.

Inde VINCENTI *tua palma nata eſt,*
Clerus hic etiam peperit triumphum.

OSCENSEM *fuſiùs cùm ait:*

Nonne VINCENTI *peregrè necandus.*

Vſque ad multos verſus Poëmatis. Habuêre iſti Sanctiſſimi Leuitæ multas Templorum ædes in Hiſpania & Gallia. Toleti *fuit ædificatum ab* Gundemaro *Templum in laudem* S. VINCENTII *Hiſpani Leuitæ; & à* Iuliano Epiſcopo Toletano *alterum in honorem* S. VINCENTII AGENNENSIS *in edita parte huius Vrbis Regiæ, cuius deuotiſſimus fuit.* Verba ſequentia *Heleca* tributa: *Et fecit illi hoc carmen*: abundant, & merum gloſſema eſt. Nam quo pacto *Iulianus* (quiſquis ille ex Iulianis Toletanis Epiſcopis fuerit) Epiſcopus Toletanus poterat futurum recenſere *Audaldi* Tranſ-

Gloſſema in Heleca eodice diluitur.

latione

lationis euentum, si vltimus Iulianorum Episcopus Toletanus (etiamsi demus *Vrbanum*, qui excidio Hispaniæ, & Toleti interfuit, itidem *Iulianum* vocatum, ex Iulian. Archipresbyt. Tolet. *in chron. n.* 477.) per ferè vnum seculum Translationi præcesserat? Omnes ergo penè Nostri Scriptores superius citati fædè in hunc errorem glossematis collapsi, absque temporum ratione, Poëma illud *Iuliano* Episcopo, nescio cui, tribuentes, exteris ansam dedecoris Scriptis *Heleca* præbuêre. Ergo vt sensus, & ecphrasis epigrammatis, tempori, & euentui conueniat; loco, *Et fecit illi hoc carmen*, reponendum erit, *Ego feci illi hoc carmen*. Quod & verum est, nam in mea Carminum farragine MSS. hoc Epigramma titulo notatur, literis exaratum Gothicis.

AD S. VINCENTIVM LEVITAM Cæsaraugustanum, & Martyrem Agennensem abs Heleca Cæsaraug. Epigr. conscriptum.

VINCENTI *pater vs constans, qui Martyr* Agenni,
Et Leuita *sacer sanguine ad astra volas.*
Mucro tibi caput eripuit funestus: at illo
Laurea sacra tibi non moritura datur.
Gallia *te genuit, docuítque* Augusta *Ministrum*
Cæsarea, *&* Valeri *sub pietate viges.*
Gallia *téque iterum recipit sacra verba docentem,*
Maximianus inops mentis at ipse necat.
Post cineres te Præsul amans quoque Murila *vectat.*
Ipse Valentinus *ad sua tecta vigil.*
Tandem te ad patrios reuocat voluentibus annis
Audaldus gaudens iussus & ipse lares.
Ora pro nobis VINCENTI *splendide Martyr,*
Cui Iulianus *opem postulat ipse tuam.*
Qui tibi sub charo construxit pectore Templum,
Et dedit exterius, quo venereris, opus.

Hic licet *Iuliani* mentio sit, non tanquam Poëmatis auctoris, sed tanquam Templi constructoris, ideóque non in primo, sed in tertio loquitur tempore, & persona. Eius acta ex variis Nostrorum, & Gallorum monimentis veraciter assuemus.

ACTA S. VINCENTII LEVITÆ Cæsaraugustani, & Martyris Agennensis; ex Varijs Script.

VINCENTIVS *in* Gallia *genitus, ad* Hispanias *veniens, & Cæsaraugusta vrbis maximæ sistens, sub* Valerij *ipsius Ciuitatis Episcopi clientela nutritus, celebre indolis, & virtutis exhibuit specimen. Cuius* Valerius *prospiciens prudentiam, grauitatem, & in Ecclesiasticis rebus eruditionem, inter septem* Leuitas, *quem more Apostolico numerum habebat, illum adscripsit. Quo fungens* VINCENTIVS *munere, tantam de se spirauit doctrinæ copiam, vt Sanctum impulerit Antistitem, quatenus illi suprema Ecclesiasticæ profectionis munia committerentur propediem. Eo tempore sæua Imperatorum Dio-* Origo. Leuita Cæsaraugustanus fit.

eletiani, & Maximiani per Gallias ſerpebat perſecutio aduerſus Chriſti aſcetas, Daciano Præſide Galliarum, & Hiſpaniarum, miniſtrante; cui vt ſe opponeret S. Leuita, fideléſque roboraret ſuos, ad patriam repedare conſtituit; & accepta Valerij Præſidis licentia, & benedictione, in Galliam reuertitur, & apud Agennum Aquitaniæ vrbem ſiſtens, à Capraſio ipſius vrbis Epiſcopo benignè acceptus, illi ordinis munus Sanctiſſimus Pontifex commendauit. Quo ergo onere Leuita peraccenſus intrepidè ad ſtadium proceſſit, & peragrando Agennenſem tractum, in eo Apoſtolicis vocibus, Chriſti ouiculas perſecutionis furore perterritas in fide confirmauit, multosque infideles, diuinâ prædicatione, in caulas Dominici gregis induxit: tandem veniens ad Velaunum agrum Reonemenſis ruris, vbi ſacrilega turba paganorum conueniebat, fadaque idolomaniæ deluſa diabolicis præſtigijs ſeruiebat; ne eiuſmodi illuſionibus populus diutius deciperetur, inter turbas nefandæ ſuperſtitioni inhiantes, Candidatus proximi triumphi Athleta Chriſti, ſuperno igne accenſus inſilijt, fraudulenta diabolicæ machinationis opera declarauit, eleuatáque ſurſum dexterâ, ſigno CRVCIS phantaſticam machinam, cuius ſpectaculo illudebatur miſer populus, diripuit; adſtantiúmque ſtolidam, ac exitioſam ſuperſtitionem increpans; eoſdem, vt oculos ad veræ pietatis lucem aperirent, purúmque Dei Seruatoris cultum (ex quo Beati fierent) amplecterentur, magno charitatis feruore hortatus eſt. Aderat tunc Dacianus Præſes qui tanta virtute Chriſti nominis attonitus, hominémque ſolo armatum verbo, tam ſtupenda operantem demiratus, dubio agitari cœpit, quid de eo decerneret. Veritus tamen ne inueterata religionis tanto irriſæ prodigio auctoritas decideret, Lictores ferè è veſtigio miſit, qui præconem Chriſti apprehenderent, ad ſéque pro tribunali ſedentem adducerent. Rapitur ad Iudicis audientiam propudioſæ ſuperſtitionis inſectator, profligatórque damoniacæ impoſturæ; verbiſque duris excipitur tanquam ſacrorum auitorum violator, Numinum contemptor, & hoſtis patriæ. Silet ad hæc probra Dei pugil: At eum Præſes impellere nititur, vt Chriſti nomen eiuret, atque ad Pſeudonuminum aras facti pœnitens, quo has prophanauerat, thurificet. Exhorruit tam impiam ſuadelam VINCENTIVS vigoréque pietatis plenus, ſcelus tantum deteſtans, Chriſti præconia magnificentiùs attolit, impuros dæmonum ritus exagitat, populi errorem lamentatur, Præſidis inſaniam reprehendit; quem vt veri Vnicique Numinis cultum ſalutarem ſuſcipiat, cuiúſque gloriam in virtute exhibita, vidit, gratiam oblatam non reſpuat, ore, & pectore, diuino ſpiritu plenus cohortatur. At Præſidis ira talibus dictis magis efferbuit. Pium igitur monitorem terroribus aggreditur, cùmque minis flectere nequiret, diris impetit verberibus. Euocatis tortoribus iubet, vt exquiſitis torqueant contumacem reum ſupplicijs. Tripartitis itaque ſudibus in terram defoſſis, hinc inde Chriſtianus miles ſolotenus extenditur, plumbatis tunditur, adhibitis loris flagellatur tantâ feritate vt dilaceratâ vndique tenerâ cute, ſanguis copioſus defluceret. Sub hac preſſura Leuita altiùs adſurgit animo, quóque magis laceratur, eò magis lætatur, tripudiat; Carnifices ipſos, vt ſæuius agant, ſeriò impellit. Iam tertius laniſta lacerando ſulcandoque defecerat, Virúmque Dei nullâ affecerat moleſtiâ, qui nihil aliud quàm Chriſtum, corde, & ore, proferebat. Vnde iratus Tyrannus, carnificibus inſtantiùs hominem ita (vt aiebat) perditum torquere iubet, quatenus aut tormentorum vi compulſus, IESVM, quem vnicè ſpirat, eiuret; vel voce, verberibúſque prorſus deficiens, nomen eius ſi non neget; ſaltem taceat. At fruſtra furit in Leonem impotens vermiculus. VINCENTIVS enim Chriſto inhærens, omnes impetus ceu columna ferrea tenues auræ flatus excipit, & ſuperat. Præcipit igitur Iudex furore abreptus, illum è ſudibus ſolui, & ad delubrum duci, ibi vel vt aris impura thura adoleat, quibus expiet Deorum iniuriam, ſuámque placet iram, vel gladio ictus intereat. Abſoluitur ergo bellator inclytus à patibulo, membris quidem laceris, ſed ſpiritu alacer, & robuſtus, adem ad prophanam adducitur. At ibi diuino ſpiritu confortatus, non tantum Dijs litare aſpernatur, ſed ex eorum contemptu Chriſti trophæum adornat.

In Galliam reuertitur.

Populos ad fidem conuertit.

Comprehenditur.

Cruciatur.

Idola euertit.

Cuius

Cuius triumphali ſigno delubrum euertit, ſimulacráque inanium Numinum vnà obruit. Stridet Præſes, fremunt ſacrificuli, plebs ſtupet. At VINCENTIVS *iam victor piâ ſuperbiâ intumeſcit, idolorum improperat aſtantibus vanitatem, Chriſti virtutem attollit, gloriam prædicat, in eum credentibus gratiam, & felicitatem pollicetur; iamque de imminente ſibi morte, quâ perennem ad vitam abit, lætatur, gloriatur. Quem cùm diutiùs non ferret Præſes de ſua inſania triumphantem, latâ Capitali in eum ſententiâ, ad locum ſupplicij trahi per ſuos ſatlelites decernit. Ducitur igitur Chriſti victima ad immolationem. Non expauit ad conſpectum theatri, ad fremitum populi, ad littoris efferatam faciem, ad gladij fulgentis intuitum, imò neque ictum Chriſtiana ouis; ceruices intrepidè extendit, ſubque* CRVCIS *ſignaculo manum percuſſoris ſpectat, iſte ferit, illa cadit, imò ſurgit reportans ex detruncatione Capitis coronam, ex morte vitam, ex agone ſuo extremo gloriam ſempiternam* V. Idus Iunij, *Anno Domini* CC. LXXXVII. *Coronatur.*

ATHLETÆ *diuini* Corpus *Chriſtiani perpauci, qui tunc temporis ibidem erant, metu Gentilium clanculùm collegerunt, altiſque ſcrobibus condiderunt. Poſtmodùm reuelatum: deinde aliquot ſeculis tranſactis,* Murila *Epiſcopus* Valentinus *Anno* DC. XV. *ex Galliâ* Valentiam *Hiſpaniæ tranſtulit, è quâ iterùm in* Caſtrenſe *Cœnobium* Audaldo *impulſore, Anno* DCCC. L. *delatum eſt.* *Corporis Tranſlationes.*

Hæc ſunt ACTA, quæ ex Helecâ, & Noſtris, & Sauſſayo & Gallis excerpſimus. Alia quæ apud eos ſubiiciuntur, pertinent ad feſtum TRANSLATIONIS, quod *die* XXVII. *Octobris Tom.* 5. appingemus. De hoc AGENNENSI agit VINCENTIO Venant. Fortunat. *lib.* 1. *Poëmat. c.* 8. *&* 9. agens de Baſilica huic Martyri conſecrata à *Leontio* Epiſcopo *Burdegalenſi* vltra *Garumnam*:

Tempore vita breuis meritis fit longior almis,
Angustoſque dies tendit honore fides.
Poſt finem ſine fine manet mens dedita Chriſto,
Linquens turbam hominum ſtas ſociata Deo.
Hac ope ſuffultus VINCENTIVS *extat in ævum,*
Gloria martyrij cuius opima viret.
Vertice ſucciſo rapuit qui ex morte triumphum,
Et noua de terris aſtra petit ſoboles.
Credidit vnde necem, Sancto dedit hoſtis honorem,
Percuſſórque magis morte perenne iacet.
Vicerat ille atrox, hunc ſi iugulare nequiſſet,
Nam abſtulit vnde caput, contulit inde polum.
Huius amore nouo pia vota Leontius *explens,*
Quo ſacra membra iacet ſtannea tecta dedit.
Et licet eniteat meritis venerabile Templum,
Attamen ornatum præbuit iſte ſuum.
Præmia ſuccedant Operanti longa Salutis,
Huius vt obſequiis culmina ſancta micent.

P. Chriſtophorus Brouerius *in Not. ad hoc Epigramma fol.* 10. contendit Scriptores Gallos confundere hunc *Agennenſem* Leuitam, cum Noſtro *Valentino*, imò quod nec *Gregorius Turonenſis* loquitur de *Hiſpano*, nec templa niſi *Gallo* porrigit, quem etiam errorem obſequutum eſſe *Cardinalem Cæſarem Baronium* affirmat, & proſequitur: *Sed quidquid eius eſt*, B. Vincentium *ab illo* Hiſpano *vtique* *Brouerij ſententia.*

Digitized by Google

tenemus hìc diuerſum. Cuius neque clarius indicium, quàm ex ipſo Fortunato *promi potest, genus etiam ipſum martyrij canente:*

Vertice ſucciſo rapuit qui ex morte triumphum.

At Cæſarauguſtanus *ille* Leuita, *non obtruncatione Capitis, ſed diuerſo lethi genere vitam finiit, prunis ſcilicet ardentibus, candentibuſque laminis, ambuſto corpore, & fragmentis lancinantium teſtarum confectus: vt Acta Publica* Breuiarij *Romani*, Prudentij *Peristephanon Hym.* 5. Martyrologium *Romanum XXII. Ianuarij, & varij teſtantur. Conſtat enim ab hoc longe quidem alium* Agennenſem *Martyrem fuiſſe, Templorúmque honoribus in Aquitania, cateríſque locis Galliarum prius etiam nobilitatum.* En ex Gallia *Agennenſem* diuerſum ab *Valentino*, & itidem per Gallias templorum ſacris ædibus nobilitatum. Cætera in actis nulla indigent probatione cùm ex *Helecæ* teſtimonio omnia pateant, dempto errore, quo Epigramma *Iuliano* Toletano Præſuli tribuebatur (cum re verâ auctor eiuſdem ipſe Pontifex Cæſarauguſtanus *Helecæ* fuerit) vt perperam credidêre Noſtri Scriptores, & quod dolendum eſt ipſe R.P. F. Franciſcus Biuar, nunquam ſatis laudatus in *Not. ad M. Max. & eius Additionatores in fine Addition. n.* 7. quæ Commentaria adhuc MSS. extant, & iam propediem lucem viſura.

Topographia. AGENNVM vt in libro Prouinciarum, inter *Garites Gallię Aquitanicæ* populos à Cæſare conſtituitur: hodie AGEN, licet *Marlianus* ſomniet LESTORE. Abraham. Ortel. *in Theſaur. Geograph. verb.* Garites putat eſſe oppidum, quod apud Auſonium AGINON dicitur, AGINON eſt apud Ptolem. *lib.* 1. *Geograph. Tab.* 3. *Europ. c.* 7. Eadem voce vtitur Antonini Itinerar. *fol.* 105. apud *Zurit.* AGESINATES Plinio *lib.* 4. *c.* 19. Olim & hodie Ciuitas Epiſcopalis Aquitaniæ ad *Garumnam* fluuium inter *Toloſam*, & *Burdegalam*, ſita, in *Vaſconiæ*, & *Guiennæ* confiniis. Videndi Robert. in *Gall. ſacr.* Miræus in *Notitia Epiſcopat.* à S. Paulo in *Geograph. ſacr.* Ferrar. *in Topograph. SS.*

B.

Scriptorum ambiguitas in diſcernẽdis Actis SS. vnius nominis, qualis?

S. VINCENTIVS Epiſcopus & confeſſor.] Hucuſque varia fuit Scriptorum ambiguitas in diſcernendis Sanctorum vnius Nominis Actis. Hæc tanta confuſione inuoluentes, vt vix futuris ad emendationem veſtigia reliquerint. Res geſtas vnius, aut tempore antiquioris, aut cognitione obſcuri, alio etiam recentiori, vel magis noto, aut celebri, abſque temporum, & operationum ratione tribuêre. Ab hinc ergo tot paſſim inuolucra cognoſcimus, tot nodos diſſoluimus, tantáſque contrariantium opiniones ſedamus. Nec hoc nouum: Adhuc tempore *Theodoreti* iſthæc in diſcernendis Sanctorum Reliquiis querela erat: audi illum ad *Græc. lib.* 8. dicentem: *Nullibi ferè reperiri integrum alicuius Sancti* Corpus, *propter fidelium deuotionem: vel certe cauſa interdum eſſe potuit, quia Sancti fuerunt eiuſdem* NOMINIS, *& ſucceſſu temporis* VTRIVSQVE *Reliquiæ, eiuſdem* perſonæ *exiſtimatæ ſunt, & propter* NOMINIS *ambiguitatem, illi attributa, qui maioris habetur gloriæ, & ſanctitatis.* Huius praxis exempla paſſim reperies. Pro omnibus Noſtris S. VINCENTII, Epiſcopi *Toletani*, pòſt *Meuanienſis* in Vmbria Actorum implicatio ſufficiet. Fuêre duo VINCENTII inter alios, Hiſpani; Alter *Martyr in Meuia*, ſeu *Meuania Hiſpaniæ* circa *Carthaginem Nouam*, ad Annum *Centeſimum*, vt ſupra *die VI. huius Menſis* probauimus. Alter *Toletanus* Antiſtes, qui relictâ Sede, *Italiam* adiuit, & *Brictij* Spoletani comes effectus, *Meuienſis in Vmbria* vrbis Cathedram accepit ad *Annum CC. LXXXIV.* vt nunc probabimus. Horum ergo res geſtas abſque temporum, & qualitatum ratione Scriptores *Itali* confuentes, de vtroque vnum effecerunt, & antiquioris agones, recentiori tribuentes, quem *Confeſſorem* credimus, *Martyrem* compellarunt, & vtriuſque feſtum ad *diem VI. Iunij* retulêre. huius veritatis ſummam probaturus acceſſi: faxit Deus, vt ab errore Eccleſias vtriuſque prouinciæ reuocem. L. Flauius Dexter in *Chron. Ann.* 222. de eo hæc verba connectit: VINCENTIVS *Epiſcopus* Toletanus *ſuccedit Quinctio Toletano pariter Antiſtiti, præeſt annis XXIII. Obijt* MEVIÆ. En ex *Dextro* VINCENTIVM, Antiſtitem *Toletanũ* per XXIII. annos, vſque ad XLV. illius ſeculi annum, quo relicta Sede *Italiam* adiit, ſed quo *Meuiæ* loco, non explicat. Quod & fecit Iulian. Petr. in *Chron. Ann.* 245. *n.* 71. *fol.* 23. per hæc: VINCENTIVS *Epiſcopus* Toletanus *ad Annos CC. XLV. Ad hunc S. Põtifex Antherus*

Ab Italis Scriptoribus confuſi.

Biuarij error.

ſub

Digitized by Google

ſub nomine Metropolitani, in Prouincia Toletana, ſcribit. Fuit vir egregius, & pius. MEVIÆ *vero moritur.* P. F. Franciſcus Biuar. in *Commens. ad Dextr. Ann.* 245. *fol.* 278. neſcio quo duce ſuadetur, Sanctum Epiſcopum & eo Anno, ſcilicet CC.XLV. & *Meuia* in *Hiſpania* vita functum; cùm neutrum dixiſſe conſtet *Dext.* & *Iulian.* Si ergo apud *Meuiam* noſtram mortuus eſſet, vt illis moris eſt, vocem *Hiſpaniæ* coniungerent, vt tauthologiam effugerent; quod nec effeciſſe apparet: ergo longiùs vitam finiuit. Nec iſta exutum illo anno conſtat ex *Dextro*, aut *Iuliano*, quin potius longiorem texuiſſe ex *Aulo Halo* meo conſtat in *libro Carminum MS.* vbi hocce decaſthicon reperitur.

IN FESTO S. VINCENTII PONTIFICIS Toletani, pòſt Meuanienſis in Vmbria.

QVincto *ſucceſsit Præſul* VINCENTIVS *almus,*
Qui fidei regulis nobilitauit agros.
Antheri *normas Papæ vulgauit ad vnguem:*
Exponens ouibus dogmata ſacra ſuis.
Italiam *pòſt Diuus amat, quâ dulcia linguæ*
Condimenta parat, legis & arma vibrans.
Meuaniæ *tandem Cathedram eſt inſignis adeptus:*
Quâ fruitur viuens, quâ moriturque ſenex.
Iunius *arripuit* Quinto, *ſi appinxeris,* Idus
Pontificem Sanctum, quo quoque feſta litat.

Iam vides concordiam in præſulatu, quatenus ſucceſſit *Quincto*, vel *Quinctio* ex *Dextro*, *Iuliano*, *Loayſa*, *Tamayo de Vargas*, & *Turiaſonenſi Epiſcopo*, omnes in ſuis diptychis *Toletanis*. Antheri Pontificis epiſtolæ directionem. Italicam perluſtrationem, Cathedram & *Meuiæ* aſſumptionem, & fruitionem vſque ad vltimam ſenectam, qua ibidem emoriens *V. Idus Iunij*, eius feſtiuitatem hoc die vrbs illa peragebat, intueris. Quid ergo vltra deſideras? Acta; en tibi damus, ſelectis, quæ ad iſtum pertinent Præſulem; & reiectis, quæ ad Martyrem ſpectant *Hiſpanum*. *Omnia in Epigrãmate probãtur.*

ACTA S. VINCENTII EPISCOPI Toletani, pòſt Meuanienſis in Vmbriâ Confeſſoris.

VINCENTIVS *natione, vt coniectatur* Hiſpanus, *poſt primos iuuentutis annos ad literarum, & ſcientiarum ſtudia animam applicuit; quibus Vir eruditus, omnibúſque abſolutus numeris eſt & reputatus egregius.* Toletum *deueniens tantis dotibus inſtructum, protinus illic doctrinæ ſpiritum, & fidei pietatem proprijs operibus manifeſtans, inter viros Catholicos in magno pretio habitus, plurimos virtutum, & exempli, Deo annuente, ſpirauit odores. Patriarchalem tunc temporis Sedem* Quinctus, *ſeu* Quinctius *Toletanus occupabat Antiſtes, quo è viuis ſublato fidelium acclamatione, & Cleri ſuffragiis* VINCENTIVS *in deceſſoris locum ſuffectus eſt. Ad munus itaque Epiſcopale perductus, honoris munia deſpiciens, oneris penſum amplectens, Catholicum ſibi commiſſum gregem, vt ad puriora virtutum protraheret ſpecimina, totis viribus inſudauit, nullum non mouens lapidem, quatenus inter tot perſecutionum procellas, fidelium ſuorum catus, deſpectis tyrannicis ſpectaculis, & calcatis furoris cruciatibus in* CHRISTI *confeſſione perſiſteret. Ergo S. Pontifex cùm per viginti tres annos Eccleſiam Metropolita* Toletanam *direxiſſet, & à* S. Anthero *Papa miſſas Epiſtolas ſuper Eccleſiaſtici Ordinis gubernatione, & circa mutationem de vna Eccleſia ad aliam reſponſione, executioni mandaret, relicta Sede, Romam contendit, vbi à vinculo abſolutus*

Origo.

Fit Toletanus Epiſcopus.

Antherus PP. Epiſtolas mittit.

Digitized by Google

Briſtio Antiocheno *adhærens, penè vniuerſos* Italiæ *populos, fidei prædicationi incumbens, perlustrans, innumeros Dei Eccleſiæ fructus accreuit. Tandem* Meuanienſem Vmbriæ *Eccleſiam illi* Briſtius *commendans, haud ambitionis ſtimulo lancinatus, eſt illam totis viſceribus amplexatus; aberant illo ejus contentionum ſtrages, & competitorum circuitus, quilibet etiam in maiori dignitate conſtitutus parebat euentui, maiora munera deſpiciebat, propter onera maiora. Nec exiſtimationum inuolucra ſerpebant, in quibus potius vanitas, quàm granitas inuenitur. Ergo Metropolita Toletanus*, Meuanienſem *Eccleſiam regendam ſuſcipiens, protinus ad opus miniſterij manum, & ſpiritum applicans, gregem limpidiſſimum, abſque labe nutritum, & doctrinis ſalutaribus educatum, toto vitæ circulo curauit. Demùm S. Vir iam ſenio confectus, à Deo vocatus, ſuæ operationis poſteris egregium relinquens exemplar, humanâ carne depoſitâ, æternam gloriæ chlamydem eſt adeptus*, V. Idus Iunij, *circa Annum* CC. LXXX.

In Italiam proficiſcitur.

Meuaniſſis Eccleſiæ in Italia infulas induit.

Moritur.

Probatur Antherum PP. Epiſtolam miſiſſe S. Vincentio Toletano.

Hæc *Acta*, quæ omnia iam in *prolegomeno* probauimus. Reſtat nunc de Epiſtolâ à *S. Anthero*, Noſtro Præſuli miſsâ identitatem probare. *S. Antherus* Sedem Romanam eſt adeptus, poſt *Pontianum*, Anno Domini CCXXXVII. vt indicat Baron. *Annal. Eccleſ. tom. 2. Ann. 237. n. 10.* S. VINCENTIVS Noſter infulas induit *Toletanas* ab Anno CC. XXII. vſque ad CC. XLV. ergo à fortiori *Epiſtola* relata, & directa *Toletano* Præſuli ab *Anthero*, Anno CC. XXXVII. Noſtro VINCENTIO directa fuit. Audi Epiſtolæ titulum (prout refertur ab Anton. de Aquino in *Compilat. Epiſtol. Decretal. SS. PP. tom. 1. fol.* 108.) ab Anthero Pont. Max. pòſt Martyre, prælibatum.

CHARISSIMIS FRATRIBVS PER BÆTICAM atque TOLETANAM *Prouincias, conſtitutis*, ANTHERVS EPISCOPVS *in Domino Salutem.*

OPTAREM Fratres chariſſimi ſemper dilectionis, & pacis veſtræ ſinceritatis gaudia audire, ita vt viciſſim diſcurrentibus literis ſoſpitatis indicia iuuarentur, ſi quietos nos ab incurſione ſua vacare hoſtis antiquus ſineret: qui ab initio mendax, inimicus veritatis, æmulus hominis, quem vt deciperet, ſe ante decepit; pudicitiæ aduerſarius, luxuriæ magiſter, crudelitatibus paſcitur, abſtinentiâ punitur; odit ieiunia, miniſtris ſuis prædicantibus, dum dicit eſſe ſuperflua; ſpem non habens de futuris, Apoſtoli ſententiâ repercuſſus, dicentis: Manducemus, & bibamus, cras enim moriemur. O infelix audacia! ô deſperatæ mentis ſtultitia! Ipſe enim hortatur odia, & fugat concordiam. Et quia facile ad deteriorem partem mens humana tranſducitur, volens magis per ſpatioſam viam ambulare, quàm arctæ viæ iter cum labore tranſire. Qua de re, Fratres dilectiſſimi, ſectamini meliora, & ſemper relinquite deteriora. Bona agite, mala vitate, vt verè Diſcipuli Domini eſſe inueniamini.

Summa Epiſtolæ.

De mutatione ergo Epiſcoporum, vnde Sanctam Sedem Apoſtolicam conſulere voluiſtis, ſcitote, eam communi vtilitate, atque neceſſitate fieri licere, ſed non libitu cuiuſquam, aut dominatione. Petrus Sanctus Magiſter Noſter, & Princeps Apoſtolorum, de Antiochia vtilitatis cauſâ tranſlatus eſt Romam, vt ibidem potius proficere poſſet. Euſebius quoque de quadam parua Ciuitate, Apoſtolica auctoritate, mutatus eſt Alexandriam. Similiter Felix de Ciuitate, qua ordinatus erat electione Ciuium, propter doctrinam, & bonam vitam, quam habebat, communi Epiſcoporum, & aliorum Sacerdotum, ac populorum conſilio, tranſlatus eſt Epheſum. Non enim tranſit de ciuitate ad ciuitatem, qui non ſuo libitu, aut ambitu hoc facit; ſed vtilitate quadam,

Digitized by Google

quadam, aut neceſſitate aliorum, hortatu, & conſilio potiorum, transfertur. &c.

Plura de hac re ſequuntur in Epiſtola, quæ hic inſerere prolixum: nam ſequentia Pontificis verba, ad charitatem, pietatem, concordiam, amorem Dei, & proximorum diriguntur, pluribus ſacræ paginæ teſtimoniis ſuffulta, & conſperſa. Cætera communia nihil ad Nos.

HINC, ſi verum amas, Lector erudite, à Philippo Ferrario in Catal. General. SS. Die VI. Iunij fol. 234. & in Catalog. SS. Ital. eod. Die fol. 346. diffuge, quia hunc VINCENTIVM cum altero Die VI. huius Menſis confundens, Noſtris duos Diuos adimere conatur. Et perperam, vt, ſi legiſti, ex ſuperioribus ediſcere valebis. *Ferrarij error.*

MEVIA, ſeu MEVANIA. Italiæ vrbs olim Epiſcopalis in Vmbria, quæ vt ex Geographis liquet, Aſſiſio, & Fulgino ad VI. M. P. proxima cernitur, à Peruſia ad XII. P. M. diſtans agnoſcitur. Hodie Epiſcopali Sede caret, & ſub Spoletani Præſulis regimine conſtituitur, nomine BEVAGNA. Eius antiquitatem Ptolom. in Geograph. lib. 3. c. 1. & Plinius lib. 35. c. 14. commendant. *Topographia.*

QVARTO IDVS IVNII.

DIES X.

A. Carauaccæ, *quæ &* Eliocroca *dicitur in Hiſpaniæ Bætica, Sanctorum* RESTITVTI *Presbyteri* Illipulitani, *&* CRISPVLI *Martyrum, qui poſtquam in Concilio interfuêre* Illiberitano, *Hiſpaniam luſtrantes, & fidem populis prædicantes, à Gentilibus tenti, per cruciatuum anguſtias, oblatis ceruicibus, ad coronas peruenêre martyrij.*

NOTÆ.

A.

SANCTORVM CRISPVLI, RESTITVTI, & Sociorum Corona.] Hiſpanos Martyres fuiſſe fatentur omnes penè *Martyrologiorum* Scriptores advſque *Romanum* hoc die ſine controuerſia, vt videre eſt apud *Bedam, Vſuardum, Adonem Rabanum, Peregrinis, Bellinum, Maurolycum, Galeſinium, VVandelbertum, Conſtantium Felicium,* Caſtellanum *P. Vazq.* Luſitanum *PP. Soc. Ieſ.* Hiſpanum MS. *P. Higuera.* Pro omnibus, & meritò, Vniuerſalis Eccleſiæ Romanæ Tabulæ loquantur ſic: *In Hiſpania SS. Martyrum* CRISPVLI, *&* RESTITVTI. Ex Noſtris Padilla *Hiſt. Eccleſiaſt. tom. 1. Cent. 4. c. 32.* P. Mariet. *lib. 2. c. 100.* Roder. Car. *in Not. ad Dextr. Ann. 300. fol. 105. lit. A.* P. Biuar. *in Comment. Ann. 300. Comment. 1. n. 5. & Comm. 2. n. 17.* P. Quintana-Dueñ. *Hiſt. SS. Hiſpal. fol. 304.* D. Martin. de Anaya *in Apolog. aduerſ. Quintana-Dueñ. §. 3. n. 7. fol. 19.* Qui nec fuiſſe Sanctos *Hiſpalenſis* diœceſis vſpiam probat. D. Prudent. de Sandou. *Hiſt. Tudenſ. fol. 17.* contendit ex *Martyrologio Placentino* paſſos apud *Aquas Celenas* in tractu *Tudenſi*, & die *XII. Aprilis*, videnda quæ de hoc diximus ibidem. Iulian. Petr. in *Aduerſ. n. 4.* illos tempore Martialis, & Iuuenalis aſſignat. *Martyrologia. Scriptores.*

aſſignat, quorum amicitiam extollit: *Aduerſ.* 84. *fol.* 23. celebrem per Hiſpanias iſtorum Martyrum memoriam fatetur, & poſt *n.* 86. paſſos *Carauacca, vel Eliocroca die X. Iunij* profitetur. Quis in tanta diſſidentium opinionum ambiguitate pedem figet? Quidquid ſit, *Hiſpania* illos proprios Martyres agnoſcit; nec vnaquævis ex relatis vrbs, quæ ſuos arrogat, in ſubſtantia adorationis errabit, *ſatis enim eſt* (inquit Theodoretus *lib.* 8. *ad Græcos*) *vt ſine errore certum ſit illos eſſe Sanctos*: & concludit P. Soarez *tom.* 3. *in* 3. *p. D. Thom. Diſput.* 55. *Sect.* 2. Theodoreti præloquium eleuans: *Quia in rebus humanis non eſt maior certitudo requirenda; & periculum formalis erroris* (*vt ita dicam*) *nullum eſt, cùm in ratione formali adorandi non poſſit eſſe error. Tum etiam quia ſi interdum materialiter erretur, nulla erit culpa, cùm, bona fide, & prudenti modo, procedat.* Sanctos ergo, nullus eſt qui dubitet, CRISPVLVM, & RESTITVTVM fuiſſe, & ipſos in *Hiſpania* paſſos, ergo ſubſtantiam adorationis habemus. Quod verò *Ilipula, Carauacca*, aut *Aquis-Celenis* paſſos, varia opinatio ſit, hæc accidentalis, ſiue (vt inquit *Soarez*) materialis circunſtantia eſt, in qua licet erretur, in nullo verſabimur periculo, quando ſubſtantiam Sanctitudinis experimur. *Colantur ergo Sancti Martyres vbique, quorum Deus omnia in omnibus, & diues in omnes eſt, qui inuocant eos*, dixit Cardinalis *Cæſar Baronius* ſimili oppreſſus ambiguitate, circa Sanctorum *Carpophori*, & *Abundij* Martyrum locum palæſtræ; in *Notis ad Martyrolog. Roman. die X. Decembr.* Crederem Noſtros Sanctos Martyres paſſos *Carauacca*, quia ſic ſpecificè adnotat *Iulianus*, & *Ilipula* cultos, quia *Dexter* minimè de paſſione verbum aliquod profert. Quatenus ad illos apud *Aquas-Celenas*, iam diximus ſuo loco diuerſos à Noſtris fuiſſe, & diei cultu, & temporis ratione, vbi exempla de vniformitate nominum plurium Sanctorum ſubiecimus. His ſic ſedatis ad Acta pergamus.

Hiſpani fuêre.

Veneratio Sanctorum vbique cõmendabilis.

ACTA SS. CRISPVLI ET RESTITVTI & Sociorum Martyrum Hiſpanorum; ex Dextro.

Origo. CRISPVLVS, & RESTITVTVS *origine* Hiſpani, *iſte ex vrbe Betica Ilipula, ille abſque Ciuitatis aſſignatione; iſte, Presbyter Ilipulitanus; ille, vt creditur Diaconus: à primis infantiæ exordijs Chriſto nomina dedêre; in cuius fide nutriti, poſtmodùm illuſtria doctrinæ, ſanctitudinis, & agonis ſpecimina præbuêre.* CRISPVLVS *ad* Diaconatus *ordinem virtutibus præeuntibus peruenit, nec ad* Presbyteratus *aduênit*: RESTITVTVS *ſummam ſacrorum ordinum dignitatem promeritus, vlteriùs eſt* CRISPVLO *progreſſus. Inter illos amicitiæ neruos conſtrinxit adſiſtentia vtriuſque in illo celebri, & famigerato Concilio* Illiberritano, *cui præfuit* Felix *Epiſcopus Accitanus, & in quo ſubſcripſit* RESTITVTVS *primo loco inter Presbyteros ſeu Vicarios*; CRISPVLVS *haudquaquam quia adhuc illius miniſterium, inter* Diaconatus *terminos præcludebatur. Aſt licèt illius defuit ſubſcriptio, non vero vtriuſque commilitonis integritas in rebus ad opus decretorum Concilij pertinentibus; nam ſic cuiuſlibet intonuit doctrina, præluxit ſanctitudo, & emicuit prudentia, vt facilè quantis Deus eorum viſcera donis, & meritis imbueret, noſceretur. Abſoluto Concilio, Sancti Sacerdotes, iam cordium, & operationum ſympathia deuincti, datâ operâ ſunt per Baticam prædicationis munus aggreſſi, quo innumeros Eccleſiæ accreuêre fideles, inter quos* RESTITVTVS *Sanctos* Caſtorium, Claudium, Nicoſtratum, Simphorianum, & Simplicium *Cantabros, & plurimos ex ipſis transfugas illius vnitati traduxêre. Longiùs* RESTITVTVS *iter arripiens*, Cantabros *inuiſit, vbi Sanctos* CASTOREM *& ſocios, quos propter fidei confeſſionem ad lapidicinas damnauerat Gentilium tyrannis, viſitauit, ſolatus eſt, & muniuit. Poſtmodùm per* Palendones *dilapſus, ingreſſus eſt* Baſtitanos, *vbi noſcens* CRISPVLVM Deitaniam *perluſtrare, illuc confugit, & inuento ſocio, inter quos charitatis vota ſoluta ſunt, iterum ad opus incæptum ſe ſtrenuis viribus accingunt. Hoc ſit prælibato, conſultò* Eliocrocam *pergunt, quæ &* Carauacca *dicitur, vbi Chriſtum prædicare incipientes, à Satellitibus tenti, in obſcurum carceris*

Vtriuſque ordo.

Concilio Iliberitano interſunt.

Hiſpaniæ luſtrant.

Capiuntur.

Digitized by Google

carceris ergaſtulum coniecti ſunt. At Iudex qui eorum euincere conſtantiam, primò blanditijs decreuerat, Sanctos Dei Præcones coram ſe adduci iuſſit, quos vt inuiſit, eloquentiæ blandimenta ſapiùs exercens, illos ad falſum Deorum cultum, Chriſti fide abiurata, traducere ſatagebat. Fruſtra ſiquidem hæc arma monit. Ad ſuppliciorum verbera, & cruciatuum ſtrages, inuerecundo furore, proceßit; quibus iterum victus, in illos Capitis ſententiam protulit. Tantâ Dei miſericordiâ lati Martyres ad agonis palæſtram proſiliunt, vbi oblatis ceruicibus, coronas de manu Dei recipere meruerunt: die X. Iunij *Anno Domini* CCC.I. *vel circiter, Imperantibus Diocletiano & Maximiano.* *Coronãtur.*

Hæc ſunt Acta genuina, & Scriptorum Antiquorum placitis conſona; nam quæ coagulauit *P. Antonius Quintana-Dueñas*, à quo Rodericus Caro *lib.* 3. *Corograph. Hiſpal.c.* 11. *fol.* 99. *col.* 3. D. Paul. de Spinoſa *Hiſt. Hiſpalenſ. lib.* 2. *c.* 9. *fol.* 57. haud primæuo, & ſubſtantiali fulciuntur fundamine. Quod & probauit D. Martinus de Anaya *in Apolog. d.* §. 3. *n.* 7. *fol.* 19. dicens (vnicuique quod ſuum eſt tribuamus) veritatis nexibus innixus: SS. Crispvlvs, & Rstitvtvs, *vt ex Romano Martyrologio, & Beda liquet, in Hiſpania ſunt paſſi die X. Iunij. Aſt* Dexter *apud* Ilipvlam *Hiſpaniæ. Vt ergo iſthæc agnoſcatur vrbs, notandum eſt, quod in* Bætica *inuenitur* Ilipa, *hodie* Peñaflor (*de qua poſtea ad amußim agemus*) *cuius meminere Plinius, Hirtius, Iulianus Petri, & Strabo, qui commercia per Batis æſtuaria recenſet. Hæc igitur dicta eſt* Ilipa-Magna. *Alia ſanè fuit vrbs in* Bæturia Turdulorum (*hodie* Eſtremadura) *cognomento* Ilipa, *vt ex inſcriptione ibidem reperta, quam Ego inuiſi, & ab aliquibus refertur Scriptoribus, patet, & nunc dicitur* Zalamea dela Serena. *Hæc* Ilipa, *vt ſuſpicatur* Morales *fuit celebris palæſtra victoriæ à G. Scipione ex Luſitanis adeptæ, de qua T. Liuius; quam* Ilipam-Minorem *dictam credit Ambroſius, in diſcrimen alterius* Magnæ *Aliud Oppidum reperitur inter Scriptores cognomine* Ilipla, *aut* Elepla, *quod vt notum eſt, nunc* Niebla *reſpondet. Aliud etiam fuit in Batica* Ilipvla, *à Plinio* Lavs, *à Ptolemæo* Magna, *vocitatum. Huius (communis ſententia eſt, ex Plinióque deprehenditur) ſitus prope* Granatam *extitit tunc* Iliberrim *dictam, de quo plura inueniuntur teſtimonia. Aliud itidem* Ilipvla, *quod Ptolemæus in* Turdetanis *conſignat, & à Plinio* Ilipvla-Minor *nominatur. Et ſi ſitum iſtius vrbis inſpectamus ex Ptolemæi aſſignatione, illum in tractu* Malacitano *intuebimur, quod & ſenſerat* Caro. *Quo ſuppoſito, dicente* Dextro, *hoſce Sanctos occubuiſſe* Ilipvlæ, *perperam apud* Peñaflor, *vel* Zalamea *paſſos fuiſſe creditur. Hæc enim oppida nunquam* Ilipvla *vocata ſunt, ſed* Ilipa Magna, *vel* Minor: *nec in* Niebla, *quæ nec* Ilipvla *fuit, ſed* Ilipla, *aut* Elepla. *Ergo paſſi ſunt apud alteram ex duabus* Ilipvlis Magna, *vel* Minori, *ex* Dextro, *quarum altera apud* Granatam, *altera in ſaltu* Malacitano *conſignatur, quod ſi in aliqua earum Martyrium euênit, ego pro* Granatenſi *iuditium do, ex eo quod ibidem Concilium Iliberritanum contractum eſt, Anno* CCC. *& ſequenti, Sanctorum paſſio deſcribitur.* Iulianus Petri, *aliud affirmat, contendens* S. Crispvlvm *agonizaſſe apud* Carauaccam, *his verbis*: Celebris eſt in *Hiſpania* memoria S. Crispvli, qui paſſus eſt in Oppido *carauaccenſi* die X. Menſis Iunij prope Bæticam. *Qui antea dixerat, quod hoc Oppidum conſtruxerant* Luſitani à Vacca oppido profecti ſub Auguſti tempora, & non procul *Aſſota*, & *Lacedemones* illud condiderant. *Quæ vrbes (vt ego probatum habeo) extitere infra fontes* Taderi *fluuij, ex Saltu* Alcarazenſi, *& Securitano, defluentis. Hoc ergo Oppidum, prout* Iulianus *collocat, idem eſt, quod adhuc hodie retinet nomen* Carauaca, *inter* Baza, Lezuza, *& Valaſoto, vbi olim fuit Ciuitas* Aſſota, *quæ inter Regni, & Epiſcopatus Murcienſis terminos continetur, licet Iudex Eccleſiaſticus Ordinarius huius oppidi, & Vicariatus ſit ex Ordine S. IACOBI de Spatha, qui primam habet inſtantiam. Ex quibus veridicè colligitur, quod ſiue* Dextri *ſententiam ſequaris, ſiue* Iuliani *opinionem amplectaris, perperam apud* Peñaflor *martyrio coronatos hoſce Sanctos pugiles dixiſſe Quintana-Dueñas, deprehendes.* Hactenus cogitauit *Martinus.* *Aliquorum error detegit Martinus de Anaya, circa locũ agonis.* *Ilipæ duæ inueniuntur in Hiſpania.* *Item duæ Ilipulæ vrbes.*

Sed vt rationibus huius Scriptoris noſtra ſymbola addamus, altiora excogitatu repetemus cacumina, ne in ſola vrbium conſignatione *Apologi* contineatur argutia. Ex ipſiſmet fontibus puriores latices exhauriamus. Quis, quæſo, cum *Dextro* Noſtrorum Sanctorum paſſionem apud Ilipam, ſiue Ilipvlam eueniſſe probauit? Vnde iſtam agonis circunſtantiam, & identitatem elicuit *P. Antonius?* *Nos & huius erroris ſymbola proponimus.*

Audiat

Audiat ille, & omnes eruditi ſcrutentur verba Flauij: ILIPVLÆ *in Hiſpania* (inquit) S. RESTITVTVS, *vt creditur Presbyter: Magiſter* Caſtoris, *& Sociorum Cantabrorum lapidicinarum. Hic, &* CRISPVLVS *Martyr, &* RESTITVTVS, *de quo dudum dixeramus, interfuerunt Concilio Iliberritano in Batica.* Senſus eſt: quòd RESTITVTVS erat Presbyter *Ilipulitanus*, fuitque Magiſter *Caſtoris & Sociorum*, qui ad lapidicinas *Cantabriæ* fuere damnati: Quod iſte *Caſtor*, & CRISPVLVS, & ipſe RESTITVTVS interfuêre Concilio *Iliberritano*. Si hæc ita: vbi paſſio? Quo animi iudicio agonem, apud *Ilipam*, ſeu *Peñaflor* Hiſpalenſis diœceſis, introduxit? Cùm nec *Ilipæ*, nec *Ilipula* Sanctos coronatos aſſerat *Dexter*. Iam de huius Patris perſuaſionibus, circa huiuſmodi Sanctorum collocationes ſæpeſæpiùs conqueſti ſumus; qui licèt verè doctus ſit, & de eruditione Antiquitatum benemeritus; attamen, vt Prouinciam, cuius Diuos recenſere ſatagit, extollat, nonnunquam ſpoliat alienos, vt ditet ſuos. Hunc eundem errorem contraxit amicus Noſter D. Franciſcus Bermudez de Pedraza in *Hiſt. Granat. 2. p. c. 15. §. 1. fol. 65. col. 2.* qui voce *Ilipulæ* apud *Dextrum* illectus, multos eſt, inconſtructa oratione, ſequutus.

Aliud erroris teſtimonium.

ITEM etiam, quod ſi *Dextri* veſtigia compellimur inſectari, neutiquam ex eius clauſula RESTITVTVM martyrio occubuiſſe perdiſces, CRISPVLVM tantùm Martyrem vocitat. Ergo verbum ILIPVLÆ in periodo *Dextri* non ad *martyrium* (cùm non conſignet) ſed ad *Presbyteratum*, refertur. Huius difficultatis vim expaueſcens *Bermudez*, ad Eccleſiam diffugit, & ad *Martyrologij Romani* cornices appendens, illos Eccleſiam ſocios in agone coniunctos, eadem die, pro immunitatis fruitione, reponere, ſatis eſſe, conclamat. Sed ſalua tanti Viri pace; non hic de RESTITVTI martyrio dubitamus, ſed de loco. Hic à *Martyrologio Romano* prætermittitur; ergo fruſtra eius auctoritatem extollit. Nec *Flauij Dextri* verba ſuffragantur, haud in eis veſtigium de *martyrio* apud *Ilipulam*. Ergo fuiſſe alibi credendum eſt: Optimè. Vbi ergo? Audi *Iulianum*, ſi ſic duos numeros *Aduerſariorum* 83. *&* 86. reſecatis ſuperfluis, coniungas: *Celebris eſt in Hiſpania* (inquit *n.* 83.) *memoria* S. CRISPVLI, *qui paſſus eſt in Oppido* Carauaccenſi *die X. Menſis Iunij, prope Beticam. Via* Carauacca, *vel* Eliocroca *Murtiam* (proſequitur *num.* 86.) *ad littus eſt* Argos, *vbi paſſus eſt* S. RESTITVTVS *Decimo Iunij, ſocius* CRISPVLI. Hîc iam vides ſpecificè paſſionem aſſignari Sanctorum, non *Ilipæ*, aut *Ilipulæ*; ex quo, Lector candide, ab impoſtorum auſibus, *Martyres* liberatos agnoſces. De quo & vide Robles *Hiſt. Carauac. lib. 1. c. 2.*

Iuliani duo Aduerſaria explicantur.

Quis S. Caſtor

QVATENVS ad *Caſtorium*, & Socios attinet, quos S. Presbyter RESTITVTVS ad fidem conuertit, & ad *Cantabriam* inuiſit, eorum memoriam repetemus *die VI. Idus Nouembris*, quo Eccleſiæ tabulæ illorum agonem recenſent.

Topographia.

CARAVACCA. Vrbs olim vetuſta in Hiſpania, in Bæticæ confiniis, de qua diximus ſupra hoc Tom. 3. Die III. Maij. Illam, ſi Iuliano Petr. Aduerſ. 83. fol. 23. credimus, conditam à Luſitanis fuiſſe, dicemus, Qui *à* VACCA (proſequitur) *oppido profecti ſub* Auguſti *tempora, conſiſtentes non procul* ASSOTA, *&* LACEDEMONE *Ciuitatibus, condiderunt* Oppidum *cognomine patrio, vocantes* VACCAM, *& quia meliori cælo, ſoloque:* CHARAM-VACCAM, *quaſi* dilectam, *dixerunt*. Hanc & nuncupatam ELIOCROCAM ipſe Iulianus refert, *Aduerſ. n. 86.*

TERTIO IDVS IVNII.

DIES XI.

A. SALMANTICÆ *in Vettonibus Hiſpaniæ,* B. IOANNIS SAHAGVNTINI, *qui poſtquam ſacris literis imbutus, Clericum*

Digitized by Google

Clericum ſecularem, & Canonicum Burgenſem egiſſet, deinde Salmantinum Apoſtolum, & Eccleſiaſtem, ac S. Bartholomæi celebris Collegij Capellanum, necnon illius famigeratæ Vniuerſitatis, & Academiæ ſacrarum ſcripturarum Lectorem, Eremiticam S. Auguſtini percingens corrigiam, ſanctitate, & doctrinâ clarus, operatione miraculorum inſignis, ad vitam Confeſſor properauit æternam.

NOTÆ.

BEATVS IOANNES Sahaguntinenſis, Confeſſor.] Adhuc in Catalogo *Sanctorum* nondum adſcriptus, licet inter agmina *Beatorum* adnumeratus exiſtat, Apoſtolicæ Sedis gratia, concedente Clemente VIII. Pont Max. *die XIX. Iunij, Anno* M. DC. I. vt fatentur P.F.Auguſtin.Antolinez in *Vit.B.Ioannis c.58. fol.*528. R.P.F.Thom. Herrer. *in Alphabet.Auguſt.Lit.I.fol.*388. & cæteri inferius nominandi. Hinc *Salmanticenſis* Vrbis *Patronus* electus eſt, ob innumera, quæ adhuc in carne viuens,& poſtmodum ad cœlos ſublatus,vrbi, & ciuibus beneficia contulit. De eo ſcripsêre P.F.Ioann. Mariet. *Hiſtor.SS.lib.*18.*c.*17.M.Ægidius Gonzal. *Hiſt.Salmant.l.*3.*c.*17. *fol.*374.& in *Theatr.Eccleſ.Caſtellæ tom.*3.*fol.*298.Venerabil.F.Alfonſus de Horozco, Laurent. Galindez in *Chronolog.Reg. Catholicor. Ann.*1477. Cornel. Curtius de *Vir. Illuſtrib. Ordin.S.Auguſtin.fol.*39. Philipp Ferrar. in *Catalog. General.SS. h.d fol.*241. P.Thom.Herrer. *vbi ſupra d.fol.*388.& in *Hiſtor.Monaſter.S.Auguſtin.Salmanticenſ. c.*12. *fol.*56. vbi ad literam exſcripſit vitam Noſtri Confeſſoris, quam Venerabilis *F.Ioannes de Seuilla* S.IOANNI cœuus ſcripſerat, & *Magno Duci Gundiſaluo Fernandez de Cordoua* dicauerat.Eius vitam ſcripsêre *Hiſpano* ſermone Venerabilis *F.Ioannes Seuilla*; *F.Alfonſus de Horozco*; *F.Bartholomæus Carranza*; *F Auguſtinus Antolinez* primò Epiſcopus Ciuitatenſis, pòſt Archiepiſcopus Compoſtellanus; *F. Ieronymus Roman*; & carmine *Iulianus de Armendariz.* Idiomate Portucallenſi duobus Tomis *Petrus Mariz* ex voto. Gallico, *Georgius Maigretius.* Latino *Cardinalis Antonianus*, & *Nicaſius Baxio.* Officia pro eius feſtiuitate ſcriptitarunt *M.F.Baſilius Legionenſis*; *F.Ioannes de Salzedo*, & Hymnos *F.Bernardus Iamineto Flander.* Ex omnibus ACTA ſcribere compellimur, vt debito pareamus.

A. *Inter Beatos adſcriptus.* *Salmanticenſis Vrbis Patronus.* *Scriptores.*

ACTA B. IOANNIS SAHAGVNTINI Eremitæ Auguſtiniani; ex Varijs Scriptoribus.

IOANNES *cognomento à* S.Facundo, *ſeu vt vulgo* SAHAGVNTINVS, *natus eſt in Oppido* SAHAGVN *in Vacceis, quos hodie* Campos *dicunt, diœceſis Legionenſis. Patrem habuit* Ioannem Gonzalez de Caſtrillo, *ex antiquis Hiſpanis, qui poſt Arabicum excidium ſuperfuêre, ortum, proſapiis ingenuum, ſed virtutibus nobiliorem. Matrem* Sanctiam Martini, *nobilem fœminam in Dei timore nutritam. Per multùm igitur temporis Deus hiſce coniugibus pignora denegauit; & licèt ſecundum Naturæ curſum quotidie ab eorum beneficio deſtituerentur, attamen nunquam ſpe fraudati à Numinis oculis recedebant: à quo cùm inſtanter prolem expeterent*, B. V. MARIÆ *opem interponere ſunt adgreſſi; quod vt vberius perficerent, Nouemdialia in Eremitorio ipſi Dei-Genitrici prope Oppidum dicato, quod* S. MARIA de Ponte *dicitur, peragere conſtituentes, ibidem per Miſſarum ſacrificia, eleemoſynas,*

Patria. *Parentes.* *Genitus V. Virginis precibus.*

& continuas

Digitized by Google

& continuas preces, ieiuniáque, à Deo, Virginis Matris interceſſione, prolem, IOANNIS *natiuitate, meruerunt.*

Educatio.

VIX *quippè infantiæ dereliquit ætatem, quando ſchola rudimenta perdiſcere aggreſſus, ſic literarum initialium elementa percepit, vt breuì in illis edoctus, altiùs progredi præcocis matura pueruli ſedulitas depoſcebat. Prorſus aliorum pueriles deuitabat nugas, à quibus continuò ſeparatus, aut lectionem ſolicitus addiſcebat, aut intra alicuius Eccleſiæ ambitum ſecedens, ibidem quieto animo decubabat. Conſodalium rixas mirâ prudentiâ compeſcebat, & quos prot eruia effecerat inſolentes, graui vocis obiurgatione domabat: ideóque paulatim eius conſortium turbulenti prorſus reſpuêre. Aliquando dociliores congregans, ipſe in altum aſcendens, Prædicatoris vices aſſumens, maiora quam imbecillis promittebant ætatis tempora, zelo, & efficatiâ dictabat.*

Studia.

EDOCTVS *in primis literis, ad ſecundas Grammatices, in ipſo* SS. Facundi, *&* Primitiui *Martyrum Cœnobio, addiſcendas progreditur, vbi ſic illis imbutus euaſit, quòd pro conſtanti crederetur, Deum in puerulo Magnum Eccleſiæ Catholicæ Miniſtrum erecturum. Nec abs re, quia extra eius modeſtiam, & gratiam, quâ maximè pollebat, quáque ad ſe oculos conſpectantium attrahebat, viuum in illa ætate virtutum exigebatur exemplar. Otium fugiebat; orationi, & ieiunijs inſiſtebat; aliorum ineptias abhorrebat: tempus, quo ab ſtudiis vacabat, in Eccleſiæ ſeruitio, aut ſeceſſu traducebat, vbi in Dei manus, omnia ipſius opera collocabat. Poſtmodùm Logicam, & Philoſophiam ibidem adeptus, ſacram Theologiæ lectionem audire cæpit, quâ propemodum proficiens, eius amore ineſcatus, vltimum ſcientiæ curſum lacrymis à Domino poſtulauit.*

Parochialẽ oblatam reſpuit.

PARENTES *verò qui à Deo filium orationibus acceperant, vt gratitudinis vice, illum ipſi redderent duplicatum, decreuêre, quòd Eccleſiæ miniſterio* IOANNES *dirigeretur: quod vt facilius conſequerentur ſolliciti Parochiale de* Dornillos *beneficium ſanctiſſimo obtulerunt adoleſcenti, qui animarum curam ex officio diffugiens, illud penitus recuſauit; nec Patris inſtantia potuit illum à propoſito ſeparare. Qui inſpectans in iuuene filio tot virtutum munera, & opinionis incrementa, vt illum inter domus ſuæ familiares, D.* Alfonſus de Carthagena, *tunc Epiſcopus* Burgenſis, *qui illo æuo inter ſapientiores, & ſanctiores Præſules* Hiſpaniæ *primum locum tenebat (de quo* Eugenius IV. *Pont. Max. ſciens illum ad Concilium* Baſileenſe *Oratoris, nomine Regis Caſtellæ, officio profecturum, dixiſſe fertur:* Ecquis ſedebit dignè in Cathedra Petri coram tanto Viro?) *reciperet, ſollicitè procurauit. Ergo eximius Præſul examinatâ Adoleſcentis vitâ inter ſuorum cooptauit illum agmina familiarium, cui poſtmodum inſit, vt ſecum officij debitum perſolueret ſacri. Agnoſcens ergo tractu temporis inſignis Antiſtes in* IOANNE *vitæ perfectionem, vt ne ab eius conſortio diſcederet, B. Virum, vnà cum Abbate Ceruatenſi cubicularium nominauit, in quo munere maximè Viri Dei humilitatis ſpecimen ſplenduit, quâ præcipuum Principis fauorem in omnium laude, & ſubuentione pauperum impendebat. Quæ omnia noui Commenſalis munia, magis, ac magis Illuſtriſſimi Prælati viſcera conſtringebant, quatenus paſſim publicè inſignem Domeſtici pietatem laudaret Antiſtes, & Deo ſæpenumerò gratias ageret, propter adeptum tanti familiaris in eius domo commercium, ſibi vtile, & cæteris admirabile.*

Cooptatur familiæ D. Alfonſi de Cartagena Epiſcopi Burgenſis.

Presbyter fit.

QVOTIDIE *Dei Seruus in ſanctis occupationibus excreſcens, nihil aliud ambiebat, quàm modum diuinæ voluntati accommodum, ideóque ab omnibus deſtitutus, & Deo ſoli inhærens, illius exequi mandata ſatagebat. Hinc Dignitates, & Beneficia ſic reſpuere decreuit, vt in eius animo nihil tàm horribile, quàm eorum ambitus, & admiſsio. Et licet S. Viri ſtimulus ad Sacerdotium inclinaret ſpiritum, ita cæleſti lumine, altitudinem miniſterij cognouit, vt nequaquam in illo breuis vmbra concepta eſt, ad tale quid concupiſcendum, ſuæ vilitatis indignitate præcognitâ; donec ſui Epiſcopi, & Domini monitis ſanctiſſimis,*

Digitized by Google

ctißimis, licèt renuens, ad Presbyteratus *ordinem acceſsit, ſperans Deum ſuæ imbecillitati cœleſtibus ſubuenturum auſpicijs. Nec abs re, quia poſtmodum in ipſo Miſſæ ſacrificio innumera Dominus S. Presbytero contulit beneficia, quibus vt inceſſanter frueretur, quotidie Sacrum inſigni cum pietate peragebat.*

ERGO *licèt* IOANNES *vitã ageret ſui, & ſuæ cõmoditatis oblitus, ſtavt prorſus beneficiorum, ſeu aliorum Eccleſiaſticorũ prouentuum haud ambiret ſtatum; attamen Deus, qui ſeruorũ ſuorum in ſe fidentiũ nequaquã penitus obliuiſcitur, effecit, vt in Præſulis heri viſcera prolixius inſpiraret, quatenus S. Presbyterũ reduceret, & ad acceptandos honorificæ ſuſtentationis cõmodos inclinaret prouentus. Ita factum: nã vacante beneficio* Tenebuiſenſi, *&* Burgẽſi Canonicatu, *ea Sanctiſſimo contulit Cõmenſali: qui gratias Numini, & Antiſtiti agẽs, nihil antiquius habuit in corde, quàm ex eorũ prouẽtibus, pauperibus ſubuenire, quos proprios in huiuſmodi Eccleſiaſticis redditibus agnouerat creditores. Hanc S. Canonici intentionẽ, Deus ſibi gratiſſimã perpendens, illi multiplicem penum accumulare conſtituens, induxit, vt Abbas* S. Facundi, *qui* IOANNIS *apud illud Regiũ Cœnobiũ, indolem, & ſtudia penſitabat, illi duas deferret* Capellanias, *&* Rectoriam *conferret opulentam, quas modeſto corde recepit, non ſibi, ſed famelicis, quibus omnia hæc ſubſidia, quaſi adminiſtrator libentiſſimè cumulabat.*

Canonicus Burgenſis.

A D *breue S. Vir hæc omnia tempus poſsidenda recepit, quia cùm quotidiè in Deum amor intra viſcerũ intima prolixiùs excreſceret, & quæ extra eum erãt profundiùs reſpueret, euẽnit, quòd vi dilectionis exæſtuans, quidquid poſsidebat expellere conaretur: ideóque Præſulũ munia reijcere, Canonicatus impẽdia deſerere, & cæterorum beneficiorum redditus dimittere concupiuit, vt nudus nudũ ſequeretur Chriſtum. Hinc aulicæ occupationis penſa, quæ cõtinuò à Dei ſeruitio illũ abſtrahebant, eiúſque iurgia cordialiter abhorrebat: Canonicatus põdera, & aliorum Beneficiorum onera, quæ animum pauperis deturbabant, efficaciter deterrebant; ideóque omnium ſoluere vincula ſatagens,* Alfonſo *Burgenſi Epiſcopo hero, eius propoſiti decretum humili conſtãtiâ patefecit. Qui omnibus viribus, ne domo ſua, Homo verè ſanctiſſimus diſcederet, procurauit; offerens maiora, vt Deo, & pauperibus inſeruiret. Sed cùm Dei ſeruus amore languidus, etiam veſtes quotidianas dimittere (ſi fas eſſet) pro Chriſto concupiſceret, gratijs Epiſcopo actis, Canonicatum, Rectoriam, Beneficium, & Capellanias, quorum pondere premebatur, ſuis Dominis prouidenda reſtituit, & ipſe ad limina Eccleſiæ Matris pauper cum pauperibus lætabundus acceſsit.*

Omnia deſerit.

HÆC B. IOANNIS *reſolutionis inſtantia apud omnes Burgenſes ciues in prodigium abijt, maximè quando illũ, Parochiali Eccleſiæ* S. Agathæ, *quã corrupta voce* S. Gadea *vulgo dicunt, adhærere, & Capellania in ſubſidium inſeruire nouerũt. Sed quod illis nouum, S. Viro vetuſtiſſimũ erat, quia cùm pauper ſpiritu fuiſſet, omnia quæ ab hac virtute deuiabat, extra chorum ſuæ propoſitæ paupertatis erat. Hinc liber & vacuus oneris aulici, & ponderis opum, & ad diu concupitam indigentiam redactus, vt eius expetebat exinanitio, quotidie lectioni Scripturæ ſacræ, & orationi ſe dedens, Sacrum operabatur, dicens cum Apoſtolo: Quod omnia ſuppetunt, quibus ad quotidianũ cibum, & ad nuditatẽ tegendam qualiacunque ſuperſunt. Hinc conciones ad populum habere incepit, quibus ſic plebem corripiebat, vt breui ſermonum efficaciâ, innumeri deſpectis libidinum illecebris, iurgiorum horroribus, cupiditatum inuolucris, & aliorũ ſcelerum peccaminibus, feliciter in ſalutis portũ naufragi peruenẽre. Et licèt apud Burgenſes inſignis profectionis ſtamina, Euãgelicâ voce, coagularet; aſt à Domino* Salmanticam *adire compulſus eſt, vt illius vrbis ſtrages, quas dira plurium familiarum lues factionibus crudelibus diuiſarum fouebat, efficaci perſuaſione ſedaret. Ergo* IOANNES *ad miſsionis opus accinctus, pedeſter* Salmanticam *abijt, & tanquam pacis Angelus vrbem ingreſſus, protinus vocem Euangelicam aduerſus vtriuſque factionis capita dirigens, ſic eorum ruinam, & præcipitium ſingulis, verbis fulminantibus, demonſtrauit, vt quod Regis auctoritas, & potentia perficere nequiuerat, vnius Sacerdotis exteri, incogniti, & nudi, efficacia verborum feliciter conſummaret. Hinc iam factionum tempe-*

Humilioris ſubſellij Clerici, & Prædicatoris vitam egit.

Duella Salmanticenſium ſedat.

ſtate ſedata pacificæ lucis radius in omnium duellantium cordibus reſplenduit.

Fit Capellanus in Collegio S. Bartholomæi.

POSTHÆC tanti fuit pretij Venerabilis Sacerdotis prædicationis auctoritas, quòd omnium, pro conſequendo in ſuis feſtiuitatibus S. Viro, Prædicatore, propemodùm raperet deſideria. Hinc inſtantibus aliquot Burgenſis vrbis ſcholaſticis, qui tunc Salmanticæ aderant, Vir Apoſtolicus, ſermonem in S. Sebaſtiani Parochiali Baſilica, iuxta Collegium Diui Bartholomæi ſitâ, prædicare cõpellitur; cui interfuêre Rector, & cæteri Collegæ illius Veteris Aſceterij, & tanto fuit concionatus ſpiritu, quòd omniũ circunſtantiũ viſcera demolliret, cogens adhuc perditiſſimos, ad virtutum ſemitam inſectandam, & mundi ſtrepitus diſfugiendos. Hinc occæpit ab omnibus venerari, & licèt in exigua domuncula pauper habitaret ſacerdos, ſemper Orationi, & ſacræ lectioni tempus inſumens illic à Proceribus, Doctoribus, & Religioſis Viris ſedulò quærebatur. Quotidie Sacrũ deuotè peragebat; concionabatur aſſiduè in plateis, & angulis; & ſuo tempore Lectionibus Theologiæ, Decretorumque, abſque intermiſſione inhærebat. Tandem Collegarum S. Bartholomæi precibus inſtantibus, in illo celeberrimo inſignium Virorum Collegio, titulo Capellani, quem ab intus vocant, die XXV. Ianuarij, Anno M.CCCC.L. inauguratus agnoſcitur: in cuius gremio per ferè Quatuor Annos, vitam ſanctiſſimam tranſegit; donec tandem vt liberiùs proximos adiuuaret, inſulâ relictâ, Ciuitatis ſtipendijs ſuſceptis, eius fuit conſignatus Eccleſiaſtes.

Exercitia poſtquam à Collegio receſſit.

TVNC in domo Petri Sanctij, ipſius S.E. Canonici, religioſiſſimi Viri ſuſceptus, opus, ad quod fuerat euocatus, perficere toto corde propoſuit; & ideo poſt Miſſam, ſingulis diebus, populo prædicabat, tanto animarum fructu, quòd quotidie plurimos Domino parturiret. Miſſarum ſolemnia, gratis, pro neceſſitatibus petentium, offerebat, vrbis ſtipendio contentus. Noctu, ſupra manipulos ligneos corpus, ſupra ſaxum caput reclinabat, cum antea propryis manibus lecticuli ſtragula diſſolueret, ne famulus, cui Ioannes Didaci de Santillana nomen erat, tãtæ auſteritatis penſum agnoſceret. Feſtos dies interiùs exteriúſque limpidiſſimè obſeruans, animam ſcilicet virtutum inſulis, corpus veſtiũ ſagulis pulchrioribus inſtruebat. Hoc tempore in grauiſſimam incidit calculi infirmitatem, adeo humanis remedijs nihil proficientibus, medelam non niſi à Numine ſibi obuenturã credidit, maximè quando cognouit, de veſica aperienda, vt calculus extraheretur, inter Medicos eſſe conuentum. Tunc è profundis viſceribus à Domino vitam poſtulare, lacrymas offerre, opera vſque tunc paracta in ſubſidium exhibere, ac demum votum Religionis emittere feſtinauit. Annuit his omnibus Deus ſupplicantis angoribus, & ideò calculo, doloribus interuenientibus acrioribus, funditus eruto, illi ſalutem eſt impartitus incolumen. Poſtquam, cùm domo per vrbem proſiliret, inueniens pauperem penè nudum, illum domum retulit, & veſte ditiori donatum dimiſit; cuius eleemoſynæ feruorem Deus nocte ſequenti fauorum apparatu commendauit illuſtrium.

Infirmatur.

Habitum S. Auguſtini induit.

HINC cùm ſemper in animo gereret Deo votum emiſſum, quo ſe Domino per Religionis nexum adhærere promiſerat, illud ſoluere quantocyus deſiderans, inſpectis Hiſpaniæ tot illuſtribus inſtitutis, vbi in ſecreto Monaſteriorũ, innumerabilium Deo viuentium Monachorum agmina deliteſcentia, vitam Angelicã retexebant, Eremiticum D. Auguſtini delegit, cuius corrigia in Salmantino ipſius vrbis Cœnobio ſe præcingi cupiens, Die XVIII. Iunij, Anno M. CCCC. LXIII. Monaſterium S. Petro tunc dicatum adiuit, & P. F. Ioanni de Salamanca Priori intentum aperiens, peractis regulæ ad caſum pertinentibus, vt moris eſt, ſolemnitatibus, eo ipſo die habitum Religionis aſſumpſit; quo indutus, poſt Annum probationis, quem ſub ferula P. F. Ioannis de Arena Magiſtri tranſegerat, nullam ſibi inter neophytos licet Theoſophiæ gradu, & ætate grandior, prærogatiuam voluit indulgeri, obedientiæ, paupertatis, & caſtitatis vota ſolemniter emiſit.

Primum miraculum.

IN illo probationis anno, primum miraculum Deus Serui ſui interuentione perfecit: Nam cùm triclinij curam, & condi-promi moleſtiam illi Cœnobiarcha impoſuiſſet, eóque anno vineæ in tota Hiſpania parum vini reddidiſſent,

Digitized by Google

ſent, ob cuius ſterilitatis penuriam, tantùm vnum exiguum dolium in Monaſterio pro fratrum ſuſtentatione conſpectaretur: ipſe tamen, non ideò minus liberaliter Fratribus miniſtrauit, vino quotidie ſub eius curâ, ita miraculosè creſcente, vt ad ſequentem vindemiam, Domini benedictione, ſufficeret. Poſt profeſſionem, pro tyronibus inſtruendis Magiſterium ſuſcepit, è cuius ſchola Sanctiſſimi Viri prodiêre, qui Magiſtri doctrinâ edocti, & ſanctitudine imbuti plurimos in Religione fructus edidêre. Deinde cognita S. Viri pietate, quâ munera Religionis explebat, per Prouinciale Capitulum Diffinitor Prouinciæ ſuffragiis Fratrum renuntiatur, & quod nullibi gentium, in ordine Auguſtiniano vſurpari hactenus auditum, Magiſtratus hic ei totis ſex Comitijs fuerit vltrò irreprehenſibiliter prorogatus. Tandem Monaſterij quoque Salmanticenſis *fuit* IOANNI *ſumma Præfectura omnium calculis demandata: Quo in munere ita ſanctè ſe geſſit, eámque Fratribus diſciplinam præſcripſit, tanto fratrum, ciuium, & exterorum exemplo, vt penè è cælo delapſus Salmantica crederetur Apoſtolus.*

Præfecturæ in Ordine.

VT *omittam cæteras virtutes, quæ in eo inerant eximiæ, ſingulari erga Deum amore, incredibili erga mortales charitate æſtuabat. Dicta eius, & cogitata omnia de vno Deo erant, quẽ, toto tempore quod à cõcionibus, & confeſſionibus aliiſque: muniis vacuum habere poterat, veluti præſentem, indefeſſá oratione meditabatur. A precibus Matutinis, reliquũ noctu meditationi concedebat: aduerſarios habuit malos Genios, qui horrido S. Virum vultu, inter orandum, abſterrere, terrifico ſæpe boatu contra vlulare, nonnunquã etiam plagis malè multare auditi ſunt. Ille tamen minus nihilo turbabatur, vt ad infernalem ſtrepitum, ne momento quidem temporis à precando deſiſteret. Non ignorabat enim in agone hoc ſuum* IESVM *adeſſe ſpectatorem, quem inter ſacrificandum quotidie conſpicuum habebat; non ſub panis velo, ſed qualem Angelorum oculis mortales inuidemus. Vt non mirum ſit ei aliquando ad Aram ſtanti lacrymas tàm largiter defluxiſſe, vt pauimenta, & veſtes fletu maderent.*

Exercitia.

NEQVE *fides neganda ſacris Virginibus* Madrigalenſibus, *quæ eum litantem in ſublime corpore ſuſtolli animaduerſa, fideli teſtificatione dixerunt. Ergo abripiebatur quotidie iucundiſſimo Seruatoris ſui ſpectaculo; quem non tantum exterioribus videbat oculis, ſed ſacris quoque vulneribus eius mellitiſſimis inhærebat oſculis, familiari alloquio fruebatur, audiebat multa diuina myſteria, & ſolatiorum pleno imbre perfundebatur cæleſtium. Hinc illum hauſit amorem, quo erga omnes homines ita ferebatur, vt pro cuiuſuis ſalute ſanguinem, vitámque profundere paratiſſimus, inter duellantes medium ſe non ſemel obiecerit, maluerítque corpus ſuum, quàm tot animas periclitari. Indidem ea in dicendo pia libertas fuit, vt in vitia, & vitioſos homines, lenones præſertim, & Veneris nepotulos acerrimè, vel cum vitæ propriæ diſcrimine, inueheretur; Principum virorum aures vellicaret, & non licitos eorum amores Scripturæ gladio palam iret oppugnatum. Hinc Procerum aliquando minas perſenſit, imò iſtas ſicarij in* IOANNEM *emiſſi ad effectum perducere ſatagentes, cùm ad eum obtruncandum brachia ſuſtuliſſent, obriguêre tandiu, dum facilis in hoſtes ſuos medicus S. Vir precibus ſuis emollijt. Lingulacarum quoque mulierum aliquot Serui Dei innocentiam malo rumore aſperſerat temeritas, quarum licèt ille diù toleraſſet iniurias, cælum altamen vindex infami nece caſtigauit*

Raptus.

Libertas in concionibus.

MIRVM IN MODVM *in Seruo Dei patientia illuxit, tùm in laboribus propter Dei amorem, tùm in ſufferendis periculis propter proximi ſalutem, in quibus ineſt vera patientia, virtutis, & ſanctitatis apex, quâ homo ſui, & ſuarum paſſionum verè dominus efficitur. Obedientiam & humilitatem ſic abſque ſeparatione dilexit, vt vix inter vtramque diſcrimen ineſſet. Hinc duo pro eius obedientia ſpecimine exempla proponam, quibus huius virtutis altitudo notabitur. Quotidie in Miſſa ſacrificio carneis oculis abſque velamine Chriſtum carneum intuebatur, cuius ob cauſam viſionis, plurimùm in Miſſa temporis inſumebat; ideo à Prelatis iuſſus, quòd in ſacrificio ampliùs non detineretur, quàm cæteri fratres. Obediuit* IOANNES, *malens à Deifica viſione priuari*

Patientia.

Obedientia.

Humilitas.

Digitized by Google

quàm quòd obedientia in minimo læderetur. Aliquando in Oppido Sahagum cùm moras traxiſſet, occupationibus prapeditus licentiæ tempus effluxit, quo cognito, anxius in cubiculum ſe recepit ſtrictius, quod ex eo proſilire, nec quidquam comedere voluit, donec à Prælato temporis prorogationem accepit.

Humilitas. SVI profundam agnoſcebat miſeriam, ideo humilitatis ſemitas fuit prope diem inſecutus, & licèt tot diuinis frueretur fauoribus, tam humiliter de ſe ipſo ſentiebat, quòd communis lucis reputaretur indignus. Et hoc in aperto eſt: Nam quãdo Salmanticæ puerum è profundo putei ſolùm immiſſâ corrigiâ mirabiliter extraxit, videns populum magnis vocibus clamantem, & eum Sanctum acclamantem, humiliter ab omnium oculis aufugiens, vt auram gloriæ conculcaret vaniſſimæ: ſed cùm nec hæc diligentia proficeret, quia vulgus miraculi euidentiâ coadunatus IOANNEM inſequeretur aſſiduè; ille cùm à tumultu inſequentium diffugere nequiret, ſupra eius caput cophinum piſcium ſardicorum imponens, præibat vociferans, quaſi inſanus, ſe ipſum vocitans mente captum: quo vanam illam gloriam deuitauit.

Prophetia donum. QVOAD oneris penſum, quo pro diuini Officij recitatione catenatus extiterat, perſoluendũ, primus in choro aderat, præuia ſingulis horis confeſſione expiatus, quas ſic attentè, & deuotè pſallebat, vt nec minimum diuagaretur ſpiritus. Sed & prophetiæ munere à Domino donatum ſequentia euentuum opera manifeſtant. Cùm aliquando cuiuſdam animæ ſtatum prauum agnoſceret, ex ſuggeſtu, vires aduerſus eam prædicationis direxit, quibus, & in eius domum pluribus additis, illam à periculo, quo tenebatur, feliciter liberauit. Poſthæc cùm quadam mulier eius manum deoſculari ſatageret, B. Vir manum retraxit, dicens: Abſtine: & abſtine à propoſito, quod geris, quia dæmoniũ habes. Quâ voce mulier conterrita, abijt. Sed poſtmodùm ad monaſteriũ accedẽs, illi IOANNES quidquid fœmina crudelis facinoris circa occiſionem propriæ filiæ, quam prægnantem inuenerat, in ſcrinio pectoris occludebat, patefecit: addens amaſium eius filiam in coniugem ſuſcepturum, ex quo etiam alium filium ſuſcepturam prædixit: quæ omnia proculdubio euenêre. Cùm alibi in ſuggeſtum, prædicatũ aſcenderet, cognouit quatenus intra concionis tempus rixam ſurrecturam, aggreſſorémque periturum. Tunc Vir Dei adſtantibus ſilentium, & pacem commendauit, atteſtans quietis ſeductorem intra Eccleſiæ limina occubiturum, nec amplius ab ea diſceſſurum. Tunc concionem incepit, ad cuius medium vix tetigit, quando tumultus rixantium in angulo Eccleſiæ prorumpẽs, protinus contentionis auctor enſe tranſuerberatus occubuit. Item etiã cuiuſdam mulieris afflictionem agnouit; eo quòd homo quidem illi ſponſalitia verba promiſerat, & alterius coniugio ſuſcepto fœminæ fidem datam, auſu temerario, confregit. Cuius B. Vir mœrorem, & lacrymas abſtergere, & lenire proponens, eidem dixit: Vade in pace filia: Tu tuis oculis diuinam aſpicies vindictam. Quod ita euênit: Nam homo à Turcis captus, pòſt redemptus, tandem repentinâ morte ſublatus interijt.

Caſtitas. TANDEM & Caſtitatis virtus magnopere in B. Viro reſplenduit, ita vt propter eius extollendam in concionibus excellentiam, & damnandam inhoneſtæ libidinis turpitudinem (vt creditur) veneno occubuit. Erat quippe apud Salmãticam homo ex Nobilioribus, qui quandam etiam nobilem fœminam concubinam ſcandalosâ libertate tenebat, ita vt vtriuſque libido in omnium ora fœdis murmurationibus vulgaretur. Hæc omnia ad B. Viri cùm peruenijſſent auditum; ita aduerſus pellices, concionum verba direxit, ſic fulminantia ſermonum fundamina vibrauit, quòd amaſius vi verborum IOANNIS compunctus, ad Dominũ conuerſus, mulieris inhoneſtæ conſuetudinem ablegauit. Cuius rei causâ fœmina procax, aut de amatoris dimiſſione furioſa; aut de Serui Dei prædicatione moleſta, aduerſus eum impiâ ſeueritate vindictæ cruenta ſpiritus ſubarmauit. Fama eſt, venenum occultè viro ſanctiſſimo propinaſſe, ita diſpoſitum, & confecto, vt nequaquam violenter, ſed paulatim operaretur, pro vt euênit, quia in poſterum IOANNES lentè arefactus, in lectũ languidus, & infirmis incideret. Tunc Dei reuelatione cognouit fatum quoque ſuum, & diẽ, quo ad Creatorem ſuũ & Dei Matrem abiret; & ideò Sacramentis Eccleſiæ ſuſceptis, & Fratribus vale dicto,

Ob eius defenſionem veneno inficitur.

le dicto, quos ſecum in illa hora habere iuſſerat, in Ieſu-Chriſti Crucifixi imaginem oculos defixos tenens, ad quem, In manus tuas Domine cõmendo ſpiritum meum, *edicens, puriſſimam animã Redemptori, & Seruatori ſuo, quietâ obtulit dormitione,* Tertio Idus Iunij, *horâ veſpertinâ, quâ ad Virginem-Matrem ſalutandã, æris cãpani ſigno monentur omnes, Anno* M.CCCC.LXXIX. *Moritur.*

Post *triduum à tranſitu* B. Ioannis *poſtquam eius ſanctum Corpus, biduum in Eccleſia, omnibus intuentibus palam in lectica poſitum, exiſteret, ſepulturæ traditum eſt, innumeris ſuperuenientibus miraculis. Hîc per ferè Decem annos delituit non ſine ſignorum frequentia, licèt omnia illa per decennium perecta Fratrum incuriâ deperiêre: donec inſtantibus ipſis prodigiis, eorum continuatio oculos Prælatorum aperuit, & Fratrum animos erexit, ad comprobanda quæ Deus Serui ſui intereeſſione operabatur facinora. Hinc in ſublimiorem locum ſacra elcuata pignora, hac epigraphe fuêre:*

AVGVSTINIANI SALMANTICENSES
EX STIPE, QVAM POPVLVS CONTVLIT
IOANNI SAHAGVM.
FRATRI SVO. VIRO DVM VIXIT SANCTO.
A MORTE MIRACVLIS CELEBRI. POSVERE.

Quorum ſignorum numerus ſupra B. Viri vitam immaculatam, ferè martyrali morte condecoratam, anſam prabuit, vt pro eius Beatificatione, ad ſolita diligentiarum munia recurreretur. Ita factum, donec Clemens VIII. *Pont. Max.* Ioannem *in Beatorum numerum aggregauit. Ad cuius ſarcophagum hanc appendit teſseram deuotionis inſtantia Chronographi.* *In Beatorũ numerum adſcribitur.*

Quid adſtas Viator, Tymbion vides
Ioannis A Sahagvn,
ſuo ſeculo Thaumaturgus:
Cuius nomen, ſeu numen ſuis, & exteris
extitit admirandum:
Qui à primis annis, velut alter Ioannes, *relicto*
ſeculo, Auguſtini regulam ſectatur.
A quo tempore, ſuis precibus, reſurgunt mortui;
Caci viſum, auditum ſurdi recipiunt; & quas
dira Ira inter Salmantinos *conciues*
ſeditiones ſeminauerat.
Prædicationis gladio, monendo, &
minando, placat.
Dum hæc, & maiora tentat, ſacra morte
preuentus ad Patrem luminum tranſuolat,
XI. Iunij, *Barnaba, & Fortunato. S.*
An. M. CCCC. LXX. IX.
A Salmantinis *ob ingentia accepta beneficia,*
pro Tutelari habitus:
A Clemente VIII. tanti Viri prodigiis
ſuaſus, in numerum adſcribitur
Beatorum.
Hoc te ſcire volui, vt aſſiduè ad eius ſacros cineres,
preces fundas, exaudieris enim, & ſanaberis.

Officium conceditur.

Ergo in BEATORVM *catalogo adnumeratus* IOANNES, *Sedes Apoſtolica Officium recitandum de Communi Confeſſoris, non Pontificis, die ſequenti poſt eius Natalem, Auguſtinianis Salmanticenſibus Fratribus conceſſit, nec non Collegialibus, Capellanis, & famulis Collegij Maioris S. Bartholomæi. Poſtmodùm hæc extenſa facultas, primò ad Prouinciam Caſtellæ, deinde ad vniuerſum Ordinem Auguſtinianum, tandem ad Oppida Ceæ, & S. Facundi, præſtante Domino Noſtro Ieſu-Chriſto, qui cum Patre, & Spiritu-Sancto viuit & regnat per infinita ſecula, Amen.*

Quo die habitum aſſumpſit?

Hactenus ACTA, in quibus *R. P. Herrera* hæc Duo adnotauit, *I. circa Diem*, quo habitum Religionis aſſumpſit. II. *circa Annum*, quo è vita diſceſſit. Quoad *primum* euidentiſſimè probat, S. IOANNEM eremitica ſe corrigia cinxiſſe, non *die XXVII. Auguſti*, vt indicant, & conſignant omnes Actorum Scriptores, ſed *die XVIII. Iunij*, Anno M. CCCC. LXIII. ſequentibus rationibus: Prima, quia in vetuſtis Profeſſionum libris, ante S. Viri ecphraſim Profeſſionis, hæc notantur verba: *Sabbato die* XVIII. Iunij *Anno* LXIII. *recepit habitum in hoc Conuentu Bachalaureus* F. Ioannes à Sahagum, *Dominus det illi gratiam, & benedictionem, vt in poſterum perſeueret, in ſuæ animæ bonum, & omnium conſolationem.* Quod & notauit P. F. Antonius de Solis, & P. F. Petrus de Caſtro in *Relat. Tranſlat. S. Ioann. Sahagun-tin.* Et quod indubitabile eſt, quòd ipſe S. Vir, hanc opinionem teſtatam ſua manu reliquit, in *Summa Bartolina* pergamineis tabulis exarata, *& MS. Piſis Anno* 1338. quæ adhuc in Conuentu *Salmantino* adſeruatur, in cuius *Summæ* marginibus, propriâ S. Viri manu ſcriptæ hæ notæ leguntur: *Emi iſtum Librum in menſe Madij. anno* 1456. *de Fratribus S. Pauli, Monaſterij Burgenſis: Dedi numos M. Petro Librario: Conſtitit in mille moropetinos, quos ſibi dedi in florenis Regalibus, è denarij vno & ::::::: in domo ſua, intra ſuum tentorium* Pòſt Hiſpano idiomate, latinitate donato, proſequitur, *Die XVIII. Iunij, Anno M. CCCC. LXIII. habitum ſuſcepi in Monaſterio S. Auguſtini Salmanticenſi, quo anno litera erat Dominicalis B. natali SS. Marci, & Marcellini Martyrum, ante feſtum S. Ioannis, ſeptem diebus, & hoc fuit Feriâ VI. & prædicauit Epiſcopus Oxomenſis.* Ex quibus patet euidenter error Scribentium, qui ob diem Profeſſionis, diem ſuſceptionis habitus numerarunt.

Quo Anno obijt?

QVATENVS ad *Annum* tranſitûs, à *R. P. Herrera* diſcedo, qui ad M. CCCC. LXXVIII. mortem euenisſe contendit, quia rationes pro ſe adductæ, non ita irrefragabilem conſtituunt probationem, quòdà communi Scribentium ſententia Nos retrahere valeant; ideò pro communi Antiquorum, & Coæuorum ad Annum M. CCCC. LXXIX. tranſitum reiicientium ſtamus. Salua ſemper veritatis inſtantiâ, & tanti Viri auctoritate.

PRO Coronide *Hymnorum* ſeriem, quam *Salmanticenſium* eruditiores Camœnæ, in deuotionis ad S. Virum ſignum, edidêre, ſubiiciemus. Quorum exordium ferat anteſignanus *R. P. F. Baſilius Ponze de Leon.* Auguſtinianus, Auguſtiniani Cœnobij Salmantini bis Prior, Salmantinæ Cancellarius Scholæ, Sacræ Theologiæ Primarius profeſſor, omnigenæ doctrinæ diues, diuini verbi viuus, & efficax Eccleſiaſtes, noſtri æui felix prodigium, ſic:

HYMNVS AD VESPERAS, ET LAVDES in Officio B. Ioannis Sahagunt.

FACVNDI meritis plaudite Cœlites,
Quo veſter numerus creſcit, & inclytæ
Vrbi præſidium ſurgit, & Ordini
Noſtro virgineum iubar.
Figmenta abijciens ſeculi inania,
Quo Chriſto celebret ſabbata dulcia,
Virtuti inuigilans, quæ nequit eripi,

Feſtino

Digitized by Google

Festino properat gradu.
Martinus *veluti pauperis indigum*
Corpus cum tegeret; dum tenebræ ruunt
Quæ mira audierit, mystica viderit,
Postremus referet dies.
Hinc verbi facula corda tumentia
Placans, athereis ignibus arcuit
Ignes, ac animi frigore torpidi
Flammas concipiunt Dei.
Mors quos vorticibus pallida merserat
Usuram reuocat lucis ad aureæ,
Dat cæcis oculos, robur & aridis
Indit corporibus nouum.
Hic florens olea, hic lilia candida,
Hic Vates meritò Martyribus pari
Dum æstu veridicum fœmina reddidit
FACVNDVM *Superûm choro.*
Huius Nos precibus, sic Deus aspice,
Vt pacem populo, cordibus inferas
Lumen, Nos mutuo sæcla per omnia
Cantemus tibi gloriam.

IN SECVNDIS VESPERIS
Hymnus.

LÆtare Mater inclyta,
Fœcunda prole cælitum,
Tanto beata Filio,
Tanto beatior Patre.
Lætarè ocelle Hispaniæ,
Cui pax neces post horridas,
Verbo IOANNIS *igneo,*
Vt Sol redit post nubila.
Hic est quia ab incunabulis,
Virtuti inhæsit feruidus;
Deum videns, quæ concipit,
Arcana discit eloqui.
Fœcunda lux dum vixerat,
Et cùm recedit emicat,
Latex & ignis, vasculum
Dum frangitur, resplenduit.
Huic vnda præbet semitam,
Sicutque Ionam creditum,
Non humidis vel vestibus,
Reddit tibi Salmantica.
Huius sepulchri puluere
Cæci vident, & ambulant
Claudi, virent & aridi,
Vitam resumunt mortui.
Tu nos benignus aspice
FACVNDE, pacem finibus
Serua, gregémque creditum
Defende ab omni crimine.
Laus, honor, virtus gloria
Deo Patri, & Filio,
Sancto simul Paraclyto
In seculorum secula, Amen.

P. F. Ioannes de Salcedo Augustinianus secundas ferat, qui etiam in Officio à se conscripto, pro solutione oneris Ecclesiastici, hos Hymnos inseruit.

AD VESPERAS, ET LAVDES
Hymnus.

NOn leui nobis recolende cantu
Diue, quem cœlo pietas locauit,
Cordis effuſos gemitus tuorum
Pronior audi.
Qui prius mundi laqueos fugacis
Noſſe quàm poſſes, ſuperans, manentis
Conſcius vitæ, fueras te ipſo
Grandior infans.
Inter obſtantes medius cateruas,
Mutuis cùm plebs agitata flammis
Arſit in ferrum, ſocias cruenta
Cæde ruentes.
Eximis letho ſubeunte lymphâ
Sponte, quem merſum puteus tenebat:
Teque per Tormi latices volutum
Reddidit vnda.
Reddidit ſacræ modulis loquelæ
Deuios Chriſto pareres: iniquûm
Spiritu vatis ſcelus amoueres
Corda reuelans.
Laus Patri ſummo, Genitæque Proli,
Et tibi compar vtriuſque Sancte
Spiritus, cuius reboat per omnem
Gloria mundum, Amen.

AD SECVNDAS VESPERAS
Hymnus.

IN tuis ſeſe manibus reclinat
Chriſtus, & cœli ſpatium repandit,
Vnde ſe Trinum voluit videri
Numen, & Vnum.
Aſpicis, gaudes, teneris amorum
Vreris flammis; loqueris ſuaues
Numinis voces, homini negatas
Concipis aure.
Concipis quantos animi calores
Serpit occulto Deus igne: pectus
Pandis, vt forti iaculo petitus
Immoriare.

Vnde languentum ſolidantur artus;
Mortui vita vegetantur: vnde
Non priùs iuſſi patuêre ſoles
Lumine captis.
Gemma cœleſtis, Pater atque terræ
Sydus in noſtras venias vocatus
Quæſumus voces, recreans benigno
Corda fauore.

Tertium locum teneat *R.P.F.Bernardus Iamineto* Auguſtinianus, natione Flander, qui etiam alios Hymnos contexuit,& *R.P.F.Franciſco Cornejo* dicauit.

HYMNVS PRIMVS.

QVid luto merſis animis popelli
Deuia ſortis penetratis æthram?
Viribus nemo trepidis beatas
Contigit ædes.
Nemo decliui petit alta greſſu,
Quid ſupinatæ violatis aſtra
Mentis impulſu? nimium repugnant
Infima ſummis.
Ecce SAHAGVN *generoſus ardor*
Mentis ignauæ reprobans teporem,
Edocet quantis rapiatur altus
Orbis Athletis.
Vix vale primis dederat grabatis
Vltimum, tetri famulus Auerni,
Dura prædixit Stygium manere
Bella Barathrum.
Solius Chriſti meditans amorem,
Inſolens agmen puerile tempſit,
Orbis & nugas generoſus infans
Corde refellit.
Execrans dira maledicta lingua,
Chara peruerſa nimium iuuenta,
Solus à mundi ſtrepitu Tonanti
Tempus agebat.
Patris Aureli labarum ſecutus
Corpori legem poſuit rebelli,
Perfidam carnem, docuitque ſeſe
Subdere menti.
Præſtet hoc nobis Deitas beata

Patris,

Patris, ac Nati, paritérque ſancti
Pneumatis cuius reboat per omnem
Gloria mundum.

HYMNVS SECVNDVS.

VT nitens inter lapides Beryllus,
Nobili præſtans Hyacinthus auro,
Sol globos inter rutilans ſtupendâ
Luce minores.

Sicuti verno redeunte ſeclo
Ligna ſyluarum præit vna malus,
Et velut plenis radio coruſcans
Luna diebus.

Non ſecus ſancti Patris alma virtus,
Puritas cordis, probitáſque mentis
Inter Hiſpanos micuit ſtupendo
Lumine cœtus.

Perdita gentis ſitiens ſalutem,
Libera carpit malefacta vita,
Terret inferno, mouet obſtinata,
Corda gehennis.

O tibi quantum meriti Senatus
Cœlitum debet! tibi terra quantas
Gratias! quantum tibi Ibera primùm
Natio laudis!

Sedat inſanos Procerum furores,
Bella Ciuilis reprimit phalangis,
Turpe declarans hominum ſitire
Ora cruorem.

Perpetes ardens vomit Æthna flammas:
Igne ſic vrens pia mens amoris,
Mille ructabat meditans cremanti
Pectore flammas.

Fratribus cunctis humilis, modeſtus
Geſtibus, verbis Paracletus, hoſtis
Faſtibus, carni rigidus, reatu
Purus ab omni.

Corporis nondum ſacra mens ſoluta
Vinculis, multos furijs adactos
Dæmonum ſoluit, variiſque ſanat
Corpora morbis.

Digitized by Google

HYMNVS TERTIVS.

PAlma centenis cumulata ramis
Pulchrius celſum per inane crines
Exerit, quàm ſi foret illa paucis
Splendida ramis.
Membra SAHAGVN cruciata multis
Sint licet pœnis, licet abſtinentem
Denotet vitam caro ſæpe duris
Trita flagellis.
Corpus humanos licet inter orbes
Degat, æternos tamen inter axes
Spiritus viuit, meliúſque tanto
Fulget honore.
Quam ſecundis eſt ſatus ille ſtellis,
Cui ſuam Chriſtus perhibet ſalutem,
Ille iam tutus canit in quieto
Cantica portu.
Hoſtiam ſacris operans in aris,
Lucidi vidit ſpecie puelli
Carne veſtitum rutilans decori
Corpus IESV.
Hunc canunt cæci, celebrántque claudi.
Huius ad ſacrum tumulum reſurgunt
Morte defuncti, Satanas fatetur
Eſſe potentem.
Nos licèt feruens ſubeat cupido,
Cœlicas tecum ſociare turmas,
Nos tamen Damon prohibet beatam
Ducere vitam.
Tu parens noſtram tueâre ſortem,
Robora vires, animóſque firma,
Hoſtis vt ſpretâ rabie, Polorum
Sede fruamur.

Quatenus ad probationem BEATIFICATIONIS à Sede Apoſtolica factæ, nullus eſt qui dubitet: Diploma Clementis VIII. Pont. Max. Hiſpano ſermone referunt P. Antolinez in Vit. *S. Ioann. Sahagunt c.* 58. *fol.* 547. Et Latino R. P. M. F. Laurentius Empoli, S. R. Inquiſitionis Qualificator in Bullar. Ordin. Eremit. S. Auguſtin. fol. 85. *Beatificationis Diploma.*

SALMANTICA, quæ & HALMANTICA. Vrbs Epiſcopalis Hiſpaniæ, de qua Topoteſiam ſubiecimus ſupra *Tom.* 1. *Die XII. Februar. fol.* 111. Hanc conditam fuiſſe à *Teucro* Græcorum Duce, Telemonis filio, qui poſt bellum Troianum, à Patre in Inſulam Salaminam non admiſſus, maris volumina voluens, in Hiſpanias aduentauit, & in Gallæciæ portu ſoluens, agros mediterraneos quæritans, ad Fluuium *Tormes* deuenit, & iuxta illius ripas, vrbem extruxit, quam Patriæ amore allectus *Topographia.* *An Teucer conditor Salmantica.*

allectus etiam SALAMINAM vocitauit; è qua (quia ex SALAMINIS, & ATTICIS erat conſtructa) fluxum vocabulum SALAM-ATICA, poſteà SALAMANTICA cognomen accepiſſe refert M. Ægidius Gonzal. Reg. Chronograph. in *Hiſtor. Salmant. lib. 1. c. 2.* auctoritate Iuſtini *lib. 44. c. 3.* ex recenſione *Antonij Thyſi*. Sed ſaluâ pace tanti Magiſtri, haudquaquam *Iuſtinus* huius rei meminit, licet *Teucrum* in Hiſpanias deueniſſe conſcribat, ſic: *Gallaci autem Græcam ſibi originem aſſerunt. Siquidem poſt finem* Trojani *belli*, TEVCRVM *morte Aiacis fratris inuiſum patri* Telamoni, *cùm non reciperetur in regnum*; in Cyprum *conceſſiſſe, atque ibi vrbem nomine antiquæ patriæ* Salaminam *condidiſſe. Inde acceptâ opinione paternæ mortis, patriam repetiſſe. Sed cùm ab* Euryſace *Aiacis filio, acceſſu prohiberetur*, Hiſpaniæ *litoribus appulſum, locum, vbi nunc eſt* Carthago-Noua, *occupaſſe, inde in* Gallæciam *tranſiſſe, & poſitis ſedibus Genti nomen dediſſe.* Hactenus *Iuſtinus*. Quis non, ſi linguam callet Latinam, hallucinatum fuiſſe Chronographum Regium, in conſignando SALMANTICÆ Conditore, fatebitur? Sed de hoc ſatis. *Polybius*, & *Stephanus*? ΕΛΑΜΑΝΤΙΚΑΜ. id eſt HELMAMTICAM. *T. Liuius*, & *Plutarchus*, ΕΡΜΑΝΔΙΚΑΜ, ſiue HERMAMDICAM vocant. At hoc condonandum eſt hominibus Græcis, & peregrinis, & quibus *Hiſpania* minus cognita fuerit, cùm vt conſtet ex Latinis Scriptoribus, vrbem Noſtram nequaquam vllo ævo nomen immutaſſe. Alibi alia ſubiungemus, hodie SALAMANCA dicitur, celebre Eruditionis emporium.

Chronographi Regij lapſus detegitur.

Varia nomina perperā tributa.

PRIDIE IDVS IVNII.

DIES XII.

A. TOLETI *in Hiſpania* S. OLYMPII *Thraciæ Epiſcopi, qui apud Hiſpanias exul accedens, & Toleti ſiſtens, ipſius eſt Sedis inauguratus Antiſtes, cuius eruditionem & Libri ab eo conſcripti, & aſſiſtentia in Concilio Cordubenſi, vbi Athanaſij Magni conſtantiam, & fidem abs hæreticorum oppugnationibus vindicauit, ſine tergiuerſatione teſtantur: demum glorioſis operationibus plenus obdormiuit in Domino.*

B. MONT-SERRATO *apud Barcinonem Hiſpaniæ celebris eſt memoria* B. IOANNIS GVARINI, *Anachoretæ; qui cùm Diabolo inſidiante, in carnis, & homicidij crimina lapſus fuiſſet, pœnitentiâ ductus, ſic cruciatibus vitam texuit, ſic lacrymis labem abluit, vt meritò ad cœleſtem patriam Confeſſor mirabilis raperetur.*

NOTÆ.

Digitized by Google

NOTÆ.

SANCTVS OLYMPIVS Episcopus Confessor.] Famigeratam omni ævo huius sanctissimi Præsulis memoriam intueor: nam si Sanctorum Scriptorum euoluo volumina, *Nazianzenum*, *Augustinum*, & alios aduoco testes. Si Conciliorum quibus interfuit subscriptiones efflagito, illum apud *Grangensem*, *Sardicensem*, *Cordubensem*, *Toletanam*, *Ariminensem*, & alias Synodos inuenio. Si Scriptores Ecclesiasticos perscrutor, video vetustissimum Flau. Dext. *in Chron. Ann.* 352. talia dicentem: OLYMPIVS *Vir pius, & doctissimus, ad quem aliquotiens scripsit* Gregorius Nazianzenus. *Hic fuerat priùs in Thracia Episcopus, relegatus in exilium venit in* Hispanias, *& fuit electus à* Toletanis *loco* Natalis, *qui editis Libris mirè contra hæreticos sui temporis pugnat.* Et in eodem *Chron. Ann.* 356. agens de eo, vocat: *Virum celeberrimum, & sanctissimum, qui fidei causâ, multos, & incredibiles labores passus est. Nam* (prosequitur) *tertiò pro defensione Fidei Catholicæ, foris, & in* Hispania, *etiam* Toleti *exularat Episcopus; Libróque edidit, quos inscripsit ad* Cœlestinum *Consulem Baticæ, qui postea Martyr fuit.* Gennadium de Scriptor. Eccles. c. 23. asserentem: *OLYMPIVS natione* Hispanus, *Episcopus, scripsit* Librum Fidei *aduersus eos, qui naturam, & non arbitrium in culpam vocant, ostendens non creatione, sed inobedientia insertum naturæ malum.* Eadem Honor. Augustodunens. *de Scriptor. Eccles. lib. 2. cap. 23.* S. Augustin. *aduers. Iulian. Pelag. lib. 1. cap. 3. & 7.* Iulian. *in Chron. num. 161. 166.* & alibi vt infrà dicemus. Baron. & Spondan. *in Annal. Eccles. Ann.* 400. *&* 405. Vasseus *in Chron. Ann.* 388. Luitprand. *in Aduersar. num.* 152. Loaysâ *in Not. ad Decret. Gundemari. fol.* 268. Padilla *Histor. Eccles. Hispan. in Catal. Episcop. Toletan. tom.* 2. Pissa *Histor. Tolet. lib. 2. cap. 3.* Erze *de Prædicat. S. Iacob. in Hispan. 1. p. tom. 2. cap. 7.* Salazar de Mendoza *in Prolog. ad Vit. Cardinal. Tolet. fol.* 12. D. Thom. Tamayo *in Veritat. Dextri. Nouitat. 7. fol.* 111. Don Martin. Carrill. *Annal. Eccles. Hispan. Ann.* 348. Camargo *in Chronolog. Ann.* 348. *&* 352. Auctor Primat. Toletan. *1. part. cap.* 8. §. 3. P. Anton. Quintana-Dueñas *Histor. SS. Toletan. secul. 4. fol.* 238. D. Roder. de Acuña *Histor. Vlyssippon. 1. part. cap.* 17. *fol.* 35. *col.* 3. Possevinus *in Apparat. sacr. litt. O. fol.* 512. P. Biuar. *in Not. ad Dextr. d. Ann.* 352. *fol.* 380. *& seq.* Roder. Car. ibidem *fol.* 123. *lit. O.* S. Gregor. Nazianzen. *Epist.* 40. 41. 76. 77. *&* 78. S. Augustin. etiam supra *lib. 2. cap.* 10. *& lib. 3. cap.* 17. Sozomenus *in Tripartit. lib. 8. cap.* 38. Athanas. *in Epistol. ad Solitar.* & in *Apolog. de fuga sua.* Eius dies Natalis apud Martyrologos inuenitur *Pridie Idus Iunij* vt in Roman. & suis idiomatibus Castellanum *P. Vazq.* Lusitanum *P. Lupi*, Italum *Constantij Felicis*, & Hispanum *MS. P. Higuera.* Eius ACTA coniunctim à nemine scripta reperimus, licèt *Quintana-Dueñas*, & *D. Rodericus de Acuña*, necnon Episcopus *Turiasonensis* illa per partes, necdum secuta oratione, coagulauerint. Nos vt instituto pareamus illa in ordinem redigemus.

A. *Sancti S. Olympiũ prædicant.* *Synodi.* *Scriptores.* *Martyrologia.*

ACTA S. OLYMPII THRACIÆ Episcopi primum, pòst Toletani Metropolitæ; ex Var. Scriptor.

OLYMPIVS *natione* Hispanus, *patria* Vlyssipponensis, *fidem amplexatus Catholicam,* Constantinopolim *proficiscitur, vt eruditiora capesseret literarum acumina, quibus, Religionis progressibus inseruiret. Ibidem per aliquantum temporis cursum demoratus, meritis intercedentibus, ad* Cappadociæ *Præfecturam adscitus est, cuius muneris scopum, etiam post exactum, laudibus extollit Nazianzenus. Ilius enim officij pensum cùm denique inculpabili administratione absoluisset,* Constantinopolim *repedans, ad* Sacerdotium *instantibus eius doctrinæ, & sanctitudinis dotibus sublimatus, postmodum Ænos Ciuitatis in Thracia Sedem Episcopalem gubernandam accepit,* *Origo.* *Præfectus Cappadociæ.*

Digitized by Google

Epiſcopus in Thracia.

cuius infulas ſic miro illuſtrauit ordine, vt ad ſecurum fidei azilum totius Prouinciæ Catholici fideles confugerent roborandi. Hic ſapientiæ radijs, pietatis fulgoribus, & virtutum mirabilibus, non ſolum ſuæ Diœceſis, ſed exterarum Regionum terminos inſigniuit. Quibus quippe cùm ad Concilium Grangenſe

Interfuit Concilio Grangenſi.

S. Syluestri Pont. Max. auctoritate coactum accederet, ita fidei cauſam mirificè defenſauit, canones ſtabiliuit, & omnium Coëpiſcoporum amorem rapuit, vt poſtmodùm in Conſtantinopolitana Synodo non ſolum eius demirarentur doctrinam, ſed etiam omnia in Grangenſi conſtituta decreta efficaciter firmarentur. Illud enim erat ſeculum Arij, & eius ſequacium erroribus deturpatum, quorum conamina Conſtantius *Imperator tanquam illius labe pollutus, non tantum extollere, ſed Catholicæ veritatis fundamina euellere ſatagebat. Quod vt facilius exequeretur Tyrannus, omnes Orthodoxæ fidei Epiſcopos, aut promiſſionum illecebris, aut ſuppliciorum ſtragibus euertere deſtinauit. Sed hiſce hæretici Principis conatibus ſacrum fidei bellum indixêre Patres illius ſeculi celebres; inter quos* Olympivs, *qui* Hoſio, & Athanaſio

Arianos infeſtat.

adhærens, & arma Catholica viriliter induens, prædicatione, ſcriptis, linguâ, calamo, auctoritate, & potentiâ, ſectarios Arianæ perfidiæ complices, exauctorauit feliciter. Qui ſic contra S. Epiſcopum furore inflammati crepuere, vt patrocinio Imperatoris confiſi, ab eo edictum, quo Præſules abs propriis Eccleſiis eijci, ſacris redditibus priuari, ex Prouincijs Orientalibus exulare præceperat, ſunt enormiter conſecuti. Hæc omnia hæretici protinus indiſcriminatim executioni mandarunt, prout eorum bilis furibunda aduerſus Chriſti membra ferocius expetebat. Quas tunc B. Olympivs *pertulerit ærumnas, ignominias, carceres, calumnias, & tyrannides, ille ſcit, qui eius conſtantiam in poſterum exaltauit.*

Exulat ab Oriente.

Posthæc *ſanctiſſimus vniuerſalis Eccleſiæ Paſtor* Iulius I. *Anno Domini* CCC. XLVI. *vt tenebras errorum lux veritatis expelleret, quâ cognitâ, Arianorum inſidiantium cœtus ad gregem fidelium accederet, & ſub vno ouili redactus, ſub vno Vniuerſali Paſtore, vnius fidei pabula reciperet ſalutaria, decreuit, quòd ex vtriuſque factionis Præſulibus Concilium apud* Sardicam *contraheretur, in quo etiam cognitâ exulum Epiſcoporum cauſâ, illis ad proprias Sedes permitteretur recurſus. Coadunato igitur Concilio, cui præfuit* Hoſius *Epiſcopus* Cordubenſis, *tunc Eccleſiæ lumen, &* Hiſpaniæ *noſtræ fulgentiſſimum iubar, inter Epiſcopos de rebus propoſitis agitatur, ſed Ariani, qui fulmina veritatis patienter ferre nequibant, è Concilio diſcedentes, aliud Conciliabulum congregarunt. In* Sardicenſi *ad vlteriora Antiſtites procedentes Catholici, poſt abſolutionem criminum impoſtorum Præſulibus relegatis, & Arianorum condemnationem, multa Eccleſiæ Catholicæ vtilia ſuggeſſêre decreta, quibus omnibus* Olympivs *poſt* Hoſium *Præſidem auctoritatem intrepidus concilianit. Huius rei ſeries in ſectariorum viſceribus furorem non ſolum genuit, ſed auxit, & ideo ad Conſtantij pedes prouoluti, iterum de Catholicis vindictam profundiùs flagitabant: qui aliud edictum proferens, iuſſit, vt non ſolùm è ciuitatibus, & Eccleſiis eijcerentur Antiſtites, ſed & capitali pœnâ, vbicumque inuenti eſſent, plecterentur. Inde factum eſt, vt* Olympivs *Hoſio ſpecialibus amicitijs iungeretur, & ratione certaminis, & cauſâ originis, quia ambo Hiſpani, & exulo ambo. Soluto igitur Conuentu* Sardis *congregato, & cognito Imperatoris edicto,* Hoſium *comitatus* Olympivs, *Hiſpaniæ adijt, quo cum* Cordubæ *commoratus, ibidem Concilio* Cordubenſi, *ab eodem* Hoſio *congregato ſi cauſa* Athanaſij, *interfuit, vbi iterum S. Alexandrinæ Sedis Epiſcopus abſolutus eſt.*

Concilium Sardicenſe contrahitur.

Cui interfuit S. Præſul.

In Hiſpanias reuertitur.

Cordvba *Toletum deuênit, vbi exul priuatam vitam tranſegit, ſed haud abſque venerationis plauſibus, quia eius opera ſic* Toletanorum *corda rapiebant, vt ad eum tamquam ad ſapientiæ, & ſanctitatis oraculum confluerent. Inter hos dignâ æſtimatione Natalis, ipſius tunc Metropolitanæ Sedis Epiſcopus, qui vt par erat ſancti exulis vitam, & facinora ſummis laudibus extollebat. Hic* Olympivs *ſine intermiſſione linguam, &*

Toletum venit.

Digitized by Google

& calamum occupabat : Illam fidei prædicatione, Religionis augmento, & morum reformatione : Hunc in Librorum editione contra hæreſes, quos tanquam doctrinâ plenos, & pietate imbutos, paſſim in ſuis refert operibus Auguſtinus. Illos Cæleſtino Baticæ Conſulari, pòſt Romæ Martyri, ſub Apoſtata Iuliano, direxit, qui omnibus S. Virum virtutibus cumulatum merito, quaſi plenâ manu, & concio dilaudauit ore. Creſcebat etenim quotidie hæreticorum inſania, quæ per totius orbis plagas tacito pede prorumpens in Hiſpanias ingreſſa, Natalem *Toletanum Antiſtitem obiurgauit, donec è Sede deiectum, eius acclamauit exilium. Tunc loco* Natalis *inauguratus* OLYMPIVS, *infulam Metropoliticam perinduit Epiſcopus, in cuius moderamine conſtitutus Concilium* Toletanum *indixit, & ad Ariminenſem acceſſit Synodum, tandem vt vitæ feliciter actæ, obitus reſponderet felicior, annorum plenus, & illuſtrium facinorum, ad Dominum ſanctiſſimus properauit Confeſſor*, Die XII. Iunij *Anno Domini* CCC.LX.

Libros ſcribit.

Fit Epiſcopus Toletanus.

Moritur.

ACTORVM ſeriem probare compellimur, vt promiſſis ſtemus, & ideo, de PATRIA Auctores teſtes ſubiiciemus. Adſit Iulianus Archipresbyt. Toletan. *in Chron. Ann.* 354. *n.* 161. *fol.* 42. hoc, & alia in relatione contenta proferens: S. OLYMPIVS *Epiſcopus Thraciæ, quo tempore* Natalius *mittitur in exilium in Italiam, & ille mittitur in* Hiſpaniam: *Vacanti Sedi Toletanæ præfuit: fuit Scriptor nobilis, & acerrimus fidei defenſor. Cùm eſſet Epiſcopus Thraciæ interfuit Concilio Grangenſi. Fuit natione* Hiſpanus *ex* OLYSIPONE *Ciuitate Luſitaniæ*. Hoc etiam probat Biuar. *d. fol.* 380. P. Quintana-Dueñ. *d. ſecul.* 4. *fol.* 238. D. Roderic. de Acuña *Hiſtor. Vlyſſippon. d. c.* 17. & Turiaſonenſ. Epiſcop. *d.* 1. *p. fol.* 100.

Patriæ probatio.

CIRCA *Conſtantinopolitanum ſeceſſum*, Auctores habeo quotquot de eo ſcripſêre, & ſuperiùs enumerauimus. Et patet, quia cùm Conſtantinopolis ſit in Thracia, quid mirum, ſi ex ea ad Cappadociæ Præfecturam, quâ finitâ ad Sedem *Ænoſenſem* Thraciæ Epiſcopus adſcenderet? De *Præfectura* Gregorius Nazianzenus eſt Auctor *Epiſtol.* 40. & 41. & recentiores.

De Præfectura, & Epiſcopatu.

QVATENVS ad aſſiſtentiam in Concilijs *Grangenſi*, & *Sardicenſi*, conſule S. Athanaſ. *in Epiſt. ad Solitar.* & *in Apolog.* Baron. *Ann.* 400. & 405. In *Cordubenſi* cum Hoſio, & aliis, audi Iulian. ſed melius Dextr. *Ann.* 356. dicentem: *Celebris habetur memoria* S. OLYMPII *apud Toletanos, qui Anno* CCC. XLV. *interfuit Concilio* Cordubenſi *in cauſa Athanaſij*. In Concilio *Ariminenſi*. Iulianum in *Chron. Ann.* 359. *n.* 166. auſculta: S. OLYMPIVS *Anno* CCC.LIX. *Concilio* Ariminenſi *CCCC. Epiſcoporum; CCC.XX. Catholicorum; LXXX. Arianorum, interfuit.* In *Toletano* à ſe congregato idem Iulian. *Ann.* 354. *n.* 162. aſſerit: OLYMPIVS *collegit* Toleti *Concilium*. De quibus apud relatos.

Quibus Cõcilijs interfuit?

De Die, & Anno Tranſitus, poſt Martyrologia, h. d. Anni obitus ſignaturam idẽ ipſe Iulian. *d. n.* 161. refert: *Succeſſit Natalis Anno CCC.LII. ad Annum* CCC.LX. *quo* (proſequitur *n.* 167.) OLYMPIO *Sanctiſſimè defuncto ſucceſſit Gregorius.*

Anni obitus probatio.

NON eſt audiendus D. Rodericus de Acuña, qui *Hiſtor. Vlyſſippon. d. c.* 17. *n.* 4. *fol.* 37. vrbis ipſius gloriæ cupidus, contendit probare S. OLYMPIVM fuiſſe Epiſcopum *Vlyſſipponenſem*. Aſt cum claſſicum non adſignet auctorem, eius coniectatio ſub ſilentij imagine deliteſcet. Cætera quia communia, ne repetamus, omiſimus.

An Epiſcopus Vlyſſipponenſis.

B. IOANNES GVARINVS *Anachoreta.*] Licet iſtius Viri Venerabilis memoria adhuc in Tabulis non ſit Eccleſiaſticis ſcripta, tamen eius ſanctitudo apud Scriptores claſſicos glorioſâ enumeratione præſcribitur. De eo P. Ioannes Marieta *Hiſtor. SS. Hiſpan. lib.* 6. *c.* 41. *fol.* 159. Petr. Anton. Beut. *Hiſtor. Hiſpan. lib.* 2. *c.* 13. P. Anton. Vincent. Domenec *Hiſtor. SS. Cathalon. lib.* 2. *fol.* 95. P. Franciſc. Diago *Hiſtor. Comit. Barcinonenſ.* 1. *p. lib.* 2. *c.* 14. *fol.* 71. P. F. Anton. de Yepes *in Chron. Benedict. Tom.* 4. *Cent.* 5. *Ann.* 888. *c.* 3. *fol.* 214. Ex antiquioribus Luitprandus in *Chron. Ann.* 866. *num.* 306. qui hoc elogio eum SANCTVM appellitat: *Floret in Monte-Serrato* S. IOANNES GVARINVS, *Eremita*, vbi D. Thom. Tamay. *in Comment. fol.* 106. Idem Luitprand. *in Aduerſ. num.* 121. apud Ramireſ. *fol.* 481. & apud Tamay. *num.* 104. *fol.* 26.

B.

Scriptores.

Digitized by Google

Eius ACTA ſcripsêre *Matthæus Oliuarius*, quæ Latina fecit *Benedictus Gononus*, illáque repoſuit licèt mutila in *Vit. Patr. Occidental. in Append. fol.* 467. quæ & Nos, repletis lacunis, quæ dehiſcebant, ſubiiciemus.

ACTA B. IOANNIS GVARINI Anachoretæ; ex Oliuario Monacho.

Origo & Patria.

IOANNES *cognomento* GVARINVS *origine* Hiſpanus, *ex vrbe* Valentia *in Edetanis oriundus, tempore* Gofredi Pilloſi *Barcinonenſis Comitis, in quadam ſpelunca* Montis-Serrati *ſolitariam vitam, in magna pœnitentiæ auſteritate ducebat. Ita autem de mundo, diabolo, & carne triumphauerat, & in tanta puritate anteactam vitam ſuam compoſuerat, vt nullâ eam mortali maculâ fœdaſſe crederetur. Quam puritatem, & ſanctitatem hoſtis humani generis ferre non valens, cùm ſuis ſuggeſtionibus non potuiſſet eum à ſancto propoſito deijcere, & ad peccati conſenſum pertrahere; per antiqua eius arma, quibus Adam de Paradiſo eiecit, machinatus eſt eum ſuperare. Duo enim dæmones à Principe ſuo miſſi, egreſſi ſunt ex inferno, vt S. Virum deijcerent. Quorum vnus in habitu, & formâ Eremitæ cæpit habitare in quadam ſpelunca dicti Montis, quæ non multum longè aberat ab illa, in qua Vir Dei* IOANNES *morabatur. Vt autem facilius Virum Dei deciperet, quadam die ipſi inopinatè occurrit, & cùm primùm obſtupuiſſet, eúmque ſalutaſſet, cæpit gratias agere Deo, quòd in tam ſanctum Viram incidere meruiſſet. Cæpítque eum rogare ne moleſtè, & ægrè ferret, ſi aliquando eum viſitaturus eſſet, quatenus ſecum de ſpiritualibus rebus colloqui poſſet.* IOANNES *nullam fraudem ſuſpicatus, dictis ſtatim fidem adhibuit, atque Pſeudo-eremitam illum pro Sancto habebat.*

Duo dæmones aduerſus eum.

Diabolus eius Sanctitatem prædicat.

TVNC *etiam alter dæmon, qui cum illo miſſus fuerat à Principe dæmoniorum,* Mariam, *ſiue* Richildem *puellam elegantiſſimam Comitis* Barcinonenſis *filiam cæpit grauiter torquere. Cùm vi exorciſmorum egredi cogeretur, reſpondebat ſemper,* ſe nunquam egreſſurum niſi à IOANNE GVARINO Eremita ſanctiſſimo, qui in Monte-Serrato ſolitariam vitam ducebat, eiiceretur. *Hæc autem cum fuiſſent Comiti nuntiata, ſtatim cum filia itineri ſe dedit, vt Virum inquireret. Quem cùm inueniſſet, rogauit vt miſereretur filiæ ſuæ, quæ malè à dæmonio vexabatur.* IOANNES *autem hæc audiens, vltrà quàm credi poteſt, mirabatur, & neſciebat quid ageret. Verumtamen patris, & omnium circumſtantium precibus, & puellæ doloribus motus, cùm diù ſe indignum proclamaſſet, tandem flexis genibus, cæpit rogare pro ſalute, & liberatione puellæ. Vix orationem compleuerat, & diabolus abſcedens, in pace, & tranquillitate, modicùm puellam reliquit: vnde Comes, & omnes qui cum ipſo erant, Deo, & ipſi gratias egerunt. Sed quid inde? Audierat Comes ſæpe dicentem diabolum, ſe quidèm egreſſurum de corpore filiæ, ſed paulo pòſt reuerſurum. Timens autem diaboli reditum, & filiæ renouationem dolorum, rogauit Eremitam, vt ſecum filiam, ſaltem per ſpatium nouem dierum retinere dignaretur. Diſplicuit primò hoc petitio* IOANNI, *& in quantum potuit excuſationem prætulit, dicens hoc omnino profeſſioni eremiticæ eſſe contrarium, oſtendens etiam angustiam ſpelunca ſuæ, quæ vix duos poſſet capere. Veruntamen auctoritas Comitis, aſſiſtentium preces, lacrymæ puellæ vicerunt: quibus motus* IOANNES *puellam ſecum detinuit ſolam, Comite interim cum ſuis ad vicinam vrbem recedente, qui quotidie ſeruos ſuos mitteb. t, & afferebant puellæ neceſſaria ad ſuſtentationem vitæ.*

Eius humilitas.

Dæmonium eijcit.

Virgini viã ſalutis demonſtrat.

EREMITA *autem non prænidens malum quod accidere debebat, ſæpius accitæ adoleſcentulæ, ſuis exhortationibus, vitam ſalutis demonſtrabat, & ad virtutem hortabatur: cùm interim diabolus, qui omnia iſta fuerat machinatus, libidinem ardoris cæpit in corde, & corpore ipſius vehementer accẽdere. In tanto conflictu conſtitutus, ſæpe orationi inſiſtebat, ſigno Crucis frontem armabat, & cupiebat relinquere puellam, & inde recedere, vt ſic fugeret periculum.*

Digitized by Google

periculum. Attamen nihil audebat aggredi abſque conſilio Pſeudo-Anachoretæ, ad quem acceſſit, & ei tentationem ſuam aperuit, inſuperquequod locum ſuum deſerere vellet, declarauit. Tunc diabolus cæpit eum verbis demulcere, eique diſſuadere talem receſſum, reprehenderéque animi ſui leuitatem. Et quomodo (*addebat*) coronaberis, niſi legitimè certaueris? Nam reverâ Chriſtiani parùm tentati, parua erit remuneratio, reſpectu illius, qui audacter tentationibus reſtiterit. *His, & alijs rationibus maledictus ille in tantùm* IOANNEM *faſcinauit, quòd eis fidem, quaſi diuinitus prolatæ eſſent, adhibebat, & ſic aliquantulum conſolatus ad cellam rediit, credens omnino ſe tentationem illam ſuperaturum eſſe. Sed contra accidit. Nam ſtatim atque acceſſit ad puellam, grauius bellum ex nimia pulchritudine ipſius cæpit eum adoriri, neſciénſque, quid vltra ageret, nunc ſeruos Comitis, qui puellæ victum quotidianum afferebant, rogabat, vt eam tollerent, & ad patrem reducerent: nunc recedendi viam captabat, ſed Pſeudo-Eremita eum ſemper impediebat, bono animo eſſe ſuadens. Perſeuerante tentatione, cùm ſæpius viriliter egiſſet, tandem poſthabito timore Dei, conſenſit peccato, vi opprimens virginem.*

Tentatur.

Pſeudo Eremitæ conſilium fraudulentum.

Conſentit peccato.

TVNC *nimio mœrore confectus, conſiderans ſe Dei gratiam, & quidquid vnquam boni fecerat, amiſiſſe, deſperabundus perrexit ad Pſeudo-eremitam conſiliarium ſuum, eique reatum ſuum aperuit, & quid acturus eſſet conſilium obnixè poſtulabat. Tunc diabolus, vt eum in grauius peccatum demergeret, cæpit eum conſolari, atque ad ſperandum in miſericordia Dei, quæ non vult mortem peccatoris, animare. Et ſubiungens, dixit:* Cùm ſecretum peccatum minus præiudiciabile, & nociuum ſit, quàm publicum, ne mundus, qui te pro ſancto habet, ſcandalizetur, optimum, & neceſſarium eſſe puto, vt puellam interficias, & hoc modo ſcelus tuum poteris occultare. *Miſer* IOANNES *qui iam peccato conſenſerat, violando virginem, alteri multo maiori ingreſſum dedit, ſtatimque abſque vllâ dilatione, arrepto cultro, innocentis puellæ transfixit iecur, & ſub quodam ſcopulo eius corpus ſepeliuit. Diabolus autem qui prius eum ad veniam ſperandam hortabatur, nunc incipit ei deſperationem ſuadere, proponens ei excellentiam vitæ præteritæ, atque enormitatem peccatorum. Et ſic eum irridendo, & ſubſannando diſparuit.* IOANNES *hoc videns, tanto pudore ſuffuſus eſt, quòd ſe ipſum ex altis illis rupibus præcipitaſſet, ni eum gratia, & miſericordia Dei præueniſſet. Vnde reatum ſuum cognoſcens, amarè cæpit flere, & à Deo veniam poſtulare. Tunc quaſi de graui ſomno euigilans, decreuit Romam pergere, partim vt pœnitentiam ageret, partim etiam vt manus Comitis effugeret. Nonâ autem die tranſactâ, Comes cum ſuis aſcendit in Montem, vt filiam reduceret. Sed cùm neutrum inueniſſet, per totum eos Montem perquiri fecit. Et cùm nec ſic inuenti fuiſſent, Comes cum magno dolore Barcinonem redire coactus eſt.*

Virginem occidit.

Deflet peccata commiſſa.

INTERIM *ergo* IOANNES *pergebat Romam; quò cùm peruenisſet, &* Stephano VI. *Pontifici Maximo, anno eius Pontificatus* III. *ſe præſentaſſet, confeſſus eſt ei peccata ſua, & ab eo abſolutionem, & pœnitentiam percepit, quæ talis erat, vt ſcilicet rediret ad ſpeluncam ſuam, ad inſtar beſtiæ manibus, & pedibus gradiendo, nunquam ad cælos oculos leuaret, & hoc pœnitentiæ genus ſeruaret, quo adviſque trium Menſium infans inberet ei ſurgere, in ſignum quod ſibi Deus peccatum remiſiſſet. Humiliter igitur hanc ſuſcipiens pœnitentiam, paulatim gradiendo, more beſtiarum, ad ſpeluncam ſuam reiit, ibíque aſperrimam vitam duxit. Nam herbas, & radices ſilueſtres comedebat, aqua pluuialis eius ſitim extinguebat, humíque cubabat. Succeſſu temporis veſtimenta vetuſtate conſumpta, iam nudus incedebat, inclementiæ aëris, ardori ſolis, & frigori expoſitus. Vnde tàm niger, & piloſus euaſit, quòd non homo, ſed beſtia ferociſſima credi poſſet.*

Romã pergit.

Pœnitentiã ſuſcipit.

ACCIDIT *autem circa finem Septimi anni pœnitentiæ ſuæ, hoc ſtupendum, & memorabile. Cùm Comes* Barcinonis *venaretur ad radices Montis, iuxta fluuium, præmiſiſſétque venatores ſuos in cacumina Montis, vt ſic ceruum, vel vrſum inferiùs deſcendere cogerent: cùm ij ſortè venissent ad ſpeluncam*

Inuenitur à Venatoribus fera ſimilis

luncam GVARINI, *canes vehementer latrare cœperunt, non tamen auſi ſunt ingredi, nec Virum Dei lædere. Venatores autem exiſtimantes aprum quendam eos reperiſſe, ſtatim cucurrerunt, & intrantes in ſpeluncam* GVARINVM *repererunt ad inſtar Vrſi, totum pilis coopertum, non loquentem, nec ſe quidem mouentem. Vnde valdè mirabantur ignorantes, quænam eſſet hæc beſtia. Huius autem prædæ ſtatim Comitem certiores facientes, multo plures viros miſit, vt beſtiam viuam poſſent apprehendere, & eam ad ſe adducere.*

Capitur. *Illi ergo* IOANNEM, *quem feram putabant, ligatum duxerunt ad Comitem, qui tàm inſolitum monſtrum admirans, ſecum duxit* Barcinonem, *reponique iuſſit in ſtabulo equorum, victúſque ei ad inſtar feræ miniſtrabatur.*

CVM *autem Comes prolem maſculinam tunc ſuſcepiſſet, conuocatis omnibus nobilioribus Prouinciæ, fecit eis celeberrimum conuiuium. Vt autem epulantes redderet iucundiores, iuſſit adduci ſylueſtrem illum hominem, qui ad inſtar feræ beſtiæ, quæ ipſi porrigebantur rodebat. Adueniente autem horâ, in qua miſericordiam ſuam Deus* IOANNI *manifeſtare debebat, ipſo permittente, & volente, nutrix ingreditur cubiculum tenens in vlnis infantem trium Menſium, qui attentiùs in eum dirigens oculos, quem omnes feram putabant, altâ, & clarâ voce dixit ei :* Surge frater IOANNES GVARINE, ſurge, & ſta rectus : nam Deus remiſit tibi peccata tua. *Quibus auditis, ſtatim ſurrexit, & deinde flectens genua gratias Deo egit. Mirantibus omnibus tàm inſolitas res,* IOANNES *acceſſit ad Comitem, ipſique coram circumſtantibus, totam hiſtoriam, & rem geſtam, inter ipſum, & filiam ſuam enarrauit : qualiter ſcilicet eam violaſſet, & poſtea occidiſſet ; & quòd Deus pœnitentiam ſibi à Summo Pontifice iniunctam habuerat acceptam, & gratam, quemadmodum ipſi cernebant. Veniam igitur cum multis lachrymis poſtulauit, & ſeipſum obtulit morti, & ſupplicio, ſi Comiti placeret vindictam ſumere. Ille è contra ſurgens amplexatus eſt eum, iuſſitque eum indui, dicens : poſtquam à cæleſti, & ſuprema Curia dimiſſus fuiſſet abſolutus, inferior nihil amplius poterat.*

Infans loquitur.

Vir Dei abſoluitur.

POST *aliquot autem dies rogauit eum* Comes, *quatenus ſecum pergere dignaretur ad Montem, vt viderent locum, vbi ſepelierat filiam, quatenus eius oſſa in honeſtiori loco ſepelire, ſimúlque B. Dei-Genitricis imaginem recenter inuentam viſitare poſſent. Cuius precibus annuens* IOANNES, *cum Comite perrexit, & oratione factâ coram Imagine, oſtendit Comiti locum, vbi poſuerat filiam. Sed ô ſtupendum miraculum ! Quam putabant à vermibus fuiſſe corroſam, & in cineres redactam, inuenerunt viuam, ſanam, & pulcherrimam, habentem tantum in collo cicatricem purpuream, ad inſtar ſericæ faſciolæ, vbi* IOANNES *infixerat gladium, in teſtimonium miraculi. Dixit autem puella ſe fuiſſe præſeruatam à B. Virgine Matre, cui ſe ipſam ardenter commendauerat, cùm eam occideret* IOANNES. *Quis ergo exprimere poterit gaudium, quod tunc Comes, & GVARINVS habuerunt, ob tam euidens, & ſtupendum miraculum ? Voluit enim filiam ſecum adducere, ſed illa renuit, dicens, ſe hic velle vitam ſuam, quam de miſericordia, & bonitate B. Virginis tenebat, in eius obſequio impendere. Tam iuſtis precibus Comes contradicere nolens, vt facilius puella Deo ibidem inſeruire poſſet, Monaſterium Puellarum conſtrui curauit, Puellásque Monaſterij* S. Petri, *Ciuitatis* Barcinonenſis, *Ordinis* S. Benedicti *tranſtulit, quibus filiam Abbatiſſam præfecit, & conſtituit ; quæ poſtquam diù ſanctiſſimè Monaſterium rexiſſet, ſancto fine quieuit, Anno* DCCCC. IX. *Denique etiam* B. IOANNES GVARINVS *reliquum vitæ ſuæ in Dei, & ſanctimonialium illarum obſequio, & in magna auſteritate, & abſtinentia, tranſigens, tandem in pace quieuit, & ad præmia cæleſtia percipienda, veris pœnitentibus repromiſſa, conuolauit, Pridie* Idus Iunij, *Anno* DCCCC. V. *Cuius Corpus in ſpelunca ſepultum extitit, donec* OSSA *honorificè in Sacriſtia prædicti Monaſterij tranſlatâ, & in lignea capſa recondita, adhuc magnificentiâ debitâ cuſtodiuntur.*

Inuentio Imaginis B. Mariæ Montis-Serrati.

Virgo viua reperitur.

Monaſterium Virginum conſtruitur.

Moritur.

Hæc

Hæc ſunt ACTA, verè apud omnes Scriptores admiratione ſtupenda, licèt veritate miranda. *P. Yepius* illa mordicùs retulit, & quamuis in eius ecphraſi, multoties ſtupore perculſus, vltra procedere recuſaret, tamen nonnullis proteſtationibus præuentus, tandem ſingula, quæ in ACTIS recenſentur, prodigia, ad miraculum approbauit. *Omnia contenta in relatione probantur ex coæuo Auctore.*

QVATENVS ad *Diei*, & *Anni* computationem, nomina filiæ Comitis Barcinonenſis, & Pontificis, in Actis relatorum, audi Luitprandum in *Aduerſar. d. n.* 121. omnia ſingulariter complectentem: *Anno* DCCC.LXX. *florebat in Cathalonia S. Vir Eremita* IOANNES GVARINVS, Hiſpanus, *ex* Valentia: *qui prope* Montem Serratum *in ſpelunca* (*in qua Barcinonenſes Chriſtiani Imaginem B. Virginis* MARIÆ *in perditione Hiſpaniæ recondiderunt*) *deceptus à dæmone*, Mariam *filiam Comitis* Gotefridi Villoſi *corruperat*, *& interfecerat*: *& pœnitentiâ ductus*, *iuit ad Summum Pontificem* Stephanum VI. *Anno Pontificatus eius* III. *Dedit illi vt more Beſtiarum ſeptennium reptaret*, *donec infans illi diceret*: Surge IOANNES, Deus acceptauit pœnitentiam tuam. *Quod & accidit. Obyt Anno* DCCCC. V. *Pridie Idus Iunij*; *& ſepultus eſt in ſpelunca*, *vbi fundatum eſt Monaſterium ſacrarum Virginum Benedictinarum*, *quas* Maria *filia Comitis*, *ope B. Virginis ad lucem reuocata*, *rexit*, *& Anno* DCCCC. IX. *Obyt*. Ex quibus verbis à Luitprando recenſitis, qui ferè coæuus S. Eremitæ fuit, omnia ſuperiùs relata probantur, ita vt nullus dubitationi locus remaneat.

SERRATVS MONS. Celebris in Hiſpania in finibus Laletanorum in Lacetanis; olim prophanis Deorum cultibus dicatus. Ipſe non ſolùm in Hiſpaniis, ſed vbiuis Prouinciarum Latini, Chriſtianíque nominis famâ pernotiſſimus eſt. Situs & Religio venerabilem efficit: diſtat Barcinone circiter XXX. P. M. tantundem mari remotus. Lambitur à Septemtrione Rubricato amne, vbi Palladium oppidum Oleſia per XII. P. M. in Inſula ſedens, & nulli contiguus. Altitudo eius ardua, & vndique prærupti cliui rupeſque aditum exaſperant: Nemoroſis internis ornis, & fraxinis, & huiuſmodi arboribus inſignitus eſt, ſalientibuſque fontibus irriguus, medicinalium quoque herbarum ferax. Aſpectus eius ampliſſimus, vt Pyrenæis, & Occidente Sole Balearibus terminetur. Et cùm cernentibus ſe inacceſſibilem oſtendat, artificioſum tamen aditum circuitus tribuit: exterius autem præruptis, exeſiſque ſaxis, ita vndique in graduum, & ſerræ ſimilitudinem, & ex ordine compoſitum eſt, vt prudenti opere naturam ipſam, aut mundi huius Opificem, montem ipſum, neſcio quid ſacri Numinis oſtentantem ſuo celeberrimo cultui extruxiſſe credamus. Religionis eius auxêre initia, quod Supremæ VIRGINI ſacer ſit, ob vetuſtiſſimum ipſius ſimulacrum, in abditiſſima ſpelunca diuinitus inuentum. De quo, ſi pro materia diceretur, grande eſſet profectò opus, & ideo relinquendum. Vltra Montis modum Ara Virgini Matri extructa eſt, & Auguſtiſſimum Templum. Via quoque aſcendentibus non exigua, laborioſo accolarum cultu, Regiiſque ſumptibus coacta eſt. Deſperatum primâ manu opus, mox abſolutum. Cacumina præterea Montis Religioſis habitantur Viris, quos Eremitas appellant, ligneiſque gradibus, & exemptilibus ſcalis, & ad pendentia ſaxa admotis, non ſine vaſtæ ſublimitatis terrore, ac caſus etiam periculo adeuntur. Aſcendentibus, ne decidant, remedium eſt, curioſiùs ſcandere, & ne ima deſpiciant. Templum cerâ, argentoque atque auro conflatis per Orbem donariis, onuſtum eſt. In cuius veterrimi tholi faſtigio, mirandæ Virgineæ opis, miſeris ægris mortalibus præſtitæ teſtes appendent ſtatuæ, & depictæ imagines, catenæ, loricæ, clypei, & roſtra carinis erepta, atque alia liberationis, & victoriæ monumenta. Quodque omnium maximum eſt, reuiuiſcentium hominum funebria veſtimenta, ſuperatæ naturæ mirificentiſſimum ſpectaculum. Ita Montis ſitum Ieronymus Paul. *de Montib. Hiſpan.* delineauit. Aliter & Nos *hoc Tom.* 3. ſupra.

Digitized by Google

IDIBVS IVNII.

DIES XIII.

A. CORDVBÆ *in Batica Hiſpania* S. FANDILÆ *Monachi Tabanienſis: qui in reprimenda Sarracenorum inſolentia aduerſus Chriſti fideles, ita horum ſuppetias tulit, vt pro ipſorum defenſione, & Chriſti confeſſione, Martyr abſciſſo capite, vitam inclytus denudaret.*

B. PATAVII *in Italia* S. ANTONII *Confeſſoris, qui origine Vlyſſipponenſis, ordinem Minorum ingreſſus, vitâ, prædicatione, & miraculis orbem penè totum impleuit; demum virginitatis laude clarus, & aduerſus hæreticam prauitatem acerrimus vindex glorioſo fine quieuit.*

C. Apud Biſoldunenſe Cœnobium in Hiſpania, Depoſitio S. EVIDII *Martyris, qui pro fide miles egregius in ſtadio decertans, ad præmij trophæum indefeſſe cucurrit.*

NOTÆ.

A. SANCTVS FANDILA *Monachus Martyr.*] Cruenta per hos dies Arabum apud *Cordubam* Bæticæ regnantium perſecutionis eſt erecta procella, ita vt ferè nullus ſit dies, qui Sanctorum Martyrum ſtrages haud viderit: inter quos FANDILA Noſter, de quo ferè omnia Martyrologia, Romanum *cum Baronio*, Caſtellanum *P. Vazq.* Luſitanum *P. Lupi*, Hiſpanum MS. *P. Higuera*, Italum *Conſtantij Felicis*, Monaſticum *VVionis, & Menardi*, Vſuardi, Adonis, Galeſinij, Maurolici, & Peregrin. memoriam recolunt. De eo ad amuſſim S. Eulog. in *Memorial. SS. lib.* 3. *c.* 7. Petr. de Natalib. *Hiſtor. SS. lib.* 5. *c.* 114. Ambroſ. Moral. *Hiſtor. Hiſpan. lib.* 14. *c.* 19. Ioannes Mariet. *Hiſtor. SS. Hiſpan. lib.* 3. *c.* 8. P. Martin. de Roa *Hiſtor. SS. Cordubenſ. fol.* 94. & Alphonſus Villeg. *in Flor. SS. Hiſpan.* Eius ACTA provt recenſet *Eulogius*, damus.

Martyrologia.

Scriptores.

ACTA S. FANDILÆ PRESBYTERI & Monachi Martyris; ex D. Eulogio.

Origo.

DVM *ergo in Nos huiuſmodi irriſionibus hoſtes inſultarent, & hoc diludio noſtram penè conſummatam cladibus fatigarent miſeriam: adoleſcens quidam* FANDILA *ephœbus, aſpectu decorus, honeſtate vitæ probabilis ſanctus, & timoratus Presbyter, inter has cades ſæuaque diſcrimina, oſtium, aditúmque primus exercendi Martyrium ſub huius tyranni imperio patefecit. Hic itaque ex vrbe* Accitana *progenitus*, Cordubam *diſcendi gratia veniens, totam penè pubertatem, ibidem ſub pædagogi traditione peragens, confeſtim,*

Digitized by Google

feſtim, vt adoleſcentiam attigit monaſticâ oblectatus conuerſatione, illicò Monachis ſe Deo iugiter militaturus admiſcuit. Qui aliquibus locis peragratis, ac demutatis, in quibus ardens deuota mens requieſcere non poterat, vltimò ſe in Tabanenſe *Cœnobium contulit. Ibi aliquandiu ſub regulari diſciplina, vel regimine Abbatis* Martini *demoratus, perfectiùs in timore Domini claruit. Et quoniam ſummæ humilitatis magnaque obedientiæ erat, idcirco gratiæ ſanctitatis, quâ cœlitus refulgebat, diu implorantibus, ac rogantibus Monachis Cœnobij* S. Saluatoris, *quod haud procul à ciuitate* Cordubæ, *in parte Septemtrionis, ad radicem Mellaris pinnaculi ſitum eſt, ad Officium Sacerdotale præelectus inuitè, & (vt ita dixerim) violenter, inſtantiâ, vel præiudicio Abbatis ſui ſanctum miniſterium ſuſcepit, & nihilominus ieiuniorum, vigiliarum, orationúmque, ſolito propentiùs labores adaugens, ambulabat de virtute in virtutem, viſurus Dominum in Sion, ſcalis meritorum euectus. Cuius venerabilem vitam, cunctiſque neceſſariò imitabilem conuerſationem, cum affatim digno laudum præconio, eorundem fratrum, atque ſororum, quibus præerat, relatione pandatur; eo tamen magnificentius declaratur, quo florentiſſimam iuuentutem, animo robuſtiore tranſgrediens, gladio martyriali non cunctatus fuerit ſubdere. Igitur comitante ipſum perfectione timoris Dei, cùm omnia terrena deſpiciens, mentem cælo ſuſpenderet, cuperétque diſſolui meliùs, & cum Chriſto manere, quàm rebus inhærere caducis, quodam die obfirmato vultu, iudici aſtans, prædicat Euangelium, impudicum exprobrat vatem; cætumque noxiæ combinatum culturæ prædonibus (niſi reſipiſcens pietatis fidem apprehendat) in vltricibus luiturum pœnas incendijs proteſtatur. Hinc in carcerem trahitur, & vinculis coarctatus, in latronum manſionibus alligatur. Quod factum Iudex regio intimare auditui non differens, accenditur igne furoris immenſi, & quodam hebetatus horrore miratur ſtipidus, quæ eſſet illa victrix audacia, quæ tantæ gloriæ non expauerit regem, tamquè ſublime vanitate, & ſuperbiâ caput, atque (vt ſe putabat) ſuper omnia excellens talibus irreuerentiæ auſibus propulſaret. Quam ob rem eodem momento, ſub voce terribili Epiſcopum comprehendi decernit. Sed ipſe, fugæ preuentus remedio, ſaluatur. Nam ferunt quòd iam tunc eum nulla intercedente dilatione punire decreuerat. Inſſerat enim omnes Chriſtianos generali ſententia perdere, fœminaſque publico diſtractu perdere, præter eos qui ſpretâ religione ad cultum ſuum diuerterent. Et niſi hoc edictum conſultu Satrapum quaſſaretur, qui pro eo quod nullus ſapiens, nemo vrbanus, nulluſque procerum Chriſtianorum huiuſcemodi rem perpetraſſet, idcirco non debere vniuerſos perimere aſſerebant, quos non præit perſonalis dux ad prælium. Et hinc credo iam funditus Chriſtianiſmum noſtrum partim gladio, partim prænaricatione extingueret. Fortiſſimum verò Athletam gladio interficiens, patibulo vltra amnem ſuſpendi præcepit,* Idibus Iunij *Anno Domini* DCCC LIII.

Fit Monachus.

Præfectus Monaſterij S. Saluatoris.

Euangeliũ prædicat.

Capitur.

Corona tur-

Hactenus *S. Eulogius* Noſter, in cuius ecphraſi, nihil, quod probationis virgam requirat, cognoſcimus. Si verò de Edicto à Rege contra Chriſtianos aliquid amplius ediſcere cupis, conſule eundem Eulogium *lib. 2. c. 14. & 15.* vbi illius temporis anguſtias deplorabis. Hic notandum eſt, quod Ciuitas ACCITANA ſuum agnoſcens FANDILAM conciuem illi ſolemne feſtum indixit, operâ *D. Ioannis de Fonſeca* eius ſanctæ Eccleſiæ Epiſcopi, inſtante *Doctore Didaco à S. Cruce, & Saauedra* Cathedralis illius Præcentore. Quâ in feſtiuitate ex voto Ciuitas intereſt, & inter Ciues Confraternitas opulenta erecta eſt, quam etiam probauit *D. Ioannes Couarruuias* ipſius Eccleſiæ Præſul. Nec tantum erga S. Martyrem amorem, Deus inſolutum reliquere voluit, quin *S. Martyris* interceſſione plura Miracula in ægrotantium ſalutem perficere curauit; inter quæ illud celebre cuiuſdam pueruli *Accitani* morbo comitiali laborantis, qui auditis campanarum clangoribus in Veſperis feſtiuitatis eiuſdem, Miſſâ oblatâ, & dictâ, ſanus repertus eſt.

Edictũ Regis Cordubæ aduerſus Chriſtianos.

Accitana vrbis deuotio.

Miraculũ.

Simili laborabat morbo *D. Maria de Buiza* Virgo ſanctimonialis ex regula Minorum in Monaſterio S. Iacobi, in eadem vrbe; quæ, voto S. Martyri oblato, tandem ſanitatem integram recepit.

Aliud.

Per

Aliud. Per plures annos grandinis tempeſtas prope diem S. Martyri dicatum, vinearum pagos deturpabat, ita vt omnia penitus depaſceret. Hinc quidam agricola S. Martyris interceſſionibus confiſus, Crucem cum nomine B. Martyris ſcripto, in eminenti pagi rupe conſtituit, quâ defixâ, in poſterum nulla eſt exorta tempeſtas.

Topographia. ACCI. Ciuitas Epiſcopalis vetuſtiſſima *Hiſpaniæ*; hodie GVADIX. de qua diximus ſupra *Tom. 1. die XXII. Februar. fol.* 216. De ea Iulian. *in Chron. n.* 14. Biuar. *ad Dextr. fol.* 91. *n.* 1. *fol.* 107. *n.* 4. & *fol.* 129. *n.* 4. Apud Gruter. *fol.* 271. *n.* 6. hæc ex Moralio, & Mariana refertur Inſcriptio:

Inſcriptio.

IVLIÆ MAMEÆ.
AVG. MATRI.
IMP. CÆS. M. AVRELI.
SEVERI. ALEXANDRI
PII. F. AVG.
M. CASTROR.
COL. IVL. GEM. ACCITANA.
DEV. NVM. MAIESTAT. Q.
EIVS.

An dicta Iulia Gemella. Hinc elicies, quòd etiam ACCIS fuit dicta IVLIA GEMELLA Colonia, & Populi illius diſtrictus GEMELLENSES, quod etiam notauimus *in Commentar. ad Aul. Hal. de Aduent. S. Iacob. verſ.* 308. *fol.* 63. vbi diximus. Alia alibi ſubiiciemus.

B. S. ANTONIVS PADVANVS, Confeſſor.] Origine *Hiſpanus*, putà *Vlyſſipponenſis* in *Luſitaniâ*, ex Ordine *Minorum*, vt inquit Aubert. Miræus *de Scriptor. Eccleſ. tom.* 1. *fol.* 257. Eius memoria Nominis in Albo Sanctorum à *Gregorio IX.* *Martyrologia.* Pont. Max. ſcripta fuit, Anno Domini M. CC. XXXII. De quo *Martyrolog. Romanum* cum Baron. h. d. Caſtellanum *P. Vazq.* Luſitanum *P. Lupi.* Hiſpanum *MS. P. Higuera.* Italum *Conſtant. Felicis.* Franciſcanum *P. Arturij*, & aliud *P. Soſæ.* Scriptores innumeros, qui eius egregia opera facta, & miracula retulerunt, congerit P. Aſturius à Monaſter. *in Martyrolog. Franciſcan. h. d. fol.* 247. §. 3. & 4. Præter *Scriptores.* ibidem recenſitos, adde P. Ioann. Mariet. *Hiſtor. SS. Hiſpan. lib.* 16. *c.* 1. & *ſeqq.* Matthæum Aleman, qui *Hiſpanicè* eius vitam ſcripſit, P. Anton. Vaſconcell. *in Deſcript. Luſitan. fol.* 522. *n.* 1. Eduard. Nonius *eod. tractat. c.* 41. *fol.* 72. Georg. Cardoſo *in Off. SS. Luſitan. ad Non. Hymn.* hac ſerie:

Nunc iuuat caſtos, humiles, pudicos
Lyſiæ natos celebrare cantu,
Renibus cinctis, manibus lucernas
Qui retulerunt.
Piſcium doctor, Minor ille frater
Emicat primus, gremio vrbs Vlyſſis
Quem tulit, ſignis Pataui *redundans*
Quem tenet antrum.

Idem Cardoſo *in Relation. SS. Luſitan. c.* 15. *fol.* 20. Anton. Belinghen *in Kal. Mariano, h. d. fol.* 313. P. Ioann Petr. Maffeus *Hiſtor. SS. Tredecim Confeſſor. c.* 10. *fol.* 433. P. Ioan. Bapt. Maſcul. *in Encomijs SS. Encom.* 189. P. Emanuel Pimenta *in Poëmat. Sacr. lib.* 11. *fol.* 402. Philipp. Ferrar. *in Catalog. SS. Ital. fol.* 359. Sedalit. Marian. *in* *Breuiaria.* *eius Faſt. fol.* 294. Demùm olim eius feſtiuitas erat in omnibus ferè *Hiſpaniæ Breuiarijs.* Eius ACTA prolixiora qui legere cupit, adeat Surium *Tom.* 3. vel Sedulium *in Hiſtor. Seraph. fol.* 181. Nos breuiora ſeligentes, ea, quæ à *P. Petro de Ribadeneyra*

Digitized by Google

badeneyra Hiſpano ſermone ſcripta, & à *P. Iacobo Caniſio* Latina facta conſpeximus, ſubiiciemus.

ACTA S. ANTONII PADVANI Confeſſoris Minoritæ, ex R. P. P. de Ribadeneyra.

ANTONIVS *primò dictus* FERNANDVS, *fuit* Vlyſſippone *Luſitaniæ Metropoli natus, ex Patre* Martino de Bullones, *&* Thereſia de Tauora, *& primæ nobilitatis Ciuibus. Hic in principe vrbis Templo, quod cœlitum Reginæ dedicatum eſt, baptizatus, in eodem vel à prima pueritia educatus, (quòd ædes paternæ huic Templo cohærerent) prima poſuit rudimenta literarum, tenerrimúmque hinc in Deiparam Virginem hauſit amoris affectum, quo deinceps in omnem vitam flagrauit. Illuſtria vel ab incunabulis ſanctitatis dedit indicia, è quibus facilè quiuis prudens rerum æſtimator metiri poſſet, in qualem, quantúmque Virum eſſet euaſurus. Erat enim nobili, viuidóque ingenio, maturis omnino moribus, tantáque modeſtia præditus, vt, quamuis puer adhuc, virilem iam togam mereri videretur. Et iam* Quintumdecimum *ſuperarat annum floridi adoleſcens æui (quo nunc incauta, cereáque in vitium flecti iuuentus, heu! ſic abutitur ad captandas illices voluptatum pedicas, quibus miſerrimè capiatur, vt non tantum libertate, ſed vitâ animi exuatur) cùm diſpicere cæpit ac deſpicere omnem mundi pompam, agnoſcere, & horrere blanda palpantium illecebrarum vincula, præſentiáque animi pericula. Hæc ergo quò cautiùs euitaret, ad religioſum quodpiam aſceterium, velut ad tranquillum, ſecurúmque portum confugere decreuit. Neque teſtudineæ fuêre ſalutaris huiuſce conſilij moræ, ſed quod prudenter fuerat meditatus, celeriter etiam executus, quoddam S. Auguſtini Monaſterium, quod vrbe propiùs aberat, & à S. Vincentio nomen obtinebat, ingreſſus eſt.*

Patria.

Educatio.

Religioſa vita.

HIC *Religioſum habitum indutus, tribus religioſæ vitæ votis ſe totum Deo dedicauit. Totum biennium pietati, religioſæ modeſtiæ, & obedientiæ ſingulariter impendit, atque altiſſima virtutum fundamenta iecit, quibus ampliſſima, quæ moliebatur in eo Deus, opera poſſent inniti. Identidem ad eum parentes, amicíque, vt fieri ſolet, inuiſebant, religioſamque Sancti adoleſcentis quietem rumpebant. Sed enim cùm* FERDINANDO *potior eſſet Deus quàm mundus, & pluris æſtimaret animæ ſalutem, quàm carnem, ac ſanguinem; quò remotior ab omni conſanguinitatis communione fieret, à Cœnobiarcha veniam illinc abeundi, & adeundi* Conimbricenſe *S. Crucis Monaſterium poſtulauit, impetrauítque. Hinc ergo profectus per aliquot annos delituit, totus precibus, diuinarúmque ſtudio literarum addictus, in quibus mirè profecit. Interea ad* Conimbricenſe *fortè Cœnobium Quinque Franciſcanæ familiæ Religioſi à* S. Franciſco *Mauris prædicatum miſſi, diuertêre. Sed cùm haud multo poſt fidem ab ſe prædicatam, ſuomet ſanguine in Ciuitate* Marochio *obſignaſſent,* FERNANDVS *eorundem corpora, à Principe iuuentutis* Petro, *Regis Luſitaniæ Alphonſi II. fratre, Conimbricam delata, feſtis omnium plauſibus, incredibilique pompâ excepta, & ad Eccleſiã S. Crucis eiuſdem* Conimbricenſis *Monaſterij, in quo S. Vir degebat, honorificè condi cum voluptate ſpectauit. Itaque Martyrũ horum conſtantiam, quâ Chriſti fidem prædicarant, & cruciatus quos exantlarant; lætitiámque, quâ in mortem prouolarant; & miracula, quibus eos Deus iam mortuos illuſtrarat, diligenter arbitratus, eorúmque in vita, ac morte imitandorum deſiderio accenſus, ad religioſam* S. Franciſci *familiam tranſire geſtijt, vnicâ martyrij ſpe lactatus. Quam ob rem quibuſdam eius familiæ Religioſis eremum quandam ponè* S. Antonium *extra* Conimbricam *habitantibus, & ſubinde ad S. Crucis, ſuúmque Cœnobium inuiſentibus, ac mendicantibus, animi ſui ſenſa detexit. Cum hiſce ſimul ac ei conuenit, à Cœnobiarcha ſuo commeatum petijt, ſed difficulter impetrauit, quòd is religionem, abitu* FERNANDI,

Conimbricam petit.

Martyrij deſiderium.

NANDI, *in quem virtus omnis migraſſe videbatur, cœnobio emigraturam vereretur.*

Minorita fit.

IGITVR *impetrato commeatu, præceptáque Cœnobiarchæ ſui benedictione ad S. Franciſci familiam tranſit, eiúſque habitum induit. Offendit ea mutatio omnes S. Crucis Religioſos, ſed vnum maximè, qui diſceſſurum his affatus eſt*: Vade, licet, habitum Fratrum Minorum indue, fortaſſe repentè Sanctus eris. *Cui* FERNANDVS *ſummiſſâ, modeſtâque voce*: Cùm me, mi frater, videris Sanctum, quæſo te collauda Deum. *Vigeſimum agebat annum, cum ad Franciſcanam tranſiit familiam, & quò foret à familiaritate cognatorum magis expeditus, neque reſciretur, vbinam terrarum degeret, ſibi nomen* FERNANDI, *in* ANTONII *piè commutauit; quòd etiam Monaſterium, in quo iam nouo incipiebat habitu Deo militare, à S. Antonio nominaretur. Interea quotidie in* ANTONIO *Martyrij deſiderium augebatur, cùm ex pacto, conuentóque, quod cum religioſis fratribus ſuis inierat, in Africam Mauris illic fidem prædicaturus deſtinatus eſt. Verumenimverò Deus qui multorum ſaluti deſtinarat* ANTONIVM, *in Africam appulſum graui, prolixáque agritudine afflixit. Quam ob rem, vt vidit ſe viribus officio ſuo neceſſarijs orbatum, redijt in* Hiſpaniam, *valetudinem recuperaturus. Sed ſimul è portu ſoluit, aduerſá ventorum vi nauigium, quo vehebatur S. Vir, in Siciliam abreptum. Huc appulſus, vt didicit* Aſſiſij *à S.* Franciſco *conuentum celebrari; quamuis adhuc eſſet corpore ager, tamen eò proficiſci decreuit, à Seraphico ſui Ordinis Patre benedictionem petiturus. Iuit, & ſuo voto feliciſſimè potitus eſt.*

Nomẽ mutat.

In Africã pergit.

Aſſiſiũ appulit.

FINITO, *ſolutóque conuentu, cunctis in ſua Cœnobia abire parantibus, non fuit quiſquam, qui ſibi comitem vellet* ANTONIVM *adſciſcere, quòd & agrum viderent, & rudem, nec vlli rei ſatis idoneum putarent. Quamobrem ſanctum quendam virum* Gratianum *Romanæ Prouinciæ Miniſtrum (ita ſuos Prouinciarum Præſides Franciſcana familia appellat) multis vrſit precibus, vt ſe comitem adſciſceret. Ille modeſtiam Viri arbitratus, miratúſque, præceptâ Generalis Miniſtri licentiâ, votis eius annuit, atque in fidem ſuam receptum, ad Monaſterium in eremo ſitum, quod* S. Pauli *vocabatur, allegauit. Hùc ergo profectus, totum ſe precibus, diuinarumquè rerum commentationi dedit, aſperrimíſque ſuum corpus modis habuit, ſolo pane, frigidáque contentus. Itaque hac aſperitate, ſic vires attriuit, vix vt niti pedibus poſſet. Occupabatur infimis totius Monaſterij officijs, pauimentum verrebat, lebetes in culina fricabat, lauabat, tergebat, omnibus denique ſeruiebat, nec vllo ſignificabat indicio, ſe literis vnquam, vel leuiſſimè tinctum fuiſſe. Porrò cùm ſic aliquot annos exegiſſet, Forum-Iulium miſſus eſt cum nonnullis alijs Religioſis ſacrorum Ordinum poteſtate initiandis. Addiderant ſe ſe comites aliquot Dominicanæ familiæ Religioſi, qui cùm ſimul in vnum Monaſterium conueniſſent, à Cœnobiarcha rogati ſunt, vt aliquis eorum diuinis de rebus verba faceret. Sed cùm Dei nutu ſeſe omnes excuſarent, iuſſus eſt* ANTONIVS *à ſuo Præſide (Guardianum vocant) id muneris exequi. Hìc S. Vir, vt erat modeſtus, ſupplex deprecari, ſeſéque multis excuſare cœpit, ac dicere; Non eſſe ſibi literarum vſum, ſibi humilibus obſequijs mancipato non tam ſcholaſticas ſubtilitates quàm ſcopas, ac ollas detergendas familiares fuiſſe. Sed nihil apud Guardianum hæc tanta Viri modeſtia, quamuis ingenioſa, præmouit: Parendum fuit* ANTONIO, *vt nimirum publica ſapientia, virtutíſque fax, ad eam diem ſub modio poſita, in medium proferretur. Igitur duce, & auſpice obedientiâ ſermonem exorſus, tantâ ſententiarum grauitate, veritatéque, tantâ vocum proprietate, tanto verborum ſplendore, tanto ſpiritus feruore peroranit, vt omnes inſignem Viri ſapientiam, præclarámque modeſtiam, quâ tam nobiles, rarâſque Dei dotes obſconderat, admirarentur.*

Ad Romanã Prouinciam transfertur.

Eius pœnitentia.

Modeſtia.

Obedientia.

Propter obedientiam extollitur.

HAC *occaſione inpoſterum* ANTONIVS *prohibitus eſt à ſuis Maioribus hæc Dei dona celare, iuſſúſque eadem in publicum proferre, multorúmque ſaluti impendere, & ad populum deinceps verba facere. Iuſſus etiam Religioſis fratribus*

fratribus ſuis priuatim Theologiam prælegere, quo munere, vt promptiùs fungeretur, S.Franciſcus in hæc ei verba præſcripſit.

CHARISSIMO MEO FRATRI ANTONIO, Frater Franciſcus, Salutem in Chriſto.

PLACET mihi quòd ſacram Theologiam legas fratribus, dummodò propter huius ſtudium, ſanctæ Orationis,& deuotionis ſpiritum non extinguas, ſicut in Regula continetur. Vale. *Epiſtola S. Franciſci.*

Sic ardens lucerna ſuper candelabro poſita, vt luceret omnibus, qui in domo ſunt S. Eccleſiæ; ſic humilis exaltatus ANTONIVS, *qui & Montiſpelij in Gallia, & Bononiæ, Patauiique in Italia Theologiam iuſſus, cum laude ſummâ docuit, & vtramque hancce regionem, ſuis & concionibus impleuit, & ſtupendis, quæ patrabat, miraculis illuſtrauit, & innumeros mortales, non ſuis tantummodo verbis, ſed præclaris virtutum exemplis, fulminis inſtar per vrbes, oppida, vicos, villáſque diſcurrens, ſuos auditores accendit, ac ad Deum conuertit. Adeò ardentes igneo videbatur ore faces vibrare, vt omnium hominum corda inflammaret. Erat in reprehenſionibus acer, in monitionibus comis, videbatur eſſe eius os, & lingua omnium charitum ſedes, adeò mira inde facundia, & omnigena gratia fluebat. Erat prudentiſſima ei methodus diſſerendi, auditorum ingenijs accommoda, qua ſimul & hominum ſalutem,& maiorem Dei gloriam ſpectaret. Hinc naſcebantur illa auditorum ſuſpiria, ac lacryma; illa tot mendoſorum morum emendationes; illæ tam miræ hominum, quamuis flagitioſiſſimorum, conuerſiones. Inter hos, duo & viginti homines nobiles latrones ipſo concionante conuerſi, ſuas apud eum conſcientias multis lachrymis emaculârunt. Multi quoque illius ſuaſu reſipuêre hæretici, in quos ille fuit adeò vehemens, vt non immeritò hæreticorum Malleus ſit appellatus.* *Quanta in concionibus vis.* *Malleus hæreticorũ.*

DISPVTAVERAT *aliquando S.Vir cum* Bonouillo *hæretico pertinaciſſimo,& SS.Euchariſtiæ veritatem negante,iámque ſolidis hominem rationibus adeò conuicerat, vt, cùm non haberet quod apponeret, ad miracula exhibenda pro ſolemni hæreticorum confuſione appellauit. Nec detrectauit certamen* ANTONIVS, *qui promptus, quod poſcebatur, exhibuit. Nam poſt ſuam Miſſam, piâ Catholicorum frequentiâ ſtipatus, SS. Euchariſtiam reuerenter protulit, mulámque hæretici totum iam triduum pabuli omnis vacuam hiſce affatus eſt:* In virtute,& nomine Creatoris tui, quem in manibus licèt indignus reuera teneo,tibi præcipio,vt confeſtim huc humiliter accedas,debitámque ei præſtes reuerentiam, vt vel hinc perſpicuè intelligat peruerſitas hæreticorum,omnia creata ſuo parereCreatori,quem ad Aram nos Sacerdotes manibus contrectamus. *Hæc* S.ANTONIO *dicente,hæreticus ſuæ mulæ pabulum obiecit,ſed mula quamuis bruta, plus ſenſus exhibuit, quàm vel ipſemet eius herus. Vtroque namque poplite reuerenter ſubmiſſo venerabile Sacramentum cernua adorauit, profeſſa vel his exterioribus geſtibus, ibi ſuum Creatorem,Deúmque contineri. Atque hoc tanto miraculo Catholicorum pietas exhilarata: contrà hæreticorum impietas confutata, confuſáque; & qui magiſter fuerat hæretica vanitatis, cœpit eſſe diſcipulus Catholicæ veritatis.* *Sacramentarium hæreticũ miraculo confundit.*

ALIAS *Arimini,in fertili tunc hæreticorum nido, cum verba publicè faceret, & nullas ſuis dictis aures accommodari videret,ipſe è ciuitate digreſſus, & ad maris littus vrbi vicinum progreſſus, brutos, mutóſque, magis tamen attentos, è pelago auditores euocauit piſces, his eoſdem verbis affatur:* Vel vos ſaltem verbis meis capita arrigite,quandoquidem mihi ſuas hæretici aures negant. *Orem miram,ſed veram! vix ita loqui deſiit* ANTONIVS,*cùm ecce ibi ingens, ordinatáque piſcium grandium, mediocrium, minimorum vis ad litus, vbi Vir ſanctus conſiſtebat,confluxit,& velut in verba dicentis attenta,capita fluctibus extulit.Tum verò S.Vir eos fratres ſuos appellãs,recẽſuit ÿſdẽ beneficia, quæ ſuo Creatori deberẽt;quáſque gratas vices ei reponere tenerẽtur,& quænam* *Alios, alibi, piſcium exemplo.*

Digitized by Google

ſuæ ſeruitutis officia eidem poſſent exhibere. Dixerat, piſceſque ſummiſſo vertice benedictionem quodammodo precati, altum repetiêre. Hæſit eo ſpectaculo, miraculóque populus quodammodo attonitus, & hæretici à natatilibus conuicti belluis, S. Viri veſtigiis aduoluti, ſupplices eundem rogarunt, vt ſibi Catholicæ doctrinæ veritatem prædicaret, polliciti attentas ſe pro ſermonibus eius aures præbituros. Itaque quamplurimi eorum hæreſim execrati, orthodoxam ſunt veritatem amplexi.

Aliot, venenatas epulas innoxius comedens.

AD *epulas quandoque ab hæreticis inuitatus, non inuitus (vt erat in omnem lucrandæ alienæ ſalutis occaſionem intentus) venit, & accubuit. Sed vt appoſitos ſibi cibos, ab hæreticis eſſe venenatos, Deo reuelante, cognouit, comiter (vt amabat) veneficos hoſce parricidas obiurgauit. Illi, ne nihil excuſationis obtendiſſe viderentur, reſpondêre, id abs ſe non eius lædendi, ſed explorandi causâ factum, quò nimirum certo conſtaret ipſum verißimum eſſe veritatis Euangelicæ præconem, cui conueniret hæc Chriſti promißio:* Si mortiferum quid biberint, non eis nocebit. *Denique eò rem deduxêre, vt cum S. Viro pacti fuerint, ſe fore Catholicos, ſi venenatos ipſe cibos innoxius manducaſſet. Quid multa? Conuentioni* ANTONIVS *annuit, ſalutari Crucis ſigno venenatas epulas benedixit, & innoxius manducauit. Stupenda Deus S. Viro ad populum diuinis de rebus dicente, miracula patrabat, in quibus quamvis hæc eminerent, morum prauorum correctio, deuiantium reductio, animorum etiam obſtinatorum conuerſio, afflictarũ vitiis rerum publicarum, ſuis in membris, ac ordinibus omnibus, inſtauratio, & vrbium renouatio; tamen non hæc inuiſa tantummodo, internaque, ſed alia quoque viſibilia, externáque B. Virum illuſtrabant. Nam quamuis vno tantummodo idiomate vteretur, tamen etiam diuerſarum auditores nationum diſſerentem probißimè intelligebant, perinde vt ſi ſingulorum linguis fuißet locutus.*

Marc. c. vlt.

Spiritualia miracula ab eo patrata.

Donum linguarum.

Auditur etiã à parte remota.

FVIT *etiam cùm aliquando prædicaret, ad duo paſſuum millia remotus à muliere, quam eius maritus à concione prohibebat, cùm ſuæ domus impluuium conſcendiſſet, ad eum quaſi de ſpecula vel oculis eminus vſurpandum, clarè diſtinctéque auditus. Aliàs cùm ad frequentißimam concionem extra vrbem in aprico de diuinis diſſereret, repentè cælum, quamuis paulo ante prorſus innube, cæpit atris nubibus caligare, terribilibúsque mugire tonitruis, & copioſos imbres minari. Quamobrem cæpit pia concio, quæ ſub puro Ioue conſiſtebat, & dicentis ab ore pendebat, nonnihil trepidare, tectúmque quodpiam circumſpectare. Quo cognito,* ANTONIVS, *pauidos, ſolicitoſque omnem ponere metum iußit, prædixitque, neminem iis imbribus vel leniſſimè tingendum. Vatem fuiſſe conſecuta veritas probauit. Nam quamuis pia concio S. Viri imperiis obſecuta, ſub dio conſtiterit, & vndique in orbem copioſißimus imber cælo defluxerit, tamen nullus auditorum vel tenuißimâ eſt pluuiæ ſtillâ madefactus. Porro cùm aliquando ad Prouinciale ſui ordinis Capitulum accederet, & de cruciatibus, ac cruce Chriſti diſſereret: ecce tibi Seraphicus Pater* Franciſcus (*qui aliàs ab eo loco procul tunc fuerat*) *per aëra delatus, aſpectabilem ſe paſſis, ac decuſſatim commiſſis obtulit brachiis, quaſi quidquid ab* ANTONIO *diceretur approbaret.*

Populus pluuiam nõ ſenſit, eo prædicante.

Eius approbat dicta S. P. Franciſcus per aëra delatus.

PROPTER *hæc & alia huius generis miracula, incredibilemque, quâ pollebat, dicendi vim, adeò frequens ad eum audiendum concio confluebat, vt eam neque Templa, neque Baſilicæ, quamuis ampliſſimæ complecterentur. Quamobrem intempeſtâ quoque nocte, certatim ſuis ſe ſe ſtratis corripiebant, eúmque audituri velut Apoſtolum, ſubſellia occupabant. Suas propolæ tabernas, ſuas opifices, cerdonéſque officinas occludebant, & ad* ANTONIVM *diuina diſſerentem concurrebant, adeò frequentes, vt neceſſe fuerit, validos, robuſtoſque Viros non paucos deceri, qui piæ multitudinis ad exoſculandas Sancti Viri manus ruentis imperium ſuſtinerent, eúmque, ne fortè comprimeretur, tuerentur. Cùm ſub veranum forte ieiunium Patauij ad populum diuinis de rebus diceret, adeò ciuitas in luctum, lachrymáſque ſoluta eſt, vt conferta paſſim ciuium turmæ terga nudantes, in ipſis plateis acriter in ſe flagris animaduerterint, conſoniſque ad Deum vocibus ſuclamarint:* Miſericordia,

Populi frequentia ad ſermones.

Concionis pij motus.

Miſericor

Misericordia. *Atque ex eo tempore durauit is mos, qui postea longius in alias ciuitates emanauit, hodiéque etiam viget, maximè vltimis sanctioris hebdomadæ diebus. Mira inerat verbis eius vis, quam singulares aliquot adiuuabant circumstantiæ, quas in eo Deus mirabiliter operabatur. Nam sæpe quibusdam sub ipsum noctis intempestæ concubium apparebat, cum dicto:* ocyus exurge, hoc, illudque peccatum confitere, quo Numen irritasti; *quamuis ipsum crimen illud esset prorsus occultum, neque quidquam, nisi reo, Deóque cognitum. in exequiis cuiusdam nobilis, sordidique Euclionis, rerumquè suarum, dùm viueret tenacissimi, concionaturus dixit:* Nostis à Christo dictum: *Vbi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum*: quam ob rem pergite ad eius ædes, reclusóque ærario cor eius appositum reperietis. *Itum, repertúmque cor auarissimi Euclionis adhuc calidum, thesauris incubans.*

Horribile auaritiæ exemplum.

Neqve *in publicis tantum concionibus ad populum erat Vir sanctus admirabilis, sed & priuatim in excipiendis confessionibus. Conuenerat aliquando Virum Sanctum quidam grauium sibi conscius peccatorum, paratus ea per homologesin expiare, sed, præ nimia animi pœnitudine, formare verba non poterat. Cui S. Vir suasit, vt quandoquidem sua peccata nequiret eloquio, calamo eadem proferret, & ad se in papyro descripta deferret. Paruit ille, scripsit, &* Antonio *exhibuit, sed exhibita mox deleta vidit. Alius in sacro, secretóque pœnitentiæ tribunali fassus iratum se matri calces impegisse, mox à S. Viro grauitatem impietatis horrente, audijt:* Mereretur impius ille pes à suo corpore abscindi. *Quid ad hæc reus hicce calcitro! Verba Viri Sancti, quasi mandata seriò interpretatus, mox à sacro tribunali dimissus, domúmque reuersus, imprudens, arrepto cultro, sibimet pedem abscidit.* Antonivs *vt imprudentiam hominis didicit, pedem trunco corpori admouit, præmissisque precibus, hominem sanum, & incolumen dimisit. Porrò quandoquidem se magnas Orcus ab eloquio* Antonii *passum clades sentiebat, ideo pares eidem vices repositurus, aliquando guttur eius adeò validè, violentérque strinxit, vt à periculo mortis vix abfuerit. Sed enim simul Deiparam Virginem supplex inuocauit, & Hymnũ,* O Gloriosa Domina, *sono quo poterat pronuntiauit, subito omnis Orci vis euanuit. Alibi vmbellam suggesti, de quo ad populum S. Vir verba faciebat, magno stygius hostis impetu detecit, sed neminem læsit, terruit vè. Iam enim Vir sanctus suos præmonuerat auditores, ne, siquis fortè fragor audiretur, terrerentur. Rursus cùm Vir sanctus è superiori loco diuina publicè doceret, Stygius veterator omnes Protei formas mentiri solitus, os, habitúmque tabellarij indutus, nobilem quandam Matronam, quæ docentem, dicentémque S. Virum auscultabat, accessit, filiúmque eius decessisse nuntiauit. Vidit, agnouítque è suggestu hostem tartareum* Antonivs, *móxque illi nobili Matronæ contentis de suggestu vocibus acclamauit:* Vt à Stygio sibi veteratore caueret; tabellarium illum, hominis speciem mentitum, ipsissimum esse diabolum; duraret in eo, vbi consistebat, loco: Dei verba sedula attendere pergeret: neque se sineret turbari: meros mendacem tabellarium fumos vendere; filium viuere. *Hæc elocutum, pluráque dicere parantem, Diabolus non tulit, sed ex omnium oculis, instar fumi ad ventum prolati, protinus euanuit. Cæterum quamuis* Antonivs, *& Orcus sic inuicem decertarent, ille concionando, hic conciones eiusdem turbando; tamen hic idem luculentiores omnino plagas accipiebat ab egregia* Antonii *sanctitate, præclarissimisque rarissimarum virtutum, quibus erat præditus, exemplis. Ab his enim tanquam totidem ignibus ille verborum faces, quibus animos auditorum inflammabat, accendebantur.*

Peccata pœnitentis in papyro descripta, deleta.

Impietas in matrem punita.

B. Deiparæ Antonio periclitanti succurrit.

Diaboli fragorem sedat.

Ipsius mendacium propalat.

Tempvs *omne quod ab alijs ei negotijs vacabat, precibus, diuinarumque rerum commentationibus impendebat, in quibus suauiter, & omnino familiariter agebat cum suo* Iesv, *qui inuicem seruum suum cœlestibus delicijs inundabat, adeò vt ad eum subinde aspectabili specie veniret. Nam, vt veritas exemplo pateat, cùm aliquando in cubile sub noctem, quietis ergo, secessisset, Pater familias (ad quem fortè diuerterat)* Antonivm *diligenter arbitratus, venustissimum vidit infantem, primò libro insidentem, indéque in*

Eius astutias in duello dissipat.

Mira cum IESV familiaritas.

Digitized by Google

vlnas ANTONII *irrepentem,& ſuauiter arridentem, blandiſque inuicem obtutibus gaudentem. Sed vt diuini fauoris huius adeò ſibi liberaliter impartiti, ſuum hoſpitem quoque conſcium fuiſſe; diuinitùs intellexit, multis eundem, ne cui mortalium viſa, ſe viuente, reuelaret, precibus obſecrauit.*

Religioſum tyronem reſipiſcentem confirmat.

Erat ANTONIVS *admodum in omnes comis, ſed præcipuè in arumnoſos, grauibúſque Diaboli tentationibus afflictos pio affectu benignus. Eoque cùm diuinitus didiciſſet quendam religioſi ſui inſtituti tyronem acribus Stygij hoſtis aſſultibus ad repetendas Ægypti ollas vrgeri, iámque ſtatuiſſe cum vxore Loth reſpicere vehementer; eius vices miſeratus, ingemuit, & vberes piè lacrymas, precéſque fudit, ſecundum quas, accito protinus ad ſe tyrone, comiter os aperuit, apertóque inſufflauit, dicendo:* Accipe Spiritum-Sanctum, *è veſtigio omnibus infeſtæ Stygis aſſultibus exemptus, in benè cæpto religioſæ inſtituto, perſeuerauit.*

Alium amictu ſuo à cupidinis ardoribus liberat.

CVM *aliàs profectus in Gallias ad Monaſterium quoddam diuerſiſſet, ibidem didicit, quòd Monachum quidam continuis praui cupidinis ardoribus æſtuans, quos neque precibus, neque ieiuniis, neque frequenti Sacramentorum vſu, neque alijs id genus ſacrorum ſtratagematis aſcetarum, vel minuere poterat, vel extinguere: cum* ANTONIO *per homologeſin ſuæ conſcientiæ latebras aperire diſpoſuit. Quo facto S. Vir ſuum, quem gerebat, amictum exutus, eodem Monachum illum indui iuſſit. Paruit ille, omníſque cupidinis praui protinus vis diſparuit, neque in omnem vitam, ſimilis fuit aliquid ardoris expertus.*

Corpore abſens officio iniũcto fungitur.

FVIT *adeò Obedientiæ, ſuarumque regularum ſtudioſus, vt cùm fortè Feriâ Quintâ hebdomadæ ſanctæ in quadam Eccleſia ad concionem diuina diſſerere cæpiſſet, occurrit animo, ſe de quadam lectione canenda in choro ſui Conuentus adſtrictum, cuius obedientiæ munere perſoluendo conſtrictus, parumper ſtetit, ſubticuítque, eóque tempore, & in choro officium commiſſum abſoluit, è ſuggeſtu non recedente corpore, & in choro præſente, poſtmodum concionem proſecutus eſt. Simile aliud alibi euenit, vt ijs prodigijs Deus S. Viri obedientiæ accuratam diligentiam propalaret.*

Ob feruorẽ regulæ conſeruandum capitur.

HIC *quàm fuerit religioſi Ordinis ſui priſtino in feruore conſeruandi ſtudioſus, ſubiungamus, quámque fortia egerit, paſſúſque ſit, ne regula, ac præſcripta à* S. Franciſco *religioſæ vitæ formula laxaretur. Præſidebat fortè tanquam Generalis totius Ordinis Fraciſcani Miniſter* Elias *quidam, vir & ſeculi potentiâ, & mundialium negotiorum peritiâ, quàm germano* S. Franciſci *ſpiritu, inſtructior, qui religioſæ vitæ formulam laxatum ibat, nouas conſuetudines, & contrarios Euãgelicæ paupertati abuſus inducebat, multáque id genus moliebatur, quibus primigeniam traditam à* S. Franciſco *viuendi methodum, & morum puram ſanctitatem ibat demolitum. Itaque cùm religioſi Ordinis huiuſce ſeniores* Eliæ *ſe vehementius opponerent; ille quoſcunque ſibi contrarios expertus eſſet, grauiter afflixit. In his fuit etiam* ANTONIVS, *qui cùm liberiùs homini reſiſteret, & audaciter contradiceret, adeò* Eliæ *fieri cæpit exoſus, vt hîc S. Virum ergaſtulo mancipare ſtatuerit. Sed Dei ſeruus euaſit, & ad Romanum Pontificem appellauit. Erat in ea tempeſtate* Gregorius *huius nominis* IX. *apud quem* Elias *ab* ANTONIO *conuictus, à Summo Pontifice ſuo ſe iuſſus eſt munere è veſtigio abdicare. Sic* Eliâ *à munere expulſo, alius huic officio magis idoneus, qui germano S. Fundatoris ſui ſpiritu ferueret, præſcriptamque religioſæ vitæ formulam, quàm accuratiſſimè ſeruari curaret, ſubrogatur.*

Ad Romanum Pontificẽ appellat.

Tyrannum domat.

CÆTERVM *hanc animi fortitudinem* ANTONIVS, *non in conſeruanda religioſi inſtituti ſui puritate tantummodo exhibuit, ſed eandem in alijs etiam grauibus quibuſcunque negotijs fortè occurrentibus ſemper oſtendit. Erat (vt hanc eius virtutem declaremus exemplo) Inſubrum quidam tyrannus* Ezelinus, *immanitate barbarus, leonis, tigríſque, quàm hominis, ſimillimus. Vt enim cætera eius facinora omnino crudelia omittam, vel vnicá vice, Vndecim millia Patauinorum, quos vel in obſequijs palatij ſui, vel in præſidio ciuitatis Veronæ numerabat, hac ſola de cauſa, quòd Patauina ciuitas rebellaſſet, iuſſit obtruncari. Hunc tyrannum, publicúmque generis humani hoſtem* ANTO-

NIVS

NIVS *conuenit, terribilibusque eum verborum tonitruis, ex illo pectore, quod totum diuino amore æstuabat, depromptis increpauit, omnia flagitia, quæ patrarat audacter exprobrauit, & vt sæuitiæ modum denique poneret, imperauit, vindicē Numinis iram, & vltricia patulæ stygis incendia, nisi pareret, minatus. Expectabant* Ezelini *satellites à tyranno signum, quo iuberet, vt facere solebat, si quando alius quis, minimo eum dicto, factóve læsisset,* ANTONIVM *obtruncari: sed ille repente leonis feritatem exutus, agnique mansuetudinem indutus, suum sibi Baltheum soluit, collóque iniecit, &* ANTONII *vestigijs aduolutus, præteritorum scelerum veniam precatus, seriam deinde emendationem spopondit. Causa repentinæ mutationis huius in tyranno fuit, quòd è S. Viri loquentis facie, diuinos promicare radios conspiciens, adeò expauerit, vt eo timore subactus omnem submissionem huiusmodi exhibuerit.*

ATQVE *hæc adeò heroica magnanimitas, quâ Vir sanctus eminebat, ab eximio rerum mortalium contemptu, & cœlestium desiderio nascebatur. Quamobrem, nec vllo metu mortis afficiebatur, nec vllo huius vitæ desiderio tenebatur, neque quidquam appetebat eorum, quæ mundus, vel polliceri solet, vel potest impertiri. Itaque cùm tyrannus idem pretiosissima S. Viro munera suorum manibus satellitum, officiosus in speciem obtulisset, Vir sanctus eadem subirato vultu respuit, dicens:* Apagite ocyus, ne communi vobiscum ruinâ domûs inuoluamur. *Atque hæc continentia, à morte S. Virum seruauit; tyrannus enim suis iam satellitibus imperarat, vt eum, si munera acceptaret, è vestigio obtruncarent. Adeoquè videtur* ANTONIO *diuinitus reuelatum, quod ab* Ezelino *fuerat crudeliter imperatum. Nec id ipsum debet incredibile videri; Nam præter alia charismata, quibus eum Deus exornauerat, fuit & prophetiæ donum, quemadmodum (vt alia omittamus) duobus hisce liquet exemplis.*

Ob abstinētiam munerum liberatur à morte.

Donum prophetiæ.

NOBILIS *quædam Matrona sese precibus eius commēdauerat, rogarátque, vt sibi filium à Deo impetraret. Ille statim pollicitus est, vaticinatúsque habiturā filium, & quidèm insignem religiosum, Franciscanæ familiæ deuotum, Martyrē, spiritualémque multorū Martyrum patrem, quos ille suo præconio vocis ad martyrium pro Christo patiendum esset accensurus. Fidem vaticinio fecit euentus.*

Aliud vaticinium.

QVOTIES *aliàs in quadam* Galliæ *ciuitate, Viro sancto in platea occurrebat scriba quidam ad infamiam prope flagitiosus, submisso poplite ac aperto capite eundem venerabatur. Cùmque id sæpius fieri scriba notasset, indignatus sibi iocum fieri putans, his* ANTONIVM *affatus est verbis;* Equidē nisi vindex Numen vererer, hoc te ferro statim iugularem. *Cui Vir sanctus comiter:* Ne mireris, huiusmodi à me tibi reuerentiam deferri. Nam multis ego precibus Deum solicitaui, quò mihi liceret in Martyrum numerum venire; sed cùm me tanto videam indignum honore, saltem Martyres honorare gestio, quia video Martyrium te pro Christo subiturum. *Hinc verò scriba ridere, cachinnari etiam, Virúmque sanctum deridere, cùm diceret sese nihil eiusmodi affectare. Sed haud multo pòst, idem scriba suæ ciuitatis Episcopum ad Mauros proficiscentem, prædicatum Christianam veritatem, comitatus, in Palæstinam nauigauit, cúmque aliquando Præsulem suum timidiùs ad infideles dicentem audiisset, adeò exarsit, vt ipse sibi dicendi partes vsurparit. Itaque tanto feruore de Christi gloria, Christianæque Religionis excellentia, & Pseudo-Prophetæ Mahumeti infamia disseruit, vt à Mauris comprehensus, dirúmque in modum cruciatus, ac denique sit occisus. Cúmque iam duceretur barbaro iugulum ferro præbiturus, vaticinij ab* ANTONIO *olim editi memor, idem circūstantibus indicauit, atque ita pro Christo fortiter occubuit. Innumera sunt miracula, quæ* B. ANTONIVS *viuus, mortuúsque patrauit, quæ qui cuncta memorare vellet, singulare volumen impleret. Nobis pauca de multis libare sufficit. Vnum restat hic apponendum, quod & rarum sit, & omnino stupendū, quò quanti Vir iste Sanctus sit apud Deum meriti clarius intelligatur, & quàm solido parentem suum fuerit amore prosecutus, perspiciatur. Nam bis ex Italia Vlyssipponem venit prodigiosè opitulatum parenti de honore, vitâque periclitanti.*

Parentem in cauſa fiſcali repetundarum damnatum liberat.

FVERAT igitur ANTONII parens, Regius in Luſitania Quæſtor, reſquè Regis aliquas eius Officialibus mutuas dederat, nullo (vt erat ſimplex, & antiqui moris homo) ab yſdem petito, vel accepto rerum datarum chirographo, quòd omnes ſuo pede menſus, eis fideret. Verum enim verò cùm dati, acceptique rationes eſſent iucundæ, Officiales præfati ſe quidquam accepiſſe negarunt. Itaque cùm Vir bonus humono ſeſe præſidio nudatum videret, ad diuinum refugit, & impetrauit. Nam cùm decretoria iam dies illuxit, ſimul à Regio Senatu repetundarum poſtulatus, in iudicio comparere iuſſus eſt. Ecce ANTONIVS præſens ipſe Senatum ſubijt, & Regis Officiales his affatur verbis: Bonus hic Vir (ſuum parentem indigitabat) Regia vobis bona dedit vtenda tali die, horâ, loco, talibus in rebus, in tali moneta, talibus teſtibus præſentibus, curate vt ei damnum præſtetis; ſin, vindex in veſtrum caput Numen armabitis, atrocéſque eidem pœnas dabitis. *Dixit: Regiſque Officiales, quodammodo attoniti obriguêre, moxque parenti ſuo ſua omnia exhibuerunt chirographa. Itaque rebus ex animi ſententiâ compoſitis,* ANTONIVS *ab omnium oculis euanuit.*

Etiam ipſii à morte eripit.

ITEM *cùm ipſe S. Viri Parens homicidij operâ famulorum patrati accuſatus, falſiſque teſtibus conuictus fuiſſet, iam mortis erat damnatus, in poſterum diem cum famulis ad ſupplicium ducendus:* ANTONIVS, *qui tunc* Patauij *degebat, quid in* Luſitania *gereretur, & quemadmodum non ipſe tantum, ſed & eius famuli capite periclitarentur, diuinitùs intellexit. Quamobrem pridie, quàm parens eius eſſet ducendus, ſub veſperam obtentâ à Guardiano licentiâ, repente velut alter Abacuc, aut Philippus Diaconus, ab Angelo fuit Patauio Vlyſſipponem translatus. Poſterâ die, vt ſimul prima lux erupit, Iudicem conuenit, eundem per viſcera Chriſti obteſtatur, vt homines ſceleris omnu, cuius erant accuſati, damnatíque, puros abſolueret. Quod cùm Iudex obſtinatè facturum ſe negaſſet,* ANTONIVS *occiſum è ſepulchro erutum, & coram iudice poſitum cadauer, protinus à mortuis excitauit, excitatúmque interrogauit, an à parente ſuo, famulíſve illius eſſet occiſus. Is occiſum ſe ab his negauit. Tunc iudicij Præſides, Cùm S. Virum vrgerent, vt de cadis auctore redituum interrogaret, reſpondit, non ſe veniſſe damnatum nocentes, ſed innocentes abſolutum. Hinc præſentem infamémque parens* ANTONII *mortem cum famulis euaſit. Rediuiuus autem ſuum tumulum, & Vir beatus eadem, qua venerat in* Luſitaniam *celeritate,* Patauium *repedauit. Caterum omnis* Vlyſſippo, *reliquaque Ciuitates, & Prouinciæ, ad quas fama miraculi euaſit, collaudarunt in Sancto ſuo Deum, qui quamuis ſubinde premi ſinat innocentiam, non tamen eandem opprimi permittit; ſed ei, cùm opportunum fuerit, mirè patrocinatur.*

Stupendum miraculum.

Patrocinij pro rebus perditis origo.

POSTHÆC *cùm quidam Franciſcana familiæ tyro, miſſâ ſemel ad aratrum manu, retrò reſpexiſſet, excuſſoque cucullo, & ſublecto Pſalmorum codice (quem ANTONIVS ſuâ manu deſcriptum marginalibúſque notis illuſtratum, in explicanda priuatim religioſis fratribus ſacrâ Scripturâ ſæpiùs vſurpabat) ſeptis Cœnobij erumperet: codicis furtum ſenſit S. Vir, qui ſubmiſſis in preces genibus, enixè Deum roganit, vt cum ſibi reſtitueret, interea biblioclepta, & apoſtata codice onuſtus, cùm fluuium tranſnatare pararet, cacodæmonem habuit obuium, qui ſtricto armatus ferro, ſacrilegum è veſtigio viam, quâ venerat, relegere, ſublatúmque* ANTONIO *codicem reddere iuſſit, mortem quoque minatus; niſi paruiſſet. Vix iſthæc aſpecta cacodæmon horribili imperauit, quando ſacrilegus quodammodo attonitus nonnihil hæſerit, mox Cœnobium repetierit, ſuúmque Viro ſancto codicem reſtituerit, ac in omnem deinceps vitam conſtans in religioſi inſtituti propoſito perdurarit. Hinc Chriſtiana pietas in rebus amiſſis Beatiſſimum* ANTONIVM *Patronum inuocandi, ſumpſit exordium.*

Præparatio ad mortem.

DEMVM *cùm Vir ſanctus ſe laboribus exhauſtum, viréſque voluntarijs etiam pœnis iam fractas, & ægrum ſe denique perſenſit, paululum quietis ſibi*

captiuus

capturus, ſéque arctiùs Deo uniturus,& morti,quam ſibi ſciebat imminere, ſeſe præparaturus, aſſumptis duobus comitibus, viris admodùm religioſis,in ſolitudinem, locúmque procul à mundi tumultibus, ac arbitris remotum ſeceſſit. Hîc cùm corpuſculi affecti languor quotidie auxiſſet, perceptis ſanctiſſimis Eccleſiæ Sacramentis, & alternatim cum ſodalibus, prædictis ſeptem Pſalmis, quibus olim S.Dauid pœnitens fuerat vſus,ipſe ſolus hymnum: O glorioſa Domina: *recitauit, inuocauítque Deiparam Virginem,cuius fauore meruit videre aſpectabili,& amabili formâ præſentem Chriſtum,quocum ſuauiter,ſempérque ſui compos collocutus, placidiſſimè quaſi conſopitus ſanctiſſimam animam in Dei manus edidit.Corpus,velut in ſoporem ſolutum,viuo perinde colore rubuit,eiúſque artus omnes adeò viſi mobiles, ac flexibiles, vt viuere adhuc, & ſpirare cenſeretur. Deceſſit Anno Chriſti* M. CC. XXXI. Idibus Iunij *Anno ætatis ſuæ* XXXVI. *quorum* XV. *ſuos apud parentes*; XI. *in Ordine Canonicorum Regularium S. Auguſtini*; X. *denique in religioſa* Minorum *familiâ, ſanctiſſimè exegit.*

Moritur.

ERGO *viri Religioſi S.Viri mortem deſiderarant celatam tantiſper,dùm ſacras eiuſdem exuuias,ciuitate non repugnante,in ſuo Templo commodiùs humarent.Sed fruſtra,nam omnes Ciuitatis Patauinæ pueri ſtatim diuinitus inſpirati certatim concurſare,miriſque vocibus hiſce conclamare,* Diem ſuũ Sanctus obiit,*cæpêre.Hiſce acclamationibus Ciuitas excitata,tandem* ANTONIVM *deceſſiſſe intellexit;cuius Corpus apud ſe transferendum curauit,quod & obtinuit, licèt per aliquot dies,quibus populorum ſeditio extitit, ſequeſtratum. Miracula quæ eius patrocinio à Deo poſt eius obitum patrata ſunt, adeò fuêre frequentia, & ſtupenda, vt omnes ægri ſacras eius exuuias venerati, quacumque laborarent infirmitate, ſani protinus abirent, ſi priùs tamen animos Sacramento pœnitentiæ emaculaſſent; ſin, nullis etiam affecti corporis malis abſoluebantur. Quibus igitur prodigiis intellectis* Gregorius IX. *Pont. Max. Altero ab eius obitu Anno* M. CC. XXXII. *Spoleti degens, ipſo feſto Pentecoſtes die,* ANTONIVM *canonicè in Album Sanctorum retulit; quo die etiam Vlyſſippone mirabilis lætitia repentè excitata eſt.*

Pueri eius mortẽ proclamarit.

Corpus Patauiũ transfertur.

Canonizatur.

HÆC ſunt ACTA ferè per ſynopſin ſcripta, quorum probationes,cùm ſint communes,non eſt cur amplius illuſtremus. Hinc tantum aliquot *hymnos,* & *Epigrammata* ſubiiciemus,vt anamneſin compleamus. Primas ferat *R.P.Franciſcus de Mendoza* Vlyſſipponenſis in *Viridar. Sacr.& Prophan.Erudit.lib.9.Flor.Poët.7.fol.*353. vbi Beatiſſimi Conciuis illuſtria facta recenſuit heroicè, ſic:

ANTONII LVSITANI
Herois Sanctiſſimi Illuſtria facta.

THreicius quondam nemoroſa in valle ſacerdos
Fertur, olorinas imitatus carmine voces.
Cum procul annoſa veniunt è montibus orni,
Circundántque virum; radicibus exilit imis
Caucaſus,& promptas in carmina ſuſcitat aures;
Hircanaque fera tenebroſa cubilia linquunt,
Et quacunque datur breuior via, dulcibus adſunt
Carminibus, placidóſque bibunt ad plectra ſopores.
Fertur & æquoreas olim vocalis Arion
Tranquillaſſe minas, citharam cùm pulſat eburnam;
Neptunique greges, Protheique armenta ſub imis
Clauſa vadis, in ſumma nouo trahit æquora cantu;

Ac dorſo incumbens Delphini, lata fatigat
Colla iugo, tumidoſque ferit calcaribus armos,
Et premit, & laxat moderator certus habenas
In quaſcumque volet partes. Heu caca parentum
Barbaries! Heu vana dolis commenta nefandis!
Non tales humana gerit facundia vires:
Mortalis non artis opus modulamine tigres
Siſtere, & effranes ad carmina ducere Phocas.
Tantùm diuino micat hæc è pectore virtus.
ERGÒ *age diuinum fer ad æthera Lyſia partum;*
Cuius ad eloquium miteſcant marmora, cautes
Diſſiliant, venti ponant, querceta ſilentes
Contineant frondes, auium ruat agmen ab alto
Æthere; & indomiti linquant caua luſtra leones.
Terrarum tu grande decus, tu ſola ſub Orbe
Orbis Vlyſſippo; *cœleſtibus æmula regnis,*
Tolle caput: tam læta tuos hæc fata penates
Sola manent: tibi diuinus naſcetur alumnus,
Maior Threicio Vates, & Arione maior.
Quâ Tagus egregiam, Regni caput, alluit vrbem,
Virginea quâ tecta domus maiora coruſcant,
Eductiſque polo monumentis aſtra laceſſunt:
Extulit os terris ANTONIVS, *extulit vrbi*
Formoſum caput: O qualis noua ſigna decoris
Fronte ſedent! qualis rutilant præſagia vitæ!
Creſce puer, creſce, & virtutum ingentia creſcant
Dona animo, vires ſolidentur corpore, mores
Pectore, creſcentes ſupera virtutibus annos.
MOX *vbi prima pedes ætas firmauit, Olympi*
Quærit opes, auri cumulos contemnit auitos:
Maternâ durare nequit ſub ſede, profanæ
Sæpe fugit monumenta domus, ad Virginis ædem
Itque, reditque frequens: puerilibus altior annis
Sacra colit, vanis ſe ludis abdicat, Aras
Promptus obit, pingítque roſis altaria, ramis
Limina purpureis laquearia celſa coronis.
O puerum cœlo dignum! quem ſuſpicit Orbis,
Quem Phlegethon, quem tota domus veneratur Olympi.
Eia age prætetibus ſuper æthera tollere pennis,
Arma cupidineo rorantia felle voluptas
Tartareo nutrita ſinu iaculatur, & alto

Corde

Corde premit, venis ſerpit calor, oſſibus ignis
Labitur, & ſtygijs flaueſcunt corda venenis.
Surge puer, téque infando citus eripe letho,
Et Phlegethontæos validis tere calcibus hydros.
ERGO *Virgineis ſe mundo ſuſtulit alis,*
Et quâ victrices tollit Vincentius arces
Delituit, Diuique arcana in clauſtra receſſit.
Rurſus Vlyſſæas oras, & nota Parentum
Tecta fugit, natale ſolum commutat in agros
Herculeos, intrat veteris penetralia Templi
Sacra, ſalutiferi ſacro cognomine trunci.
Inde aliud molitus iter, cœlo auſpice, cœlo
Ignotas monſtrante vias, ſecreta relinquit
Iura domus, tacita vita ſe legibus aufert;
Te quærit Franciſce, tuis penetralibus hoſpes
Succedit, comitémque tuis ſe præbet alumnis.
Nuda ſolo ponit veſtigia, vilis amictus
Membra tegit, circum tenerum datur horrida ſetis
Zona latus; non vlla manum, non vlla labantes
Virga pedes, in tanta viæ diſcrimina, firmat.
Terrarum fines, quâ Phœbus conditur, & quâ
Surgit; Hyperboreas quâ tellus cedit in Arctos,
Et quâ ſepoſitis Lybia furit æſtus arenis,
Explorare cupit; pelagíque intrare profundi
Æquora, & extremis mundi ſub finibus exul
Indomitos ad rura greges, ad pabula cœtus
Ducere, & errantes ad ouilia cogere turmas.
Vade, age, & inſignes ANTONI *ordire triumphos,*
Auſpicijs in vota ruit felicibus Æther.
Quâ ſacra diuinæ referas præconia legis,
Tartarei ne vana putes in bella Ceraſtes,
Torpebunt, vires amittent, ſauáque plantis
Colla dabunt calcanda tuis, tu pectore virus
Exprime, tu frano linguas moderare triſulcas,
Tu rege calcatis tumidas ceruicibus iras.
Sic impunè Dei leges, & iura per Orbem
Æqua feres, ſic arma ruens inimica Tonantis
Signa triumphato pones victricia luxu.
ERGO *vbi maiores ſcelerum cumulantur acerui,*
Impietas vbi cæca fuerit, bacchatáque ventris
Ingluuies, vbi regnat amor ſceleratus habendi,

Diráque

Diráque luxuries fuſis dominatur habenis,
Et ferus inſultat Mauors; ibi Lyſius Heros
Attollit vocem: Quantus micat ardor ab ore?
Quantus amor? Quantis iaculatur fulmina verbis?
Flagitiûm moles labeſiunt, ira ſerenos
Induitur vultus, ſtygijs mutrita caminis
Flamma ruit, ruit ardor opum, veſana quieſcunt
Arma graui commota manu, furor occidit, orbe
Vana ſuperſtitio procul exulat, impia mores
Dediſcit natura ſuos, nouus editur Orbis
Antiquo melior, meliora ſub Auſpice tanto
Secula naſcuntur; ſed quid non poſſet Auerni
Liuor edax? Quibus in pratis non peſtifer erret
Anguis, & intonſas non maceret halitus herbas?
FORTE *aderat gens nata Erebo, formata receſſu*
Caucaſeo, cùm diuinos ANTONIVS *amnes*
Solueret, & dulci præcordia voce piaret.
Quò magis Interpres ſacrorum pectora mulcet
Vocibus, atque animi duris medicamina plagis
Alligat; hoc ſauit magis, agreſcítque medendo
Vulnus iners, & mente ferox agreſtius horret,
Atque animos contra ſeptemplice durat aheno.
Quid faciet? Num verba Notis ludibria fundat?
In caſſúmque ferat tot adire per aëra voces.
Fas, & iura vetant: Ergo volat, agmina linquit
Perfida, commotis vbi fluctibus æſtuat æquor,
Clamat, & aquoreos contenta voce fragores
Exuperat, pelagíque ciet vada, ſaxa querelis,
Piſces Neptuni cætus magni agmina; piſces
Huc omnes iubeo latebris enare profundis
In terram, ſuperúmque in litore carpere lumen.
Nec plura: Inſolito miſcetur murmure Pontus,
Exultant latices, æſtu voluuntur arena.
Vndique collecta ſpatioſa per æquora turma
Inſurgunt pinnis, tumidóſque laceſſere fluctus
Remigio certant, ſummáſque adnare ſub vndas
Emicat in ripam, & fluctus capit ante priores
Turba minor, Barbi, Solea, Conchylia; maior
Pone ſequens, pelagóque incumbens, ardua prendit
Littora, Salmones, Rhombi, Delphines, Aloſæ;
Inde alios, & mille alios, mirantur euntes

Cærula

Digitized by Google

Cærula; piſtrices immani corpore gyros
Mille trahunt, vaſtâ ſe voluunt mole, Belonæ;
Immensóque ruunt membrorum pondere Cete.
Quotquot in æquoreo ſpatiantur monſtra theatro
Exiliunt, totíſque ſuper ceruicibus extant.
Quid fundis Neptune tuos ad iuſſa miniſtros?
Quid vidua cultore domus? Quid inania poſſunt
Regna ſatellitio? Nereus tibi tradit habenas
Diue ſuas; moderare diù felicibus vndas
Auſpicijs, eadémque tuos in iura nepotes
Erige, Lyſiadum ſubigant vada feruida puppes.
ERGO *ſuſpenſos in ſummo gurgite cœtus*
Alloquitur: Piſces veſtri præconia Regis
Accipite, & totos adhibete in carmina ſenſus.
Ille domos, & regna vadis habitanda ſub imis
Extruit, ille cibos, & fercula grata miniſtrat:
Ille dat æquoreos pinnis ſulcare meatus,
Et quos exigitis ſemper molitur honores;
Vos igitur grates perſoluite, ferte Parenti
Obſequium, & meritis celebrate hæc munera votis.
Dixerat: at piſces, rerum ſpectacula nunquam
Viſa ſatis, motant ceruices, brachia vibrant,
Excutiunt caudas, variíſque natatibus vndas
Impellunt, toto colludunt marmore, Diuo
Applaudunt, certis oſtentant gaudia ſignis;
Eia agite, & veſtras, ANTONIVS *inquit, in oras*
Cedite, iam terris fidei documenta dediſtis
Firma ſatis, nullo pietas abolebitur æuo
Tanta, nec inſignis minuetur gloria facti:
Quod precor vt donis cumulet maioribus Æther.
Illum ſubmiſſâ venerantur fronte parentem,
Iámque imas labuntur aquas, & nota frequentes
Tecta petunt, latebríſque maris clauduntur apertis.
O virtus! ô rarus honos! Tibi cedit Arion
ANTONI: *tibi Threicius dat victa Sacerdos*
Nablia; Thebana tibi cedit conditor vrbis;
Cedit Atlantiades, tibi victus cedit Apollo.
Eloquio tu ſaxa trahis Marpeſia, ſyluas
Exuis, indomitos domitas concentibus vrſos,
Cæruleis armenta vadis manſueſcere, nullis
Docta ſonis, tu voce regis, tu limina Ditis

Æternáſque

Æternáſque fores, æternáque robora frangis,
Infernóſque cies latebroſo à carcere Manes.
Sume animos generoſa parens, ne defice rebus
Aduerſis, grandis, tibi Lyſia, ſeruit alumnus:
Hoc duce, ſydereos poteris penetrare receſſus,
Vndique felices reuocare in corpora mentes:
Hoc duce, Tartareis violare repagula portis,
Ac trahere horrendas buſtis feralibus vmbras.
Ille tuas molitur opes, meditatur honores
Ipſe tuos, tibi multa parat, tibi franat aquarum
Murmura, & antiquum per tot diſcrimina nomen
Extollet, conſurge animis, obliuia nati
Nulla tui ſubeant, ſub tanto præſide, maior
Tollere, & æthereis caput inſere Lyſia Regnis.

Doctiſſimus ſimul, & piiſſimus *P. Emmanuel Pimenta Luſitanus* B. ANTONII natiuitatem, & aliquot eius inſignia facinora deſcribens, provt vnaquæque ſuis in locis dabimus, ſic *lib.*11. *Poëmat. Sacror. fol.* 402. Domum patriam depinxit:

De patria domo templum facta.

Fit domus Auguſtum tua per cunabula Templum,
Dum ſacer in patria naſceris ade Puer.
Templa paras, vbi dona petant cæleſtia Ciues,
Danda Patris ſummi munere danda tuo.
Néve verecundam patiantur vota repulſam,
Victima pro populis fit tua vita tuis.
Cognita prodigys domus hæc, & munere Diuûm,
Fit Templum Auguſtum Numinis ipſa ſui.
Numinis ô quantum cælo dedit! hanc ſuper æther
Funditur, ínque dies largiùs addit opes.
Et licèt accipiat diffuſum in munera cælum,
Plus tribuit cælo tam pretioſa domus.
Templum Auguſtum, ingens, opulentum & numine Diuûm,
Natali, ANTONI, fit domus iſta tuo.
Perdita vita redit: cæcis ſua lumina: claudis
Greſſus: & amiſſa reſtituuntur opes.
Ergo genu incumbens merito te mundus adoret,
Cui nulla effingi ſanctior Ara poteſt.

Qualis plus ANTONIO charitum Natura, an Gratia, ſequenti Epigrammate diſſerit idem P.Emman.Piment. *fol.*403.

Quot Natura & Gratia dederit chariſmata.

Plus dare non potui, dixit Natura, crearet
Cum te Magne Parens: Gratia dixit idem.
Ipſa exhauſit opes Natura, & Gratia, quando
Hæc animum finxit; pectoris illa decus.

Edita

Digitized by Google

Edita per ſummum ceſſent miracula Numen:
Vt puto pro cunctis, tu ſatis vnus eris.

Venuſtam Sanctiſſimi Parentis faciem, quâ amorum faces inflammabat caſtiſſimas depingere cupiens ipſe Piment. *fol.*402. hoc carmine luſit:

Eius venuſtas, & delicia.

Reſpice delicias humana gentis: amores
Reſpice, quos geminis ignibus afflat amor.
Sidereæ Charites vernant in fronte: redundant
Delicia in vultu, quas ſinus intus habet.
Dulciter Elyſios delibans gratia flores
Affudit labris prodiga, Diue, tuis.
Pérque tuos vultus dulci ferit igne medullas
Dulcis Amor: feriens vis medicamen habet.
Blanditijs noua bella moues, & ahenea frangis
Corda: minus facies, ſi fera bella geras.
Quaritis vnde faces potuit, queis vinceret Orbem,
Dicere delicias, dicere blanditias?
Dum Puero, puer ipſe animo, blanditur IESV,
Blanditias tenero ſurripuit Puero.

Quantus in ANTONIVM, & Puerum IESVM deliciarum, & amorum aſſiduus fuerit acceſſus, ex Hiſtoria ſuperiùs exſcriptâ elicitur. Sed quibus idem Pimenta *fol.*403. hoc deliciarum conſortium vtriuſque ſcripſerit, affectibus, auſculta:

Acceſſus Ieſus ad Diuum.

Humano generi, per te blanditur Olympus,
Hìc vbi natalis ſunt monumenta tui.
Nectar, & Ambroſiam per te diſtillat in Orbem:
Aſpera, blanditijs, mollia corda facis.
Dum tibi blanditur blandus puer inſit IESVS;
Tantum orbi, quantum ſum tibi blandus eris.
Ne tibi blanditiæ deſint: de corde liquenti
Da mihi blanditias, ſed tibi ſume meas.

Ipſius Diui quantus eſſet amor, quo, martyrio ſe pro Chriſto victimam offerret, paſſim inter Scriptores inuenitur, ſed non paſſim pia hæc eiuſdem P. Pimenta *fol.*404. conſiderationis anagoge:

Quantus Martyrij amor.

Pro pietate mori generosè ANTONIVS *ardet:*
Ipſa negat pietas pro pietate mori.
Atque ait: innumeris vita hæc aſperrima pœnis
Inſtar martyrij non leuioris habet.
Occidit infeſto Martyr, velut hoſtia, ferro:
Immolat in lenta te pia cura nece.
Viue diù ANTONI, *moriare vt ſæpius; vno*
Vix tibi ſufficiet funere poſſe mori.

Digitized by Google

Quòd ſit amiſſarum tutela rerum, poſt exempla alibi ſcripta, adſit eiuſdem P. Pimenta, *fol.* 404. ſymbolum:

Rerũ amiſſarũ tutela.

Immortale decus patriæ: ſpes fida tuorum
ANTONI *ingenium dulce Tovantis habes.*
Mille modis mortale genus ſolaris, & orbem:
Damna leuas vitæ triſtia mille modis.
Se tibi commiſit cœli indulgentia, & inſit:
Per tàm munificas me iuuat ire manus.
Hinc amiſſarum rerum eſt tutela; Parentem
I, poſce; Amiſſum te tibi reſtituet.

Non abſque æquali energia conceptus, alter *Luſitanus* Poëta apud Emmanuel. Campos de *Reliq. Vlyſſipponenſ. fol.* 337. alterius Emmanuelis eſt proſecutus cogitatum:

Aliud.

Peruolitánt tuà iam totum miracula mundum,
Amiſſa ANTONI *reddere poſſe tuum eſt.*
Lyſia *te quondam felici ſidere natum*
Vrbs dedit, amiſſum nunc ſine fine gemit.
Cum tot ſigna edas, vnum Te patra poſcit:
Reddis cuncta alijs, Te quoque redde tuis.

ANTONIVM denique moriturum, & in ſuprema vitæ periodo iacentem, ſuiſque ſodalibus, & fratribus colloquentem, mentis apice *P. Pimenta* meditatus, ſuam vltimam teſtamenti tabulam, hoc hexaſticho deſcripſit:

Antonij teſtamentum.

Hæc mandata dabat ſupremo in funere Diuus,
Cùm peteret fatis debita regna ſuis.
Mens petat alta polos; exempla relinquimus orbi;
Sacra fides, ſcriptis erudîre meis.
Relliquias Pataui pro munere reddimus vrbi;
Patria, Relliquias dulcis amoris habe.

Porrò cùm olim gloriaretur *Patauium* ſe conditam ab *Antenore Troiano*, qui poſt illius vrbis incendium, in intimum maris *Adriatici* ſinum ſeſe conferens, *Antenorium* vrbem, cui poſtea *Patauium* ſucceſſit, condidit; & nunc S. ANTONII pignoribus iactetur; alius *Poëta* anonymus *Luſitanus* apud Campos *fol.* 373. vtriuſque gloriæ diſcrimen, hoc Epigrammate delineauit:

Maiora Antonio, quam Antenori debet Patauium.

Vrbs Pataui *felix, & Româ antiquior ipsâ,*
Felix quæ gemina ſtemmata laudis habes.
Eſt tuus Antenor; *tuus eſt* ANTONIVS *auctor:*
Illum Troia *tibi, hunc* Lyſa *terra dedit.*
Condidit Antenor *te, famâ* ANTONIVS *auget,*
Impoſtámque humeris inſtar Atlantis habet.
Relliquias Troiæ *ille tibi ſemiuſtáque ſigna;*
Hic fert prodigijs cœlica dona nouis.

Te

Digitized by Google

Te grauat ille annis ; cœlesti viuidus æuo
Hic nouat, Eridanum nec sinit esse senem.
O felix illo ; verùm hoc felicior. Illinc
Signa vetustatis, hinc pietatis habes.

Cur B. ANTONIVS cum fuerit *Lusitanus* ex *Vlyssipponensi* vrbe natus, procreatus, & educatus, cognominetur *Patauinus*, seu *Paduanus*, & non *Lusitanus*, nec *Vlyssipponensis*, in controuersiam ducunt Scriptores, & propter corporis existentiam apud *Patauium*, illiúsque vrbis tutelam. Sed hoc decastichon ausculta.

Cur Patauinus, & Vlyssipponensis vocitetur.

Lysius, ANTONI, *cum sis*, Padua *en tibi nomen*
Confert ; sed titulo quo Paduanus *eris ?*
Illa dedit tibi nascenti primordia vitæ :
Altera sed cœlum, te moriente, dedit.
Quæ tibi plus dedit ? Illa : fidem, nam nomen & auram
Vitalem vltro dedit, queis sine nullus eras.
Lysius *ergo priùs dicendus nomine.* Siste:
Si Corpus Pataui *est hinc* Patauinus *erit.*
Lysia *contenta exultet, quæ lucis Alumno*
Limina concessit, quo quoque Lysus erit.

Passim S. ANTONII effigies cum libro in manibus, & supra librum, IESVS venustissimi Pueri specie sedens depingitur. Ad cuius Iconis synopsim alius sic cecinit Poëta:

Imago S. Antonij.

Est Deus in nobis, sunt & commercia cœli,
Linquens astra Deus, brachia nostra petit.
Omnia qui portat verbo portatur in vlnis
Nostris ; portantem porto, feróque Deum.

Alij verò aliter depingere solent effigiem S. ANTONII, videlicet, ipsum cum puero IESV supra librum sedente, in manu sinistra, & crucem intra lilij candidi ramum, in quibus symbolis Doctrinam, Virginitatem, & Institutum designantur hoc districho:

Symbola Doctoris, & Virginis.

DOCTOR, VIRGO, MINOR,
DOCVI, ORNAVI, CRVCIAVI,
PLEBEM, ME, CORPVS,
CODICE, FLORE, CRVCE.

P. Ioannes Baptista Mascul. in *Encom. Sacr. h. d. Encom.* 189. *fol.* 260. calamo, vt assolet, venusto, illa duo, de dape diuinâ obiectâ famelico iumento, & hoc illam venerante, déque homine illo calcem parenti impingenti, miracula depinxit, & elegantissimis verborum coloribus delineauit, sic:

Habet Italia *ſuum, vt Ægyptus* ANTONIVM,
niſi quod ille inter virgulta nemorum tectus,
hic in vrbium theatro verſatus;
Ille ſub vmbra pugnauit, Hic prodijt in Solem.
Fregit hoſtem armatus prodigij claua.
Negantem Numen latêre dape ſub ſacrâ,
iumenti magiſterio mirè peruicit,
in eſcaria lance propoſuit Deum,
vt haberet monumentum non leue librata fides.
Grande ſpectaculum! Rurſus agnitus à iumentis Deus;
renaſci viſus, vt pareret fidem.
Doſſuarium animal cæteris oneribus firmum
ſuccubuit Maieſtatis inſolito ponderi.
Sed ita ille communis parentis imperauit obſequium,
vt quemque iuberet parenti obſequi ſuo:
filio, qui genitori impium impegerat calcem,
ſententiam pronuntiauit minis plenam;
dixit, pedem, quo impulerat patrem;
dignum, quem à cæteris repelleret membris;
nefas eſſe imprimi terræ matri,
veſtigia patri impia.
Perculit ſtatim verbo minaci filium;
factus eſt ille ſui lictor, & carnifex.
Habita eſt crudelis impietas, ſed piè curata prodigio,
nam cruor ipſe ceſſit in gluten:

Denique vt muneri faciamus ſatis, pro cõplemento Bullam, quâ *Gregorius IX.* Pont. Maxim. B. ANTONIVM in ſanctorum Tabulas Eccleſiaſticas inſcribere decreuit, ſubiiciamus, prout illam deſcripſit P. F. Henricus Sedulius *fol.* 101.

GREGORIVS Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, Venerabilibus fratribus Archiepiſcopis, & Epiſcopis: dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, & aliis Eccleſiarum Prælatis, præſentem paginam inſpecturis, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Cùm dicat Dominus per Prophetam: *Dabo vos cunctis populis in laudem, & gloriã, & honorem*; & per ſe polliceatur, quòd *Iuſti ſicut Sol in conſpectu Dei fulgebunt*; pium, & iuſtum eſt, vt quos Deus merito ſanctitatis coronat, & honorat in cœlis, Nos venerationis officio laudemus, & glorificemus in terris; cum ipſe potius laudetur, & glorificetur in illis, *qui eſt laudabilis & glorioſus in ſecula*, & in ſanctis. Vt enim ſuæ virtutis potentiam mirabiliter manifeſtet, & noſtræ ſalutis cauſſam miſericorditer operetur, fideles ſuos, quos ſemper coronat in cœlo, frequenter etiam honorat in ſeculo; ad eorum memorias ſigna faciens, & prodigia, per quæ prauitas confundatur hæretica, & fides Catholica confirmetur: fideles, mentis torpore diſcuſſo, ad boni operis excitentur inſtantiam; hæretici, depulsâ in qua iacent cæcitatis caligine, ab inuio reducantur ad viam; & Iudæi, atque Pagani vero lumine cognito, currant ad Chriſtum, Lucem, Viam, Veritatem, & Vitam. Vnde Nos chariſſimi, etſi non quantas debemus, quantas tamen poſſumus, gratias agimus, gratiarum

Sophon. c. 3. verſ. 8.

Matth. c. 13.

rum omnium largitori: quòd diebus noſtris, ad confirmationem Catholicæ fidei, & ad confuſionem hæreticæ prauitatis, euidenter innouat ſigna, & mirabilia potenter immutat; faciens illos coruſcare miraculis, qui fidem Catholicam, tàm corde, quàm ore, necnon & opere roborarunt. De quorum numero ſanctæ momoriæ B. ANTONIVS de Ordine fratrum Minorum; qui olim degens in ſeculo magnis pollebat virtutibus, & meritis; nunc viuens in cœlo, multis coruſcat miraculis, vt eius ſanctitas certis indiciis comprobetur. Cùm enim dudùm venerabilis frater noſter Epiſcopus, & dilecti filij Poteſtas, & Communitas Paduanorum, Nobis per Nuntios ſuos, & literas humiliter ſupplicaſſent, vt cùm Dominus eidem Sancto tantam contulerit gloriam, vt ad dandam ſcientiam primæ ſtolæ immortalitatis ipſius, & experimentum euidens de ſecunda; ſepulchrum eius tot, & tantis daret coruſcare miraculis, quòd eius inter alios Sanctos non inuocari ſuffragia, eſt indignum; de ipſius miraculis teſtes recipi mandaremus: Nos attendentes, quod licèt ad hoc, vt aliquis Sanctus ſit apud Deum in Eccleſia Triumphante, ſola ſufficiat finalis perſeuerantia, iuxta illud: *Eſto fidelis vſque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ*; ad hoc tamen vt Sanctus habeatur apud homines in Eccleſia Militante, duo ſunt neceſſaria, virtus morum, & veritas ſignorum, merita videlicet, & miracula, vt hæc & illa ſibi ad inuicem conteſtentur, cùm nec merita ſine miraculis, nec miracula ſine meritis plenè ſufficiant ad perhibendum inter homines teſtimonium Sanctitatis. Sed cùm merita ſana præcedunt, & clara ſuccedunt miracula, certum præbent indicium ſanctitatis; vt Nos ad ipſius venerationem inducant, quem Deus ex meritis præcedentibus, & ſignis ſubſequentibus, exhibet venerandum: quæ duo ex verbis Euangeliſtæ pleniùs colliguntur: Illi autem profecti prædicauerunt vbique, Domino cooperante, & ſermonem confirmante, ſequentibus ſignis: Eidem Epiſcopo, & dilectis filiis fratri Iordano S. Benedicti, & I. S. Auguſtini Prioribus Ordinis fratrum Prædicatorum Paduanorum receptionem teſtium de miraculis eiuſdem Sancti, duximus committendam. Nuper autem tàm per relationem prædictorum Epiſcopi, & Priorum, quàm per depoſitiones teſtium ſuper hoc receptorum, de ipſius virtutibus & miraculorum inſigniis certiores effecti, & experti aliquando per Nos ipſos ſanctitatem vitæ, & admirabilem cõuerſationẽ ipſius: vt pote qui apud Nos fuit aliquandiu laudabiliter conuerſatus: eiſdem Epiſcopo, Poteſtate, ac Communitate prædictis, per ſolemnes nuntios ſuos, & literas nobis cum inſtantia denuò ſupplicantibus: quòd eundem Fratrem Sanctorum catalogo adſcribere curaremus: vt auctoritate (ſicut conuenit) Apoſtolica dignus honor illi exhiberetur in terris, qui ſicut claris ſignis, & euidentibus argumentis apparet, honoratur in cœlis; ipſum, qui corporaliter diſſolutus cum Chriſto eſſe meruit in cœleſtibus, ne illius honori debito, & gloriæ detrahere quodammodo videremur, ſi glorificatũ à Domino permitteremus vlterius humanâ deuotione priuari: De Fratrum noſtrorũ conſilio, & Prælatorum omnium, tunc apud Sedem Apoſtolicam exiſtentium, catalogo SANCTORVM duximus adſcribendum, &c. Vniuerſitatem veſtram rogamus, monemus & hortamur per Apoſtolica vobis ſcripta mandantes, quatenus deuotionem fidelium ad venerationem ipſius ſalubriter excitantes, feſtiuitatem ipſius IDIBVS IVNII annis ſingulis celebretis, & faciatis ſoléniter celebrari &c. Datum Spoleti XVI. Kalend. Iunij, Pontificatus Noſtri Anno VI.

Apoc. c. 2.

Marc. 16.

Hactenus Canonizationis diploma, Annus datæ eſt, die XVI. Iunij Anno M.CC. XXXII. Domini Noſtri, & ita communiter recenſetur abs Scriptoribus.

PATAVIVM antiqua vrbs Epiſcopalis Venetiæ ad Meduacum fluuium interlabentem, eámque penè circumfluentem. Ab Antenore condita creditur. Hodie PADOVA Italis, Noſtris Padua. *Topographia.*

DECIMOOCTAVO KAL. IVLII.

DIES XIV.

A. SS. ANASTASIVS *Presbyter*, FELIX *Monachus*, & DIGNA *Virgo, Martyres* Cordubæ *in* Hiſpania, *qui pro fidei conſtantia in Arabica perſecutione iugulati, ad gloria quietem euolarunt.*

B. *In Hiſpania* S. BASILII *Magni feſtiuitas, ob inſignia illius Inſtituti condita cœnobia, quibus Prouincia tota redditur illuſtris, & eorum Aſcetis celebris euulgatur.*

NOTÆ.

A. *Martyrologia.*

SANCTI ANASTASIVS Preſbyter, & Socij Martyres.] Eorum memoriam recolit *Martyrologium Romanum* h. d. A quo *Caſtellanum* P. Dionyſij Vazq. *Luſitanum* PP. Soc. Ieſ. & *Hiſpanum MS.* P. Higuera. Conueniunt cætera recentiora *Galeſinij* ſic: CORDVBÆ *in Hiſpania SS. Martyrum* ANASTASII *Presbyteri*, FELICIS *Monachi*, & DIGNÆ *Virginis, quorum egregia pietas, ac fides, tormentis, & ſanguine profuſo, in Arabica perſecutionis impetu declarata, literis ad poſteritatem à* B. Eulogio *Martyre prodita eſt.* Eadem VVion, & Hugo Menardus in *Martyrol. Monaſt.* De eis

Scriptores.

S. Eulog. in *Memor. SS. lib.* 3. *c.* 8. Ambroſ. Moral. *lib.* 14. *c.* 20. Ioan. Mariet. *Hiſt. Sanct. Hiſpan. lib.* 3. *c.* 1. *&* 2. *& lib.* 4. *c.* 19. P. Mart. de Roa *de SS. Cordubenſ. fol.* 99. Villegas in *Flor. SS. p.* 1. Philipp. Ferrar. *in Topograph. Sacr. verb.* CORDVBA *fol.* 42. & *verb.* COMPLVTVM *fol.* 39. Eorum ACTA ex *D. Eulogio* damus.

ACTA SS. ANASTASII PRESBYTERI, FELICIS *Monachi, &* DIGNÆ *Virginis, Martyrum Cordubenſium; ex Memor. SS. B.* EVLOGII *Martyris.*

Inſtitutum S. Anaſtaſij.

ANASTASIVS *Presbyter, qui ab ineunte ætate apud Baſilicam S. Aciſcli Cordubenſis, diſciplinis, & literis eruditus, vſque ad plenam iuuentutem ibidem in Diaconatus officio degens, pòſt monaſticam vitam, quâ dudùm fuerat oblectatus, profitetur; demùm ad ſacerdotium promouetur. Concito greſſu palatium petens adſtat Conſulibus, hoſtémque fidei veridicis aſſertionum ſtimulis feriens, gladio confeſtim abſciſſus ſuſpenditur.* FELIX *Monachus ex Oppido* Complutenſi *progenitus, natione* Gætulus, *& quadam occaſione in Aſturias deuolutus, vbi & Fidem Catholicam, & religionem Monaſticam didicit, eodem die, hac profeſtione deciſus, affigitur. Cúmque dies illa maximum curſus ſui explens metabulum, iam penè in horam nonam diuergeret: Virgo quædam adoleſcentula merito, & nomine* DIGNA, *ex Collegio Venerabilis* Eliſabeth, *Deo reuelante, & confortante ad palmam proceſſit. Paulò namque ante martyrium ſuum aſſiſtere ſibi per ſomnium videt, puellam habitu, & ſpecie percomptam Angelico, roſas, ac lilia manu geſtantem. Quam cum de nomine, cauſáque*

Origo, & progreſſus S. Felicis.

Agatha Digna apparet.

cauſáque ſui exploraret aduentus: Ego ſum (inquit) Agatha, *olim propter Chriſtum diris attrita ſupplicijs, & nunc veni partem tibi purpurei muneris huius conferre. Accipe libens donarium, & virtiliter age in Domino, nam reliquias roſarum, ac liliorum, quas in manibus ſeruo, poſt te ex hoc loco datura ſum migraturis. Tali denique Virgo ſacratiſſima viſu, & munere illuſtrata, cùm è dextera colloquentis roſam ſuſciperet, auris admixta cæleſtibus, ab oculis intuentis eleuabatur. Hæc autem Puella cùm pro ſummâ humilitate, atque obedientiâ inter conuirginales vltimam ſe indicaret, eſſétque incomparabili apparatu obſecundatrix, nunquam tamen appellari ſe* DIGNAM *patiebatur, dicebátque cum lacrymis: Nolite me* DIGNAM *vocare, ſed magis* INDIGNAM, *quia cuius meriti ſum, etiam nomine debeo inſigniri. Et cùm à die reuelationis ſuæ amore compuncta martyrij tacito cogitamine, quibus ad id poſſet indicijs aſpirare, ſæpiùs ruminare capiſſet, fit affatim latior horum inſtructa martyrio, quo quaſi his præcedentibus hæc firmiori greſſu ſuccederet ad coronam. Ideoque apertis ſilenter Cœnobij clauſtris, cùm iam Beatos pendere comperiſſet Martyres: concito gradu iudicem petens, cur fratres ſuos præcones iuſtitiæ trucidauerit aſſertione intrepidâ percontatur.* An quia (*inquit*) Dei cultores exiſtimus, Sanctámque fideliter colimus Trinitatem, Patrem, & Filium, & Spiritum-Sanctum, vnum, & verum Deum fatentes; & omne quod ab hac credulitate diſſentit, non ſolum negamus, verum etiam deteſtamur, maledicimus, & confundimus, idcirco confodimur? *Hæc, & his ſimilia ſancto, & immaculato ore diſſerente Puellâ, nihil cunctatus Arbiter, lictoribus decollandam committit, qui mox generoſæ Virginis iugulum prabentis caput ferro amputant. Nec mora, conſternatis corruens membris, equuleo deorſum verſa ſuſpenditur, cæteriſque trans flumen adſciſcitur. Hoc namque ordine hi* TRES *vocati* ANASTASIVS *Presbyter*, FELIX *Monachus*, & DIGNA *Virgo beata, eodem die diſpariter ceciderunt* XVIII. Kal. Iulij, *Era* DCCC.XCI.

Virginis humilitas.

Martyrio ſeſe offert.

Coronatur.

Ex *S. Eulogij* paſſionis ecphraſi liquet S. ANASTASIVM fuiſſe oriundum ab ipſamet *Cordubenſi* Ciuitate. Sanctum verò FELICEM è *Gætulia Africæ* prouincia, licet *Complutenſem* in Hiſpania Ciuem. Errorem patiuntur, vt Ambroſ. Moral. *in Not. ad S. Eulog. d. lib.* 3. *c.* 8. & P. Roa in *eius vita* notarunt, qui iſtum Martyrem *Sarracenum* è Gætulia deueniſſe, & apud Aſtures nomen dediſſe Chriſto dictitarunt: quia licèt è Gætulia in Hiſpaniam aduentaret, *potuit profectò ex parentibus Chriſtianis naſci. Erant enim in Africa Chriſtiani, quemadmodum in Hiſpania Muzarabes, licèt vtraque prouincia à Sarracenis occupata dignoſceretur*, provt inquit Morales. Cuiúſne fuerit oriunda S. DIGNA, nondum aperit *D. Eulogius*: credendum eſt fuiſſe ex ipſa procreatam Vrbe *Cordubenſi*, nam ex eo quod patriam aſſignare diſtulit Martyris, *Corduba* natam fatendum erit. E quo verò Cœnobio fuerit S. Virgo progreſſa, demonſtratiuè procedit *Eulogius* cùm *Eliſabetham* nominat, quæ TABANENSIS fundatrix cum *S. Ieremia* coniuge agnoſcitur extitiſſe, vt patet ex *lib.* 2. *c.* 2. *Memorialis*, dicentis: *Si quidem in eodem Cœnobio* (Tabanenſi) *Virum ſummâ timoris Dei reuerentiâ præditum* Ieremiam *patruelem habebat, qui etiam inclytus opibus, rebúſque abundans, & coniux eius venerabilis* Elizabeth, *ac liberi, totáque penè cognatio, ſumptu proprio fundamenta ipſius Cœnobij iacientes, diuinarum legum perenni adhæſuri obſequio, pridem ſeſe eò contulerant.* Erat quippe iuxta vicum *Tabànos*, qui in partibus Aquilonis ſitus inter præruptа montium, & condenſa ſyluarum VII. ab vrbe Milliaribus diſſitus illo ſeculo noſcebatur. Hodie nullum eius manet veſtigium, neque eſt vnde coniecturam eius capere poſſimus. S. FELICEM, ſuum agnoſcit accolam *Complutum* Carpetaniæ, & ideo in receptione reliquiarum *SS. Iuſti & Paſtoris* ex *Oſca* conductarum, imago S. Martyris Noſtri in occurſum exiuit homopoli, in cuius baſi iſthæc legebatur epigraphe:

Anaſtaſius origine Cordubenſis.

Aliquorum error de S. Felice.

Digna patria?

Cuius Cœnobij ſanctimonialis?

Complutum de Felice gloriatur.

COMPLTI NATVS. S. BENEDICTI MONACHVS.
FELIX NOMINE. SED FELICIOR QVIA VESTRO
EXEMPLO CORDVBÆ SVM PASSVS. COMMVNEM
PATRIAM GRATVLOR DENVO HOC TANTO RELIQVIA-
RVM VESTRARVM THESAVRO LOCVPLETATAM.

Digitized by Google

Officium in antiquis Hiſpaniæ Breuiariis.

Quam refert Ambroſ. Moral. in *Libello de Tranſlat. SS. Iuſti, & Paſtor. fol.* 121. Pro coronide ſciendum eſt, quamplurimas Hiſpaniæ Eccleſias olim de hiſce Sanctis Martyribus Officium texuiſſe, vt patet ex Breuiariis *Palentino*, *Carthaginenſi*, & *Compoſtellano*, de quibus etiam *Marineus Siculus* luculentum ſtruit elogium. Ab hinc idem *Morales* in Not. *ad c.* 8. *lib.* 3. *Memorial. Eulog. n.* 6. elicit, antiqua huiuſmodi Breuiaria *D. Eulogij* libros ſuxiſſe, quatenus hiſtoriam Martyrum tam fideli enarratione ſcripſere. Sed quia pluries de *Corduba* egimus, & de *Compluto*; ad alia pergo.

B.
Eccleſia duplex feſtum de S. Baſilio propoſuit.

S. BASILIVS MAGNVS.] Duplicem Eccleſia Catholica feſtiuitatem recolit Tanti Patriarchæ. 1. Obitus *Kal. Ianuarij.* II. *Conſecrationis*, ſeu in Epiſcopum Ordinationis h. d. de qua *Martyrolog. Roman.* & cætera antiqua, & recentiora, vbi *Cardin. Cæſ. Baron.* qui encomiaſtes ad hanc feſtiuitatem enumerat. Fuit ſanctiſſimus Patriarcha Orientalium regionum Pater, & Patronus, ſed & Occidentalium, ſi non corpore, Inſtituto tamen proximus, & Monaſteriorum exſtructor, maximè in *Hiſpaniâ*, in quâ à plurimis ſeculis eiuſdem ſacrata regula illuxit, vt teſtes ſunt nonnulli editi libelli. Eius ACTA ſcripsêre plurimi. Eadem ex MS. Legendario *Segobienſi* exſcribemus.

ACTA S. BASILII MAGNI
Epiſcopi Cæſarienſis, Confeſſoris; ex Legendario MS. Segobienſi.

Lect. I.
Origo, & Educatio.

BASILIVS *venerabilis Epiſcopus* Cæſareæ, *& Eccleſiæ Doctor Orientis præcipuus, cuius vitam ſcripſit Amphilochius Iconi Epiſcopus, fuit origine* Cappadox, *& Athenis eruditus. Qui quantæ ſanctitatis extiterit, cuidam Eremitæ nomine Ephrem in viſu monſtratum eſt. Cùm dictus Ephrem in extaſi poſitus eſſet, vidit columnam ignis, cuius caput ad cælum pertingebat, & vocem deſuper audiuit dicentem*: Talis eſt Magnus BASILIVS, qualis hæc columna ignis, quam vides.

Sanctitas.

Lect. II.
Eremita de eius ſanctitate diffidẽtia.

VENIENS *igitur in ciuitatem in die Epiphaniæ, vt tantum Virum videre poſſet, cùm eum ſtolâ candidâ indutum vidiſſet, cum clericis venerabiliter procedentem, ait intra ſe*: Vt video in vacuum laboraui. Iſte enim cùm in tali honore ſit poſitus, nequaquam talis poteſt eſſe, quemadmodum vidi. Nos enim qui portauimus pondus diei, & æſtus, nihil tale conſecuti ſumus, & hic cum in tali honore, & conſtipatione ſit poſitus, columna ignis eſt? miror iſta.

Lect. III.
Illã experti fatetur.

BASILIVS *igitur in ſpiritu hæc videns, fecit eum ad ſe introduci. Qui cùm introductus eſſet, vidit linguam igneam per os eius loquentem, & ait tunc Ephrem*: Verè Magnus BASILIVS. Verè columna ignis BASILIVS. Verè Spiritus-Sanctus loquitur per os eius. *Dixitque illi Ephrem*: Obſecro Domine, vt mihi impetres, quòd Græcè loquar. *Cui* BASILIVS: Rem difficilem poſtulaſti. *Pro eo tamen orauit, & continuò Græcè loqui cæpit.*

Lect. IV.
Eius conſtantia.

QVIDAM *alius Eremita videns* BASILIVM *aliquando in Pontificali habitu procedentem, eum deſpexit, iudicans eum in corde ſuo, quòd in tali pompa plurimùm delectaretur. Et ecce facta eſt vox ad eum dicens*: Tu amplius delectaris in palpando caudam catæ, quàm delectatur BASILIVS in apparatu ſuo. *Valens Imperator fautor Arianorum Eccleſiam quandam à Catholicis abſtulit, & Arianis dedit. Adquem accedens* BASILIVS *ait*: Imperator, ſcriptum eſt: *Honor Regis iudicium diligit.* Et iterum: *Iudicium Regis iuſtitia eſt.* Cur ergo cor tuum imperauit, vt Catholici de Eccleſia eiicerentur, & Arianis daretur? *Cui Imperator*: Iterum ad contumelias reuerteris, ô BASILI? non decet te. *Et ille*: Decet me pro iuſtitia mori.

TVNC *Demoſthenes Præfectus epularum Imperatoris fautor Arianorum loquens pro eis, fecit barbariſmum. Cui ait* BASILIVS: Tuum eſt, de pulmentis

mentis Regis cogitare,non dogmata diuina decoquere. *Qui mox cõfusus tacuit.Dixit Imperator Basilio :* Vade, & iudica inter eos, sed non secundum immoderatum amorem populi. *Abiens ergo dixit coram Catholicis, & Arianis;vt fores Ecclesiæ clauderentur,& vtriusque partis sigillo munirentur,& ad quorum orationes aperirentur,sua esset. Quod cùm omnibus placuisset : Orantibus Arianis,tribus diebus, & noctibus,venientibus ad fores Ecclesiæ non sunt apertæ. Tunc* BASILIVS *processione ordinatâ, venit ad Ecclesiam,& factâ oratione, leui ictu cum baculo Pastorali fores tetigit,dicens :* Attollite portas Principes vestras, & eleuamini portæ æternales. *Et continuò sunt apertæ ; & intrantes Deo gratias reddiderunt,& reddita est Ecclesia Catholicis.*

Vis orationis eius, & Catholicorum.

MVLIER *quædam peccata habens multa,& ea in charta conscribens, in fine quoddam grauius conscripsit, & scriptum ipsum* B. BASILIO *tradidit, rogans,vt pro ea oraret,& orationibus suis peccata ipsa deleret. Qui cùm orasset,& mulier chartam aperuisset,omnia peccata,præter id grauius, deleta inuenit. Quæ ait ad* BASILIVM : Miserere mei serue Dei,& pro hoc mihi indulgentiam impetra, sicut pro aliis impetrasti. *Qui ait ad illam:* Recede à me mulier, quia homo peccator sum, indigens indulgentiâ, sicut & tu. *Cum ergo illa instaret,dixit ei :* Vade ad S. Virum Ephrem, & ille tibi quæ postulas poterit impetrare.

Lect. VI.

Oratione peccata mulieris delet.

QVÆ *cùm abyssset ad S.Virum* Ephrem, *& cur à* B. BASILIO *missa sit ad eum,intimasset;ille ait :* Recede,quia homo peccator sum ego, sed redi filia ad BASILIVM, & sicut tibi pro cæteris veniam impetrauit, pro isto quoque impetrare valebit : festina citò vt eum viuum inuenias. *Quæ cùm in ciuitatem venisset,ecce* BASILIVS *ad tumulum ferebatur. Illa verò post eum clamare cæpit,ac dicere :* Videat Deus, & iudicet inter me, & te,quia valens placare Deum pro me,ad alium misisti me. *Tunc proiecit chartam super feretrum, & post modicum illam recipiens, & aperiens,illud peccatum penitùs deletum inuenit. Sicque illa, & omnes qui aderant, Deo immensas gratias reddiderunt.*

Lect. VII.

Etiam post mortem.

ANTE *autem quòd Vir Dei migraret à corpore, positus in infirmitate, quâ & mortuus est, quendam Iudæum, nomine Ioseph, medicinali arte valde peritum, quem Vir Dei plurimùm diligebat, eo quod se illum conuersurum ad fidem præuidebat,ad se,quasi eius opere indigeret,vocauit.Ille verò eius pulsum tangens,& ex tactu mortem in ianuis esse cognoscens, dixit familiæ :* Quæ ad sepulturam sunt necessaria præparate,quia continuò morietur. *Quod* BASILIVS *audiens, dixit :* Nescis quid dicis. *Cui Ioseph :* Crede Domine, quia Sol cum Sole concidet hodie, id est : Tu cum Sole hodie occides. *Cui dixit* BASILIVS : Quid dices si non moriar hodie ? *Cui Ioseph:* Non est possibile Domine.

Lect.VIII.

Cõtrouersia inter eum & Iudæum.

ET *tunc* BASILIVS : Et si in crastinum, vsque in horam sextam, superuixero, quid facies ? *Cui Ioseph :* Si vsque ad illam superuixeris horam,vtique ego moriar. *Et* BASILIVS : Non sic;sed moriaris peccato, viuas autem Christo. *Et ille :* Scio quid dicis, & si vsque ad illam superuixeris horam, faciam quod hortaris. *Tunc* B. BASILIVS *licet secundum naturam, illicò moriturus esset, à Domino tamen mortis inducias impetrauit, & vsque ad crastinum in horam nonam vixit. Quod* Ioseph *videns, & stupens, in Christum credidit.* BASILIVS *autem virtute animi imbecillitatem corporis superans, de cubiculo suo surrexit, & Ecclesiam ingrediens, eum suis propriis manibus baptizauit. Postea verò ad lectulum suum rediit, & statim Deo spiritum feliciter emisit. Floruit autem circa Annos Domini* CCC. LXX. ad cuius tumulum hoc.

Lect. IX.

Conuertit Iudæum.

Auro de solido si tumulus foret,
Magno BASILIO *paruus honor foret.*
Quo non vno aperit verius, amplius

Moritur.

Sacra

Digitized by Google

Sacra arcana Viro tota ſimul ſchola.
Cunctarum cumulus nobilis artium,
Vili, quis putat hoc? marmore conditur.
Virtutis radiis omnibus emicans
Sedem maior habet ſpiritus auream.

Hæc ſunt ACTA breuiora, ſed quia ferè omnia in eis contenta carmine heroico exſcripſit *Baptiſta Mantuanus*, hîc apponere decreuimus, vt Sanctiſſimi Patriarchæ anamneſin illuſtremus.

Hæc eadem ſacrata dies tibi Magne BASILI,
Atque tuum primæ celebrant Natale Kalendæ.
Sed quia cedendum Dominis maioribus, illinc
Te trahis, & transfers in idonea tempora, iuxta
Diuerſos hominum mores, vsûmque locorum.
In tua decurrit Graiûm ſapientia fluxu
Corda redundanti, ſicut decurrere noſtrum
In mare conſueuit, magnis Atlanticus vndis
Occeanus; ſeſéque amplum diffudit in æquor.
Nec fuit ambarum diuina ſcientia legum
In te larga manus, nec Graiæ copia linguæ
Pauperior: tua Relligio quaſi vinea denſo
Palmite fructificans, longè, latéque per Orbem
Eſt vulgata latens in Cæſarienſibus agris.
Trans Phryges, & Galatas, & trans Bebrycia regna,
Heſperiæ populis procul apparebat, & Indis.
Rumor hic à Lybicis traxit regionibus Ephrem
Inſignem probitate Virum, deſerta reliquit,
In quibus à teneris ætum tranſegerat annis
Ad ſpectanda tuæ venit miracula vitæ
Iam ſenior. Tecúmque loquens exire videbat
Ex labris accenſa tuis atque ignea verba.
Iſte domi motus laudum virtute tuarum
Orauit per ſignum aliquod ſe illuſtre doceri,
Quantus apud Superos eſſes, cui nomen apud Nos
Tantum fama dabat paſſim. Vidítque columnæ
In ſpeciem, dum nox claris incederet Aſtris,
Ingentem flammam ad cælum caput vſque ferentem:
Et ſimul audiuit vocem (quæ à ſydere labi
Viſa per aurarum tractus) verba iſta ſonantem:
Talis apud Superos virtus ac tanta BASILI *eſt.*
Hæreticis, ac præcipue his, quos fecerat impos
Cordis, & obſcuræ mentis torpedine captus

Arrius,

Arrius, impugnator atrox, ac malleus ingens
Semper erat. Iuuenem, qui caco illuſus amore
Tradiderat ſeſe Plutoni, & ſanguine demens;
Ipſe ſuo ſeruum Stygio ſe ſcripſerat Orco,
Aſſeruit, populo inſolitum ſpectante duellum:
Nam pater hinc prenſo iuuenem rhenone trahebat,
Inde Lemur, longo tandem certamine, victus
Cum ſtridore graui fugit per nubila damon.
Sæpe Valens, *qui tunc, extinctis fratribus, omne*
Romanum, ſine conſortis formidine, agebat
Imperium, dum vult hominem proſcribere, fractis
Eluſus calamis, tandem crudele reliquit
Officium, cùm niti odio ſe vidit inani.
Vita Viro, cùm mox eſſet moriturus, in vnam
Eſt producta diem, quâ natum ſemine gentis
Hebraicæ Medicum ſacrâ perfunderet vndâ;
Ipſe ſuis manibus, dictu mirabile! poſtquam
Huic ſatis officio factum, diſceſſit in auras
Spiritus, & clauſo requierunt viſcera ſenſu.

Eius Inſtitutum olim per *Hiſpanias* fuiſſe mirabiliter ampliatum, ſunt qui putent, & hoc, meo videri, exprimere *Mantuanus* intendit in ſupraſcripto carmine. Temporum aſt lapſu, penitus de hoc memoria in tantæ Religionis periculum euanuit. Eius *Cœnobia* prorſus in Regione rara, ſequentia in Regnis vtriuſque *Caſtellæ*, nam de cæteris non fuit ad manum copia, mihi exſcribenda *R.P.F. Didacus Niſſeno*, tot apud ſuos honoribus laureatus, vt ſæpius Prouincialis inauguratus, ſæpius Abbas Baſilienſis Cœnobij apud *Madridenſes* exceptus, ſed multo magis apud Noſtros, & Exteros laudibus, ob egregiam doctrinam, & pietatem, inter verbi diuini Prædicatores laureâ Eccleſiaſtæ famigeratus, vt tot eius indicant volumina, quorum (vix eſt in Europa Natio, quæ illa ad ſuum non reduxerit idioma) catalogum exſcribere prolixum; delibauit. *Cœnobia in Caſtella.*

CATALOGVS MONASTERIORVM ORDINIS S. Baſilij Magni, quæ in vtriuſque Caſtellæ Regnis adhuc reperiuntur extructa.

I. Monaſterium *Valliſoletanum*, extructum Anno M. D. LXXXII. ad Ripas fluminis *Piſoricæ*, Deiparæ Virgini *Guadalupenſi* dicatum; ſed quia eius ſitus adhuc Religioſis erat incommodus, diſponente Reginâ *Margaritâ*, cum coniuge *Philippo III.* Rege Catholico, ad Eremitorium *SS. Coſmæ, & Damiani* Martyrum, iuxta ipſas *Piſoricæ* ripas fuit Anno M. D C. tranſlatus. 1582.

II. Monaſterium *Cuellarenſe*, quod primò ad Oppidum *S. Michaëlis del Arroyo* vocatum fuerat, extructum Anno M. D. XCIII. poſt ad Palatium vocatum *Lablanca*, deinde ad ipſum Oppidum *Cuellar* tranſlatum, inſtantibus *Ducibus Alburquerquenſibus*, illius Oppidi Dynaſtis, cum aduocatione Dominæ Noſtræ à Salute. 1593.

III. Monaſterium *Barcenenſe* prope *Carrion* de Comitibus, B. Dei Genitrici *à Remedijs* dicatum, Anno M. D. XCVIII. expenſis *D. Garſiæ Manrrique dela Vega*. 1598.

IV.

Digitized by Google

IV. Monaſterium *Madridenſe* conditum Anno M. D C. V I I I. extra illius Oppidi muros, pòſt Anno M. DC. XI. intra tranſlatum. Eius patronatu hodie fruitur *D. Didacus Felipez de Guzman* Marchio Leganeſenſis. 1608.

V. Collegium *Salmanticenſe*, ædificatum Anno M. X X I. prope Vniuerſitatis ambitum, & cum ea incorporatum. 1621.

Hæc ſunt Cænobia, quæ ad manus peruenere meas ex *S. Baſilij Magni* Ordine; cætera vt diximus ſub ſilentio latent. Faxit Deus vt in poſterum tanti Patris Inſtitutum, vt par eſt, per Noſtræ Regionis oras feliciter amplietur.

DECIMOSEPTIMO KAL. IVLII.

DIES XV.

A. SECVRÆ *in Confinio Batica Hiſpaniæ, prope fluuium Tader,* S. BRIENÆ *Virginis, & Martyris, quæ relictâ* Febroniâ *eius ſocia apud Syriam, in Hiſpanias deuenit, vbi propter fidem comprehenſa, & cruciata, ad lauream martyrij, deuictis cruciatibus, properauit.*

B. CORDVBÆ *in Batica Hiſpaniæ* S. BENILDIS *Martyris, quæ licèt ætate grandæua, tamen ſpiritu virilis, & valens, fidei Chriſti Zelo ſuccenſa, ob eius amorem cruciata, tandem gladio eſt cædente coronata.*

C. Apud OVETVM *depoſitio* S. PETRI *cognomento* Compatris, *qui à Seraphico Patre Franciſco ad* Aſtures *tranſmontanos deſtinatus, vt Minorum Ordinem ampliaret,* Oueti *ſiſtens,, ibidem ſanctitatis titulo conclamatus obdormiuit in Domino.*

NOTÆ.

A. SANCTA BRIENA Virgo, & Martyr.] Huius ſanctiſſimæ fœminæ nomen adhuc in Kalendariis, & Tabulis Eccleſiaſticis deficit; ideò eius memoria hucuſque incognita apud Exteros; licet apud Noſtros extet celebris, & venerabilis, adeò vt communis ſit inter Noſtratum fœminas eius nominis, licet in BRIANDA commutatum, appoſitio. De ea plurima Metaphraſtes in *Vita S. Febroniæ* apud Lyppoman. *Scripteres.* *tom.* 7. Sur. *tom.* 3. & alios. Eius anamneſin in *Hiſpania* recolit Flau. Dext. in *Chron. Ann.* 308. his verbis: SECVRÆ *in confinio Batica, quæ etiam* Tader *dicitur,* S. BRIENA *ſocia* S. Febroniæ, *quæ veniens ad* Hiſpanias, *in* Tarraconenſique *Prouincia paſſa, ibi celebrior habetur,* Suppetias ferat Iulianus Petr. in *Chron. n.* 178. *fol.* 41. aſſerens: SECVRÆ, *quæ &* Tader *dicitur, appropinquante fluminis perennis terminos interlabentis nomine,* S BRIENA *Virgo ſanctiſſima paſſa eſt.* Hinc Martyrolog. Hiſpan. *MS. P. Higuera h. d.* hac periodo: *En* Caſtel-Segura, *antiguamente llamado* Tader S. BRIANDA, *o* BRIENA, *que en* Eſpaña *todo es vno, compañera de* S. Febronia, *auiendo llegado de Syria*

Digitized by Google

Syria Eſpaña *merecio la corona del martyrio.* Quæ Latina facta: Securæ, *olim dicta* Tader S. BRIENA, *ſocia* S.Febroniæ, *quæ ex Syria* in Hiſpanias *aduentans, martyrij coronam promeruit.* ACTA ex *S.Febroniæ* vitâ ſeligemus, additis, quæ ad Noſtram *Hiſpaniam* attinent.

ACTA S. BRIENÆ VIRGINIS, & Martyris Securitanæ; ex Var. Scriptor.

Patria. BRIENA *illuſtriſſima fœmina apud* Sibapolim *vrbem in finibus* Aſſyriorum *ſitam, ſub* Platonia *cuiuſdam Monaſterij Sanctimonialium Virginum, ibidem conſtituti, Præſide, ſeu Abbatiſſa, infantilem vitam tranſegit;* *Inſtitutum.* *donec ætate creſcente, ad Diaconiſſæ gradum accedens, ſororibus in diebus Paraſceuès aliquid ex canonum libro legebat, illáſque in exercitatione monaſtica erudiebat, donec ſublatâ è viuis* Platoniâ, *ad gubernationem Monaſterij, & ad Virginum educationem* BRIENÆ, *annuente Domino, electa eſt.* *Abbatiſſa.* *Quæ vt Cœnobij gubernacula recepit, omnes ſibi ſubditas in Oratione, ieiuniis, & timore Dei ſic exercuit, vt meritò totius Syriæ primarium diceretur in Religione Aſceterium. Erat tunc temporis* BRIENÆ *neptis nomine* Febronia, *annos viginti nata, pulchritudine venuſta; ſed morum ſanctitate pulcherrima, quam ad Diaconiſſæ gradum adſciuerat, vt munia lectionis, & eruditionis Monaſticæ obiret: in cuius exercitiis adeò præualuit, vt per totam vrbem, & coætaneas, eius doctrina, manſuetudo, & modeſtia plurimùm celebrarentur.* *Febroniæ neptis laudes.*

Perſecutio. MISERAT *tunc in Orientem Diocletianus Selenum, & Lyſimachum Præſides, vt omnes Chriſtianos prorſus extirparent, qui Chriſti famulos partim in ignem coniecêrunt, partim gladio percuſſerunt, ita vt per totius Regionis circulos, vix erat locus à Seleni ſæuitiâ immunis, & ab eius ſatellitum manu exemptus. Hæc perſecutionis procella Sibapolim peruenit, vt Chriſtianos cruciatibus affligeret; qui, famâ aduentus intellectâ, Clerici, laici, & Monachi, relictis rebus ſuis, fugerunt; & ipſe vrbis Epiſcopus propter imminentem terrorem ſe occultauit. Hæc omnia cùm ad Monaſterium, cui* BRIENA *præerat, peruenêre, Sanctimoniales præ timore relictis cellulis, locum profugij quærentes, terga dedêre, & Febroniam Diaconiſſam in manus ſatellitum reliquêre, quæ variis crucita tormentis, tandem per martyrij examen Virgo ſanctiſſima ad Superos euolauit.* *Comprehenditur Febronia, & coronatur.*

Briena in Hiſpanias venit. PORRO, *vt apud* Hiſpanos *inconcuſſa ſententia eſt,* BRIENA *ſatellitum verita immanitatem, patriam deſeruit, & ad Occidentales plagas diffugiens in* Hiſpanias *deuenit, & in* Carthaginenſi *portu ſoluens,* Securam *vrbem perrexit, fortè nominis compoſitione ſuſſulta, quòd à tot afflictionum imbribus, in vrbe* Secura *ſecura perſiſteret. Sed eius hic ipſi defuit ſecuritas; nam ipsâ in Occiduos aduentante populos perſecutione, etiam ipſa Sanctiſſima Virgo, inter alios, quos furor Gentilium carceri propter fidem mancipauit, capta, cruciata, & tormentis expoſita, Martyr ad Dominum properauit,* XVII. Kalend. Iulij *Anno* CCC. VIII. *Capitur, & coronatur.*

En ACTA pro vt ex Noſtratum Hiſtoriis deprehendimus. Non me latet, aliter apud *Lyppomanum*, & *Surium* ſcriptum, nec de regreſſu è Monaſterio BRIENÆ ibidem actum; Quia cùm Nos Noſtris Scriptoribus adhærere teneamur, ideò illa in ſuo ſenſu, Noſtra in Noſtro abundare permiſimus. P. Biuar. ad *Dextr. Ann.* 308. *Comm.* 2. *n.* 3. *fol.* 366. aliam huius contradictionis, inter *Dextrum*, & *Thomaydem* Noſtræ Martyris Diſcipulam, & Vitæ *S.Febroniæ* auctorem, cauſam refert, videlicet, quòd *forſan ad* Thomaydis *notitiam in Syria poſitæ, quæ in* Hiſpania *contigerant, vbi* S. BRIENA *paſſa eſt, peruenire nequiuerunt.* De qua etiam Rod. Caro *ad Dextr. fol.* 115. *lit.* Q. *Biuarij ſententia.*

SECVRA. Olim vrbs vetuſta, cuius fuit Ciuis *B.Salomon* Epiſcopus Carthaginis Spartariæ, vt fatetur Iulian. Petr. in *Aduerſar. n.* 468. *fol.* 131. Illamque paruiſſe *Accitano* Epiſcopo contendit, *n.* 484 *fol.* 114. Hodie creditur CASTEL-SECVRA, *Topographia.*

Digitized by Google

Ruſticorum oppidum, vt dixit Biuar. *d. n.* 3. *fol.* 366. Celebris adhuc ſaltus *Securæ*, in confiniis Tarraconenſis, & Bæticæ Hiſpaniæ Prouinciarum. De eo Plin. *lib.* 3. *cap.* 1. *&* 3. & Ptolomeus in *Tabul.* 2. *Europ. cap.* 6. Caſcal. *Hiſt. Carthagin. diſcurſ.* 1. *fol.* 4.

B. *Martyrologia.* S. BENILDIS Martyr Cordubenſis.] Eius martyrij agonem breuiter recenſet B. Eulogius in *Memorial. SS. lib.* 3. *cap.* 9. à quo Martyrolog. Roman. h. d. cum Baron. *lit. D.* & in *Annal. Eccleſ. tom.* 10. *Ann.* 853. *n.* 71. & Luſitanum *P. Lupi*, Caſtellanum *P. Vaſquez*, Hiſpanum MS. *P. Higuerà*, Poſt ea Ambroſ. Moral. *Hiſtor. Hiſpan. lib.* 14. *cap.* 20. Marieta *Hiſtor. SS. Hiſpan. lib.* 4. *cap.* 28. P. Martin. de Roa *Hiſtor. SS. Cordubenſ. fol.* 101. M. Ægid. Gonzal. *in Theatr. Eccleſ. Caſtellan.* & alij plurimi. *Scriptores.* *S. E. Cordubenſis* nequaquam illius feſtum recolit, nec aliquod de ea Officium recitat, fortè propter aliorum Sanctorum Martyrum his diebus apud *Cordubam* paſſorum concurſum; nam cùm hoc Menſe tot Sancti Martyres ad coronam propter fidei confeſſionem ad Sarracenicum tribunal occurrerent, adeò vt fædæ Arabum manus ſanguine profuſo Martyrum cruentatæ conſpicerentur, nec locus daretur cruciatibus, quinimo vix gladio vti, fidelium offerentium frequentia permitteret; quid mirum ſi Sancta hæc Eccleſia tot Martyrum agminibus impedita, conſultò penſi onus amandet. Sed quidquid ſit, meo videri, optimè in vnum diem, nec abſque exemplo, plures colligere, & illis coniunctim Sacra perſoluere valebat. Acta ex *D. Eulogio, & Cypriano Cordubenſi* dabimus. *Nihil de ea S. E. Cordubenſis.*

ACTA S. BENILDIS MARTYRIS Cordubenſis; ex D. Eulogio, & Cypriano Cordubenſi Archipresbytero.

Origo. BENILDIS *apud* Cordubam *in Batica Hiſpaniæ orta, ex Chriſtianis parentibus, quorum proſapia ex antiqua Gothorum origine procedens, familiam Muzarabum inter Sarracenorum cateruas tunc temporis* Cordubam, *& totam ferè Baticam occupantium adauxit. Hæc ergo poſt accepta Baptiſmi & Confirmationis Sacramenta, ad pietatis, & religionis ſtudium animum erigens, plurimos in fide virtutum cumulos coacerauit.* *Educatio.* *Eueniente igitur ætate, quâ illo ſeculo, more patrio, virgines ad coniugium ineundum aptæ cenſebantur, & habiles, Parentes* BENILDEM, *nobili, æquali, & Catholico Adoleſcenti tradidêre.* *Coniugium.* *Quæ coniugis Chriſtiani fidem agnoſcens, tanto illum amore eſt proſecuta, vt ab eius continuò ore, fidei zelo, implicata penderet. Nam cùm Viri fidem inexhauſtam agnoſceret, & eius ſanctos mores experiretur ad vnguem, ita vt potius mariti ſancta facinora eius pietatem augerent, quàm minuerent; hinc tanti coniugis exemplo commonita, & illum fortiter diligere, & Dei perfectius inſequi veſtigia mirabiliter eſt accenſa.* *Mariti mors.* *Per Quindecim annos in hoc vitæ exercitio tranſegit, donec Deus, qui* BENILDIS *viſcera, & vitam ad maiora virtutum, & facinorum exempla promouere concupierat, coniugem è medio tollere, & ſecum ad ſuperos euehere deſtinauit. Hinc è vinis ſublato ſponſo, ſanctiſſima fœmina Numinis voluntate congaudens, prorſus lacrymas, & mœrorem, Deo auxiliante compreſſit. Sciebat enim, coniugem à Deo mutuo accepiſſe, cuius poſſeſſio non ab eius, ſed à Domini placito eſſet duratura.* *Exercitia in viduitate.* *Igitur obſequiis, prout illa tempora ferebant, expletis,* BENILDIS *vidualem vitam incæpit. Tunc Cordubæ erant aliquot piiſſimæ fœminæ, quæ ſecretò, timore Sarracenorum, Chriſtianos carceribus mancipatos viſitabant, & eis pabula, miſericordia ductæ, prout poterant, porrigebant. Nec non quos dira Arabum perſecutio crudeliter Martyres occidebat, eorum corpora noctu ſubtrahentes; vnguentis condita ſepeliebant. Harum ſanctarum cœtum ſancta perauxit Vidua, donec aliquot ex ipſis Sororibus in Chriſto per martyrium coronatis, illa aliarum nouiter conuenientium fœminarum, ipſam illam*

pieta

pietatem inſequi concupientium, dux & magiſtra viriliter eſt effecta. Impoſterum ergo ea fuit eius exercitationis inſtantia, vt famelicos Martyres in ergaſtulis detentos, ſuâ præſentiâ viſitaret, verbis efficacibus cohortaretur, & dapibus refocillaret. Si vero aliqui per pruciatus anguſtias, ad Martyrij coronas auguſtas, Numine conferente, accedebant, protinus noctis ſilentio (ſi fas erat) eorum corpora, aut ſacras oſsium exuuias ſubripiebat, & vnguentis conditas, clericis ſepeliendas porrigebat. In hoc igitur exercitio advſque ſenium permanſit, donec Anaſtaſio, Felice, & Digna per martyrium ſublatis, cùm iam eius dies cederet paſſionis, & quæ tantorum fuerat Martyrum auxiliatrix, haud prorſus tali deſtitueretur honore, ad Tribunal nefandum deuenit, & caterorum veſtigia ſequens, Chriſtum, & eius fidem viriliter defenſans, & Pſeudoprophetæ vitia & errores abominata, à ſatellitibus comprehenſa, protinus mucroni iugula præbuit XVII. Kalend. Iunij, *Anno Domini* DCCC. LIII.

Martyres fouet.

Coronatur.

Hactenus ACTA prout illa ex Elegia *Cypriani* Archipresbyteri *Cordubenſis* exſcripſimus, quam inter diuerſorum carmina, in meo *Codice MS.* recenſita, deprehendimus, ſic:

IN TVMVLO S. BENILDIS MARTYRIS

Cordubenſis Epitaphium, ex Cypriano.

Corduba *me genuit naſcens, me* Corduba *viuens*
Edocuit Chriſti dogmata ſacra, fidem.
Vix mundo naſcor, cùm me dixêre BENILDEM
Chriſticolæ patres: quos colit vnus amor.
Poſt, ſtudiis fidei cùm me vacaſſe, iuuentam
Agnoui, fidei nomina ſancta ſequor.
Hæc mihi Quinque *dedit luſtra, & de more Parentes*
Coniugium æquale tunc mihi ſæpe parant.
Paruit vnus amor, quia Chriſtus viſcera complet
Coniugis, & fidei fert monumenta ſuæ.
Hinc Tria ſub noſtro tunc viuere fœdere luſtra
Haud licuit; coniux, heu mihi, morte cadit.
Sic viduata Viro veſtigia ſancta Sororum
Inſequor in Chriſto, quas mihi palma tulit.
Martyris haudquaquam vix corpus ſtipite pendens
Tangere permiſſum, quin mihi velat humus.
Carceris obſcuri quos comprimit vna Beatos
Athletas, ipſam ſæpè, catena, ſequor.
Vtque fameſcentem fulcirent pabula vitam
Illorum, pietas obtulit alma dapes.
Iam ſenio confecta, domúmque capeſſere ferro
Æternam cupiens, huic mea membra dedi.
En patior lubens, Chriſto en mea iugula dico:
Plurima ſi poſſem, plurima ſponte darem.

XVII. KAL. IVL. ERA. DCCC. XCI.

Cypriani Archipresbyteri auũ. Ex huius ergo *Elegia* ecphraſi, quidquid *S. Eulogius*, aut ignorauit, aut tacuit de ſanctiſſima hac Matrona, *Cyprianus* Archipresbyter *Cordubenſis*, qui vixit ad Annum M.LX. vt refert Iulian. Petr. in *Aduerſar. n.* 284. *fol.* 64. ſuppleuit. Cuius Epigrammata ex *MS. Codice S. E. Toletanæ*, & cuius meminit paſſim Ambroſius Morales, extracta, beneficio *D. Martini de Ximena Iurado* amici, nunquam ſatis laudati, apud me ſunt; & licet in illis hæc deſideretur *Elegia*, in alio meo *Codice MS. Auli Hali*, inter aliorum Epigrammata recenſetur cum titulo ſuperiùs ſcripto. Non enim in illo *Codice Toletano* omnia *Cypriani* Carmina inſeruntur, ſed tantum *Octo Epigrammata* diuerſis ſcripta ſucceſſibus, cum tamen alia plurima ſcripſerit, vt ex huius Operis tabulis, ſuis in locis manifeſtè conſtabit: & patet ex relatione *Iuliani* Archipresbyteri Toletani, qui *d. n.* 284. recenſet, hunc *Cordubenſem Cyprianum* ſcripſiſſe hymnum, qui incipit: *Latare Toletum:* & hic haudquaquam in *Toletano Codice* reperitur. Pro-

Quid ſcripſerit.

vt nec *Carmen ſepulchrale*, quod inſcripſit in Sarcophago *Blaſij Epiſcopi Toletani* eius Magiſtri, de quo idem Iulianus in *Chron. n.* 519. *fol* 115. Cuius ne pereat Symbolum, hic ex ſupradicto noſtro *MS. Codice* carminum ſubiicimus:

An omnia in Codice Toletano opera.

BLASIO TOLETANO PONTIFICI, & Magiſtro ſuo, Cyprianus Corduben.

BLASIVS *Antiſtes ſub cauo conditur iſto,*
Cuius in exequiis tunc præfuit ipſe Sebaſtes
Martyr, quique domo propriâ tumulauit in ipſa
Pontificem; cuius fuit hoc per ſecula nomen:
Cuius & exilium vidit Conimbrica: cuius
Toletum vidit ſua poſt hæc Præſulis almi
Mortem; quâ ad ſuperas tranſcendit ſæpe beatas
Sedes. Cui Cyprianus *hæc monumenta parauit.*

Ex hiſce depromitur, quòd in *Codice Toletano* non omnia, ſed nonnulla, & hæc pauciora opera continentur, & plura alibi ſparſim in membranaceis tabulis inueniuntur. Hinc quid mirum, ſi in illo *S. E. Toletanæ codice*, Noſtræ S. BENILDIS carmina deficiant.

C. *Scriptores.* B. PETRVS *cognomento* COMPATER *Confeſſor.*] Eius B. Viri memoriam ex antiquitatis tenebris eruere P. Gonzaga *Orig. Seraph. Relig.* 3. *p.* & VVading. *Annal. Franciſcan. Minor. tom.* 1. *Ann.* 1214. §. 9. quibus adhæret Artur. à Monaſter. *in Martyrolog. Franciſcan. h. d. lit. B. fol.* 250. licet apud Noſtros Scriptores altum adſit ſilentium, exceptis Ciuibus *Onetenſibus*, apud quos cultus honorificus annuatur, & quotidiana deuotio perſeuerat, quâ ad eius ſacrum Sarcophagum pietas continuis votis accedens, illuſtria à Numine beneficia conſequitur, S. Viri interuentione ſuffulta. Eius ACTA nullus, quod ſciuerim, texuit; illa prout poterimus coagulabimus, ne S. Viro hoc ſymbolum honoris deſit.

ACTA B. PETRI CONFESSORIS cognomento Compatris ex Ordine Minorum; ex Gonzaga, & VVadingo.

Minorita. PETRVS COMPATER *creditur natione* Italus, & Minorum *regulam apud ſuos profeſſus, cuius tantus fuit religionis apex, & virtutum copia, vt Seraphicum Patrem* Franciſcum *induceret, ob extendendum Minorum ordinem, quòd* PETRVM *ad* Tranſmontanos Aſtures, *prælibatâ occaſione*

ſione deſtinaret. Ille S. Patris obedientiâ ſuffultus, Hiſpanias *adiit*, *& apud* Ouetum Aſturum *primariam vrbem, Sede Epiſcopali condecoratam, ſiſtens, Ordinis primaua ſeminauit grana Minorum, quibus poſtmodùm Prouinciam, fructu centumplici, decorauit. Qualis eius vitæ compago fuerit, ignoratur: illud ſcitur, quòd ipſius ſic rerum geſtarum ſpecimen omnes Prouinciæ circulos occupauit, mirabilibus illuſtrauit, & virtutum facinoribus repleuit, vt poſt mortem, Sanctus ab omnibus honorabiliter haberetur. Qui licèt iuxta portam Eccleſiæ, à parte interiori, diu humi iacuiſſet, tamen ad eminentiorem, atque honorabiliorem locum, inſtantiâ, & ſumptibus Nobilis Viri* D. Alfonſi de Valderabano *Aſturum Gubernatoris, ſupra præcipuam Eccleſiæ portam die* XXVI. Maij, *Anno Domini* M. CCCC. LXXXVII. *tranſlatus eſt: vbi religiosâ fidelium veneratione, vt Sanctus, & Deo charus veneratur, & colitur. Cuius ſepulchro impolitum Epitaphium hocce, à Viris piis impoſitum, adhuc noſtris temporibus perſeuerat.*

Aſtures à Franciſco dimiſſus.

Oueti ſiſtit.

Poſt mortẽ vt ſanctus habetur.

Tranſferuntur primò Oſſa.

Frater PETRVS *ego, cognomine Compater antè*
Carnis hic oſſa tego, me Saluatore vocante,
Annis millenis, centum bis, decem ſex, octo plenis,
Sanctus obiit Frater de genere Minorum,
Compater, imò Pater appellatus miſerorum,
Filius atque Dei, voce fauente ei.

Epitaphiũ.

Obiit ſanctiſſimus Compater *Cognomine*, *&* Pater *pauperum miniſterio*, die XV. Iunij, *Anno* M. CC. LXVIII. *Cuius demùm ſacra pignora, eodem die obitus, Anno* M. D. XCIV. P. F. Ludouicus de Quiros, *Guardianus, & Theologiæ Profeſſor, dùm murus, in quo antea condita erant, minaretur ruinam, in locum decentiorem, præſentibus* D. Ludouico Carrillo de Mendoza, *Aſturiæ gubernatore, & illius ditionis Nobilibus, & præcipuis Viris, inter quos aliquæ partes oſſium diſtributæ, non pauca ſunt operatæ miracula, pompâ celebri, & ſolemnibus tranſtulit officiis.*

Tranſferũtur ſecundò.

Miracula.

Hactenus, quæ potuimus ACTA depromere; reliqua, Deus, qui illùm elegit, ſuo tempore propalabit. Ne cum *Arturo* §. 2. *fol.* 251. erres, notabis diem obitus S. Confeſſoris nequaquam *pridie Kalendis Ianuarij* contigiſſe, vt ibidem ipſe contendit, nam vt ex aliquibus *Ouetenſis* vrbis ciuibus explorauimus, ad hunc diem obitum ipſi reiiciunt.

Error Arturi.

NON me latet *Ribadeanſes* Ciues in diœceſi *Mindonienſi* Hiſpaniæ contendere integrum B. PETRI *Compatris* Corpus apud ſe retinere, prout ex Epiſtola *D. Bartholomæi Villapil*, *& Vela* Canonici, & Scholaſtici Mindonienſis agnouimus; ſed quo iure hoc aſſeuerent, nondum didici, fides ſtet apud illos; nam apud *Ouetenſes* iuris præſumptio eſt, eo quod, vt Hiſtoriæ prodeunt, primus apud *Ouetum* Conuentus Minorum fundamina iecit, vt fatentur ſupra relati, & M. Ægidius Gonzal. Dauila Regius Chronographus *Tom.* 3. *Theatr. Eccleſ. fol.* 120. qui perperam S. Confeſſorem cognominauit PARENTEM, cùm COMPATREM dicere debuiſſet: & amplius aſſerit quòd Anno M. CC. XIV. Monaſterium extruxit; & ſi hoc ita, fere per Quinquaginta & quatuor annos & amplius apud *Ouetum* deguit. Niſi fortè in Codice Regalis Chronographi mendum inſit.

Ribadenſium perſuaſio.

Monaſterium Minorum Ouetenſe, quando conſtructum?

OVETVM. Vrbs Hiſpaniæ, Sede Epiſcopali condecorata. De ea *Tom.* 1. *Die IX. Ianuar. fol.* 109. *& Tom.* 2. *Die I. Martij fol.* 37. verſ. *Poſt.* & *Die XIII. Martij fol.* 216. diximus. In finibus Aſturum, apud Scythicum Promontorium, & Oram Maritimam ſita, à quâ V. P. M. Hiſpanica abeſt. In planitie ad Montis radices. A Lucu-Aſturum vrbe dirutâ cui illa ſucceſſit, pauliſper diſſita; ab OVA fluuiolo nomine accepto. Vrbs elegans, formâ quaſi rotunda, Vniuerſitate inſignis, Corporibúſque Sanctorum & aliis ſacris lipſanis decorata. Hodie OVIEDO dicitur.

Topographia.

SEXTO-DECIMO KAL. IVLII.

DIES XVI.

A. Hyppone *in Carpetania Hiſpaniæ* SS. IVLITÆ *Matris, &* QVIRICI *filij triennalis, paſsio celebris qui poſt diros cruciatus, & varia tormenta perpeſſa propter Chriſti nomen, filius ad gradus tribunalis Præſidis illiſus interijt: Mater verò abſciſſo capite conſtanter martyrio coronata eſt.*

NOTÆ.

A. *Quo loco nati & paſſi?*

SANCTI QVIRICVS & IVLITA, *Martyres* Hypponenſes *in Hiſpania.*] Anceps ſe nobis offert inueſtiganda diſceptatio, circa patriam, & locum martyrij horum illuſtrium Martyrum: nam apud Scriptores Eccleſiaſticos, tot ſunt ſententiæ, quot capita. Eorum varietates igitur ob oculos proponamus. Græci in *Menologio*, ſipos ex *Iconio Iſauriæ* ciuitate Martyres profitentur. Vſuardus apud *Antiochiam* paſſos contendit. Petrus de Natalib. in *Catalog. SS. lib. 6. c.* 101. apud *Tarſum Ciliciæ* agonem expleuiſſe proponit. Vſuardum ſequuntur *Galeſinius*, & *Maurolycus*; Equilinum *Conſtantius Felicius*, & *Martyrolog. Roman.* cum Baron. *h. d. lit. B.* & in *Annal. Eccleſ. tom. 2. Ann.* 305. *n.* 15. à quo *Caſtellan.* P. Vazq. & *Luſitanum* P. Lupi. Primus Cabilonenſis in *Topograph. SS. lit. I. verb.* Iconium Hiſpaniæ *fol.* 105. apud *Hiſpaniam*, martyrio fuiſſe coronatos affirmat, quem ſunt ſecuti Damian. à Goës *in ſua Hiſp. tom.* 1. *Hiſp. Illuſtrat. fol.* 1165. Vaſſeus in *Chron. Ann.* 230. Marin. Sicul. *lib.* 5. *Rer. Hiſpan. fol.* 337. & Franciſc. Tarraph. *de Reg. Hiſpan. fol.* 535. Ante omnes Flau. Dexter in *Chron. Ann.* 222. hac clauſulâ: Hyppone *in* Hiſpaniæ *Carpetania, SS. Chriſti Martyres* QVIRICVS, & IVLITA *ſub Imperatore Alexandro lauream conſequuntur.* Hinc colliges quanto errore laboraſſe Scribentes, qui pro HYPPONE Hiſpaniæ, ICONIVM Iſauriæ repoſuere, credentes non fuiſſe apud Hiſpanos vrbem ſimili inſignitam vocabulo; adeò vt de *Hyppone Hiſpaniæ*, ad *Iconium Iſauriæ* facilè prolaberentur. His ſic cognitis, & Noſtrorum Martyrum originem vindicantes, ad ACTA pergamus, quæ ex peruetuſto Legendario Burgenſi dabimus.

Martyrologiorum varietas.

An Hiſpani.

ACTA SS. QVIRICI, ET IVLITÆ Matris, Martyrum Hypponenſium; ex Legend. Burgenſ. & aliis ferè omnibus Hiſpaniæ Breuiariis.

Præfatio.

SANCTORVM *Martyrum pia certamina debitâ veneratione recolentes, mirabilem in Sanctis Suis Dominum collaudemus qui Beato* QVIRICO *rotâ natiuitatis, toto necdum reuoluto triennio, eiúſque ſacræ Genitrici* IVLITÆ, *natalibus ac probis moribus, generoſæ, muneris ſuperni gratia roborante, ætatis, & ſexus infirma, pro ipſius nominis amore vincentibus, illis quidem glorioſam*

Digitized by Google

glorioſam martyrij palmam contulit in cæleſtibus; Nobis autem plurima confert beneficia, eiſdem, vt credimus, patrocinantibus. Quapropter ſicuti quotidianâ admonitione per ſuos Præſules S. Mater Eccleſia nos hortatur agere, dignum iuſtúmque eſt, & nobis in cunctis maximè ſalubre, Dominum Deum Noſtrum, in omni tempore, & in omni loco, laudando glorificare, atque glorificando laudare ſemper, ac benedicere, vt implere valeamus illud Pſalmiſtæ: Benedicam Dominum in omni tempore, ſemper laus eius in ore meo. *Hoc enim eſt ſacrificium, quando Deus piè colitur ab vniuerſis gradibus benè viuentium, dùm illi referuntur condignæ, quantum poſſibile eſt, actiones gratiarum.* *Semper Deus laudandus.*

EA *igitur factâ perſecutione ſub* Alexandro *Imperatore, cùm ſæua ſupra modum exardeſceret vndique Chriſtianos inſectandi intentio; Orientalium, Occidentaliumque Prouinciarum fines apprehendit, in quibus partibus Occidentalibus Alexander Præſes præerat, qui ſicut nomine, ſic imperio ſuo erat par ferocitate. Hic inter innumeros, quos varijs cruciatibus, & inexcogitatis affecerat pœnarum mortibus,* IVLITAM *matronam nobilem, in lege Domini die ac nocte meditantem, famâ boni odoris celebrem, miſſis Officialibus iuſſit præſentari tribunalibus. Erat autem* IVLITA *ſeruiens Domino in timore caſto, qui filium alebat paruulum, nomine* QVIRICVM, *cui cum lacte carnis, diſciplinam tradidit diuinæ legis. Inter charos denique amplexus, & maternæ pietatis oſcula, vt verum parentem agnoſceret, & coleret, dum lacte dulci ex eius aleretur vberibus, ab ipſius ore pro tempore puræ fidei imbuebatur dogmatibus. Hi quidem orti dicuntur eſſe ex* Lycaonia, *ciuitate autem* Iconio, *genere verò non obſcuri, ſed nobiles, & magnæ exiſtimationis, & honeſtatis, quamuis apud Superos longè clariores. Conſequenter autem terrenis facultatibus, atque adeò multomagis fide in Chriſtum Dominum, & pietatis florebant commodis.* *Perſecutio.* *Iulitæ pietas.* *Origo.*

IVLITA *quippè beatiſſima, & honeſtiſſima fœmina, cùm ei maritus matrimonio fuiſſet paruo tempore coniunctus, oſtendit ſe firmâ ac ſtabili fide in Dominum, & in eum dilectione. Totum enim animi amorem abducens à corporibus, & piè ac religioſè traducens ad ſpiritum, in vitâ, in quam non cadebat reprehenſio, pura erat & immaculata, ac moderata Domino ſeruiebat. In vnigenito autem filio* QVIRICO *ſpem collocans, quem, cùm ad ſacrum, & diuinum Baptiſmum produxiſſet, & eum Patri luminum mirum in modum conciliaſſet, & Chriſto per S. Spiritum obtuliſſet, ſic ipſa in intemerata, & quæ reprehendi non poterat, viduitate, pulcherrimè, vt leges iubent, filium alens, vitam tranſigebat.* *Vitæ integritas.*

ERAT *equidem in* Lycaonia *Comes nomine* Domitianus, *qui Principis mandata aduerſus Chriſtianos exequi concupiſcens,* Iconium, *& omnem finitimam obſidens regionem, omnes Chriſtianos gladio conſumpſit, grauiſſimiſque afficiebat ſupplicijs. Quod ſacra Dei fœmina contuens, diuini Numinis exhortatione ſuffulta,* Iconium *relinquens, & omnes ſuas poſſeſſiones, & facultates deſerens, venit* Seleuciam, *fugiens, omnibus opibus, & carnis fomentis, omnique mundanæ felicitati, & delicijs, propter Chriſtum, peregrinationem, mendicitatémque, & afflictiones lubenter præferens. Sed nec* Seleuciæ *ſiſtere auſa, propter tunc temporis exortam perſecutionis procellam, quâ, quiſquis Chriſti aſſentiebatur amori, poſt plurima ſuppliciorum genera, edictis occidebatur inſtantibus:* Tarteſſum Hiſpaniæ *ciuitatem deuénit, hinc* Hypponem *in* Carpetania *profecta eſt, ibidem ſiſtens, Domini voluntatem ſpectans, per aliquod tempus delituit. Sed cùm non multùm poteſt theſaurus in agro abſconditus latêre, euênit, quòd* Alexander *Præſes qui per illius regionis angulos, quærens quos deuoraret, circuibat,* Hypponem *deuenit, ad quem ſtatim defertur* IVLITA, *& eius filius* QVIRICVS, *& ille in alto tribunali ſedens, iubet eos quam primùm ſiſti. Ingreditur autem non ſola, ſed in vlnis infantem, filium vnigenitum deferens, vt tanquam vera Abrahæ filia, illius imitaretur fidem: aut velut Anna, quæ Samuelem ablactatum cum diploide obtulit aræ, iſtius* *Peregrinatio.* *Comprehenditur.* *Gen. 22.* *1. Reg. 1.*

adhæreret exemplis; ita veneranda Mater vnigenitum filium proprijs manibus tradidit ad holocauſtum; & quod plus eſt, ſe ipſam obtulit ad cædem, magnâ voce clamans ſeſe Chriſtianam eſſe, & ſolum noſſe Deum Chriſtum IESVM, *& eius Patrem, à Spiritu afflata gloriosè confitebatur. Hinc Deos Gentilium dæmonia aſſerere, Præſidis blanditias, & aſſentationes repellere, ſuppliciorum minas, & omnia tormentorum genera deſiderare, generoſo non dubitauit ſpiritu.*

Conſtantia.

Caditur.

QVOD *crudeliſſimus ille iudex, qui cum Deo bellum gerebat, intuens, iubet infantem auferri ab eius vlnis, ipſam autem nudam flagellari nudis neruis boum; in cuius quæſtione, licèt mater prolixiùs laceraretur in corpore, filius potentiùs cruciabatur in corde. Quem (cùm eſſet elegans, & formâ ſpecioſus) venuſtate eius delectatus Tyrannus, vi quidem auulſit ab vlnis maternis, ſuis autem accepit manibus, illum tentans imponere genibus, & ſenſim palmis eius caput demulcens, & in ore oſcula figens, ſuauia formoſiſſimo puero verba dicebat. Quibus* B. QVIRICVS *blandimentis non adhærens, prorſus Præſidis deliria reſpuit, nihil aliud, quàm ſe eſſe Chriſtianum, profitens, pedibus, & manibus reſiſtens, & renitens luctator admirabilis, & pro viribus repugnans, Tyranni auerſabatur oſcula. Tanquam verò in retibus, & crudiuora fera manibus interceptus, aut potius vt canora auis laqueo implicatus, alas mouebat B. Puer, & omnibus modis machinans euadere è laqueis venatoris, manibus Præſidis vultum laniabat, pedibus execrando lateri inſultans Athleta breuiſſimus, ſic amorem illum ſtatim ad iram eadem ſpirantem conuertit. Nam cum delicatum eius pedem apprehendiſſet vir ad eadem promptiſſimus, crudeli animo infanticidium ſpirante, eum in ſublime ſuſtuliſſet, ex alto tribunali manu ſua iaciens in ſubiectos gradus lapideos, vnà cum ſacro capite, totum quoque* QVIRICI *corpuſculum, auerſis petrarum aculeis crudeliter contriuit inſanus.*

Infans tyrannum auerſatur.

Interficitur.

SIC *Corporis confractâ compage, victrix eius anima, tanquam paſſer à laqueis libera venatoris, manibus autem Angelorum, ſtatim ad magnum perducta Pontificem, tanquam ſacrificium odoriferum eſt Domino oblata. Sic paruus iſte Martyr, cùm magnus euaſiſſet decertatione, terram quidem ſanctificauit per ſanguinem, qui in ipſam eſt effuſus; aerem verò per ſpiritum, qui ad ipſum peruaſit; & cælum quidem impleuit exultatione.* IVLITA *verò cùm de vnigenito holocauſtum Deo oblatum agnouit, illi gratijs actis cæleſti ſponſo Chriſto, & dilecto filio coniungi viriliter contendebat. Hinc validis verborum inſultibus Tyrannum ſauciabat; quibus magis irritatus, & furore percitus Iudex, in ligno iuſſit ſuſpendi egregiam Victricem, ferreiſque pectinibus corpus diſcerpi, deinde picem ex lebete hauriri bullientem, & effundi in membra lacera decertantis. Eâ autem ſtrenuè, & fortiter reſiſtente omnibus tormentis, Deos falſos auerſante, Chriſtianam ſe confitente, & Sanctam Trinitatem affirmante vnum Deum eſſe, gladio percutiente iuſſu Præſidis, ſpiritum Domino, caput humo viriliter obtulit* XVI. Kal. Iulij *Anno Domini* CC. XXII. *Quorum Corpora metu perſecutionis* Iſtonium *in tractu* Valerienſi *abſcondita ad* Annum *vſque* CCC. *delituêre, quo inuenta fuêre à fidelibus & cultu debito venerata. Nunc* S. QVIRICI *ſacra lipſana* Burgis *in Eccleſia ſuo nomini dicata quieſcunt: præſtante Domino Noſtro Ieſu-Chriſto, qui cum Patre, & S. Spiritu regnat per ſecula, Amen.*

Iulita iterũ cruciatur.

Coronatur.

Inuentio Reliquiarũ.

HÆC ACTORVM ſeries, proculdubio potius *Dextri* aſſertioni cohæret, quàm coniectationi *Biarij*, qui literâ textus *Flauij* renuente, ſomniauit SS. hoſce Martyres, & *Hyppone* oriundos, & paſſos; cùm tantum de paſſione apud illam vrbem ſcripſerit Chronographus clariſſimus, vt ex verbis liquet, ibi: *Hippone in Carpetania SS. Chriſti Martyres* QVIRICVS, *&* IVLITA *ſub Imperatore Alexandro lauream conſequuntur.* Ergo à quo SS. Martyrum apud *Hypponem* originem ſuxit? Hinc ſuper hoc, ab eius opinatione diſcedes, prout & à Patris Quintana-Dueñas *Hiſtor. SS. Toletan ſecul.* 3. *f.* 411. qui *Biarij* veſtigia tumultuariè & abſque ſucceſſuum diſcretione inſequês, in præcedentis erroré prolapſus, etiam eiuſdem inſectatur errorem.

Biarij lapſus.

Nec

Nec *Biuario* verba *Marinæi Siculi* ſuffragantur, quia ecphraſis ab iſto recenſita, provt edita eſt, merum gloſſema ſapit, & loco *Seleuciæ* repoſuit *Siciliæ*. Quis vnquam Noſtros Martyres aduentaſſe in *Siciliam* dixit? ergo aut *Marineus* ex proprio hocce dicterium adiecit capite, aut in prælo erroris maculam excitauit Typographus. Inſuper nam tota *Marinei* periodus deſumpta ex Noſtrarum Eccleſiarum Breuiariis conſpicitur, vbi nihil de profugio in *Siciliam*. *Marinei Siculi error.*

CIRCA ſacrorum Corporum inuentionem apud *Iſtonium* Hiſpaniæ vrbem in tractu *Valerienſi*, audi Dextr. in *Chron. Ann.* 300. *n.* 6. ISTONII *in* Hiſpania *reperta ſunt Corpora ſanctiſſimorum* QVIRICI *&* IVLITÆ *Martyrum, Hyppone* (ſic legendum ex MSS. correctioribus: non *aliunde*, vt in editis) *illuc quondam adlata.* Vbi eruditè Biuar. *Com.* 1. *n.* 6. *fol.* 324. locum digito aſſignat, quem hodie HISTO vocitari, & prope SAHELICES, & VILLAESCVSA oppida non ignobilia, in tractu Conchenſi, vt antiqua VALERIA fuit, reperiri contendit. *Sacrorum pignorum inuentio in Hiſpania.*

QVOD S. QVIRICI pignora adhuc apud *Burgenſem* vrbem condita, in Eccleſia ſuo nomini dicata venerentur, communis eſt ſententia Noſtratum, vt referunt P. Marieta *Hiſtor. SS. Hiſpan. lib.* 2. *fol.* 12. *col.* 2. Biuar. *d. n.* 6. *fol.* 324. M. Ægid. Gonzal. Reg. Chronograph. *in Theatr. Eccleſ. tom.* 3. *fol.* 9. Quintana-Dueñas *vbi ſupra, fol.* 413. Qui inſuper aſſerunt, quatenus ob Martyris honorem, eadem Eccleſia *Abbatiæ* titulo inſignitur, eiúſque *Abbas* dignitatis Sedem in ipſa Eccleſia Metropolitana, titulo de S. QVIRCE, corruptâ voce conſeruat. *S. Quirici pignora apud Burgos.*

NON me latet Iulianum Noſtrum Archipresbyterum Toletanum in ſuis *Aduerſar n.* 152. 153. *&* 154. hoſce Martyres diuerſos fuiſſe ab aliis eorundem nominum ex nobili familia *Iſtomorum Celtiberorum* progenitis, & *Amphilochij* natis in *Gallæcia*, & in *Neroniana* perſecutione paſſis *die XVI. Iulij*, ſed qui iſti fuerint, prorſus hucuſque ignoro; videnda, quæ dicemus infra, *Tom.* 4. *die XVI. Iulij*. *Amphilochij in Gallæcia alij huius nominis Martyres.*

HYPPO. Ciuitas peruetuſta Hiſpaniæ in Populis Carpetanis, cuius Topographiam ſubiecimus ſupra hoc Tom. 3. Die XXV. Maij, cum de S. Præſcellio egimus. Hodie dicitur YEPES in Madridenſi agro Oppidum notiſſimum, maximè ob vini generoſi copiam, quâ Catholici Regis Curiam opplet. Parum ab Oleadibus diſſitum, & inter diœceſis Toletanæ, ſeu Regni Toleti Populos, quos olim CARPETANOS dixêre, poſitum. De eo P. Quintana-Dueñas, & Cæteri ſupra à Nobis relati. *Topographia.*

QVINTODECIMO KAL. IVLII.

DIES XVII.

A. In HISPANIA *floret memoria* S. ABVNDII AVITI *Presbyteri Ieroſolymitani, qui origine Hiſpanus inuentioni Reliquiarum S. Proto-Martyris Stephani cum Luciano homopolo interfuit, cuius ecphraſim, de huiuſmodi inuentione, Græco idiomate conſcriptam, Latinitate donatam, omnibus Orbis tranſmiſit Eccleſiis; tandem virtutibus clarus ad Dominum Confeſſor inclytus euolauit.*

B. BARCINONE *depoſitio S. Innocentij Martyris Romani, cuius*

cuius ſacra pignora cum alijs Vrbanus VIII. Pont. Max. Religioni Fratrum Excalceatorum SSS. Trinitatis Hiſpaniæ conceſſit.

NOTÆ.

A. *Scriptores.*

SANCTVS ABVNDIVS AVITVS Confeſſor.] Celebre nomen Sanctus hic Presbyter inter Eccleſiaſticos Scriptores, titulo etiam ſanctitatis, obtinuit, provt & antea pietatis, & doctrinæ. Teſtes ſunt Idatius in *Chron. Conſulat. Honor. X. & Theodoſ. Iun. VI. Ann.* 415. qui poſtquam de reuelatione Reliquiarum egerat, proſequitur: *Extant ex his geſtis Epiſtolæ ſupradicti Presbyteri Luciani, &* SANCTI AVITI *Presbyteri Braccarenſis, qui tunc Ieroſolymis degebant.* Gennadius *de Scriptor. Eccleſ. c.* 47. vbi Aubert. Miræus *in Bibliothec. Eccleſ. fol.* 55. Baron. *Annal. Eccleſ. tom.* 5. *Ann.* 415. *n.* 1. P. Biuar. ad *Dextr. in Chron. ann.* 400. *n.* 2. *in fin. f.* 426. D. Roder. de Acuña *Hiſtor. Braccarenſ.* 1. *p. c.* 57. *n.* 14. *fol.* 248. P. Anton. Vaſconcell. *in Deſcript. Luſitan. tit. de Sanct. Prælat. n.* 4. *fol.* 521. P. Ioann. Mariana *Hiſtor. Hiſpan. lib.* 4. *c.* 20. vbi eum agnomine ABVNDIVM dictum profitetur. Fuêre per illud ſeculum plures AVITI, de quibus memoria in Eccleſiæ Annalibus, & omnes Hiſpani, ſed Prouinciarum diuerſitate diſtincti. Duo ex *Tarraconenſi* oriundi, alter Origeniſtis, alter Victorini erroribus adhæſit, vt ex Oroſij conſultatione ad Auguſtinum, *tom.* 6. *Oper. S. Auguſtini*, liquet, cuius meminere Baronius *d. t.* 5. *Ann.* 414. *n.* 10. *&* 11. & Iacob. Gaulter. *in Chronol. ſecul.* 5. *in Collat. Vet. Error. c.* 10. *fol.* 375. Biuar. *d. Ann.* 400. *n.* 2. *fol.* 426. Qui licèt à principio Origenis, & Victorini falſas complecterentur ſententias, pòſt S. Auguſtini veritatis apicibus conuicti, errores abiurantes, ſeſe gremio reduxerunt Eccleſiæ, vt idem Biuar. *Comment. ad Chron. Dext. Ann.* 429. *n.* 2. *fol.* 450. motus ex illis verbis: *Et duo Presbyteri vocati* AVITI *florent, Ciues Tarraconenſes.* fatetur, his verbis: Satis de his (AVITIS *Tarraconenſibus*) dictum ad *Annum* 417. cum de *Paulo Oroſio* incidit ſermo, qui contra eos legationem ad Auguſtinum tulit. Cùm vero nunc à *Dextro* florere dicantur, credimus eos, ad ſanam mentem ſcriptis eiuſdem Auguſtini reductos fuiſſe. Quod & apertius dixerat *d. Ann.* 400. *n.* 2. *fol.* 426. hac ſerie: *Omnes* (AVITOS, & alios) *ſcriptis D. Auguſtini conuictos, ab inceptis deſtitiſſe, ſatis ex eo manifeſtum ſit, quòd poſtmodum ad Annum* 429. *eorumdem cum honore, & laude meminit Dexter.* Quidquid de his ſit, illud abſque dubio probatur, Noſtrum ABVNDIVM AVITVM ab illis diuerſum fuiſſe, licet Baron. *d. Ann.* 415. *n.* 1. quiſnam Noſter AVITVS fuerit an vnus ex illis, dubitet, an diuerſus. Sed quia, inpoſterum nullus cum *Purpurato* ſubdubitet, & hunc ab illis diuerſum agnoſcat, origine, causâ, tempore, & loco, per quatuor hæc diſcrimina curſitabimus. I. *circa* ORIGINEM. Illos *Tarraconenſes* fuiſſe, quis dubitat? ſic fatentur idem *Oroſius, Dexter, Gaulterius*, & ipſe *Baronius*. Noſtrum *Braccarenſem* quis ignorat? ita expreſſe *Idatius Clarus, Biuarius, Acuña*, & *Vaſconcellos*. Idcóque Epiſtola de Inuentione Reliquiarum S. Stephani, quam ex *Surio* prodit ipſe *Baronius*, & Nos poſtea dabimus, direxit ad *Balconium* Epiſcopum *Braccarenſem*, tanquam ad ſuum meritò Præſulem, & Antiſtitem; ſic P. Biuar. *d. n.* 2. *fol.* 426.

Agnomen.

Aniti plures.

Tarraconẽſes qui?

An ab erroribus reducti?

Noſter Abundius Avitus diuerſus.

Origine.

Causâ.

II. *Quoad cauſam.* Notum eſt Noſtrum AVITVM vnà cum *Paulo Oroſio* legationem ad *Auguſtinum* contra *Priſcillianiſtas*, & *Origeniſtas* expleuiſſe, inter quos erant illi iamiam AVITI *Tarraconenſes*, quod expreſsè fatetur Vaſconcellos *d. n.* 4. *fol.* 521. Si ergo cauſa diſceſſus ex Hiſpaniâ in Africam, inde ex Africâ Ieroſolymam cum *Oroſio*, & ibidem Inuentioni Reliquiarum S. Stephani cum *Luciano* homopolo interfuit, & ſacrarum exuuiarum partem cum Epiſtolis *Oroſio* ad Hiſpanias repedanti tradidit, fuit conſultatio errorum *Priſcilliani*, & *Auitorum Tarraconenſium*, quo pacto potuit vnus ex illis eſſe, aduerſus quos, cauſam legationis aſſumpſit? Abſit.

III. *Quatenus*

Digitized by Google

III. *Quatenus ad tempus.* Nulli dubium eſt, quin *Baſilius Græcus*,& duo AVITI *Tarraconenſes* ante diſceſſum *Pauli Oroſij*, & AVITI *Braccarenſis*, ex Hiſpaniâ in Africam cum legatione ad Auguſtinum, iam per *Hiſpaniam* hæreſes Origenis docere cæperant,vt docet ipſe Cardinalis Baron.*d.tom.*5.*Ann.*414.*n.*11.*fol.*362. Quod ſi ita; quomodo poterat AVITVS *Braccarenſis* ex illis hæreticis Origeniſtis eſſe, qui nondum in Africam deuenerat; & eſto quòd deueniſſet;Noſter in Africa, Tarraconenſes in Hiſpania venenum erroris infeliciter euomebant. *Tempore.*

IV. *Si ad locum ſpectes,* facilè diſcrimen intueberis. Iam ſuperius probatum reliquimus,*Paulum Oroſium*, & AVITVM *Braccarenſem* Noſtrum in Africam perrexiſſe,vt de erroribus Origeniſtarum hæreticorum, quorum caput *Baſilius* Græcus,& AVITI Tarraconenſes, cum B.Auguſtino conferret, eo tempore,quo hæretici illi per *Hiſpanias* pererrabant. Conſtat inſuper AVITVM Noſtrum Ieroſolymam cum ipſo *Oroſio* aduentaſſe,Inuentionique Reliquiarum S. Stephani interfuiſſe, adhuc hæreticis *Hiſpanias* infeſtantibus, ibidémque diem ſuum obiiſſe. Ergo perperam eodem tempore potuit AVITVS diuerſis in locis adeſſe; ſi hoc ita: igitur *Braccarenſis*, diuerſus à *Tarraconenſibus* cenſendus erit. *Loco.*

His ſic prælibatis, ad ACTA venio, quæ ex Noſtris, & Exteris Scriptoribus in floſculum redigemus, ne tanti Viri res geſtæ ſub ſilentio deliteſcant, & cuius eruditio & ſedulitas in ſacris B. Protomartyris reliquiis perquirendis, tot vniuerſi Orbis ditauit Eccleſias, eiuſdem pia facinora in Eccleſiæ Tabulis non deſiderentur.

ACTA S. ABVNDII AVITI
Presbyteri Hieroſolymitani, Hiſpani Braccarenſis,Confeſſoris; ex variis Scriptoribus.

ABVNDIVS AVITVS *origine* Hiſpanus, *ex vrbe* Braccara *Gallæcorum Metropoli oriundus, ibidem primos iuuentutis annos Chriſtianâ fide imbutus exegit, vbi Latinas,& Græcas eruditus literas callens,ad Presbyteratus ordinem deuenit, & factus à* Balchonio *tunc temporis Braccarenſis Sedis Pontifice Archidiaconus, egregia de ſe per* Hiſpanias, *virtutum & doctrinæ edidit teſtimonia. Per hæc etenim tempora Priſcillianiſtarum, & Origeniſtarum hæreſes totius Hiſpaniæ angulos replebant: illam Priſcilliani, & ſequacium erroribus ſuffultam plures ex Primoribus ſequentes; iſtam* Baſilij *hominis Graci,& Auitorum Tarraconenſium Presbyterorum auctoritate compactã, nonnulli ex vanis hominibus nouitatem quærentes, amplectentes. Vtriuſque quippè malum, in corda populorũ tranſcendere,cum dignoſcerent Hiſpaniarum Præſules,legationem ad S. Auguſtinum cum Paulo Oroſio, Presbytero Tarraconenſi, & AVITO Noſtro Braccarenſi Presbytero,vt de harum hæreſum medelâ conſulerent,emittere decreuêre. Ita factum, &* AVITVS *relicto ibidem Oroſio, Ieroſolymam pro viſitandis ſacris locis aduentauit, & de aliquibus Auguſtino conuento, ille nonnullas abſoluens quæſtiones, pro cæteris abſoluendis Presbyteros alios Legatos Ieroſolymam ad Hieronymum exlegauit. Qui in Palæſtinam pergentes, cum S.Presbytero quæſtiones ab Auguſtino reiectas, conſuluêre,quibus abſolutis, omnia legationis officia feliciter compleuêre. Tunc AVITVS Luciano Hiſpano Presbytero adhærebat, & inuentioni Reliquiarum S. Stephani, & aliorum Sanctorum, cum eodemmet interfuit* Luciano, *qui ecphraſim reuelationis, & inuentionis ſacrorum pignorum Græco idiomate, pro inſtruendis Eccleſiis vniuerſi Orbis ſcribens, illam* AVITVS *Latinitate donauit. Quam cum aliquot lipſanis,& ſeparatim Epiſtolâ à ſe conſcriptâ pòſt,* Paulo Oroſio *in Hiſpanias repedante* Balchonio *Epiſcopo Braccarenſi, dimiſit. Cuius Epiſtolæ epigraphe talis eſt.*

Origo.

Presbyter, & Archidiaconus.

Priſcillianiſtarum, & Origeniſtarum hæreſes.

In Africã cum Oroſio pergit.

Inde Ieroſolymam.

Interfuit Inuentioni Reliquiarũ S. Stephani.

BEATISSIMO

Digitized by Google

BEATISSIMO, DILECTISSIMOQVE ſemper in Domino Papæ Balchonio; atque vniuerſo Clero, & plebi Eccleſiæ Braccarenſis,

Epiſtola ad Bachonium Braccarenſem Epiſcopum.

AVITVS Presbyter, ſalutem in Domino æternam.

MEMORES mei eſſe vos cupio,& deprecor; ſicut & ego in quantum valeo, memoriam veſtri habere non ceſſo, tribulationibus veſtris meo dolore compatiens, & pro diſſidio patriæ noſtræ in locis ſanctis inceſſabiles lacrymas fundens, vt, aut vobis Dominus reſtituat libertatem, quos admonere voluit; aut illis tribuat maſuetudinem, quos prævalere permiſit. Et ego quidem beatiſſimi fratres (teſte Domino Noſtro IESV-CHRISTO loquor) frequenter volui venire ad vos, vt vobiſcum vel mala tolerarem, vel bonis fruerer: ſed impeditum eſt deſiderium meum, per totas iam Hiſpanias hoſte diffuſo. Veritus enim ſum,ne & ſancta loca relinquens,& ad vos fortè non perueniens, vbicumque interceptus, irrationabilis audaciæ pœnas luerem. Sed quoniam miſericors Deus, meo voto, veſtróque merito procurante, dignatus eſt indulgentiæ ſuæ gratiam exhibere, primùm vt dilectiſſimus filius, & compresbyter meus Oroſius, vſque ad has partes ab Africanis Epiſcopis mitteretur, cuius mihi charitas, & conſolatio veſtrûm omnium præſentiam reddidit. Deinde, vt in diebus ipſi., quibus iam ipſe reditum incredibili deſiderio parabat, beatus, & verè ſanctus, corona gloriæ noſtræ in Chriſto Ieſu, Primus-Martyr Stephanus ſe reuelare, & manifeſtare ſignis, & virtutibus euidentiſſimè ſequentibus dignaretur: quem ego tantarum rerum ordinatoris Dei occaſione perceptum, dignius duxi charitati veſtræ præmittere, vt ipſe præſens aduocatus, & patronus, obſequentium ſibi petitionibus dignaretur aſſiſtere, qui cùm pateretur, etiam pro inimicis orare dignatus eſt.

ITAQVE beatiſſimi, & dilectiſſimi fratres,memoriam veſtri inceſſabiliter agens, & tàm congruentem ordinantis Dei diſpoſitionem videns, promptus fui de Presbytero, cui reuelatum fuerat, partem aliquam inuenti corporis promereri; quam feſtinato expetitam, ſecretóque perceptam,ad vos dirigere non diſtuli. Quam ob rem miſi vobis per ſanctum filium, & compresbyterum meum Oroſium reliquias de corpore B.Stephani Primi-Martyris, hoc eſt puluerem carnis, atque neruorum, & quod fidelius, certiúſque credendum eſt, oſſa ſolida, atque manifeſta ſui ſanctitate nouis pigmentis, vel odoribus pinguiora. Vt autem nulla poſſet eſſe dubitatio; ipſam ad vos ſubditam ſcriptis meis ſancti Presbyteri, cui hæc reuelata ſunt, epiſtolam, conſcriptionémque tranſtuli, quam, me pro fide veritatis pleniùs cognoſcendæ, rogante, & expetente dictauit, Græco primùm ipſe ſermone, ſed per me poſtea in Latinum verſa eſt. Quæ & vos ſancti, & beati fratres, quàm veraciter geſta ſunt, tàm fideliter ſuſcepta habeatis, imploro: Certus ſum enim, quia ſicut ipſe B.Martyr dignatus eſt nuntiare, & pro ſalute mundi periclitantis ſe manifeſtare, auxilio,& præſentiâ tanti Patroni,ſi vos tale pignus digno ſtudio diligatis, tuti ex hoc quietíque viuatis. Gratia Domini Noſtri Ieſu-Chriſti, & S.Spiritus vobiſcum, dilectiſſimi in Domino, Amen.

Moritur.

POST HÆC, *traditis* Paulo Oroſio *ſacris pignoribus,& epiſtolis S. Presbiter cùm vitam egiſſet admirabilem, & doctrinâ, pietate, & eruditione multos*

Digitized by Google

multos ad se venientes erudiret, senio, & pœnitentijs confectus ad Dominum migrauit inclytus Confessor, & Doctor XV. Kalend. Iulij *Anno* CCCC. XL.

Omnia horum *Actorum* probata cognoſces ex ſuperius recenſitis; illud tantum probatione indigere non ambigo, circa obitus & diem, & annum. Totum hoc *Epitaphium* in meo *MS. Carminum* inter *Audi Hali mei* Poëmata deſumes, cuius ingens pietas nunquam ſtrictis proſodiæ regulis coarctari patitur. *Omnia probantur.*

PRO S. ABVNDIO AVITO PRESBYTERO Ieroſolymitano. Epitaphium.

ALmus ABVNDIVS *hic iacet, & cognomine* AVITVS,
Presbyter Hiſpanus Braccarienſis *erat.*
Balchonio *primum Papæ fuit ipſe* Miniſter:
Oroſio *demum pòſt comes ipſe fuit.* *Archidiaconus Balchonij.*
Martyris en Primi exuuias inuiſit, & vnâ
Euentum chartâ, omnibus ille dedit.
Iuli poſt moritúrque decem cum quinto Kalendis:
Corpus humus, capiunt ſpiritus aſtra Viri.
Obiit ſanctiſſimus Presbyter Ieroſolymis XV. Kal. Iulij. Valentiniano, & Anatolio Coss. Era CCCC. LXXVIII.

Cuius Eræ numerus incidit in *Annum* CCCC. XL. quo iidem ipſi *Conſules* fuere, vt notauit Baron. *d. tom.* 5. *Ann.* 440. *n.* 1. Cætera communia ſunt.

S. INNOCENTIVS Martyr.] hoc die de eo *Martyrolog. Roman.* cum *Baronio,* Quòd Sanctiſſimus *Vrbanus VIII. Pontif. Max.* eius Corpus cum aliorum Sanctorum Martyrum exuuiis donaſſet *Fratribus Excalceatis SSS. Trinitatis Hiſpaniæ*, triuiale apud Noſtros eſt. Exemplaria diplomata qui videre cupit, adeat *Tom.* 2. *huius Noſtri Martyrologij, Die* II. *Martij fol.* 45. *&* 46. vbi ad pedem (vt aiunt) literæ repoſuimus omnia de hac re Diplomata, tàm *Romæ*, quàm *Madridij* pro ſanctorum pignorum traditione ab Epiſcopis expedita, vt ibidem videbis, quæ prolixitatis vitandæ ergo, non refero. B. *Corpus apud Madridium.*

QVARTODECIMO KAL. IVLII. DIES XVIII.

A. Malaca *Ciuitate Batica in Hiſpania paſſio* SS. CYRIACI, *&* PAVLÆ *Virginis,* S. Torquati *diſcipulorum, qui cùm ex origine* B. Caij Oppij Centurionis Malacitani *progrederentur, firmitate fidei ſucceſſores extiterunt, & tandem pro ipſa martyres effecti ſunt.*

B. SS. THEODOLVS, LEONTIVS, IOSEPH, *&* MARIA *Martyres apud* Caſtrum Octauianum *Hiſpaniæ, multis cruciatibus interempti ad glorioſam agonis lauream peruenerunt.*

Digitized by Google

C. BARCINONE *in Hiſpania in Cœnobio fratrum* B. MARIÆ *Virginis de Mercede, Redemptionis Captiuorum, Depoſitio ſacrorum pignorum* S. MARINÆ *Virginis Alexandrinæ.*

NOTÆ.

A. *Martyrologia.* SANCTI CYRIACVS, & PAVLA Martyres Malacitani.] Ipſorum nomina in Catalogis Eccleſiaſticis ferè omnibus reperiuntur, teſte Baronio *h.d.in Not.ad Martyrolog.Roman.lit.B.* in cuius textu hæc leguntur: MALACÆ *in Hiſpania SS.Martyrum* CYRIACI *&* PAVLÆ *Virginis, qui lapidibus obruti, inter ſaxa animas cœlo reddiderunt.* Cui conueniunt Martyrologia Caſtellanum *P. Vazq.* Luſitanum *P. Lupi,* & Hiſpanum *P. Higuera MS.* De eis *Vſuardus, Maurolycus, Galeſinius, Conſtantius Felicius, Bellinus, & Peregrinus,* in ſuis Martyrologiis. Inſuper Villegas *in Flor. SS. Hiſpan.* Truxillo *in Theſaur. Concionat. tom. 2. fol.* 1165. Baſilius Sanctor. *de Sanct. Eccleſ. tom.* 1. *fol.*425. Equilin. *in Catal. SS. lib.*5.*cap.*125. Padilla *Hiſtor.Eccleſ.Hiſp. tom.* 1.*Cent.*4.*cap.*29. *fol.*198. Marieta *de SS.Hiſpan. lib.*2. *cap.*31. *fol.*47. Ambroſius Moral. *Hiſtor.Hiſpan.tom.*1. *lib.*10. *c.*28. *fol.*385. *col.*2. Garibay *in Comp. Hiſtor. lib.*3. *c.*9. Vaſſeus *in Chron. Ann.*300. Bergomenſ. *de Clar.Mulier. c.*124. *fol.*159. P. Martin. de Roa *Hiſtor.Malacitan. c.*17. Razzius *de SS. Virginib. tom.* 3. *fol.*136. Eorum ACTA periêre, vt ferè omnes fatentur; illa dabimus deſumpta ex Legendario Aſturicenſi MS.

Scripterei.

ACTA SS. CYRIACI, ET PAVLÆ Virginis, Martyrum Malacitanorum; ex Leg. Aſturicenſ.

Perſecutio. TEMPORIBVS *Diocletiani impijſimi Imperatoris, poſtquam iam imperij gubernacula reiecijſet, diuulgata ſunt multa Chriſtianorum millia per totum Orbis Romani prouincias. Cúmque hoc audiſſet impijſimus Imperator, iracundiâ plenus, fecit dimitti plurimos iudices, & Præſides per totum imperium, qui eos tenerent, & in cuſtodiam publicam conijcerent, donec ſuperſtitionem abiurarent, & Dijs Romani imperij thura litarent. Ex Africa venit Malacam vrbem maritimam, quidam Ruffinus nomine Iudex, qui antea plurimos ad mortem traxerat, dum per Hiſpaniam vagaretur, Chriſticolas. Hic cùm* Malacæ *ſoluit, Imperatoris edicta fecit publicari, quatenus omnes, qui Chriſti fidem amplecterentur, carceri mancipatos teneret, donec aut Dijs ſacrificia offerrent, aut vitam exuerent. Inter alios igitur Chriſtianos, quos ſatellitum inquiſitio comprehenderat, erant* CYRIACVS *Iuuenis venuſtus, &* PAVLA *virgo pulcherrima de Genere* Oppiorum *vetuſtiſſimorum Chriſtianorum, qui primi Chriſti miracula in* Hiſpanias *inuexere, & ex eadem vrbe oriundi. Quos cùm ante ſe, in tribunali ſedentem, perduci iuſſiſſet Iudex, dixit* CYRIACO: Qui vocaris, vel ex qua natione te oſtendis? edicito nobis. *Cui reſpondens S. Iuuenis dixit:* Mihi nomen CYRIACVS, hæc Virgo PAVLA, huius vrbis oriundi, ex parentibus, & genitoribus Chriſtianis, Chriſtiani ſumus. *Quibus Ruffinus:* Nunc ergo audite me, & eligite vobis, è duobus vnum reſponſum: Aut Diis ſacrificate immortalibus, & eſtote amici inuictiſſimi Imperatoris, aut certè ſuſcipite ſententiam nefandorum criminum. *Reſpondit tunc* S. CYRIACVS: Vltimam ſententiam

Ruffinus Iudex.

Edicta.

Origo, & genus.

Iudicis ſententia.

Digitized by Google

ſententiam eligimus; nam primum totis viſceribus abhorremus. *Tunc iuſſit eos Præſes diuerſis tormentis cruciari; ſed cùm non poſſet Sanctos Martyres à propoſito confeſſionis fidei auertere, in campum extra vrbem deduci, & lapidibus impeti præcepit, atque ita religioſi Martyres migrantes ad Dominum ſempiternam felicitatem ſunt conſecuti* XIV. Kalend. Iulij, *Anno Domini* CCC. V. *Martyrum conſtantia.* *Coronãtur.*

Ex hiſce ACTIS licet breui prolocutione narratis agnoſcent *Malacitani* Ciues, qualis ſuorum Sanctorum Martyrum fuerit agonis ſtructura, & anni numerus hactenus ab ipſis ignoratus. Illorum memoriam *Malacitanis* Martyrum primus poſt Sarracenorum oppreſſionem reſtituit Innocentius VIII. Pont. Maxim. *in ſuo Breui* (inquit Truxillo) *quod miſit ad Catholicos Reges* Ferdinandum, & Iſabellam, *agendo eis gratias, pro eximio quodam munere ab eis accepto; quando ſibi comparârunt vrbem* Malacam: *& faciens mentionem dictorum Sanctorum, dicit:* Quòd fuerunt ſimiles B. Stephano in ſuo martyrio. Eadem referunt Morales, Padilla, & Roa, & cæteri ex Noſtratibus. Qui meritò reprobant picturas *S. Cyriaci*, quæ perperam cum dalmatica, cùm non fuerit *Diaconus*, ſed ſecularis, effigiantur. *Innocentij VIII. placitum de patria Sanctorum.* *Perperã cũ dalmatica pingitur Cyriacus.*

SED hîc venit inueſtiganda quæſtio, circa Sanctorum Martyrum paſſionis annum, nam vt ex ACTIS vides, eos ad Annum CCC. V. martyrio coronatos fuiſſe pateſcit. Aſt *Iulianus* Archipresbyter Toletan. in *Aduerſar. num.* 14. ipſos antiquiores appingit, hac ſerie: *Durabat adhuc per hæc tempora memoria Sanctorum fratrum* CYRIACI, *&* PAVLÆ *Ciuium* Malacitanorum, *qui doctrinâ* S. TORQVATI *Epiſcopi* Malacitani, *S. Iacobi diſcipuli, conuerſi ad fidem, conſanguinei ſancti cuiuſdam Malacitani Centurionis, Anno* LX. *in perſecutione Neronis paſſi ſunt* XVIII. *Iunij.* Quid clarius? Sed & illum in eiſdem *Aduerſar. num.* 156. *fol.* 37. prolixius audi loquentem: *Floret memoria in* Hiſpania *SS. Martyrum, & fratrum, Ciuium* Malacitanorum, *qui* S. TORQVATI *diſcipuli fuerunt, & conſanguinei, vt dicitur,* S. Oppij Malacitani, *Centurionis, cuius* Dexter *meminit. Paſſi ſunt Anno* LIIX. *in principio perſecutionis* Neronianæ *grauiſſimos pro fide cruciatus, verbera, equuleúmque. Tandem lapidati ſub Iudice* Aloto, qui S. Torquatum, *& alios occidit,* XVIII. Iunij *obierunt.* Hanc ipſam opinionem *Iuliani* prorſus inſequitur P. Biuar. *in Not. ad Addit. S. Braulion. num.* 28. *fol.* 47. Ideo, & Nos illam amplectentes, credimus Auctorem ACTORVM minus benè inſtructum, circa Anni computationem ſe geſſiſſe, cùm re verâ potius *Iuliano* deferendum eſt, qui & antiquior, & in Sanctorum *Hiſpaniæ* inueſtigandis actionibus profundior extitit obſeruator. Nec minus hic audiendus eſt Petrus Cabilonenſis *in Topograph. SS. verb.* Belon. *fol.* 98. *col.* 2. qui apud BELON vrbem *Hiſpaniæ* in freto Herculeo paſſos contendit, quia communis adeſt ſententia, imò ipſa veritas in contrarium. *Quo Anno paſſi?* *Iuliani opinio.* *Probabilior.* *Cabilonenſis error.*

MALACA. Celebris in Hiſpaniæ Bætica vrbs Epiſcopalis, & munitiſſimum ad Mediterraneum mare, è regione Africæ, emporium. De ea Plin. *lib.* 3. *cap.* 1. Ptolem. *lib.* 2. *Geograph. Tabul.* 2. *cap.* 4. Strab. *in Geograph. lib.* 3. qui huius vrbis fundatores, & conditores *Phœnices* fuiſſe ſuſpicatur. Huius opinione probatur, *Malachum* Phœnicem, huius gentis ducem, vrbi à ſe conditæ nomen dediſſe, in cuius probationem illud Piſiſtrati Epigramma recenſent. *Topographia.* *Quis eius conditor.*

Sex minus elapſi fuerant, quam Mille bis anni,
Cùm nouus ex nihilo conditus orbis erat.
Reſtabant totidem venturi ad tempora Chriſti,
Si tamen ex illis bis duo luſtra feras.
Cum Malacus Malacam *ſtatuit Phœnicius vrbem,*
Quæ fundatoris nomine dicta fuit.

Sed qualis hæc ſententia ſit, alibi auctoritate P. Martini de Roa *in ſua Malaca. c.* 2. dicemus. Hodie hæc vrbs MALAGA dicitur.

Digitized by Google

B. SS. THEODOLVS, LEONTIVS, IOSEPH, & MARIA Martyres.] Hoſ-
Eorum memoria ex Noſtris. çe ſanctiſſimos Agoniſtas in Arabica perſecutione ad Annum DCC. LXXXV. paſſos, Luitprandi in *Chron. n.* 149. & Iuliani Archipresbyteri Toletani *in Chron. n.* 403. verba ſuadent. Ille hac ſerie: *in* Caſtro Octauiano *prope* Barcinonem S. MARIA, IOSEPH, VICTOR, & THEODVLVS *ſancti Dei*. Iſte hæ clauſulâ: *In* Caſtro Octauiano *patiuntur pro fide* THEODVLVS, *&* LEONTIVS, *&* IOSEPH *Martyres illuſtriſſimi, & fortes*. Vterque Chronographus eorum paſſionem referunt ſeculo VIII. id eſt ab Anno DCC. ad DCCC. ex quo meo videri elicitur, ipſos Sarracenorum gladiis occubuiſſe. Qui fuerint, quæ pertulerint flagra, nec Chronographi referunt,
Acta perierunt. nec à quibus ACTORVM Scriptoribus ſuxêre relationem inuenire potuimus. Illos hoc die ſubiicimus, quia in *Martyrologio Romano*, & aliis, memoriam *SS. Theoduli, & Leontij Martyrum* apud *Tripolim* in *Phœnicia* comperimus, licet perperam D. D. Laurentius Ramirez in *Notul. ad Iulian. n.* 403. *fol.* 97. in *Phrygia* paſſos aſſeueret, quando Menologium, & Martyrologium Romanum eruditiſſimum Virum ab errore deducunt. Noſter etiam gentilis D. Thomas Tamayo in *Not. ad Luitprandum fol.* 168. in horum Sanctorum Martyrum cognitione ſubſiſtit, idcirco & Nos vlterius progredi, temerarium.

Topographia. CASTRVM OCTAVIANVM. Conditum fuiſſe ab *Octauiano Auguſto* prope *Barcinonem*, tempore, quo ipſe Imperator apud *Tarraconem* degebat, Ambroſ. Moralius *Hiſtor. Hiſpan. lib.* 10. *c.* 2. & Ieronymus Pujades *Hiſtor. Cathalon. lib.* 3. *c.* 92. *fol.* 142. contendunt. Quod & probatur ex Actis vetuſtiſſimis *S. Seueri* Epiſcopi Barcinonenſis, ab ipſo Pujades *lib.* 6. *c.* 31. *fol.* 283. relatis, ibi: *Iſte* Seuerus *Barcinonenſis Epiſcopus, & Martyr ſanctiſſimus fuit, atque martyrio coronatus eſt*, VIII. *Idus Nouembris*, *Anno Domini* DC. VIII. *Cuius Corpus requieſcit* VIII. *Milliario ab vrbe* Barcinonenſi, *in loco, qui dicitur* CASTRVM OCTAVIANI, *in monaſterio* S. Cucuphatis. Et id ipſum patet ex Actis Inuentionis Corporis S. Cucuphatis, quæ ſupra dedimus *Tom.* 2. *Die XXIX. April. fol.* 813. *lit. C.* Hodie in locum *Caſtri* Monaſterium inuiſitur Benedictinum, quod S. COLGAT del Valliès, Gotholanico nuncupatur idiomate.

Huius feſti cauſa. DEPOSITIO ſacrorum Pignorum S. MARINÆ Virginis, & Martyris.] Hanc feſtiuitatem DEPOSITIONIS Reliquiarum S. MARINÆ Virginis & Martyris Alexandrinæ celebrant Fratres B. MARIÆ de Mercede, eo quod in eorum Barcinonenſi Monaſterio huius S. Virginis lipſana recondita aſſeruari contendunt; provt & notauit Anton. Vincent. Domen. *Hiſtor. SS. Cathalon. fol.* 55. *lib.* 1. *col.* 3. Et licèt in Breuiario Antiquo illius candidiſſimæ Religionis hoc feſtum ad Diem XVI. Iulij reiiciatur, attamen illud ipſa Duplici Maioris ritu concelebrat, vbi Hymnus, & Reſponſoria carmine recitantur: aſt nihil in Lectionibus de Tranſlatione ſanctarum Reliquiarum. Illas Venetiis Anno M.C.XIII. à quodam Iacobo tranſlatas refert Petr. de Natal. *in Catalog. SS. lib.* 6. *c.* 108. Quidquid ſit, fides ſtat apud Noſtros, & Traditionis antiquiſſimæ ſymbolum. In Breuiario relato Mercenariorum, hic aut Hymnus, aut Proſa.

PRO S. MARINA, V. ET M.

Hymnus.

Salamandra viuit igne,
Nec in igne comburitur:
Sic tuum Corpus inſigne
Feruore non corrumpitur.
Dum vixiſti tàm benignè
Inter viros perlegitur;
Nihil egiſti malignè,
Nec tua mens inficitur.
Chamæleontis naturâ
Mundi huius ergaſtulo,
Vixiſti iam Deo pura
Flatu diuino patulo.
Spiritus almi cenſura
Te punit in hoc ſeculo;
Vt vita nempe futura
Dei fruaris ſpeculo.

Sicut

Digitized by Google

Sicut Talpa, ſola terra
Viuens nempe reficitur,
Tua vita ſine guerra
Terrena foſſa traditur.
Lingua ſcindens velut ſerra
Tuam famam perſequitur,
Geſtabas peccati fera,
Tibi crimen apponitur.
Piſciculus Halex viuit
In maris largis fluctibus,
Sic tua mens ſancta ſciuit
Manere viua luctibus.
Pro peccatis quæ neſciuit,
Nec malis vſufructibus,
Pœnas ſufferre quæſiuit
Cordis amaris ductibus.

Gloria Patri Domino,
Eiúſque Vnigenito,
Procedentique Domino
Ex Patre, atque Genito.

In Reſponſoriis etiam, vt diximus, aliorum Hymnorum fragmenta inſeruntur, & carmine interpolantur. Hanc ſanctiſſimam Virginem, & Martyrem à Noſtra MARINA Virgine, & Martyre Gallæca, vna ex Nouem Sororibus, C. Attilij Reguli filiabus, de quibus tumultuariè Nos ſupra *Tom.* 1. *Die XVIII. Ianuar. fol.* 183. lit. A. fuiſſe diuerſam, ex inferius *Tom.* 4. *Die XVIII. Iulÿ.* dicendis, patebit. Nunc pro coronide de S. MARINA Alexandrina, auſcultа Epigramma:

Fœmina, Vir: verùm nec Vir, nec Fœmina, Virgo
Infantis, Cuius qualia monſtra putes?
Omnia ſola tuli: non omnia: meque tulêre.
Iura metum ſuperant, cœlica facta fidem.

Qui res geſtas à S. MARINA Virgine, & Martyre Alexandrina perlegere cupit, adeat Lyppomanum *Tom.* 7. Surium *Tom.* 3. & alios Florum Sanctorum Scriptores, apud quos ad amuſſim.

TERTIODECIMO KAL. IVLII.

DIES XIX.

A. S. GERVASIVS *Frater* S. Prothaſij *Martyrum* Mediolanenſium, *qui comitatus eſt ad* Hiſpanias *S. Philippum Philotheum, ibidémque munus prædicationis exercent, & tandem* GERVASIVS Mediolanum *reuerſus cum fratre patitur.*

A. *Apud* SEGVNTIAM *Hiſpaniæ feſtiuitas* DEDICATIONIS *ipſius S. Cathedralis Eccleſiæ, qua celebri repetitur anniuerſario, & pompâ quotannis celebratur illuſtri.*

NOTÆ.

A.

SANCTVS GERVASIVS Martyr Mediolanenſis, & Hiſpaniæ Prædicator.] Illuſtris eſt *SS. Geruasij*, & *Prothasij* Memoria apud Eccleſiaſticos Scriptores, quorum elogia, quia communia ſunt, lubens omitto. Quatenus ad prædicationem cum S. *Philippo Philotheo* in *Hiſpania*, audi *S. Braulionis* ſententiam in *Addit. ad M. Max. n.* 29. apud Biuar. *fol.* 47. ſequentem: *Memoria celebris habetur in Gallia, & in* Hiſpania S. Philippi, *quem præmiſit S. Clemens ante Eugenium in* Hiſpanias, *& Gallias. Venit Rothomagum cum Leone Epiſcopo Rhotomagenſi, poſtea verò Vaſconenſi, & cum* GERVASIO, *qui prædicat in Gallia*, Cantabria, *& per* Hiſpaniam. En locus *Braulionis Cæſaraugustani* Epiſcopi. Sed quo iure GERVASIVM Comitem *Philothei*, Mediolanenſem Martyrem credo, ſciſcitaberis? Teſtem Biuar. in *Not. ad Dextr. in Chron. Ann.* 91. *n.* 6. *fol.* 186. aduoco, qui ibidem expreſsè fatetur, illum ipſiſſimum comitem fuiſſe GERVASIVM conciuem ſuum, cuius, poſt coronam, cum *Prothaſio* fratre corpora ſepeliuit, eorúmque ACTA deſcripſit. Sed hæc *Biuarij* opinio mihi non arrideret, ni habuiſſem pro eâ fulciendâ vetuſtum *Epigramma MS.* inter Opera *Auli Hali* mei, in quo Epitaphium pro *S. Philippo Philotheo* inſcribitur, his ad propoſitum carminibus; in quibus pro more proſodiæ rigor non ſeruatur.

An Hiſpaniæ prædicator?

Probatur I.

Probatur II.

Me Mediolanum genuit, me inſtruxit Athena,
Gallia me patrem nouit, Ibera ſophum.
Hanc Ter luſtraui; primùm cùm agmina plebis
Direxi Rector dulcis Areua tua.
Hincquè Leonis, poſt, veſtigia ſacra ſequutus,
GERVASIO comite, Martyre poſtque meo.
Denique Clementis mandata hùc ſancta Magiſtri
Obediens, noſter vrbes amænat amor.

Probatur III. ex Breuiarijs.

Iam ex Epitaphij fruſto hoc, vides, qualis iſte *Geruaſius* fuerit, qui comitatus *Philotheum*, Hiſpanias inuiſit, prædicauit, & erudiuit. Qua fortè de cauſa celebre eius Officium in omnibus ferè *Hiſpaniæ* Eccleſiis reperitur, vt ex earum peruetuſtis apparet *Breuiarijs*, nullo prorſus deficiente à *Muzarabi* ad vltimum. Eius ACTA vna cum fratre *Prothaſio* ſcripſit, vt diximus, idem *Philippus Philotheus*, quæ *Metaphraſtes*, pòſt *Lyppomanus*, & tandem *Surius* retulerunt, quibus poſtmodùm adhæsêre Noſtri *Florum SS. Scriptores* tàm antiquiores, quàm recentiores. Ea provt ab ipſo *Philippo Philotheo* fuerunt ſcripta, additis iis, quæ ad Noſtratum prædicationem ſpectant, dabimus.

ACTA S. GERVASII MARTYRIS Mediolanenſis, & Hiſpaniæ Prædicatoris, ex Philippo Philotheo Conciue.

Parentes.

EGO *ſeruus Chriſti* Philippus, *intra domum meam hæc corpora Sanctorum cum filio meo rapui, & ſepeliui. Quorum mater* Valeria, *pater* Vitalis *dicti ſunt, quos vno ortu geminos genuerunt, & vnum* Prothaſium, *Alterum* GERVASIVM *vocauerunt. Et poſteaquam pater eorum* B. Vitalis *martyrio eſt coronatus, atque Beatiſſima mater* Valeria *migrauit ad Chriſtum*, GERVASIVS *mihi adhærens, Gallias*, Hiſpaniáſque *inuiſit, vbi prædicationis cum* B. Leone *Rothomagenſi munere obito*, Mediolanum *reuerſus, ipſe & frater domum propriam, in qua nati fuerant, & res parentum, & caſellulas venundantes*

In Hiſpanias prædicatũ venit Geruaſius.

venundantes, dederunt pretium pauperibus, & familiolæ ſuæ, quam ingenuam fecerunt, & ipſi ſe in vno cœnaculo concluſerunt, per decem annos lectioni, & orationi vacantes, hoc ordine in anno conuerſationis ſuæ vndecimo ad palmam martyrij peruenerunt. Superueniente Aſtatio, *qui proficiſcebatur ad bellum, quod à Marcomanis fuerat excitatum, occurrerunt ei Templorum cultores, cum Sacerdotibus ſuis dicentes: Si vis lætus ad Auguſtos Noſtros reuerti, & victor,* Prothaſium, & GERVASIVM *ſacrificare compelle. Vehementer enim Dij Noſtri de eorum contemptu commoti, nobis dare reſponſa contemnunt.*

AVDIENS *hæc Aſtaſius Comes iuſſit eos teneri, & ad ſe duci, quibus dixit:* Hortor vos, vt à Deorum noſtrorum iniuriis temperantes, ad immolandum eis deuoti ſtudeatis inſiſtere, vt expeditius omnia ſuauiter celebrentur. *Gerualius dixit:* Victoriam debes à Deo Omnipotenti requirere, non à ſimulacris immundis, & vanis, quæ oculos habent ſine lumine, aures ſine auditu, nares ſine odoratu, os ſine guſtu, & ventrem abſque interioribus habere probantur, & ſine flatu eſſe noſcuntur. *Indignatus Comes Aſtaſius, iuſſit eum tandiu plumbatis tundi, quandiu exhalaret ſpiritum. Quo facto eadem cum Prothaſio exercuit, & ideo vterque ad ſuperos Martyres euolauit inuictus. Et ego* Philippus *abſtuli cum filio meo furtim nocte ſancta iſta corpora, & in domo mea, Deo ſolo teſte, in iſta arca ſaxea ſepeliui, credens me orationibus eorum conſequi miſericordiam Domini Noſtri Ieſu-Chriſti, qui cum Patre, & Spiritu-Sancto viuit, & regnat in ſecula ſeculorum. Amen.*

Comprehẽduntur fratres.

Cor onãtur.

Hæc ſunt quæ ad S. GERVASIVM ex Actis ſpectant, cætera prolixius apud Scriptores Eccleſiaſticos pete. Nunc Epitaphium Morelli auſculta:

Verbera pro Chriſto expirat Geruaſius *inter,*
Contuſus, truncus, Prothaſi, *at ipſe cadis.*
Sunt bona pauperibus, libertas tradita ſeruis,
Nacta hinc impietas perdere quî valeant.
Hoc non indigno inuentos contexit honore
Ambroſius, *dignus non erat ille locus.*

Illorum corpora inuenit S. Ambroſius, quæ in honoratiori loco repoſuit.

DEDICATIO S. E. Seguntinenſis.] Hæc celebris vrbs, quæ Epiſcopali Sede condecorata eſt, vt ex Lucenſi Concilio liquet, vbi ei fuêre termini conſignati, ita vt *teneret de Coſte vſque Fuſcum; de Godol vſque Pinam*, & eius diœceſis ſitus magnam Celtiberorum, Areuacorum, Veronum, & Carpetanorum partem continebat, hodie ad Orientem per Aragoniæ regnum, iuxta diœceſes Cæſarauguſtæ, Turiaſonæ, & Segobricæ terminatur; & ad Occidentem Toletano adhæret Archiepiſcopatui; ad Meridiem Tagi litora, circa Conchenſis diœceſis limina, lambit; & denique ad Septentrionem partes Vxamenſis, Turiaſonenſis, & Segobienſis Epiſcopatuum attingit. In huius igitur vrbis terminis prædicaſſe Euangelium IACOBVM Noſtrum, tanquam Primum Hiſpaniarum Apoſtolum, generaliter creditur; ſed vrbem & diœceſim ſpeciali miniſterio *Sergium Paulum*, eo tempore, quo cum *Paulo* Gentium Apoſtolo Noſtras aduenit. Hinc Epiſcoporum ſeriem Scriptores Noſtri deducunt, vt referunt M. Ægidius Gonzal. Regius Chronographus in *Theatr. Eccleſ. tom. 1. fol. 144.* D. Didac. Portocarrero in *Catalog. Epiſcop. Seguntinenſ. n. 1. fol. 7.* Ex quibus, & Nos diptycham exſcribemus.

B. *Seguntini Epiſcopatus termini referuntur.*

Qui huius diœceſis Præſtatores?

CATALOGVS SEGVNTINENSIVM Epiſcoporum in Hiſpania; ex Variis.

I. S. PAVLVS huius nominis I. Epiſcopus Seguntinenſis I. cognomento Sergius, venit in Hiſpaniam cum S. Paulo Apoſtolo, & ipſius vrbis Epiſcopus factus, poſtmodùm Narbonæ occubuit Anno LXXVI. 76.

Digitized by Google

II. S. SACERDOS huius nominis I. Epiſcopus Seguntinus II. qui ex Gallia Lugdunenſis Præſul ad Athanagildum Legatus, in Hiſpanias veniens ab ipſo Rege Seguntinus factus, pòſt in Galliam reuerſus vitam S. Confeſſor exuit V. Maij Anno Domini D. LXX. 570.

III. PROTOGENES huius nominis I. Epiſcopus Seguntinus III. interfuit Concilio III. Toletano, & Gundemari Decreto, eius memoria ad Annum DC. X. 610.

IV. IDISELVS huius nominis I. Epiſcopus Seguntinus IV. interfuit Conciliis IV. V. & VI. Toletanis, cuius memoria ad Chriſti Annum DC. XXXVIII. attingit. 638.

V. AVDERICVS huius nominis I. Epiſcopus Seguntinus V. interfuit Toletanis VII. VIII. IX. & X. Conciliis, eius memoria ad Annum Domini DC. LIX. 659.

VI. EGICA huius nominis I. Epiſcopus Seguntinus VI. interfuit Concilio Toletano XI. Huius tempore facta fuit diuiſio Epiſcopatuum Hiſpaniæ, ex Luitprando: eius memoria ad Annum DC. LXXV. 675.

VII. ELA huius nominis I. Epiſcopus Seguntinus VII. interfuit XIII. & XIV. Conciliis Toletanis. Eius memoria ad Domini Annum DC. LXXXIV. 684.

VIII. S. GVNDERICVS huius nominis I. Epiſcopus Seguntinus VIII. ex Archidiacono Toletano. Fuit Felicis Epiſcopi Toletani Diſcipulus, eiuſque ſucceſſor: obiit die XXIX. Decembris Anno Domini DCC. VIII. Vir ſanctitate illuſtris, de quo Tom. 6. agemus. 708.

IX. SIMEON, ſiue SINDEREDVS huius nominis I. Epiſcopus Seguntinus IX. Huius tempore inuenta ſunt ſacra pignora S. Liberatæ; & Hiſpaniæ euenit excidium. 714.

X. SISEMVNDVS huius nominis I. Epiſcopus Seguntinus X. de quo celebre elogium apud S. Eulogium, qui eum viſitauit ad Annum Chriſti DCCC. XXXI. 831.

Huius Sedis Pontificum memoria deficit ad Annum Domini M. C. XXII. quo nouiter Diœceſis ſequentes protulit Antiſtites reſtaurata, vt ex Chronicis apparet Eccleſiaſticis.

XI. D. BERNARDVS huius nominis I. Epiſcopus Seguntinus XI. Gallus ex Monacho Cluniacenſi, S. E. Toletanæ Præcentor. Pòſt electus Archiepiſcopus Compoſtellanus, obiit Anno Domini M. C. XLIII. 1143.

XII. D. PETRVS huius nominis I. Epiſcopus Seguntinus XII. qui forum Molinæ confirmat, & alia priuilegia ab Alfonſo VII. Imperatore S. E. Segobienſi, & aliis conceſſa. Eius memoria ad Annum Domini M. C. LV. De quo altum ſilentium apud M. Ægid. Gonzal. Chronographum Regium in Catalogo Epiſcoporum Seguntinorum *Tom. 1. fol. 149.* 1155.

XIII. D. CEREBRVNVS huius nominis I. Epiſcopus Seguntinus XIII. Gallus Pictauienſis ex Archidiacono Toletano, & Magiſtro Regis Alfonſi VIII. Poſt ad Metropoliticam Toleti ſedem tranſlatus ad Annum M. C. LXVI. 1166.

Duo pòſt hæc intromittuntur Antiſtites Seguntini alius nomine GVILLELMVS, alius GONZALVS, ſed perperam, quia verus ſucceſſor fuit GOSCELINVS, cuius nomen inuertentes amanuenſes penitus corruperunt. Ita Portocarrer. *fol. 18.*

XIV. D. GOSCELINVS huius nominis I. Epiſcopus Seguntinus XIV. Anno M. C. LXX. confirmat ſcripturam Alfonſi VIII. in fauorem Oppidi Alcarazen. & alia plura priuilegia, & interfuit deditioni Vrbis Conchenſis. Eius memoria ad Annum Domini M. C. LXXVII. 1177.

TRES

TRES ſequentes Præſules Seguntinos prorſus omiſit M. Ægidius Gonzal. Regius Chronographus *in Catalog. fol.* 150. *cap.* 6.

XV. ARDERICVS huius nominis I. Epiſcopus Seguntinus XV. confirmat priuilegium exemptionum Clero Segobienſi conceſſum ab Alfonſo VIII. Pòſt, vt creditur, ad Eccleſiam Palentinam tranſlatus ad Annum M. C. LXXXIII. 1183.

XVI. D. GVNDISALVVS huius nominis I. Epiſcopus Seguntinenſis XVI. cum eodem Rege Alfonſo VIII. confirmat priuilegium S. Æmiliani Cucullenſis Cœnobij, ad Annum Domini M. C. LXXXIV. 1184.

XVII. D. MARTINVS huius nominis I. cognomento *Piſuerga*, Epiſcopus Seguntinus XVII. qui interfuit dotationi Monaſterij Obilenſis, pòſt ad Sedem Patriarchalem tranſlatus Toletanam, Anno M. C. XCI. obiit Anno M. CC. VIII. 1191.

XVIII. D. MARTINVS huius nominis II. cognomento *Finojoſa* Epiſcopus Seguntinus XVIII. ex Abbate Hortano; fuit ſanctitate illuſtris, Epiſcopatum dimiſit, & ad ſilentium Monaſterij reuerſus, obiit die XVI. Septembris Anno M. CC. XIII. dimiſsâ Sede Anno M. C. XCIII. 1193.

XIX. D. RODERICVS huius nominis I. Epiſcopus Seguntinus XIX. interfuit miraculoſæ victoriæ, quam dicunt *de las Nauas*, in cuius tempore S. P. Franciſcus in Hiſpanias venit. Eius memoria ad Annum M. CC. XXI. 1221.

XX. D. LVPVS huius nominis I. Epiſcopus Seguntinus XX. qui tempore Ferdinandi III. Regis ab Anno M. CC. XXII. ad M. CC. XXXIV. plura confirmat priuilegia. Eius memoria (omiſsâ opinatione Porreñi) ad Annum M. CC. XXXVII. 1237.

XXI. D. FERNANDVS huius nominis I. Epiſcopus Seguntinus XXI. quem nonnulli cognominant PEREZ, fuiſſéque Protonotarium Bæticæ, & Archiepiſcopum Hiſpalenſem, affirmant. Eius memoria apud Seguntiam ad Annum M. CC. XLVI. 1246.

XXII. D. PETRVS huius nominis II. Epiſcopus Seguntinus XXII. confirmat priuilegia Ferdinandi III. & Alfonſi IX. Regum, creditur tranſlatus ad Sedem Conchenſem. Eius memoria ad Annum Chriſti M. CC. LIX. 1259.

XXIII. D. ANDREAS huius nominis I. Epiſcopus Seguntinus XXIII. hactenus ignotus, & Portocarreri Noſtri beneficio erutus, qui exiſtentiam huius per hæc tempora Antiſtitis, priuilegio Vallis-Paradiſi probat. Eius memoria ad Annum M. CC. LXVII. 1267.

XXIV. D. LVPVS huius nominis II. cognomento, vt creditur, HARO, Epiſcopus Seguntinus XXIV. quem cum D. LVPO I. confundunt Scriptores; iſte confirmat priuilegium Alfonſi IX. Regis Triginta tribus Equitibus, quos in arce reliquerat Baëcenſi, Anno M. CC. LXIX. 1269.

Hîc nonnulli ſcribentes ingerunt PETRVM Epiſcopum Seguntinum, & perperam; nam inuerſo ordine, quem Secundum ſupra diximus, ad hoc tempus reiiciunt.

XXV. D. GVNDISALVVS huius nominis II. Epiſcopus Seguntinus XXV. hactenus omiſſus, & diligentiâ D. Didaci Portocarrero reſtitutus, confirmauit aliquot priuilegia Alfonſi X. Regis. Eius memoria ad Annum M. CC. LXXXV. 1285.

XXVI. D. GARSIA huius nominis I. Epiſc. Seguntinus XXVI. qui Sanctij IV. Regis aliquot priuilegia confirmat. Huius tempore plurima notatu digna euenêre; quæ qui velit ediſcere, adeat Portocarrerum *in d. Catalog. fol.* 33. Eius memoria ad Annum M. CC. XCVIII. 1298.

XXVII.

Digitized by Google

XXVII. D. GVNDISALVVS huius nominis III. Epiſcopus Seguntinus XXVII. confirmat priuilegium Ferdinandi IV. Regis conceſſum Monaſterio Buxedenſi. Eius memoria ad Annum Chriſti M. CC. XCIX. 1299.

XXVIII. D. SIMON huius nominis II. cognomento *Giron*, Epiſcopus Seguntinus XXVIII. qui Corpus S. Liberatæ ſuæ Eccleſiæ reſtituit; qui & interfuit Concilio Prouinciali Pennafidelenſi. Eius memoria ad Annum M. CCC. XXVI. 1326.

XXIX. D. F. ALFONSVS huius nominis I. Epiſcopus Seguntinus XXIX. per renuntiationem *Simonis* prædeceſſoris, confirmat plura priuilegia ab Anno M. CCC. XXII. quamuis itidem *Simon* provt titularis, alia confirmaſſet. Vixit ad Annum M. CCC. XXXV. 1335.

XXX. D. PETRVS huius nominis III. Epiſcopus Seguntinus XXX. cuius licèt in Epitaphio Anno M. CCC. XXIX. obitus conſignetur, credendum eſt, irrepſiſſe mendum, in anni inciſione, cùm conſtet deceſſorem vixiſſe ad Annum M. CCC. XXXV. vt probat Portocarrer. *in d. Catalog. fol.* 40. ideo addendum eſt decennarium. 1339.

XXXI. D. BLASCVS huius nominis I. cognomento *Dauila*, Epiſcopus Seguntinus XXXI. de quo nihil aliud, quam inſcriptio inciſa in eius lapide ſepulchrali, licet etiam in anni conſignatione inſit error, cuius numero adde decennarium. 1344.

XXXII. D. GVNDISALVVS huius nominis IV. cognomento *Aguilar*, Epiſcopus Seguntinus XXXII. qui Anno M. CCC. XLIV. confirmat priuilegium Alfonſi XI. Monaſterio S. Æmilliani. Peruenit ad Annum M. CCC. LIII. 1353.

XXXIII. D. PETRVS huius nominis III. cognomento *Gomez Barroſo*, Epiſcopus Seguntinus XXXIII. fuit S. R. E. Cardinalis, carceri mancipatus à Rege Petro, cuius rigorem pertimeſcens, deſertâ ſede, Aragoniam adiit, circa Annum M. CCC. LVI. 1356.

XXXIV. D. IOANNES huius nominis I. cognomento *Garcia Manrrique*, Epiſcopus Seguntinus XXXIV. ex Canonico Toletano, Aurienſis Præſul. Ad Annum M. CCC. LXX. nonnulla priuilegia confirmat; pòſt Synodum congregat. Anno M. CCC. LXXVII. transfertur ad Sedem Toletanam, cuius electionem non approbauit Pontifex; ideo Anno M. CCC. LXXIX. aſſumptus fuit ad Apoſtolicam Compoſtellanam, quam poſtmodùm dimittens, & in Portugalliam aduentans, ibidem Sedes Braccarenſem, & Conimbricenſem adminiſtrauit, obiit Anno M. CC CC. XVI. 1379.

HIC M. Ægidius Gonzalez, & alij ingerunt D. LVPVM de Mendoza, quem primò enumerat Mindoniẽſem Præſulem, pòſt Seguntinum, demúmque Compoſtellanum. Aſt in Theatro huius Apoſtolicæ Eccleſiæ *Tom. 1. c. 17. fol.* 74. nihil de Epiſcopatu Seguntino refert: & optimè; nam vt inquit Portocarrero *in ſuo Catalog. fol.* 46. nec veſtigium aliquod inſtrumentale pateſcit, quo exiſtentia iſtius Præſulis in Sede appareat Seguntina, ideo & illum à ſuo Catalogo amandat, provt & Nos.

XXXV. D. IOANNES huius nominis II. cognomento *Serrano*, Epiſcopus Seguntinus XXXV. Prior Monaſterij Guadalupæi, pòſt Segobienſis Præſul, Vir doctrinâ, & prudentiâ clarus, & identidem virtutibus, obiit Anno M. CCCC. 1400.

XXXVI. D. IOANNES huius nominis III. cognomento *Illeſcas*, Epiſc. Seguntinus XXVI. ex Aurienſi, & Zamorenſi, ad hanc Sedẽ tranſlatus. Obiit in eius patriâ *Illeſcas*, die XV. Nouembr. Anno M. CCCC. XV. 1415.

XXXVII.

Digitized by Google

XXXVII. D. F. ALFONSVS huius nominis II. cognomento *Arguello*, Epiſcopus Seguntinus XXXVII. ex Ordine Minorum, & Palentino Præſule, Seguntinus, pòſt Anno M. CCCC. XIX. ad Cæſarauguſtanam Sedem tranſlatus, obiit Anno M. CCCC. XXIX. 1429.

XXXVIII. D. PETRVS huius nominis IV. cognomento *Fonſeca*, Epiſcopus Seguntinus XXXVIII. ex Abbate Valliſoletano, S.R.E. Cardinalis, qui Eccleſiam, & Domum Epiſcopalem Seguntinam ampliauit. Vitam exuit Anno M. CCCC. XXII. 1422.

XXXIX. D. ALFONSVS huius nominis III. cognomento *Carrillo*, Epiſcopus Seguntinus XXXIX. ex Archidiacono Conchenſi, & Vxamenſis Sedis Adminiſtratore, S. R. E. Cardinalis. Fuit Legatus à Latere ad Bononienſes à Martino V. Pont. Max. nominatus; Præfuit Concilio Baſileæ, obiit Anno Domini M. CCCC. XXXIV. ſepelitur Romæ. 1434.

XL. D. ALFONSVS huius nominis IV. cognomento *Carrillo de Acuña*, prædeceſſoris Nepos, Epiſcopus Seguntinus XL. ex Proto-Notario Apoſtolico; pòſt Anno M. CCCC. XLVI. ad Sedem Toletanam promotus, obiit Anno M. CCCC. LXXXII. 1446.

XLI. D. GVNDISALVVS huius nominis V. cognomento *de Sancta Maria*, Epiſcopus Seguntinus XLI. ex Canonico Burgenſi, & Aſturicenſi, Placentinóque Præſule; Fuit ad Sedem Apoſtolicam Orator, interfuit Conſtantiæ, & Baſileæ, obiit Anno M. CCCC. XLVIII. 1448.

XLII. D. FERNANDVS huius nominis II. cognomento *Lujan*, Epiſcopus Seguntinus XLII. Synodum diœceſanam congregauit, obiit Anno M. CCCC. LVIII. 1458.

XLIII. D. IOANNES huius nominis IV. cognomento *de Mella*, Epiſcopus Seguntinus XLIII. ex Auditore ſacræ Rotæ, & Archidiacono Madridenſi, & Præſule Zamorenſi, S. R. E. Cardinalis. Obiit Anno M. CCCC. LXVII. 1467.

XLIV. D. PETRVS huius nominis V. Epiſcopus Seguntinus XLIV. cognomento *Gonzalez de Mendoza*, ex Archidiacono Guadalajarenſi, Epiſcopo Calagurritano, S.R.E. Cardinalis, & demum Archiepiſcopus Toletanus. Obiit Anno M. CCCC. XCIII. 1493.

XLV. D. BERNARDINVS huius nominis I. cognomento *Carnajal*, Epiſcopus Seguntinus XLV. ex Epiſcopo Pacenſi, & Carthaginenſi S.R.E. Cardinalis. Obiit Anno M. D. XXIII. 1523.

XLVI. D. FEDERICVS huius nominis I. cognomento *Portugal*, Epiſcopus Seguntinus XLVI. ex Epiſcopo Calagurritano, & Segobienſi. Anno M. D. XXXII. fuit ad Sedem Cæſaraugustanam promotus, obiit Anno M. D. XXXIX. 1532.

XLVII. D. F. GARSIA huius nominis II. cognomento *Loayſa* Epiſcopus Seguntinus XLVII. ex Ordine Prædicatorum Generalis, Cæſaris Confeſſarius, Epiſcopus Vxamenſis, S. Cruciatæ Generalis Commiſſarius, Inquiſitor Generalis, Indiarum Præſes, S. R. E. Cardinalis, Anno M. D. XL. ad Hiſpalenſem Sedem promotus, obiit Anno M. D. XLV. 1540.

XLVIII. D. FERNANDVS huius nominis III. cognomento *Valdès*, Epiſcopus Seguntinus XLVIII. ex Sedibus Hellenenſi, Aurienſi, Ouetenſi, Caſtellæ Præſes, pòſt Præſul Legionenſis, Inquiſitor Generalis, Anno M. D. XLVI. ad Sedem Hiſpalenſem tranſlatus; obiit Anno M. D. LXVIII. 1546.

XLIX. D. FERNANDVS huius nominis IV. cognomento *Niño de Guevara*, Epiſcopus Seguntinus XLIX. ex Præſide, & Archiepiſcopo Granatenſi, Indiarum Patriarcha, & Caſtellæ Præſes. Obiit Anno M. D. LII. 1552.

D. PETRVS

L. D. PETRVS huius nominis VII. cognomento *Pacheco*, Epiſcopus Seguntinus L. ex Epiſcopo Mindonienſi, Ciuitatenſi, Pampilonenſi, & Giennenſi S. R. E. Cardinalis, Obiit Romæ Anno M. D. LX. 1560.

LI. D. FRANCISCVS huius nominis I. cognomento *Manrrique de Lara*, Epiſcopus Seguntinus LI. ex Aurienſi Sede, & Salmanticenſi, obiit eodem Anno. 1560.

LII. D. PETRVS huius nominis VIII. cognomento Gaſca, Epiſcopus Seguntinus LII. ex Peruanæ ditionis Præſide Palentinus Antiſtes, Synodum in ſua Seguntina diœceſi celebrauit, obiit Anno M. D. LXVII. 1567.

LIII. D. DIDACVS huius nominis I. cognomento *Eſpinoſa*, Epiſcopus Seguntinus LIII. fuit Caſtellæ Præſes, Generalis Inquiſitor, & S. R. E. Cardinalis; obiit Anno M. D. LXXII. 1572.

LIV. D. IOANNES huius nominis V. cognomento *Manuel*, Epiſcopus Seguntinus LIV. ex Decano Hiſpalenſi Epiſcopus Zamorenſis. Obiit Anno M. D. LXXVI. 1576.

LV. D. F. LAVRENTIVS huius nominis I. cognomento *Suarez de Figueroa*, Epiſcopus Seguntinus LV. ex Prædicatorum ordine. Obiit Anno M. DC. V. 1605.

LVI. D. F. MATTHÆVS huius nominis I. cognomento *Burgos*, Epiſcopus Seguntinus LVI. ex ordine Minorum Generalis Commiſſarius, Reginæ Margaritæ Confeſſarius, & Epiſcopus Pampilonenſis, Obiit Anno M. DC. XI. 1611.

LVII. D. ANTONIVS huius nominis I. cognomento *Vanegas de Figueroa*, Epiſcopus Seguntinus LVII. ex Canonico Toletano, S. G. Inquiſitionis Conſiliario Epiſcopus Pampilonenſis, obiit Anno M. DC. XIV. 1614.

LVIII. D. SANCTIVS huius nominis I. cognomento *Dauila*, & *Toledo*, Epiſcopus Seguntinus LVIII. ex Sedibus Carthaginenſi, & Giennenſi tranſlatus, & Anno M. DC. XXII. ad Placentinam promotus, tandem obiit Anno Domini M. DC. XXV. 1622.

LIX. D. FRANCISCVS huius nominis II. cognomento *Mendoza*, Epiſcopus Seguntinus LIX. in ſecularibus dignitatibus illuſtris, quibus inſignia munera obiuit, in Eccleſiaſticas vix ingreſſus, quando obiit. Kalend. Martij Anno M. DC. XXIII. 1623.

LX. D. PETRVS huius nominis IX. cognomento *Gonzalez de Mendoza*, Epiſcopus Seguntinus LX. ex ordine Minorum, Commiſſarius Generalis, Electus Epiſcopus Vxamenſis, deinde Archiepiſcopus Granatenſis, demum Cæſarauguſtanus, obiit Anno Domini M. DC. XXXIX. 1639.

LXI. D. FERNANDVS huius nominis V. cognomento *Valdès*, Epiſcopus Seguntinus LXI. ex Canonico Legionenſi, & Toletano Inquiſitore Præſul Teruelenſis, & Archiepiſcopus Granatenſis, & Caſtellæ Præſes, obiit Anno M. DC. XXXIX. 1639.

LXII. D. FERNANDVS huius nominis VI. cognomento *Andrade Sotomayor*, Epiſcopus Seguntinus LXII. ex Archidiacono Palentino, & Hiſpalenſi, Antiſtes Palentinus, & Archiepiſcopus Burgenſis. Anno M. DC. XLV. ex Seguntina ad Compoſtellanam Sedem tranſlatus, adhuc viuit. 1645.

LXIII. D. PETRVS huius nominis X. cognomento *Tapia*, Epiſcopus Seguntinus LXIII. ex ordine Prædicatorum, factus Segobienſis, pòſt Cordubenſis, nunc Hiſpalenſis Metropolita, viuit. 1650.

LXIV. D. BARTHOLOMÆVS huius nominis I. cognomento *Santos de Riſſoba*, Epiſcopus Seguntinus LXIV. ex Legionenſi, viuit. 1653.

Hactenus

Digitized by Google

Hactenus Seguntinorum Præſulum ſeries, quam proculdubio genuinam damus; In Cathedrali requieſcit Corpus S. LIBERATÆ Virginis, & Martyris Patronæ, de qua ſuo loco dicemus ad amuſſim.

DVODECIMO KAL. IVLII. DIES XX.

A. Hiſpali *in Hiſpania*, *Natalis* S. FLORENTINÆ *Sororis* SS. Leandri, Iſidori, & Fulgentij, *quæ Sanctimonialium Virginum Mater effecta, plurimos ad Sponſum obtulit ſodalium choros; Eius corpus vnà cum fratre* Fulgentio *apud* Berzocanam *in Diœceſi* Ambracienſi *honorifico anniuerſarij officio colitur Pridie Idus Martij.*

NOTÆ.

SANCTA FLORENTINA Virgo Abbatiſſa.] Inſignem eius memoriam recolunt Martyrologia *Bedæ*, *Vſuardi*, & recentiorum, à quibus *Martyrologium Romanum* cum Baronio *lit. F.* quamuis S. Virginem FLORENTIAM vocitet pro FLORENTINA. Cum Romano, conueniunt Martyrologia Caſtellanum *P. Vazq.* Luſitanum *P. Lupi*, & Hiſpanum MS. *P. Higuera*, in quibus, ſuis idiomatibus, hoc elogium. HISPALI *in Hiſpania* S. FLORENTINÆ *Virginis ſororis* SS. Leandri, Fulgentij, & Iſidori *Epiſcoporum.* Eadem Martyrologium Monaſtic. VVionis *tom. 2. lib. 3. fol.* 200. & Hugonis Menardi *fol.* 52. De ea S. Maximus in *Chron. Ann.* 534. vbi Biuar. §. 18. *fol.* 398. & *Ann.* 579. §. 55. *fol.* 579. Luitprand. in *Aduerſ. n.* 217. 226. & 229. apud Tamayo: *n.* 243. 252. & 255. apud Ramirez. Iulianus Toletan. *in Chron. n.* 264. *fol.* 60. Marineus Sicul. *de Reb. Hiſpan. lib.* 5. Ambroſ. Moral. *Hiſtor Hiſpan. lib.* 12. *c.* 5. Marieta *Hiſtor. SS. Hiſpan. lib.* 5. *c.* 22. Bleda de *Expulſ. Mauror. lib.* 7. *c.* 2. P. Anton. Yepes in *Chron. Benedictin. tom.* 1. *Ann.* 599. *c.* 1. *fol.* 411. Padilla *Hiſtor. Eccleſ. Hiſpan. tom.* 2. *Cent.* 7. *c.* 13. & 14. Alfonſus Morgado *Hiſtor. Hiſpalenſ. lib.* 1. *c.* 8. *fol.* 15. D. Paulus de Spinoſa *ead. Hiſt. lib.* 2. *c.* 20. *fol.* 89. Rodericus Caro de *Antiquitat. Hiſpalenſ. lib.* 2. *c.* 11. *fol.* 70. *col.* 2. P. Anton. Quintana - Dueñas *Hiſtor. SS. Hiſpalenſ. fol.* 254. Franciſc. Caſcales *Hiſtor. Murcian. Diſcurſ. fin. c.* 6. *fol.* 449. F. Alfonſus de Vargas *Hiſtor. Hortan.* §. 3. *fol.* 14. F. Alfonſus Fernand. *Hiſtor. Placentin. lib.* 1. *c.* 22. *fol.* 75. Ego in *Vit. S. Epitaſij, c.* 1. *n.* 25. *fol.* 137. F. Gabriel. de Talavera *in Obſeruat. ad Hiſtor. Guadalupenſ. tract.* 1. §. 15. P. Martin. de Roa *Hiſtor. Aſſigitan. lib.* 2. *c.* 6. *fol.* 100. F. Prudent. de Sandoual. *in Not. ad Regul. S. Leandri fol.* 17. F. Roderic. de Yepes *in Omnimoda Hiſtoria.* Eius quoque olim Officium recitauêre plures *Hiſpaniæ Eccleſiæ*, vt ex earum *Breuiarijs* apparet, & *Legendarijs*, licèt diuerſis diebus. Nam *Muzarabe, Compoſtellanum*, & *Palentinum* h. d. Hiſpalenſe, Salmantinum *Idibus Martij.* Die XIV. eiuſdem Zamorenſe, Abulenſe, Conchenſe, Carthaginenſe, & Legionenſe S. Virginis feſtum colebant, necnon & S. E. Placentina, cum aliis pluribus. ACTA ſcripsêre Truxillo *in Theſ. Concionat.* 2. *p. fol.* 708. Æmillianus Sanctorus Lucius, Villegas, Maldonado, & alij Florum SS. Scriptores. Illa ex Legendario Hiſpalenſi dabimus, quæ cum Lectionibus *Breuiariorum* communia ſunt.

A. *Martyrologia.*

Scriptores.

Breuiaria.

ACTA S. FLORENTINÆ VIRGINIS Abbatiſſæ, ſororis SS. Leandri, Fulgentij, & Iſidori Epiſcoporum; ex Breuiarijs Hiſpaniæ, & Legend. Hiſpalenſi.

Parentes. FLORENTINA, *beatiſſima Virgo incomparabilis moribus, & ſanctitate fuit, temporibus Iuſtiniani Imperatoris Romani, filia Ducis* Seueriani *Carthaginenſis, &* Turturæ *coniugis eius; qua Tres habuit fratres, ſcilicet* Leandrum *Epiſcopum Hiſpalenſem; &* Fulgentium *Aſtigitanum, & poſt Carthaginenſem Epiſcopum; &* Iſidorum *Epiſcopum etiam Hiſpalenſem, Viros eruditos in omni ſanctitate, & doctrinâ, protectores, & Doctores totius Heſperiæ, & vniuerſæ Eccleſiæ. Habuit etiam ſanctiſſimum Martyrem* Hermenegildum *conſobrinum, &* Reccaredum *glorioſiſſimum Principem, filios ſororis ſuæ nomine* Theodoræ, *quorum mores, & conſtantiam, ipſa verè fuit imitata: cuius odoris fragrantiâ, & imitatione ſanctitatis* Hiſpaniarum *Eccleſiæ fulsêre inſignes. Hac igitur Virgo Deo deuota, cùm* S. Iſidorus *in cunabulis nutriretur, proſpexit quoddam examen apum, in ore eius frequentare vices; territa quid hoc eſſet, proſtrata in oratione intellexit, illum fore magnum Doctorem, & verum Pugilem contra hæreticos, quos à finibus Heſperiæ foret propulſurus: & quod oculis contemplationis vidit, poſtea oculis propriis feliciter eſt intuita. Et quia* B. Iſidorum *tàm admirabilem fore ſciebat, ipſum nutrire, non lacte carnis, ſed lacte ſpiritus, cum omni diligentia ſtudebat, ipſa ſeſe cuſtodiens ab omni inquinamento vitiorum. Sed cùm Virgo in coniugium à plurimis Palatinis Proceribus expeteretur illuſtris, prorſus ſimile ſtatus impedimentum abhorrens, mundi illecebras, & ſeculi mores deſpiciens, ſuam virginitatem illibatam Chriſto ſponſo totis viſceribus deuouit; cuius ſanctitati quamplurimæ Virgines, & continentes, atque doctrinæ ſe ſubdiderunt, & velo Sanctimonialis inſignita fulſit quaſi ſtella matutina in medio nebulæ. Quis enarrare poſſit tantam Virginum multitudinem, pœnitentiæ labores, charitatis ardores, humilitatis apices, & aliarum virtutum margaritas ſubire, gaudentem? Hanc ſanctiſſimam* FLORENTINAM *in horto deliciarum florentem, virtutum in odore ſuauitatis florem campi, nimiâ dilectione ſuum ſequentem Sponſum, & amicum ſuper omnia aromata amplectentem, Beatiſſimi Præſules, ac fratres ſui informantes, nec non eiuſdem conſortium conſolationibus crebris animi & corporis, intendebant in omni doctrina, & eruditione quotidie ædificantes. Denique ſanctiſſimus* Leander, *eiuſdem* FLORENTINÆ *frater, ſcripſit ei vnum de* Inſtitutione Virginum, *& contemptu mundi Libellum, titulorum diſtinctionibus prænotatum, huiuſmodi.*

Fratres.

Conſobrini.

Examen apum in ore Iſidori.

Illius educatio apud ſororem.

Theodora ſoror coniugiũ abhorret.

Velum ſanctimonialis aſſumit.

Elogium.

Libellus Leandri ad Sororem.

IN NOMINE D. N. IESV-CHRISTI incipit Liber B. Leandri Hiſpalenſis Eccleſiæ Epiſcopi editus ad FLORENTINAM, *ſororem ſuam de* INSTITVTIONE VIRGINVM.

REQVIRENTI mihi, Soror chariſſima FLORENTINA, quibus te diuitiarum cumulis hæredem facerem, quâ te patrimonij ſorte ditarem, multæ rerum fallacium occurrebant imagines, quas cùm ego, vt importunas muſcas, manu mentis abigerem, tacitus aiebam: Aurum, & argentum de terra eſt, & in terram reuertitur: fundus, & patrimoniorum redditus, vilia, & tranſitoria ſunt. *Præterit* enim

figura

Digitized by Google

figura huius mundi, quidquid enim ſub ſole conſpexi, nihil te dignum, Soror, arbitratus ſum. Nihil muneri tuo credidi eſſe gratiſſimum, omnia mutabunda, caduca,& vana fore conſpexi: vnde veram eſſe attendi Salomonis ſententiam dicentis: *Magnificaui opera mea, edificaui mihi domos, & plantaui vineas, feci hortos, & pomaria,& conſeui ea cunctis generibus arborum; & extruxi mihi piſcinas aquarum, vt irrigarem ſyluam germinantium lignorum: poſſedi ſeruos, & ancillas, multámque familiam habui, armenta quoque, & magnos ouium greges, vltra omnes, qui fuerunt ante me in Ieruſalem. Coaceruaui mihi argentum, & aurum, & ſubſtantias Regum, ac Prouinciarum: feci mihi cantores, & cantatrices, & delicias filiorum hominum, ſcyphos, & vrceos in miniſterio ad vina fundenda; & ſupergreſſus ſum omnes qui fuerunt ante me in Ieruſalem.* Quam omnem mortalium pompam tali termino concluſit, vt diceret: *Cúmque me conuertiſſem ad vniuerſa opera, quæ fecerant manus meæ, & labores in quibus frustra ſudaueram, vidi in omnibus vanitatem, & afflictionem animi, & nihil permanere ſub ſole.* Et iterum ipſe dicit: *Deteſtatus ſum omnem induſtriam meam, quâ ſub ſole ſtudioſiſſimè laboraui, habiturus hæredem poſt me, quem ignoro, vtrum ſapiens, an ſtultus futurus ſit, & dominabitur in laboribus meis, quibus deſudaui, & ſolicitus fui; & eſt quidquam tam vanum? Vnde ceſſaui, renunciauíſque cor meum vltra laborare ſub ſole.* Tali quoque informatus oraculo, non eſſe me parentem verum exiſtimarem, Soror, ſi te his ditarem rebus, quæ ſtabilitate nullâ conſiſterent: quæ mundanis ſubtractæ caſibus, te deſtituerent, nudámque relinquerent: ærumnis quoque te cumularem,& timori,metuíque ſubiicerem, ſi ea quæ fur auferre poteſt,ſulcare tinea, ærugo vorare,ignis abſumere,terra obruere, aqua delere, ſol torrere, imber fædare,glacies ſtringere, tuæ germanitati conferenda eſſe putarem. His certè rebus humanis implicatus animus à Deo auertitur, & ab illa immobili, ac permanentis veritatis forma recedit, nec poteſt ad ſe admittere diuini Verbi dulcedinem, aut Spiritus-ſancti ſuauitatem pectus, quod tot mundanis agitatur moleſtiis, tot curarum temporalium ſtimulis verberatur. Si ego te his nexibus alligarem,talibus onerarem ponderibus,mole terrenæ cogitationis opprimerem, inimicum me,non parentem deberes exiſtimare; interemptorem, non fratrem eſſe ſentires. Eia,Soror chariſſima,quoniam quidquid axe cœli concluditur,terrena ſuſtinent fundamenta,& telluris ſuper faciem voluitur; nihil dignum,quo ditari poſſis inuenimus; ſupra cælos quærendum eſt; vt vnde munus virginitatis duxiſti, tibi præmium, & patrimonium virginitatis inuenias. Ex compenſatione integritatis meritum agnoſcitur, & de ſua retributione penſatur. Quantò enim vilis putaretur, ſi tranſitoriis, terreníſque ditaretur muneribus, tantò præclara eſt virginitas, excellénſque, calcatis, abdicatíſque mundanis voluptatibus, dùm in terris Angelorum ſeruat integritatem. Domini Angelorum ſortita es portionem. Quæ ergo eſt virginitatis hæreditas? Nónne ea, quam dicit Pſalmiſta: *Dominus pars hæreditatis meæ?* Et iterum: *Portio mea Dominus?* Vnde, Soror, vide quantum profeceris, vide quàm ſummum tentas apicem, vt multorum gratiam beneficiorum, in vno, eodémque inueneris Chriſto: Sponſus eſt, frater eſt, amicus eſt, hæreditas eſt, pretium eſt, Deus & Dominus eſt. Habes in eo ſponſum,quem diligas: ſpecioſus eſt enim formâ præ filiis hominum. Eſt verus frater,quem teneas;adoptione enim es tu eius filia,cuius filius eſt ille naturâ. Eſt amicus,de quo non dubites,ipſe enim dicit: *Vna eſt amica mea.* Habes in eo hæreditatem,quam ambias; pars enim hæreditatis tuæ ipſe eſt. Habes in eo pretium, quod agnoſcas; quia ſanguis eius redemptio tua eſt. Habes in eo Deum, à quo regaris; Dominum, quem metuas, & honores. Totam hanc ſibi in Chriſto prærogatiuam Virginitas vindicat, vt ante quem tremunt Angeli,

1. Cor. 7. *Omne ſub ſole caducum.* Eccl. 2.

Nõ theſaurizandum in terra.

Terrena cœleſtia non capiunt.

Supra cælũ diuitiæ quærendæ.

Virginitatis hæreditas quæ?

Quid virginitati Deus?

cui ſeruiunt Poteſtates; cui Virtutes obtemperant; cui cæleſtia, & terreſtria genua flectunt, hunc ſibi Virgo Sponſum vindicet; ad huius thalamum ornata virtutibus properet; hunc cubili cordis, caſto cubili confoueat: & quid amplius ei conferre potuit, cui ſe Chriſtus Sponſum tribuit? & ſanguinem ſuum dotis, ac muneris titulo compenſauit? Solent ergo qui vxores ducunt dotes tribuere, conferre præmia, & ad vicem perdendi pudoris, ſua tradere patrimonia, vt emiſſe potius, quàm duxiſſe videantur vxores. Tuus, Virgo, Sponſus dotem tibi ſanguinem ſuum dedit, eo te redemit, eo te ſuæ copulæ ſociauit, vt pudorem non perdas, & habeas præmia. Quantò enim eſt munificentius dotis præmium; tantò eſt amor immenſior: multum enim diligit quam proprio ſibi ſanguine deſponſauit: & ob hoc ſuum corpus vulneris ictu, & telo gladij maluit aperiri, vt tuam ſibi integritatem emeret, pudicitiam conſecraret. Econtrario enim curauit hominem, vt ſicut honor eius vita eſt noſtra, eiúſque humilitas noſtræ eſt ſuperbiæ medicina; ſic & vulneribus ipſius, noſtra integritas empta eſt; qui ideò feriri ſe vulnere voluit, ne malleo vniuerſæ terræ nos feriri ſineret. *Pretio enim empti eſtis*, (ait Apoſtolus) *nolite fieri ſerui hominum.* Cur Virgo dare vis corpus viro, quod iam eſt redemptum à Chriſto? Alius te redemit, & alij nubere cupis? Alterius pretio libertatis militas, & ſpontaneâ te ſeruitute condemnas? Si mundus omnis titulo dotis ſcribitur, quid pretioſius ſanguine Chriſti, quo redemptus eſt mundus? Appende mercedem & pretium, vt videas plus valere qui redemit, quàm id quod redemit. Quantò itaque prauè intelligit Virgo, quæ, contempto emptore, mercem ſequitur; & ſanguine Chriſti poſtpoſito, mundum, qui redemptus eſt, amplexatur. Non ſum idoneus eloqui, Soror amantiſſima, præmia Virginitatis. Eſt enim ineffabile donum, abſconſum oculis, celatum auribus, intelligentiæ obſeratum: quod omnes ſperant Sancti, & poſt reſurrectionem cuncta præſtolatur Eccleſia fieri, iam vos eſtis. *Corruptibile hoc* (ait Apoſtolus) *induet incorruptionem.* Sed reuerâ poſt reſurrectionem corporis. Ecce vos incorruptionis gloriam iam ſcitis, vos iam in præſenti ſeculo partem gloriæ poſſidetis. Quanta eſt enim beatitudo quæ nobis reponitur in futurum; quæ nos corona manet in æternum, quæ incorruptionis gratia, ad quam multi peruenire deſiderant, hîc habetis. Gaude ergo talem te eſſe, qualis Dei formata es manibus. Ille ergo integram condidit; vtique quam integritate ditauit, quam ad integritatis præmia præparauit, peruerſi enim naturam corrumpunt homines, quam Deus formauit integram; & hæc offenſa humani generis prima; hæc damnatæ originis cauſa: dum protoplaſti eſſe noluerunt, quod fuerunt conditi; idcirco meruerunt in ſe, & in prole damnari; reparate caſtimoniæ in vobis recentaculum, ô Virgines, quod perdiderunt in paradiſo primi homines. Vos enim conditionem reſeruaſtis primigenorum hominum, quæ tales perſeueraſtis, quales illi ſunt inſtituti; ſed cauete exempla eorum. Heu, proh dolor! Soror chariſſima, fuge primorum hominum exempla, horreſce ſerpẽtis antiquiſſimi ſibila, ne incipiat tibi germinare ſpinas, & tribulos vitiata terra; & quæ pro inſigne virginitatis lilia, roſáſque parturire debet, vrticas, & paleas producat; iſtam, quæ vrit; illã, quæ lacerat. Vos eſtis enim prima delibatio corporis Eccleſiæ: Vos itaque ex tota Chriſti corporis maſſa, oblationes Deo acceptæ, & in ſupernis altaribus conſecratæ: pro veſtro enim propoſito, & pro fide ſua omnis Eccleſia nomẽ virginitatis adepta eſt: dum in ea melior pars eſt propenſior. Vos eſtis, quæ animi, & corporis veſtri integritatem Chriſto dediſtis: & licèt in omnibus ſuis generaliter mẽbris fide maneat virgo; tamen ſuorũ parte membrorũ provt eſtis vos, nõ incongruè virgo, etiã corpore, genere illius locutionis, quo,

aut

Sanguis Chriſti dos virginitatis.

Cur ſibi latus voluit aperiri?

1. Cor. 7.

Virgo terrena quærit Chriſti ſanguine abutitur.

Virginitas donum Dei.

1. Cor. 15.

Virginitas reparat lapſum primi hominis.

Eccleſia virginitate decorata.

aut totum à parte, aut pars nominetur à toto. Meditare vt columba, chariſſima virgo, & mente pertracta, quæ in futuro te maneat gloria, quòd non adquieuiſti carni, & ſanguini, neque corpus illud ſanctiſſimum proſtraſti corruptioni. Age ergo, cogita, præſume, intellige, quibus te amplexibus cupiat Chriſtus, quæ mundi calcaſti illecebras: quo te deſiderio chorus ille expectet virgineus, quam ipſius gradibus properantem cælorum ardua vident, quibus chorus ipſe virginalis peruenit ad Chriſtum. Gaudet & MARIA Mater Domini, apex, & ſpecimen Virginitatis, incorruptionis Mater, quæ vos exemplo ſuo genuit, & manet integra; vos documento peperit, & dolores neſciuit, genuit ſponſum, & Virgo eſt. Felix ille venter, qui nouit generare, & non corrumpi. Beata illa fœcunditas, quæ pariendo impleuit mundum, hæreditauit cælos, nec amiſit velamina virginitatis. Ardeat cor tuum, Soror, igne illo, quem Chriſtus miſit in terram: excitet te flamma ignis huius, & chorus ille virgineus proſequens MARIAM ipſam. Ergo oculo mentis ſuſpice, ipſos comitare choros, ipſis te animi deſiderio iunge, eò feſtina, eò propera, ibi *repoſita eſt corona iuſtitiæ, quam reddet tibi Dominus iuſtus iudex in illa die.* Senti fratris animum tuos deſiderare profectus: ſenti fratris concupiſcentiam, velle te eſſe cum Chriſto: qui, etſi in me non habeo quod in te proficere volo, perdidiſſe me doleam quod te tenere deſidero, erit mihi quædam portio remiſſionis, ſi tu, quæ pars es mei, cor oris, in via peccatorum non ſteteris, ſi quod tenes, firmiſſimè teneas. Heu mihi ſi alius accipiat coronam tuam! Tu apud Chriſtum tutamen meum; tu, chariſſima, meum pignus; tu hoſtia mea ſacratiſſima, quâ expiari à colluuione peccati non dubito, ſi tu accepta es Deo, ſi tu caſto cubili cum Chriſto cubueris; ſi tu Chriſti amplexibus fragrantiſſimo virginitatis odore inhæſeris, profectò peccatoris memor fratris, obtinebis pro reatu germani indulgentiam quam popoſceris. Non te contriſtabit, qui te ſuæ copulauit ſocietati. Siniſtra eius, in qua eſt honor, & gloria, ſub capite tuo; & dextera eius, in qua eſt longitudo vitæ, amplexabitur te. Tu talibus ſponſi amplexibus oblectata, ſi meam veniam poſtulâris, obtinebis. Amor tuus in Chriſto, erit indulgentia mea; & quantulamcunque ſpem remiſſionis habeo, ſi Soror, quam diligo, ad nuptias Chriſti tranſierit, atque in illo terribili, metuendóque iudicio, reſpiramentum aderit; vbi de facti actibus, vel de commiſſis diſcuſſio fuerit; vbi de meis ſtipendiis, heu mihi! ſum cogendus reddere rationem. Tu ſolatium meum, tu reſpiramentum meum; & vindicta quæ mihi debetur pro negligentia mea, fortè caſtitatis tuæ ſedabitur interceſſione; defendes me profectu tuo à mei reatu corporis, ſi tu Chriſto adhæſeris; & ſi tu illi placueris, ego vnde ei diſpliceo, non grauabor, dùm tibi indulgebit, mihi parcet: nec perire fratrem ſinet, cuius ſibi deſpondit ſororem: per te fortè mihi donabitur chirographum, quod contraxi; dum te Chriſtus fouet charitate, me non punit pro crimine. Miſerere Soror non tantum tui, ſed & mihi, vt vnde tibi reſtat gloria, ſaltem mihi vel venia concedatur. Multæ in tuo erunt virgines comitatu, & cum his facilè impetrabis pro me, quod popoſceris: imò ipſa Mater & dux Virginum MARIA ſuum interpellabit pro tuo merito Filium; qui ne te contriſtet pro me orantem, me eriget fortè iacentem, & conſcientiæ reatu mœrentem conſolabitur. Non confundatur ſpes mea per te ad Deum, meo igitur hortamento, meo miniſterio, Dei quidem dono, ſed meo obſequio, hanc tenes profeſſionem. Sit mihi integritas tua, cauſa veniæ, quæ tibi erit cauſa coronæ. Auerte quæſo oculos à mundi falſis inanibus, cælos aſpice, vbi eſt Sponſus tuus; illuc animum dirige, vbi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedẽs. Omne quod in mũdo eſt, cõcupiſcentia carnis, & concupiſcentia oculorũ eſt: quæ ſurſum ſunt quære; vbi eſt vita tua, illic ſint deſideria tua: vbi eſt Sponſus tuus; ibi ſit theſaurus tuus.

Monet ad caſtitatem.

B. Virgo virginum mater.

Illius veſtigia ſequatur.

2. Tim. 4.

Modeſtia S. Leandri.

Vt pro ſe oret efflagitat.

Sanctorum preces valide.

Maximè Virginum.

Et propinquorum.

Florentina Leandri auſpicijs monialis fuit.

Ornatus ad libidinem pronus.

Nolo te moueri voluptate ſeculi; nolo te fulgore carnis decorari, citò mouet libidinem alienam caro ornata, & aſpectus iuuenum in ſe prouocat, quæ ſe componit, vt ornata procedat. Placere velle oculis alienis, affectus eſt meretricis; & ad ſponſi cœleſtis refertur iniuriam, ſi ita incedat, vt oculis libidinoſis placeat. Eſto quæſo iudex inter nubentes, & virgines, ſpem vtriuſque conſidera; quam quæque teneat viam, exiſtima; Virgo ſtudet placere Deo; nuptæ ſeculo: Virgo ſeruat integritatem, in qua nata eſt; nupta corrumpitur, & non permanet integra, vt cœpit eſſe naturâ: primùm diuino operi irrogatur iniuria, dùm quod ille formauit integrum, libidine corrumpitur, libidine maculatur. In vos Deus cognoſcit opus ſuum, quas tenet ſeculum, & non corrumpit, quas Deus tales recipit, quales fecit. Omnia itaque reſtauranda ſunt in reſurrectione, quæ nunc pereunt de corpore. Virginitas ſemel perdita, nec hic reparatur, nec in futuro recipitur. Verum eſt, quod præceperit Deus nuptias, ſed idcirco, vt eſſet vnde naſceretur Virginitas; vt multiplicatâ Virginum ſucceſſione, lucraretur in prole, quod perdiderant nuptiæ, in radice, fructus nuptiarum, Virginitas eſt; de coniugio certè naſcitur Virgo, quæ ſi non corrumpitur, ad nuptiarum additur præmium. Habent nuptiæ vnde lætentur, ſi ſui fructus cœleſti horreo reponantur. Tu quoque communium parentum cumulabis merita; tuis vterque parens honoribus munerabuntur, & te prole Chriſto adhærente, ipſi reſpicient in fructu, quod in ceſpite perdiderunt. Recole, mea Soror, humanas nuptiarum ærumnas, & claude oculos, ne videas vanitatem. Prima pericula nuptiarum, hæc ſunt: corruptio, faſtidia corruptionis, pondus vteri grauidati, dolor partus plerumque ad diſcrimen vitæ perueniens; vbi & munus nuptiarum perit, & fructus, dùm ſimul mater cum prole deficit, & omnis illa pompa nuptialis, mortis fruſtratur termino: quam putabant cauſam eſſe lætitiæ, ea fuit occaſio pereundi. Quid aget poſt mortem, quæ totam lætitiam nuptiis deputauit? Quæ viro placere voluit, non Deo, quid aget dum exibit à ſeculo? Quæ ſolicita fuit quomodo placeret mundo, quam poterit habere partem cum Chriſto? Quæ primùm (ſi bene videas) viris ſe diſtrahunt, ſimulque cum pudicitia libertatem perdunt, quando captiuam virginitatem, ſuſceptâ dote, addicunt. Quid miſeræ illi remanet, quæ pudorem venditat? Quòd ſi fortè mundi (vt fieri ſolet) caſu perdat donationem, tunc & pudore caruit, & amiſit pretium. Vides quàm nuda, & deſtituta in vtroque remanſit? Pro viro certè, gemino timoris addicta periculo; timet bonum perdere, timet malum habere; quis ergo inter hæc medius eſt locus lætitiæ? Quas formas lenocinij meditatur, vt placeat oculis; quibus peregrinis odoribus inficit veſtem; & vt oblectet ſenſus cutem mentitur alienam, quæ fuco illitam bino adulterat figmento faciem, ne ſit ipſa, quæ nata eſt, & decipiat virum ſpecie alienâ, non propriâ. Vide ſi non maleficij genus eſt, excogitare artem, qua prouocet libidinem alienam: & quæ ſic corrumpit faciem, quàm putas habet corruptam mentem? Triplex commiſit adulterium; mentis, quæ talem meditata eſt fraudem; corporis, quæ figmento mutauit ſpeciem; veſtis, quæ non proprio, ſed alieno flagrat odore. Horum malorum Virgo neſcia, ſexum habet, & ſexus neceſſitatem ignorat: fœmineæ fragilitatis oblita, vigore virili ſubſiſtit; atque infirmum ſexum virtute ſolidat, nec addicit ſeruituti corpus, quod lege naturæ viro ſubiacet. Felix virgo, quæ corpus trahit ex Eua, non pœnam. Illa peccatrix meritò audit: *Sub viri poteſtate eris, & in doloribus paries*. Tu virginitate adepta, à tali iugo excuſſiſti ceruicem, nec preſſa iugali neceſſitate curuaberis ad terram, ſed in ſublimi erecta, cœlos ſuſpicis, vt vnde illa vetitum præſumendo cecidit, eò tu licita contemnendo conſcendes. Eua guſtauit de illicito & virginitatem perdidit. Licebat nubere virgini, ſed

Diſcrimen inter virgines, & nubentes.

Virginitas amiſſa non reparatur.

Parentes filiorum meritis honorantur.

Pericula nuptiarum.

Mulierum fucata figmenta.

Virginum commoda.

Digitized by Google

ſed quæ non nupſit, Angelis adhæſit. In reſurrectione enim non nubent, nec vxores ducent, ſed erunt ſicut Angeli Dei. Vide, virgo quæ non nubit, Angelis comparatur. Licet enim gignere filios, ſed quæ hanc ſpreuerunt neceſſitatem, Chriſtum dicentem audient: *Beata ſteriles, & ventres quæ non genuerunt, & vbera quæ non lactauerunt.* E contrario illic dicitur nuptis: *Væ prægnantibus, & nutrientibus in illa die.* Itaque virginei ſenſus pro filiis reputantur. Quid ergo quærit, quos pariendo doleat? Quæ pios habet ſenſus, quibus meditando congaudeat? *Propter timorem tuum Domine* (inquit) *in vtero accepimus, & parturiuimus ſpiritum ſalutis.* Ecce felix conceptio, incorrupta progenies. Vtilis partus, vbi & proles bonæ cogitationis editur, & ignoratur dolor, vbi tot felicia germina, quot ſanctæ cogitationes. Totiens concipit, quotiens ſanctâ meditatione diuinum ſpiritum capit. Conceptio enim ſuperna virtutes parit; & ne putes te eſſe ſterilem, tot filios habebis, quot virtutes protuleris. Vnâ S. Spiritus conceptione, multos edes partus. Primus partus virginis, Verecundiæ virtus: Secundus Patientiæ: Tertius Sobrietatis: Quartus Temperantiæ: Quintus Charitatis: Sextus Humilitatis: Septimus Caſtitatis, vt impleatur quod legitur; Quia ſterilis peperit ſeptem. Ecce vnâ ſeptiformis ſpiritus conceptione ſeptem partus edidiſti. Non dicas: *Ecce ego lignum aridum*: quia hæc dicit Dominus eunuchis: *Qui cuſtodierint requiem meam, & elegerint quæ volui, & tenuerint fœdus meum, dabo eis quod non peribit.* Vides, amantiſſima Soror, quòd principalem in regno Dei Virgines teneant locum? Et non immeritò, mundi enim contempſerunt habitum, ideo peruenerunt ad cæleſte regnum. Vitæ cæleſtis beatitudinem hîc incipiunt, quæ generare in doloribus filios neſcierunt, & quæ contagia libidinis, & fœda coniugum figmenta reſpuentes, rectè Chriſti nuptias impetrarunt. Nolo moueariſ pompaticis nuptiarum inceſſibus, clientúmque ſtipato comitatu; hos inueniunt plerumque inſidiatores pudicitiæ, quos cuſtodes caſtitatis putabant, & cùm ſe ambire tot virorum formis viderint, hoc in mentem venit, quod cum viris in lectulis agunt propriis; & quod expertæ ſunt in ſingulis, hoc in plurimis meditantur. Non verebor inuidiam, ſi locutus fuero veritatem; feriant me liuore, quas momorderit conſcientia; dummodo proficientibus loquar, quod cauere debeant in eis, quæ ſolo nitent opere carnis. Certum eſt, mea Soror, quòd quæ nitorem veſtium compoſuerit, odore peregrino flagrauerit, fuco mactauerit oculos, faciem candore alieno obduxerit, brachia circulis inſtruxerit aureis, digitis anulos inſeruerit, & gemmarum ſidereo radiauerit fulgore, aures metallo adgrauauerit, colla margaritis, & vario gemmarum abſconderit tegmine, caput pondere ornauerit auri; certum hinc eſt, hanc non eſſe caſtam, quæ ad hoc ſe ita compoſuit, vt multorum feriat oculos, multorum animos moueat, illicitíſque mentes cogitationibus deturpet. Quæ & ſi metu viri non gerat ſtuprum in aperto, fornicatur tamen interiùs animo. Illa verò caſta eſt, quæ ſimplici habitu, moribúſque bonis placet viro, & de bono caſtimoniæ Deo. Harum habitum exprimit Petrus Apoſtolus, & cultum veſtium, vel æquitatem morum ſuâ pingit præceptione, cùm dicit: *Sit in muliere non exterior ornamenti, aut auri, aut veſtis cultus, ſed cultus cordis.* Eadem ergo & Paulus Apoſtolus intulit dicens: *Similiter, & mulieres in habitu ornato cum verecundia, & ſobrietate, ornantes ſe, non intortis crinibus, aut auro, aut margaritis, vel veſte pretioſa, ſed quod decet mulieres promittentes pietatem per opera bona.* Quas diſſonare ab his præceptionibus, & diſcrepare compereris, velut gehennæ duces, & inferni comites fuge; hoc enim ſuadebunt, quo plenæ ſunt; quæ etſi non verbo ipſo, tamen habitu loquuntur flagitia; & quæ auro coruſcauerit, & radiauerit gemmis, tanquam ſimulacra declina; idolúmque exiſtimato, non fœminam, quæ à Deo benè conditam formam,

Luc. 23.

Iſai. 26.

Virginum conceptus, & partus ſancti.

Quot virginitatis fœtus?

Iſai. c. 56.

Virginibus primus locus in cælis.

Nuptarum imaginarij conceptus.

Et ſuperfluus ornatus.

Ad ſtuprũ pronitatis ſigna.

1. Petr. 3.

1. Tim. 2.

Habitu ſplendido loquuntur ad flagitia.

Prou.31. vario præſumpſit ſtuprare figmento. Vnde & Scriptura dicit: *Fallax imago, & vana eſt pulchritudo; mulier timens Deum, ipſa laudabitur.*

Cap.1. Vt vitentur Laicæ mulieres.

PRECOR te, Soror FLORENTINA, vt fœminæ quæ tecum non tenent vnà profeſſionem, ad tuam non accedant ſocietatem; quod enim amant, hoc ſuggerunt; & eas res tuis inſinuabunt auribus, quæ in earum verſantur deſideriis. Heu mihi, Soror! corrumpunt mores bonos eloquia mala. *Cum Sancto, Sanctus eris:* & quod longè à te ſit, Soror, *& cum peruerſo peruerteris.* Quid in vnum agit nupta, & virgo? Illa te non ſequitur, quæ virum diligit, propoſitum tuum fugit, quem & ſi amare ſe finxerit, mentitur vt decipiat. Quid tecum agit, cum qua communi collo Chriſti iugum non ducis? Diſpar habitu, diſpar affectu, organum Satanæ hoc tibi canet, quòd illecebras ſeculi moueat, & ſemitas diaboli impingat. Fuge Syrenarum cantus, mea Soror, ne dum prurientibus auribus oblectamenta delectaris audire terrena, auertaris à recto itinere, & aut à dextris incidas in ſcopulos, aut à ſiniſtris Charybdis deglutiaris iactu. Fuge Syrenarum cantus, & à lingua maleſuadentis ſepi aures tuas: muni cor tuum ſcuto fidei, dum tui propoſiti diſparem videris; & frontem tuam trophæo arma Crucis, contra eam, quæ in profeſſionem tuam ſibilauerit.

Pſalm.17.

Cap.2. Vt Viri Sancti vitentur quoque à mulieribus.

IAM quali fugâ viros fugias, Soror FLORENTINA, tu iudica, ſi tam ſolicitè fœminas ſeculi declinabis. Quiſque vir, ſi Sanctus eſt, nullam tecum quæret familiaritatem, ne videndi iugitate, aut infametur vtriuſque ſanctitas, aut pereat. Decidet enim à charitate Dei, quæ perpetrandi mali operis occaſionem præbuerit. Decidet à charitate proximi, quæ, & ſi malè non agit, opinione tamen, peſſimam famam nutrit. Diſpar enim ſexus in vnum locatus, eo titillatur inſtinctu, quo naſcitur, & naturalis mouetur flamma, ſi incompoſita attigerit. Quis colligabit ignem in ſinu ſuo, & non comburetur? Ignis, & ſtupa ſibi vtraque contraria in vnum redacta flammas nutriunt. Viri ſexus, & fœminæ diuerſus, ſi coniungitur, quo lex naturæ prouocat, commouetur.

Cap.3. Vt declinare Virgo debeat iuuenes.

ET ſi taliter viri declinandi ſunt ſancti, ne vtrorumque bonis moribus offenſio ſubrepat; qualiter fugiendi ſunt iuuenes, tenebroſas vias temporalis vitæ ſequentes? quos ad hoc Diabolus obiicit, & virgineis opponit oculis, vt formas eorum, quas per diem viderit virgo, meditetur in nocte. Quod ſi è contradicat, mentis ratio, taléſque imaginationes ab animo reſpuat, recens tamen viſio, & corporalis inſpectio, exhibet memoriæ formas, quas videndo didicit; vt & ſi paululùm talis imaginatio oblectet mentem, occurret etiam per ſomnium, quod viderit oculis. Sic Diaboli ſagittis pectus virginis vulneratur, & infigitur cordi amor noxius, vt quod in nocte recordata eſt, cum amore velit iterum videre in craſtinum: & ſic intrat Satanæ ſagitta vſque ad intimum cordis, per ianuas oculorum, ſicut dicit Propheta: *Intrauit mors per feneſtras noſtras.* Nec enim ſubrepit Diabolus ad interiora mentis, niſi per ſenſus corporis. Si pulchrum aliquid videas, quod concupiſcentiam moueat; ſi oblectet aures turpis cantus, ſi odoratum nitor attigerit flagrans, ſi guſtum illecebroſus ſapor commouerit, ſi tactus mollem, & nitidam contigerit formam; tunc oblectatione carnis mouetur illecebra. Dei enim opus vterque eſt ſexus; amandi ſunt certè viri, vt opus Dei, ſed abſentes pro operibus bonis, & propter Deum, qui eos fecit, non propter pulchritudinem corporis.

Cap.4. De Abſtinentia.

QVID ad te de cibis, Soror FLORENTINA, loquar, quos pro fragilitate corporis, tantum accipias, quantum ratione doceris? Maneat ergo tantùm in animo, vt etſi infirmo corpori aliquid relaxandum eſt à rigore, interim non ſoluatur animus. Si corpus infirmum meretur aliquid indulgentius, nullus eſt enim vſus edendi culpabilis, ſed concupiſcentia, ſed immoderatio; ſi plus quàm opus eſt, ſumpſeris; ſi deſideres, ſine

quo

quo viuere poſſis. Triplex certè eſt gulæ intemperantia: Si quod non licet auidiùs appetis: Si licita quæque, exquiſitis impendiis præparata, accuratiùs quæras: Si tempus edendi licitum non ſuſtineas. Primi generis homines ob hoc paradiſi delicias, & immortalitatis præmia perdiderunt, quia illicita concupierunt. Eſaü verò pro eo quod auidiùs ambiit illicita, primogeniti perdidit primitiua; & qui edendi tempus non ſeruant, animalia ideo ſunt irrationabilia. Probauimus ergo triplicem exceſſum intemperantiæ, dum primi homines guſtauerunt de illicito: dum Eſaü lenticulæ appetitu perdidit primogenita: dum edendi tempus non ſeruant animalia, & ſunt irrationabilia. Non eſt igitur abſtinens auidè vorans, etiam viles cibos: *Sepulchrum patens eſt guttur eorum*, ait Pſalmiſta. Nam & ille mollis, & diſſolutus eſt, qui contemptis præſentibus, pretioſis, ac peregrinis epulis delectatur. Piſcis per illecebram hamo capitur; auis obiectu eſcæ in decipulis cadit; beſtiæ quæ naturali virtute ſunt rigidæ, cupiditate cibi in foueam proruunt; & quas non emollit natura, decipit eſca. Tu verò temperantiam, & parſimoniam, ſeu oraculo, ſeu exemplis diſce Maiorum. Oraculo; quia dicit Dominus: *Non grauentur corda veſtra in crapulâ, & ebrietate*. Exemplis; quia Dauid cupitam aquam noluit bibere, quam periculum alieni eſſe ſanguinis intellexit. Vel quia Dauid contemptis dapibus Regis, leguminibus vixit. Sint tibi acceptæ, quæ ſunt comitibus tuis communia, & aliorum non ſis intemperationis cauſa; & quibus forma eſſe debes hortamento, ac vitæ bonæ documento, ſcandali non efficiaris occaſio.

Triplex gulæ intemperantia.

Pſal. 5. 10.

Temperãtia ſequenda.

Luc. 21.
1. Reg. 25.
Dan. 14.

NVLLVS te ſingularem alloquatur; nec tu præter duarum, aut trium teſtimonium alloquaris aliquem ſingularem: memento Sponſi tui, Saluatoris Noſtri, qui certè non verebatur labem peccandi, attamen in Montibus cum Moyſe, & Helia, coram tribus Petro, Iacobo, & Ioanne locutus eſt teſtibus. Sic & cùm ſuſcitaret Archiſynagogi filiam, eos adhibuit teſtes, vt falſi rumoris non daret occaſionem. Mirabantur autem & Diſcipuli, quod ad puteum Iacob cum muliere loqueretur: & re verâ non mirarentur, niſi quod viderent inuſitatum; & niſi illi abiiſſent cibos emere, non loqueretur citra eos ſolus Chriſtus cum muliere.

Cap. 5.
Vt virgo ſingula non loquatur ſingulis.

Ioann. 4.

LECTIO tibi ſit aſſidua, iugíſque oratio: diuidantur tibi tempora, & officia, vt poſtquam legeris, ores; & poſtquam oraueris, legas. Sic alternes perpetuò hæc duo bona, vt ab eiſdem nullo ſis tempore otioſa: quòd ſi aliquid manibus operandum eſt, vel certè ſuſtentaculis ciborum corpus reficiendum, alia tibi legat; vt dum manus vel oculi intenti ſunt operi, paſcat aures gratia ſermonis diuini. Siquidem oramus, & legimus, vt lubricam mentem à ſubreptionibus diaboli vix retrahamus; quanto procliuiùs humanus animus reptatur ad vitia, ſi lectionis, & orationis aſſiduæ recentaculo non frænaretur. Lectio te doceat, quid orando petas: poſtquam verò oraueris, iterum legendo inquire quod poſtules.

Cap. 6.
Vt iugiter virgo oret, & legat.

Lectionis, & orationis effectus.

VETVS Teſtamentum legens, non temporis illius nuptias, ſed prolis numeroſitatem conſidera; non eſum carnium, & ſacrificia ſanguinolenta; crimina morte carnis expiata; vni viro vxorum permiſſa conſortia. Licuit enim illo tempore, quod iſto non licet; & ſicut per legem conceſſæ ſunt nuptiæ, ſic per Euangelium virginitas prædicatur. Gens enim erat Hebræa ab omni diſcreta conſortio populorum, & ad prophetandũ Chriſtum Eccleſia deputata, ne periret, cunctis permiſſæ ſunt nuptiæ, cauſâ prolis propagandæ: & quia carnalis erat populus, carnium crapula paſcebatur: ſacrificia certè idcirco pecudum litabantur, quia verum ſacrificium, hoc eſt, Chriſti corpus, & ſanguinem figurabant. Venit veritas, vmbra diſceſſit. Venit verum ſacrificium, & ceſſauit hoſtia

Cap. 7.
Vt carnaliter legi non debeat Vetus Teſtamentum.

Digitized by Google

hoſtia pecudum. Venit Virgo Virginis filius, & virginitatis præbuit documentum. Omne enim,quod in Veteri Teſtamento legeris,quamuis opere geſtum fuerit,ſpiritualiter tamen intellige,& de Hiſtoriæ veritate, intelligentiæ ſpiritualis ſenſum ſcalpe. Iam pro peccato non occiditur homo corpore; ſed necem, quam illi carnis dabant per gladium,nos carnalibus vitiis imponimus pœnitentiæ vſu. Cantica Canticorum iuxta auditum aurium ne ſentias, quia carnalem illecebram terreni amoris inſinuant, quæ per ſpecies actionis corpus Chriſti, Eccleſiaſticam charitatem figurant: meritò, & à veteribus iſti libri prohibiti ſunt legi carnalibus, Eptaticum, & Cantica Canticorum, ne, dum eos ſpiritualiter neſciunt, libidinis, ac voluptatum incitamento ſoluantur.

Cap. 8. *De Ieiunij modo.*

IEIVNIA certè valido corpori imponenda ſunt, & quos rebellis caro lege vitiorum impugnat, ieiunio attenuandi ſunt iugi; ſubiuganda eſt ieiuniis caro rigida,& eatenus refrænanda,vt legi mentis,& imperiis animæ ſubiaceat,vt ancilla,& quam debilitauit iugis infirmitas, ſi eam ieiuniis temperes, tantúmque ſumas, quantum ſaluti ſufficiat, non peccabis: meliorem tamen iudica eam,quæ ſalutis robore,infirmitatis non eget remedio: nec debet ſcandalizari, quæ ſana eſt, ſi remiſſiùs vel indulgentius quæ infirma eſt alitur, ſed magis eò ſe meliorem, ſanctioremque eſſe conſideret,quòd fragilibus rebus non indiget, quibus eget infirma. Illa autem quæ infirmitatis obtentu meretur aliquid lenius, ſit præ cæteris humilis, doleátque ſe non poſſe, quæ aliæ poſſunt; & abſtinentiam tempore laxatam, non reputet virtuti, ſed infirmitati.

Cap. 9. *De vſu vini.* *Tim.c.5.* *Tit.c.2.*

VINO ſecundum Apoſtoli vtere regulam,ait enim Timotheo: *Modico vino vtere propter ſtomachum tuum,& frequentes tuas infirmitates.* Dùm enim dicit *modicum*, medicinaliter bibendum fore monſtratur, non ad ebrietatem; nam alio idem loco ſic dicit Apoſtolus: *Vinum dixiſti; omne vitium dixiſti.* Ebrietas enim mortale eſt crimen, inter homicidia, & adulteria, vel fornicationes: ſic eiicit à regno Dei vini temulentia, quemadmodum facinus adulterij,vel homicidij,vel aliorum criminum

1.Cor.6. flagitia. Confirmat hoc dicens Apoſtolus: *Nolite errare,neque fornicarij, neque idolis ſeruientes, nec adulteri, nec molles, nec maſculorum concubitores, nec fures,nec auari,* nec ebrioſi,*nec maledici, nec rapaces regnum Dei poßidebunt.* Vide quantum ſit execranda ebrietas, vt etiam à regno Dei ſuos amatores eiiciat. Quam etiam terribiliter Propheta increpet vino deditos,vide;dicit enim: *Iſai. 5.* *Væ qui potentes eſtis ad bibendum vinum,& viri fortes ad miſcendam ebrietatem.* Et iterum: *Gen.ſ.9.* *Væ qui conſurgitis mane ad ebrietatem ſectandam, & potandum vſque ad veſperum, vt vino æſtuetis.* Bibit vinum Noë, atque ebrietate ſopitur, & parte corporis verecundiori denudatus eſt, vt noueris, ſic conſternari humanum animum vino, & rationem humanæ mentis obtundi,ne ſe ipſam quidem meminerit, multo minus etiam Deum: & licet illa Noë ebrietas, ac nuditas myſterium Chriſti paſſionis, & mortis contineat, tamen ad literam errorem facti inſinuat. Loth vino crapulatus inceſtum admiſit filiarum,nec ſenſit errorem,de quo inceſtuoſo concubitu, naſcuntur Moabitæ, & Ammoni-

Deut.23. tæ, & Dominus dicit: *Moabitæ, & Ammonitæ non intrabunt in Eccleſiam meam, vſque in decimam generationem.* Senti quantum ſit fugienda vini ſatietas,vt etiam Patriarchis ſcandalo,& culpæ cauſa fuerit,& extiterit. Ergo & virgo quæ virtute corporis viget,benè facit ſi omnino ſe à vino abſtinuerit; inualidam verò & imbecillem, pro medicina decet. Vtere ergo vino, non pro temulentia.

Cap.10. *Quatenus vti virgo lauacro debeat.*

BALNEIS non pro ſtudio,vel nitore vtaris corporis,ſed tantum pro remedio ſalutis. Vtere, inquam, lauacro quando poſcit infirmitas, non quando ſuaſerit voluntas: quod enim neceſſe non eſt,ſi egeris,peccabis: ſcriptum

Digitized by Google

Scriptum'eſt; *Et carnis curam non feceris in deſideriis.* Cura carnis veniens ex concupiſcentia, habetur in vitio; non ea quæ ſaluti recuperandæ conuenit. Quapropter non te illiciat lauare ſæpius carnis voluntas, ſed infirmitatis imperet neceſſitas; caret enim culpâ, ſi quod neceſſe eſt egeris. *Rom. 13.*

Cap. 11. *Quod peccatũſit virgini ridere.*

ESTO in Deum gaudens lætitiâ animi modeſtâ, & moderatâ, iuxta quod ait Apoſtolus: *Gaudete in Domino ſemper, iterum dico, gaudete.* Et iterum dicit: *Fructus autem ſpiritus eſt gaudium.* Talis iucunditas non perturbat mentem fœditate ridendi, ſed ſubleuat deſideriis animam ad ſupernam quietem, vbi poſſit audire: *Intra in gaudium Dominitui.* Quale ſit cor virginis plerumque riſu monſtratur: neque enim impudenter virgo rideret, ſi cor caſtum haberet: ſpeculum quidem cordis, facies eſt hominis: non ridet laſciuè, niſi quæ corde laſciua eſt. *Ex abundantia* enim *cordis* (ait Dominus) *os loquitur.* Ergo ex abundantia vaniſſimi pectoris ridet facies virginis. Quid de hoc loquatur, vide: *Riſum reputaui errorem, & gaudio dixi: Quid fruſtra deciperis.* Et iterum ibidem: *Riſus dolore miſcetur, & extrema gaudij luctus occupat.* Et Dominus ait: *Beati qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur.* Verùm & Apoſtolus inſanè lætantibus dicit: *Riſus veſter vertatur in luctum.* Riſum ergo, Soror, vt errorem fuge, & temporalem lætitiam commuta in luctum, vt beatificeris, ſi te peregrinam in mundo luxeris: quoniam qui ſecundum Deum lugent, beati ſunt, & ipſi conſolabuntur. Peregrinari te in mundo, ſcito, & non hîc habere patriam, ſed in cœlo. Sic tali deſiderio ardebat Chriſti ſeruus, vt diceret: *Cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto.* Quantâ amoris ſe flagrantiâ virgo debet accendi; quàm vberes lacrymas deſiderio ſponſi ſui effundere, donec ad amplexum Chriſti valeat peruenire & vbertim flere non deſinat, vſquequo Chriſtum, quem videre cupit, attingat. Lugebat ille ſe peregrinum in hac vita, qui mœrens dicebat: *Hen me, quod incolatus meus prolongatus eſt à me.* Te enim exultans cœleſtis ſponſus, & chariſſimis excipiet amplexibus, ſi te ſui deſiderio flagrare didicerit, & ſi abſentem fleueris, ille te præſens conſolabitur. *Mat. 25.* *Mat. 12.* *Eccleſ. 2.* *Mat. 5.* *Iacob. 4.* *Iob.*

Cap. 12. *Qualiter habeamur ancilla virginitatem profeſſa.*

QVAS tibi fecit, aut fecerit ancillas conditio, & ſorores profeſſio, iam non pro nexu ſeruitutis exulceres, ſed pro parilitate profeſſionis honores. Quæ ergo tecum Chriſto virginitatis ſtipendiis militat, pari tecum libertate exultet. Nec tamen vos prouocamus ad humilitatem, vt illas ſuperbia erigamus, quas dum tu accipis vt ſorores, gratiùs illæ tibi ſint famulæ, præbeántque obſequium, non ſeruituti addictæ, ſed liberæ charitate. Quoniam quidem non eſt perſonarum acceptio apud Deum, ſed in diſtribuenda fide; vbi pariter conſulitur dominæ, & ancillæ; vbi non eligitur domina, & reprobatur ancilla. Æqualiter baptizatæ, ſimul Chriſti corpus, & ſanguinem ſumunt; nam & patriarchæ, dum eſſent ſanctiſſimi, quantum ad res terrenas, & temporales diſcernebant inter ſeruos, & filios, illos famulos, hos dominos iudicabant: quod verè ad ſpei futuræ munus attinet, ex eo quod filiis [illegible] conſulebant, quos vnâ circunciſione ſignab[illegible] manentibus omnia erunt com[illegible]

Cap. 13. *De diſcretione ſenioris erga perſonas ſingulas.*

QVID [illegible] omnia omnibus, verum eſt, & legitur. Sed ſi omnes æquáliter valeant, attamen intereſt quædam diſcretio ſenioris prouidentis, quid vnaquæque poſcit: ſic enim diuidendum eſt, provt vnicuique opus eſt, quæ potuit honorari in mundo, & diues fuit in ſeculo, blandius fouenda eſt in Monaſterio: & quæ reliquit in ſeculo veſtem pretioſam, cultiorem in monaſterio mereatur. Quæ verò ſub penuria vixit in ſeculo, & tegumento, victúque eguit, gratè ferat ſi in Monaſterio nec algeat, nec eſuriat; nec murmuretur ſi ea trahitur indulgentius, quæ vixit in ſeculo delicatiùs. Nam ſi provt cuique opus eſt, non diuiditur, fit ſuperba in

Digitized by Google

in Monaſterio, quæ fuit vilis in mundo: & quæ erat potens in ſeculo, humiliatur in Monaſterio. Sic agit, qui diſcretè non ſapit, vt ſuperbire faciat ex vili cenſu conuerſas, & dolorum ſtimulet honeſto loco natas; & ſi ſufficit vnde omnibus tribuatur æqualiter, nulla eſt vnde murmuret, quoniam diſcretio ſenioris diuidet vnicuique provt opus eſt. Sed dices: Cur conuerſa eſt, niſi vt fiat humilis ex potente? Si ergo iſta ex inclyto ad humilitatem deſcendit, illa ex paupere, quod humiliaretur non habuit, forſitan ſic ſuperbit? Charitas autem omnia temperat, atque ad eundem pacis pertrahit limitem; vt neque illa infletur, quæ reliquit potentiam, nec illa frangatur quæ fuit pauper, vel ancilla. Laudanda tamen eſt ſenior, ſi diſcretè cum ſingulis ſe geſſerit, & vnicuique, pro vt opus eſt, diuiſerit. Et iſta ſunt dicta de veſte, cibo, potu, vel opere, pro inualidis, aut delicatis; vt quæ duriùs ferre non poteſt, tractetur leniùs. Cæterum ſi circa eas, quæ ferre potuerint, factura eſt ſenior, provt viderit expediri; & quibus conſulit pro vſu delicatæ vitæ, vel corporis fragilitate, non eas præferat honori ſeniorum, ſi poſteriori conuerſæ ſunt tempore. Dùm ergo ad te meus, Soror FLORENTINA, ſermo dirigitur, deriuauimus orationem ſtudiis plurimarum. Nulli tamen iugum imponimus, ſed quod honeſtum eſt, ſuademus.

Cap. 14. *Vt virgo æqualis ſit, & in paupertate, & in abundãtia.*

NVNC ad te loquendo reuertar, Soror FLORENTINA, pro qua me familiaris cura ſolicitat: hortor itaque, æqualem, & vniformem habere ſemper animum, vt neque aduerſitate frangaris, quæ patientiam, & penuriam Iob ſapis; neque eleueris proſperitate, quæ Patriarchas diuites opibus, ſed humiles fuiſſe animo legimus. Beata enim eris, ſi & in aduerſis, & proſperis ſemper Deo gratias egeris, & vitæ iſtius proſperitatem, fimum, vaporémque illico euaneſcentem credideris. Dauid certè regnabat, & cum abundaret theſauris, & manu forti infinitis populis imperaret, humilem ſe cauit, & dixit *Pauper ſum ego, & in laboribus à iuuentute mea.* Et ipſe iterum ad filiam Saül, dicit: *Vilis incedam, & vilis apparebo ante Deum, qui elegit me, potius quàm patrem tuum.* Similiter idem dicit: *Incola ego ſum in terra, & peregrinus ſicut omnes patres mei.* Terrenis ergo nunquam delectata rebus, etiam ſi ſe vitæ commoda ingerant, non eis animo innitaris, nec de mundanis gaudeas lucris; & non contriſtaberis damnis; etenim ſcriptum eſt: *Diuitiæ ſi affluant, nolite cor apponere.* Cum amore enim poſſeſſa, cum dolore vtentis pereunt; & inde tribulari quemque neceſſe eſt, vnde carnaliter gaudet. Tu ad inſtar cæleſtis Sponſi honorari in ſeculo fuge; nec velis ab aliis dici, aut eſſe prælatior, quæ legis: *Si quis inter vos voluerit maior fieri, ſit veſter miniſter.* Quoniam & ipſe Saluator, dum à turbis, vt Rex fieret, quæreretur, ſe ipſum abſcondit. Quomodo enim ab homine regnum acciperet, cui cum Patre regnum perpetuum manet? Sed quia venerat docere humilitatem, hominis declinauit honorem, in forma enim Dei manens, ſemetipſum pro nobis humiliauit, & cui terreſtria ſeruiunt ac cœleſtia, pro mortalibus eſt pauper factus, vt eius inopiâ ditaremur. Tu ergo inſiſte veſtigiis, quibus præceſſit ſponſus, & paſſi- eſſe diſſimilem, in cæleſti[illegible] ſequere cœleſtem; ne dum factis ſuis probat te iſta dicimus vt parui pendas, aut ne pro magno cupias [illegible] vel ne exiſtimes Magnos, quos in ſeculo proſpicis diuites: quod enim habere poſſunt & mali, hoc libenter debent contemnere boni. Dat enim Deus malis temporales diuitias, quibus negat æternas. Dat eas certè & bonis, ſed quos nouit non ſuperbiſſe ex eis. Boni, propitio Deo, fiunt diuites, propitio Deo fiunt pauperes, in vtroque, Deo gratias agũt, qui voluntatem Dei libenter accipiunt. Malis quando tribuuntur diuitiæ, pœnaliter tribuuntur, vt malè de eis gaudeant; & quando ſubtrahuntur, pœnaliter auferuntur, vt malè de eis doleant. Vtraque iuſto ad

Pſalm. 87.

2. *Reg.* 6.

Pſalm. 117.

Pſalm. 51.

Mat. 20.

Philip. 2.

gloriam:

Digitized by Google

gloriam: Vtraque impio ad vindictam. Quid ad te, quæ habes regulam, quam ſequaris? Virginitatem itaque & paupertatem MARIÆ proſpice, quę tàm diues in Domino fuit, vt Matrem Domini eſſe mereretur; & tãtò rebus paupercula, vt partus tempore, obſtetricis, nec ancillæ vteretur ſolatio; ipſum quoque diuerſorium tàm anguſtum, vt pręſepe adſumeret pro cunabulis: ſed & Ioſeph, cui fuerat deſponſata, cùm eſſet iuſtus, erat tamen & pauper, ita vt vitam, & veſtitum artificio quæreret: certè faber lignarius fuiſſe legitur. Habes exemplum, formam ſequere, ne te velis diuitiarum periculis committere; quoniam qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & laqueum Diaboli, & deſideria multa inutilia, & nociua, quæ mergunt hominem in interitum: Diuitias à ſe auferunt ſponte, quibus in Domino deuotus eſt animus; & plerumque contemptores ſuos magis appetunt diuitiæ, quàm ſequaces. *Quærite ergo regnum Dei, & hæc omnia adjicientur vobis.* *Matth. 6.*

Cap. 15. *De indulgentia & prohibitione carnium.*

ESVM carnium infirmitatis tuæ obtentu, nec prohibere tibi audeo, nec permittere, cui tamen ſuppetit virtus, à carnalibus ſe abſtineat; nam dura eſt conditio, nutrire hoſtem, contra quem dimices; & carnem propriam ſic alere, vt ſentias contumacem. Quod ſi talibus vtitur virgo, qualibus & ſeculares vtuntur, dat ſenſum, vt ea agas, quæ à ſeculari-bus aguntur. Quid poterit caro nutrita carnibus, niſi ad libidinem erumpere? miſerámque in animam crudeliter luxuriæ face debacchari. Vnde & quidam Autor ait: *Deliciarum finis corruptio*; & Apoſtolus voluptuoſam viduam ſic notat, vt dicat: *Quæ autem in deliciis eſt viuens, mortua eſt.* 1. *Tim. 5.* Quod ſi abſtinentiâ marcidum corpus, vix à lege peccati, quæ habitat in mentibus noſtris, prohibemus; quid faciet, quæ ſic obruit terram carnis ſuæ, vt ei poſſit ſpinas, & tribulos germinare? Fomenta vitiorum, eſus carnium; nec ſolùm carnium, ſed & nimia ſaturitas aliorum ciborum: quoniam non culpatur eſcæ qualitas, ſed quantitas reputatur in vitio. Quidquid enim accipitur nimis, hoc adgrauat animam, & abundantiori cibo extentus ſtomachus obtundit animi ſenſus. Virgo tantum ſana debet eſſe, non rigida; pallida geſtare ora, non rubentia. Quæ ſuſpiria cordis emittit ad Deum, non cruciet cruditate ciborum. Quibus ergo vires corporis opus ſunt, habeant carnis vſum, ſcilicet, qui metalla effodiunt, qui in agone terreno decertant, qui conſtruunt celſorum culmina ædificiorum, vel qui in diuerſis opificiis laborum deſudant corporis. His reparandarum virium aptus eſt vſus carnis. Virgo quæ magis defectus ſuſtinet corporis, bona virgo eſt. Ad quos fines carnes non ſumet, niſi vt miſerum corpus vitio mundet? Verùm ſi cogit infirmitas, medicinaliter ſumendæ ſunt carnes: medicinaliter autem eſt, quod non grauat, ſed eleuat; quoniam & ipſam medicinam ita artis ipſius periti impendunt, vt ſenſim adhibita non oneret infirmum, ſed alleuet. Vnde & illa vera eſt ſententia Philoſophorum: *Ne quid nimis.*

Cap. 16. *Vt in Monaſterio, quo cœpit, virgo permaneat.*

VT in monaſterio permaneas ſolicitè admoneo, multarum enim ſocietate proficies, & virtutes aliarum videndo, eris virgo virtutum. Etſi interdum pro varietate voluntatum, oriatur quædam in congregatione ſimultas, & nonnunquam murmuribus carnalium triſtentur ſpirituales; non tamen deerunt, quas in actis bonis imiteris: & certè tolerare carnales, probatæ virtutis eſt; imitari verò ſpirituales, ſpei eſt. Maximè erudiunt carnales ſpiritualium patientiam, & dant, quæ ſanctæ ſunt, bonarum documenta virtutum: ac ſic animæ proficienti vtræque ſunt vtiles; & quas patienter tolerat, & quas imitatur ſuauiter. *Libenter* (inquit Apoſtolus) *ſuſtinetis inſipientes, dum ſitis ſapientes.* 1. *Cor. 11.* Et ipſe itidem dicit: *Debetis autem vos, qui firmiores eſtis infirmitates imbecillium ſuſtinere, & non vobis placere. Vnuſquiſque proximo ſuo placeat in bonum, ad ædificationem.* Non enim te carnalium ſcandalizent murmura, ſed

conſoletur proficientium vita; & quæ neſcis quantum demoreris in ſeculo, debes eſſe patiens pro cœleſtis gloriæ dono.

Cap. 17. *Qualiter vita fugiatur priuata.*

FVGE quæſo priuatam vitam, nec velis imitari eas virgines quæ in vrbibus per cellulas demorantur, quas multimoda cura conſtringit, priùs placendi ſeculo, ne fœdo prodeant amictu, & domeſticâ oppreſſæ ſolicitudine, dum pro vitæ ſubſidio ſatagunt, minus quæ ad Deum pertinent, quærunt. Priuatam enim vitam, de vſu Gentilium traxit Eccleſia, quos dum non potuerunt Apoſtoli ad normam ſuæ vitæ traducere, Eccleſiæ venienti ex Gentibus permiſerunt priuatè viuere, propriiſque rebus vti. Cæterùm qui ſub Apoſtolis crediderunt ex Hebræis, eandem normam, quam nunc tenent Monaſteria, ſeruauerunt. Quære quod legitur in Actibus Apoſtolorum, & verum eſſe quod dico probabis. *Multitudinis* (inquit) *credentium erat cor vnum, & anima vna, nec quidquam eorum quæ poſſidebant, ſuum aliquid eſſe dicebant: ſed quotquot poſſeſſores agrorum erant, vendebantur, & pretia eorum ponebant ante pedes Apoſtolorum, & diſtribuebatur, prout vnicuique opus erat.* Vide quòd viuentes in monaſterio regulariter, Apoſtolorum teneant vitam, nec dubitent eorum adſequi merita, quorum imitantur exempla.

Vita Monaſtica ab Apoſtolis inſtituta.

Act. Ap. c. 4.

Cap. 18. *Ne peculiare habeat virgo in Monaſterio.*

PECVLIARE quid in Cœnobiis pro magno habetur crimine, tu pro grandi cuita contagione. Adulterium certe eſt, quia conſcientiæ bonæ integritatem, vſurpatæ rei prauitas maculat. Furti crimen eſt, quoniam dum omnia quæ habentur in Monaſterio, probantur eſſe communia, habere vna latenter præſumit, quod à cæteris ignoratur, & alio publicè cum omnibus vtitur, aliud furtiuè abſcondit, fraus eſt manifeſta, quia reponit in commune, quod poſſidet, ſed exiguam paruitatem priuatim occultat fraude. Vnum crimen, ſed plura contagia. Tantum nequitiæ malum, velut gehennæ cuita præcipitium, & quaſi iter caue ducens ad infernum. Inde vſque ad malum proditionis, & Domini traditionem Iudas erupit, quod furti crimen attractus cupiditate cõmiſit. Denique dum cum Apoſtolis haberet quidquam, illis eſſet commune; non fuit contentus communionis ſufficientiâ. Sed quid dicit de eo Euangelium? *Fur erat, & loculos habens, ea quæ mittebantur, portabat.* Necnon Ananiæ, & Saphiræ exempla recole, qui offerentes Apoſtolis partem pretij, partem verò celantes, preſenti ſunt iudicio dãnati; & pro terrore ſequentium, non eſt dilata facinoris vltio. Quæ autem à communione Monaſterij priuata ſecernitur, neceſſe eſt, vt à cœleſtis vitæ conſortio ſeparetur. Quidquid manus tua attigerit, ſeniori oſtẽde, in communi repone, noli quidquam tranſportare ſeorſum, quia nimirum Iudæ proditoris exempla cauenda ſunt, & Saphiræ iudicia.

Ioan. 12.

Act. 5.

Cap. 19. *Virgo iurare nõ debet.*

NVNQVAM iurare, ſed ſemper verũ dicere, pari ſtudio obſerua: nam ſicut carnalibus pro terrore fraudis, iurare permiſſum eſt; ſic prohibita sũt ſpiritualibus, etiã dum ſibi bene conſcij ſunt, ſacramenta. *Sit*, inquit Dominus, *Sermo veſter, eſt, eſt; non, non: quod autẽ plus eſt, à malo eſt* Caue itaque iurare in bono, quia de malo eſt; propterea dicitur eſſe à malo, eo quod iurandi neceſſitas, ex infideli ſit conſcientia: eius autẽ hominis iurandi extorquetur neceſſitas, cuius fides manet in dubio. Tu verò quæ ſimplicitatem cordis debes oſtendere labiis, cur te ſpontaneo alliges ſacramento? Tolle, iurandi vſum in bono, & non peierabis in malo. Loquere veritatem è corde, & aberit iurandi neceſſitas; legimus enim: *Non aſſueſcat os tuum iurationi, quoniam multi caſus in illa.*

Matth. 5.

Eccl. 23.

Cap 20. *Ne virgo cũ ſola loquatur.*

NOLI aſſumere vllam loquendi familiaritatem, & declinare alias; ſed quod ſcire vni vtilis eſt, ſciatur ab omnibus: audi Dominum quid dicat: *Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine; & quod in aure auditis, prædicate ſuper tecta.* Hoc eſt, ſi quid vobis in ſecreto mentis fuerit reuelatũ, palã dicite; & quod corde conceperitis, omnibus manifeſtate. Si bonũ eſt; quod loqueris, cur vna tantùm, & nõ omnes potius informẽtur? Si turpe eſt, nec cogitari, nec loqui debet, quod aliàs erubeſces ſcire. Non iam de bono

Matth. 10.

Digitized by Google

bono eſt quod ſingulariter virgo loquitur,& circumquaque cõſpicit,ne abaliis audiatur. *Omnis enim qui malè agit* (ait Dominus) *odit lucem.* Vnde & ille Philoſophorum prudentiſſimus dixit: Omnia rectè facta in lucẽ ſe amant collocari. O virgo, ideo occultè loqueris, quia non eſt vnde publicè glorieris; ſed ſi aures,& oculos humanos fallis,nũquid Dei cognitionem fallere poteris? Pulchrè & alius ait: Quod vis Dominũ neſcire, nec agas,nec cogites. Sit ergo tibi cõſciẽtia innocua,ſermo liber,& culpę affinia nec audire,nec cogitare delectet,multo minus loqui,vel agere. *Ioan. 3.*

Cap. XXI. *Ne velit virgo reuerti ad ſeculum.*

IAM ad portum nauem orationis dirigimus, & immenſo dictorum pelago in litore quieſcendi anchoram ponimus; flatu tamen charitatis tuæ,iterum in fluctibus verborum reuertor. Te quæſo,Soror FLORENTINA,per Beatámque Trinitatem vnicæ Diuinitatis atteſtor,vt quæ de terra tua, & de cognatione tua, cum Abrahamo egreſſa es,cum vxore Lothi non reſpicias retrò; ne efficiaris exemplo malo documentũ aliarum ad bonum; & ne in te aliæ videant,quod in ſe caueant. Illa verò aliis facta eſt condimentum ſapientiæ,ſibi autem ſimulacrũ ſtultitiæ,ſibi enim nocuit malè factum, & aliis profuit exemplum contrarium. Ne te vnquam reuerti ad genitale ſolum ſolicitet cogitatio,vbi ſi te Deus habitare voluiſſet,non inde eieciſſet,ſed quod vtile propoſito tuo fore proſpexit benè, ſicut Abraham à Chaldæis, & tanquam Loth te adtraxit à Sodomis. Denique errorem meum ipſe fateor; me communem Matrem ſæpe allocutum,noſſe cupiens, ſi vellet reuerti ad patriam? Illa autem quæ ſe nouerat Dei voluntate, causâ inde ſalutis exiiſſe, ſub diuinâ obteſtatione dicebat: Nec velle ſe videre,nec vnquã viſuram illam patriã eſſe,& cum magnis dicebat fletibus: Peregrinatio me fecit Deũ agnoſcere, peregrina moriar,& ibi ſepulturã habeam, vbi Dei cognitionem accepi. Teſte IESV,hoc in eius expetiiſſe deſideriis memor ſum; vt etiam ſi diu viueret,patriam illã non reuiſeret. Tu quæſo caue,Soror FLORENTINA,quod mater timuit,& malum quod illa experta fugit,tu prudenter euita. Miſerum me doleo, qui eòdem communem fratrem tranſmiſi FVLGENTIVM, cuius pericula iugi formidine pertimeſco. Tutior tamen erit ſi tu ſecurior & abſens pro illo oraueris. Ea inde arte abſtracta es,vt vel ſi ibidem nata fueris,non memineris. Nulla eſt recordatio,quæ moueat deſideriis animam,& beata es,quę ignoras,quod doleas. Ego tamẽ expertus loquor,ſic perdidiſſe ſtatum,& ſpeciem illam,& patriã,vt nec liber in ea quiſquam ſuperſit; nec terra ipſa ſolita ſit vbertate fœcunda; & non ſine Dei iudicio,terra enim cui ciues erepti ſunt, & conceſſa extraneo,mox vt dignitatem perdidit,caruit & fœcunditate. Vide,Soror FLORENTINA, quo te pauens, mœrenſque conueniam, ne te ſerpens præripiat à paradiſo, & in eam ponat terram,quę ſpinas,& tribulos germinat,de qua rurſum ſi velis manum extendere, & lignum vitæ ad edẽdum aſſumere,nõ permittaris attingere. Teſtor enim te cum Propheta, & conſcio Ieſu-Chriſto admoneo,dicens: *Audi filia,& vide,& inclina aurem tuam, & obliuiſcere populum tuum, & domum patris tui,quia concupiuit Rex ſpeciem tuam,& ipſe eſt Dominus Deus tuus. Nemo mittens manum ſuam in aratro,& reſpexit retrò, aptus eſt Regno Dei. Noli ab eo auolare nido,quòd inuenit Turtur,vbi reponat pullos ſuos.* Simplicitatis filia es, quæ Turture matre nata es. In eadem vna perſona complurium neceſſitudinũ veteris officio. Turturem pro matre reſpice; Turturem pro magiſtra attende,& quæ te Chriſto quotidie affectibus generat,charioré,quâ nata es,reputa matrẽ,ab omni procella,ab omni mundano turbine,in eius te ſinu concede. Sit tibi ſuaue, eius lateri adhęrere; ſit tibi dulce eius gremium, iam profecto quod erat infanti gratiſſimum. Poſtremò chariſſimam te Germanam quæſo, vt mei orando memineris, nec iunioris fratris ISIDORI obliuiſcaris, quem quia ſub Dei tuitione, & tribus germanis ſuperſtitibus parentes reliquerunt communes, læti, & de eius nihil *Pſalm. 44.*

formidantes infantiâ ad Dominum commearunt, quem cùm ego vt verè filium habeam, nec temporale aliquid eius charitati præponam, atque in eius pronus dilectione recumbam; tanto eum carius dilige, tantóque IESVM exora pro illo, quantò noſti eum à parentibus terrenis fuiſſe dilectum. Certus ſum quòd flectat pro nobis aures diuinas tua virginalis oratio, & ſi pactum quod cum Chriſto pepegiſti ſeruaueris, bene agenti tibi debebitur corona, & exhortanti LEANDRO præſtabitur venia, & ſi perſeueraueris vſque in finem ſeculi, ſalua eris, Amen.

S. Iſidorus etiam quoque libros dicauit.

Sanctus verò ISIDORVS *etiam ad ipſam ſororem* FLORENTINAM *aduerſus Iudæorum nequitiam Duos dicauit Libellos, quibus erudita prouentibus, & continuis cohortationibus euaſit. Denique hæc S. Virgo Spiritus-Sancti dogmate imbuta, Magiſtra virginitatis, ac miniſtra caſtitatis, habebat ſub cuſtodia ferè* Quinquaginta *Monaſteria, in quibus multitudo Virginum ſanctarum degebat. Tandem omnibus chara, & ſpectabilis, ſororibus ſanctitate venerabilis, ſenio confecta ad æternas Sponſi nuptias euolauit*, Kal. Septembris. *Era* DC. LXXI. *Anno Chriſti* DC. XXXIII. *in cuius ſarcophago hoc* B. Ildefonſus *ſepulchrale carmen appoſuit, in tantæ Virginis memoriam.*

Moritur.

Carmen ſepulchrale.

FLORENTINA *micans, decus immortale pudoris,*
Intemerata parens Virgineique chori:
Pauperiem præfers opibus, Chriſtúmque marito,
Qui tibi diues opum plurimus eſſe cupit.
Omnia calce premis, quæ fallax mundus adorat,
Sponſa Dei pauper pauperis aſtra petis.
Gaude ſorte tuâ quoduis fruitura per æuum,
Agnúmque Agna tuum lata dehinc ſequere.
Caſtas funde preces pro noſtro, Virgo, reatu,
Quemque tuus Sponſus iuuit, & ipſa iuua.

Corpus Hiſpalim tranſfertur.

Poſtmodum eiuſdem S. Ildephonſi *teſtimonio ſacra pignora Virginis ex* Aſtigitano *Monaſterio, in quo occubuit ad* Hiſpalenſem *vrbem tranſlata, vnà cum fratrum corporibus honorificè quieuerunt, ad vſque* Hiſpaniæ *excidium, quo, vt Gothi* Hiſpalenſes *Catholici, illa è Sarracenorum eruentis, & ſacrilegis manibus eruerent,* Hiſpali Berzocanam *in diœceſi* Placentina *properantes, ipſa ibidem occludêre, donec poſtmodùm reperta, & honorifico in loco repoſita, omnium veneratione quieſcunt.*

Poſt Berzocanam.

EN genuina S. FLORENTINÆ Acta, in quorum elucidatione, etiam ſi plura *Tom. 1. Die XV. Ianuarÿ fol.* 154. cùm de S. FVLGENTIO. Et eodem *Tom. 1. Die XXVII. Februarÿ, fol.* 273. cùm de S. LEANDRO. Et *Tom. 2. Die IV. Aprilis fol.* 483. cùm de S. ISIDORO fratribus egimus, diſſeruiſſemus, nonnulla ad illuſtrationem neceſſaria ſubiicere conabimur.

Vbi nata?

DE *Parentibus* ſatis diximus ſupra *d. Tom. 1. Die XV. Ianuar. fol.* 160. vbi Arborem, & Epigramma Genealogicum appoſuimus. Nunc de *Natiuitatis loco* S. Virginis agemus. Quæ vt Iuliano Archipresbytero Toletano in *Chron. n.* 264. placet: S. FLORENTINA *naſcitur Carthagine, Anno* D. XLV. *Tingitur Bigaſtri.* Luitprand. in *Aduerſ. n.* 243. & fere omnes qui de ea ſcripsêre hanc eandem ſunt opinionem ſecuti.

De apum examine probatio.

CIRCA *Apum examinis ad os Iſidori fratris in cunis accedentis viſionem.* Teſtes ſunt quotquot de *S. Hiſpalenſi Præſule*, & Hiſpaniarum Doctore diſſeruerunt, quibus conueniunt ferè omnia Hiſpaniæ *Breuiaria*, & *Legendaria*.

Coniugia reſpuit.

QVATENVS ad *matrimonÿ recuſationem*, cùm B. Virginis coniugium à Palatinis proceribus expeteretur, quibus poſthabitis, Chriſtum eſt aſſecuta, S. Ildephonſi *diſtich.* 2. relege.

Pauperiem

Pauperiem præfers opibus, Chriſtúmque marito,
Qui tibi diues opum plurimus eſſe cupit.

Ferdinandus Perezius de Guzman *in ſuo Valer. Hiſtor. lib. 4. tit. de Abſtinentia, & Continentia, c. 7.* eadem aſſerit, dicens: *Quæ cùm peteretur ad coniugium à Proceribus quibuſdam, ceu filia tanti Ducis, Religionem elegit, vnde Abbatiſſa euaſit.* Quod & nonnulli alij referunt Scriptores, quorum nomina referre prolixum.

QVOD *fuerit Sanctimonialis ex Ordine Benedictino*, patet ex ipſo *S. Leandri* fratris *Libello*, de quo iſta Luitprand. *in Aduerſar. n. 255.* dicens: LEANDER *ſcribit ad ſororem* FLORENTINAM, *Monialem* Benedictinam, *Librum de Virginitate, vel de Inſtitutione Virginum, & contemptu Mundi, cùm eſſet illa* XIX. *annorum, primo anno ſui Pontificatus.* Hunc Libellum primus *D. Prudentius de Sandoual*, Madridij Anno M. DC. IV. edidit, cuius ſeriem hic inſerere curauimus, quia *Codex rarus*, & ne tantæ doctrinæ apex depereat. *Sanctimonialis Benedictina.*

ITEM quòd S. Virginis precibus *S. Iſidorus* ſcripſerit Librum aduerſus Iudæos: per ſe patet, qui inter eius opera editus Madridij Anno 1599. cum Notis Ioann. Grialij *Tom. 2. fol. 256.* conſpicitur: vbi in Proœmio ad ipſam S. FLORENTINAM concludit: *Hæc ergo S. Soror, te petente, ob ædificationem tui ſtudij, tibi dicaui, vt quâ conſorte perfruor ſanguinis, cohæredem faciam & mei laboris.* Quod & notauit Biuar. *ad Maxim. Ann. 579. n. 4. §. 56. fol. 578.* *Iſidorus dicat Virgini Librum aduerſus Iudæos.*

DE *Die obitus*, inter omnes conuenit, illam ad Superos euolaſſe *Kalend. Septembris*, ita ex Sepulchrali inſcriptione, quam ſupra *Tom. 1. Die XXVII. Februar. fol. 285.* dedimus, pateſcit: quam, quia in Notis ad Acta Trium Fratrum ſubiicimus; hic & reponere non grauabimur. *Quo die, & Anno obierit?*

CRVX *hæc alma gerit Sanctorum Corpora Fratrum,*
Leandri, Iſidoríque priorum ex ordine Vatum:
Tertia FLORENTINA *ſoror, Deo deuota perennis;*
O quàm compoſitè concors hæc digna quieſcit!
Iſidorus in medio diſiungit membra duorum.
Hi quales fuerint, Libris inquirito Lector,
Et cognoſces eos bene cuncta fuiſſe locutos.
Dogmatibus Sanctorum, cerne, creuiſſe fideles,
Ac reddi Domino, quos impia iura tenebant.
Vtque Viros credas ſublimes, viuere ſemper,
Adſpiciens ſurſum, pictos contende videre.

OBIIT. PIÆ. MEMORIÆ. FLORENTINA. DEO DEVOTA.
KAL. SEPTEMBRIS. ERA. DC. LXXI.

Hinc colliges, qualis & Annus Tranſitus S. Virginis, exploſis aliorum ſententiis, vt Inſcriptioni pareamus, quam integram refert Iulianus Toletan. Archipresbyt. *in Libell. de Var. Carmin. fol. 154.* nam illam à Conſtantino Caietano *in Vit. S. Iſidor. fol. 10.* exſcriptam, & à Roderico Caro *in Not. ad Max. fol. 212.* eſſe diminutam, omnes fatentur, præcipuè Biuar. *d. Ann. 579. Maximi, §. 59. fol. 580.*

CIRCA *locum*, vbi Cœnobium Maximum, è quo cæteris ſibi ſubiectis Monaſteriis leges ponebat, conditum fuiſſet; communis ſententia obtinet, illud extitiſſe prope *Aſtigim* vrbem, ad *Syngilis* fluminis ripam. Ita P. Ioan Marian. *Hiſt. Hiſpan. lib. 6. c. 1.* P. Quintana-Dueñas, P. Roa, Conſtantin. Caiet. P. Brouuer. & cæteri recentiores. *Quo in loco conditum Cœnobium?*

DE *Tranſlatione Hiſpali Berzocanam* in diœceſi *Placentina*, audi ipſum P. Marian. *d. lib. 6. c. 1.* Fulgentij, & FLORENTINÆ *ſororis Corpora, ad* Berzocanum *pagum, non procul* Guadalupæo *Oppido, vbi ſimul reperta ſunt, conſeruantur.* Breuiarium Monaſticum Hiſpaniæ, ſic: *Eius Corpus* (S. Virginis) *hodie* Berzocanæ, *quod eſt Oppidum* Placentinæ *diœceſis, marmoreo ſepulchro intra ſacellum, crate ferrea occluſum, magna religione aſſeruatur.* Videſis ſuperius dicta *d. Tom. 1. Die XV. Ianuar. fol. 159.* *Corpus apud Berzocanam.*

Digitized by Google

Martyres Virgines ex Cœnobio.

VNVM hic à pluribus refertur, quod *Cœnobium* illud Maximum *Aſtigitanum*, permanſit ad tempora *Sarracenorum*, quorum gladiis plurimæ Virgines occubuêre, vt referunt Rodericus Yep. *in Vit. S. Florent.* Anton. Yep in *Chron. Ann.* 599. *c.* 1. P. Brouuer. & Roa vbi ſupra, qui addit, hodie *Nueſtra Señora del Valle*, vbi Ieronymianum extat Cœnobium, vocitari; & notauit P. Marian. *d. c.* 1. his verbis, agens de prædicto Cœnobio: *Quo loco D. Ieronymi nomine Monaſterium extat.* Eadem P. Biuar. *d. fol.* 580. & P. Brouuer. qui de Turri, Confraternitate, & Xenodochio S. FLORENTINÆ, in Vrbe *Aſtigitana* dicatis fidem facit; & Nos ex Roa, & Noſtris Scriptoribus.

VNDECIMO KAL. IVLII.

DIES XXI.

A. S. DEMETRIA *ſoror* S. Bibianæ, *& filia* SS. Flauiani & Dafroſæ, Hiſpali *in Hiſpania orta, Romam cum Parentibus conſcendit, ibidem amiſſo Patre pro fidei obſeruantia; cum matre, & ſorore ſeceſſit: & tandem martyrio coronata eſt.*

B. *Apud* ROTAM *in Hiſpania Citeriori, Depoſitio* S. RAYMVNDI *ipſius vrbis Epiſcopi, &* Barbaſtrenſis, *cuius in particulari vita virtutum fœtus, & in Paſtorali ſede bonorum operum odores, adeò vrbem, & Orbem occuparunt, vt apud omnes honorifico, vitâ, & morte, cultu, Confeſſor famigeratus extiterit.*

C. GERVNDÆ *in Hiſpania Tarraconenſi apud Cœnobium S. Petri Camprodunenſe, Depoſitio ſacrorum pignorum* S. PALLADII, *Eborodunenſis in Gallia Præſulis, quæ ibidem ornatu aſſeruantur magnifico; & pio honore coluntur.*

NOTÆ.

A. *Originis probatio remiſſiuè.*

SANCTA DEMETRIA Virgo Hiſpalenſis, Martyr Romana.] Illam fuiſſe filiam *SS. Flauiani*, & *Dafroſæ* Ciuium *Hiſpalenſium*, & *Romæ* pro fide occiſorum, *Bibianæque* Virginis, & Martyris ſororem, ſatis ad oculum oſtendimus ſupra *Tom.* 1. *Die.* 14. *Ianuar. fol.* 63. vbi contradictionibus rebellantium Scriptorum ſatis fecimus, & opinionis ſententiam adhuc titubantis, validam aſſeruimus, & exemplis innumeris comprobauimus, ita vt de ea amplius dubitare nefas foret. Ergo ad Noſtræ elucidationem Virginis anamneſis venientes, de ea Martyrolog. Roman. h. d. iſta compaginat: *Romæ* S. DEMETRIÆ *Virginis, quæ ſub Iuliano Apoſtata, martyrio coronata*

Martyrologia.

Digitized by Google

coronata est. Cui conueniunt Castellanum *P. Vazq.* Lusitanum *P. Lupi*; Hispanum *MS. P. Higuera*; & Italum *Constantij Felicis*; Nec non Martyrologia Latina *Bedæ, Vsuardi, Adonis*, & Recentiorum. Petr. Equilin. in *Catalog. SS. lib. 5. c. 135.* Philipp. Ferrar. *in Catalog. SS. Ital. fol. 378.* Baron. in *Annal. Eccles. tom. 4. Ann. 368. n. 173.* Ex Nostris Iulian. Archipresbyt. Toletan. in *Chron. n. 165.* & plures, quos refert P. Anton. Quintana - Dueñas *Hist. SS. Hispal. fol. 103.* & Nos *d. Tom. 1. fol. 63.* Eius ACTA inter sororis *Bibianæ* commixta referunt. Separatim illa Anton. Gallonius *Histor. SS. Virgin. Romanar. 237.* Syluan. Razzi *Histor. SS. Virgin. Tom. 3. fol. 140.* Philipp. Ferrar. *in Catal. SS. Ital. fol. 378.* texuere. A quibus & Nos. *Scriptores.*

ACTA S. DEMETRIÆ VIRGINIS Hispalensis, & Martyris Romanæ; ex Iuliano Toletano, & alijs Scriptorib.

DEMETRIA *Virgo nobilissima patrem habuit* Flauianum, *& matrem* Dafrosam *ex* Hispalensi *vrbe* Bæticæ *in* Hispania *oriundos, qui negotiorum causâ Romam profecti, ibidem cum* Bibiana, *&* DEMETRIA *filiabus aliquantulum traxere moras, vbi* Flauianus, *eius intercedentibus meritis, ad* Expræfecturæ *munus accessit. Crescebat quotidie S. Virginis, & sororis pulchritudinis specimen, sed multo magis virtutum exemplar, quo passim obcæcati Gentiles, prorsus tantæ lucis radios conspicere non valebant. Hinc enata occasio, quâ Aproniano vrbis Præfecto, quidquid in domo Flauiani gereretur, edicerent. Qui cognitâ domus religione, sine strepitu Patrem, & familiam in Deorum venerationem blanditys primùm, pòst rigoribus adducere festinauit. Sed cùm omnia frustrà excogitata conspiceret, & familiæ experiretur constantiam,* DEMETRIAM *cum Matre, & Sorore (primitus deportato* Flauiano) *è propria domo distractam, in alia habitatore carente, vt fame, & siti perirent, aut Idolis adolerent; tenaci animaduersione præcepit includi.* *Origo.* *Romã pergit.* *Virtutes.* *Accusatur.* *Comprehẽditur.*

HIC *quippè* DEMETRIA *in Matris, & Sororis societate persistens, iterum, & iterum in Domino gaudebat, maximè Angelorum contubernio recreata, qui à Domino missi, eius, & Matris, ac Sororis necessitatibus occurrebant. Hac eductas domo Martyres cùm Apronianus cœlesti refectas rore & diuino pudore rubescentes adspexit,* Dafrosam *matrem exulare iussit, &* Virgines Fausto *cuidam Iudici plectendas tradidit; qui vix in earum conuersationibus veritatem Euangelicam audiuit, quando nomen offerens Christo, pòst paululum venditis opibus, ijsque pauperibus traditis, coronam martyrij fausto felicitérque promeruit. Tunc Apronianus denuò* DEMETRIAM *oppugnare constituens, & vt ad Deorum obsequium attraheret, & vt facultates, quas diuites habebat, auelleret, causam instruxit, illam, ad Imperatoris exequenda mandata, vt eius indulgentiam experiretur, commonuit; cruciatus, & verbera, è contrario, promisit, & facultates distrahendas, nisi à proposito resipiscat, minatur.* Vt quid te (*dixit tunc* DEMETRIA) Aproniane fatigas, nec me blanditiæ tuæ delinient, nec tuæ minæ poterunt me à Christi Domini mei charitate penitus separare: potius enim sæpiùs mortem degustare constituo, quàm tuis, & Imperatoris in hoc obedire mandatis. *Quo dicto, fidei zelo succensa, mirabile dictu! spiritum protinus reddidit Creatori,* XI. Kal. Iulij *Anno* CCC. LXVIII. *Occluditur cum Matre & sorore.* *Iudici traduntur.* *Demetria iterum impugnatur.* *Defendit fidem.* *Moritur.*

HÆC sunt, quæ excerpere ACTA potuimus, ex plenioribus *Bibianæ* Sororis, in quibus nihil est, quod elucidationem desideret; esto quòd omnia probata reliquimus suprà d. Tom. 1. Die IV. Ianuar. fol. 63.

VNVM te monere volui, ne cum Codice edito Philippi Ferrarij in *Catalogo SS. Ital. fol. 379.* erres, vbi passam DEMETRIAM Nostram *XII. Kal. Iulij* appingit, contra omnes Ecclesiæ Tabulas. *Error in codice Ferrarij.*

IN *Hispalensi* Ecclesia Officium huius sanctissimæ Virginis *Duplex* consignatur,

Digitized by Google

Hiſpali, Officio Duplici feſtum eius celebratur.

virtute priuilegiorum à *Gregorio XIII.* Eccleſiis *Hiſpaniæ* conceſſorum, vt vnaquæuis de Sanctis ſuis *Naturalibus* poſſit *Officium Duplex* in die eorum Natali, non Proprium abſque Sedis Apoſtolicæ beneplacito, ſed de Communi, ſecundum *Breuiarij* regulas, recitare.

B. *Martyrologia.*

S. RAYMVNDVS Barbaſtrenſis Epiſcopus Confeſſor.] Licet adhuc eius nomen non ſit in *Martyrologio Romano* deſcriptum, non ex hoc in alijs eius ſanctitatis memoria deficit, teſtibus h.d. Philippo Ferrar. *in General. Catal. SS. fol.* 255. hoc elogio: *Barbaſtri in Hiſpania* S. RAYMVNDI *Epiſcopi.* Prolixius Andr. Sauſſay, in *Martyrolog. Gallican. tom.* 2. *in Supplem. fol.* 1136. De eo D. Martin. Carrill. in *Catal. Epiſcopor. Barbaſtrenſ. fol.* 385. Lanuza *Hiſtor. Aragon. tom.* 1. *lib.* 5. *c.* 2. *fol.* 453. P. Mariet. *Hiſtor. SS. Hiſpan. lib.* 5. *c.* 92. *fol.* 145. P. Ioannes Bollandus ſemper mihi venerandus amicus in *Act. SS. Menſ. Ianuar. Tom.* 2. *fol.* 837. *n.* 23. *&* 24. in fin. *&* n. 44. *&* 46. Eius ACTA, & *Hymni* ſummatim in *Breuiar. Oſcenſi.* Ampliora ſumus nacti beneficio R. P. F. *Ieronymi à S. Ioſeph* Carmelitæ Excalceati, & ſui Ordinis Hiſtoriographi, cuius virtutes, doctrinam, & eruditionem ſi edicere velimus, obſtat intentioni modeſtia, licèt adſtet veritati iudicium. Ea ex *Tabularijs Barbaſtrenſis Eccleſiæ*, in quibus ſcripta ab HELIA Doctore Theologo circa Annum M. C. XXXVIII. iuſſu *Gaufredi* Epiſcopi Barbaſtrenſis in MS. Codice peruetuſto ſeruantur, deſumpta, abs ſe recognita, à quamplurimis mendis caſtigata, & in capita diſtributa ad me remiſit, quæ damus.

Scripturet.

A quo, Alia?

ACTA S. RAYMVNDI EPISCOPI Barbaſtrenſis, & Rotenſis Confeſſoris, ab Helia Doctore Theologo ſcripta: ex MS. Codice Barbaſtrenſi.

Reuerendiſſimo atque colendiſſimo Domino meo Gaufrido, Dei nutu Barbaſtrenſi, atque Rotenſi Epiſcopo, per Regem Ramirum electo, & præſentato, & per Innocentium II. PP. confirmato.

PROOEMIVM.

Helias Author.

QVIA *Excellentia veſtra, mota Dei ſpiritu, cum Propheta diuino, quia Sancti Dei ſunt ſicut ſplendor firmamenti, & ſtellæ in perpetuas æternitates: & quia ſacra, & Catholica Eccleſia, dùm peregrinatur in terris, quaſi quibuſdam radijs Solis, ita Sanctorum illuminatur exemplis, ideo dignatus eſt mihi in Heliæ nomine, minimo Doctorum Theologo, præcipere, vt Vitam* S. RAYMVNDI *Epiſcopi* Barbaſtrenſis, *&* Rotenſis, *cuius Cathedram Veſtra Excellentia obtinet, ſtylo in poſteros tranſmittere, ſiue deſcribere. Vtinam ſufficiens eſſem; ſed malo veſtro obedire iuſſui, quàm inobedientiæ labe corrumpi: cùm & in hac ſcriptura non ornatus ſermonis, ſed ſimplex oratio ſit neceſſaria, non verborum folia, ſed luculentia. Feci etiam; vt, ipſo* S. RAYMVNDO *intercedente apud Deum, Ego, cum ſequentibus eum, immarceſſibilem poſſimus conſequi gloriam: pro qua habenda, eius vita, exemplum, & regula nobis eſt neceſſaria. De cuius almâ vitâ, & miraculis eximijs, & plurimis, pauca ſummatim, & veraciter perſtringemus, Chriſticolarúmque cauſâ ædificationis.*

Cap. I. Origo, militia, & ſtudia.

BEATVS *itaque* RAYMVNDVS, *quantum ad ſeculare ſtemma, Regali, & Conſulari parentelâ claruit, in* Toloſana *diœceſi, &* Deurbano (*vulgo* Durban) *oppido, ex parentibus illuſtriſſimis editus fuit. Sacras ab infantia literas didicit; inde à Parentibus abſtractus, in militia ſeculari, adhuc puer, aliquantulum militauit. Tandem ad literarum ſtudium ſponte rediit, atque*

atque in B. Antonini Fredalici religiosâ Eccleſia, oblatus à Parentibus, Canonicæ normæ deuotè iugum ſubijt, iuxta illud Euangelicum: Si quis vult poſt me venire abneget ſemetipſum. Vbi diuinâ inſpirante gratiâ, cæpit etiam in annis pubertatis ſimiliter viuere, atque in poſteriore ſe extendens de virtute in virtutem gradiendo, tanquam diuinus Athleta, quotidie proficere, iuxta illud ſapientiſſimi Salomonis: Iuſtorum ſemita, quaſi lux ſplendens procedit, & creſcit, vſque in perfectum. Carnem ſpiritui rebellem ſatagebat inediâ domare, eiúſque motus, & concupiſcentias rationi omnino ſubijcere, ſecundum illud Apoſtoli: Qui Chriſti ſunt, carnem ſuam crucifixerunt cum vitijs, & concupiſcentijs. Cúmque eſſet, præ cæteris commilitonibus, peritiæ, facundiæ, & religionis ornatus, & præditus; erat tamen omnium mitiſſimus, & humillimus, memor illius Dominici dicti: Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde; & qui voluerit inter vos eſſe primus, erit omnium ſeruus. *Vnde cum eius ſanctiſſimæ vitæ bonus odor, ac laudiſſima opinio circumquaque clareſceret à B. Saturnini* Toloſanæ *Eccleſiæ Canonicis, ac cætu, in Priorem vnanimiter eligitur, inſtanter poſtulatur, atque cum totius Cleri, & Populi vniuerſali fauore, ſolemniter promouetur. Habuit verò inter cætera diuinitus collata chariſmata, elegantis exhortationis ſpeculam, quæ ipſi inerat, gratiam. Quam plurimos namque à morte reſuſcitauerit, ſuâ viuâ, ac ſpeciali prædicatione.*

Fit Prior S. Saturnini Toloſæ.

ELAPSIS *interea à pluribus annis, venerandæ memoriæ* Pontius, *Præſul* Barbaſtrenſis *exuens hominem, ergaſtulum carnis euaſit. Poſt cuius lachrymabilem diſceſſum Canonici* Rotenſes, *vt* Regulares (*quorum conſuetudo erat in* Barbaſtrenſem *Eccleſiam, ſiue Sedem, Pontificem eligere, & ſubſtituere, quod etiam per priuilegium Regis* Sancij, *& Petri eius filij, eis conceſſum conſtat*) *Venerabilem* RAYMVNDVM *vnanimiter, & conſonanter, cum Canonicis* Barbaſtrenſibus *elegerunt.* Petro *glorioſo Rege, ſimul congaudente, & approbante omni circumquaque regione. Eius quippè vitæ, & doctrinæ formam celeberrimam audierant, ideóque tam honeſtum, tam humilem ſibi Paſtorem vniuerſaliter optabant. Interim verò cùm ipſe per literas à Rege* Petro *ei miſſas, ſub alia occaſione, & de Pontificatu penitus ignarus, ad* Hiſpaniam *de* Toloſanis *partibus vocaretur, Rege* Petro, *temporali vitâ priuato,* Ildefonſus *frater eius Regno potitur. Sed cùm Venerabilis Epiſcopus non accederet, Canonici* Barbaſtrenſes *Curiam eius adeunt, Venerabilem* RAYMVNDVM *repetunt, & eum in Epiſcopum ſibi dari exorant dictum Regem* Ildefonſum, *& adquirunt. Cùm autem felicis memoriæ* RAYMVNDVS *à dicto Rege, Canonicis, atque Optimatibus Regni de Epiſcopatu capiendo perſuaderetur; ipſe autem, vt virtutibus pollens, reniteretur, & reluctaretur, tamen Dei nutu acceptauit; literæque Regiæ electionis, & approbationis cum aſſenſu electi* Paſchali II. *mittuntur: Qui Summus Pontifex Paſchalis dictum* RAYMVNDVM *in Epiſcopum* Barbaſtrenſem *confirmat, vt* Pontium *Barbaſtrenſem, & Rotenſem, per Regem* Petrum *electum, & præſentatum confirmauerat. Quibus Bullis acceptis, quaſi inuitus, & ſpernens honorem,* Barbaſtrum *introducitur, atque in Epiſcopali Cathedra, communi omnium voto & acclamatione inthronizatur. Deinde* Petro Pampilonenſi *Epiſcopo, ſuo in corrigendis exiſtente Magiſtro, cum ſuis Bullis, ſocio accepto* Bernardũ *Toletanæ Eccleſiæ Primatem, S. R. E. Legatum, ob benedictionem, & confirmationem, ab eo cum Epiſcopis Comprouincialibus, accipiendam adijt, à quo* Bernardo *iam dicto canonicè conſecratur. Peractáque dicta conſecratione* Petrum *Epiſcopum* Pampilonenſem, *ſocium ſuum in ſede ſua* Pampilonenſi *dimiſit, & ad ſedem ſuam* Barbaſtrenſem *regreſſus, cæpit in ſolicitudine præeſſe, diœceſim viſitando perluſtrare, oues Dominicas paſcere, in agro ſibi commiſſo vitia diſperdere, deſtruere, & euellere, & ædificare, & plantare. Non enim poſſunt ædificari bona, niſi prius deleantur mala; neque plantari optima, niſi eradicentur peſſima. Prius extirpanda ſunt vitia, deinde ingerendæ virtutes. Cùmque nonnulli Epiſcopi, maximè in his diebus, inquibus tempora inſtant periculoſa, ſoleant honoribus intumeſcere, diuitias conceruare, delicijs diffluere;*

Cap. 2. *De Epiſcopatu ſibi delato.*

Vir

Vir ſacer, è diuerſo, humillimè ſtuduit miniſtrare, volens magis prodeſſe, quàm præeſſe, res ſuas egentibus erogando, in cælo theſaurizare: carnem ſuam ſolito acrius cohibere; veſtem cilicinam clanculò induere, hac enim, his Octo annis, aſperâ vſus eſt veſte. Non quæ ſua eſſent quærebat, ſed quæ alterius. Regulam regularem cum ſuis Canonicis Barbaſtrenſibus, *& Rotenſibus, tàm in victu, quàm in veſtitu, non habens aliquid proprium, vt quiſque eorum, ſed omnia cum eis communia, obſeruabat, nolens miniſtrari, ſed miniſtrare iuxta doctrinam Ieſu-Chriſti.*

Cap. 3. *Violenter ab Epiſcopatu ejicitur.*

His *bonis operibus vacando perſtitit Venerabilis Epiſcopus in ſede ſua* Barbaſtrenſi *annis plurimis pacificè, donec inuidia, quæ primum hominem à proprio deiecit ſolio, mouit* Stephanum *Epiſcopum* Oſcenſem, *vt perſequeretur, & comprehenderet Virum ſanctum Epiſcopum* Barbaſtrenſem, *ſedem, ciuitatem, & Epiſcopatum eius, & diuideret ſpolia, vt impleretur anima eius, vt in Cantico Moyſi habetur, dicente:* Dixit inimicus &c. *& ſic opere compleuit, & manu armatâ, & brachio ſeculari ſecum inducto horribiliter, & ſine miſericordia, dictam Ciuitatem* Barbaſtrenſem *inuaſit, & de Eccleſia* Barbaſtrenſi, *manu tenentem cornu altaris, & à Ciuitate, ipſum* Raymvndvm *expulit, atque atrociter expolianit. Qui ſanctus Dei cùm inde ſpoliatus, pedeſter, diſcalceatus, & nudatis pedibus exiſſet, condolente, & ſequente communi plebe Chriſtianorum, Iudæorum, & Sarracenorum, vſque ad locum, prope Ciuitatem, qui dicitur* Podium ſuſpenſorum, *omneſque lachrymantes & miſeram ſortem deflentes Venerabilis Epiſcopus conſolabatur, & prædicabat eis, & poſt prædicationem, vt ſolitus erat, dedit eis benedictionem Epiſcopalem vt filijs ſuis, & ſicut Iſaac dedit filio ſuo Iacob, dicens ei:* Ecce odor filij mei ſicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus. Det vobis Deus de rore cœli, & de pinguedine terræ, abundantiam frumenti, vini, & olei. Seruiant vobis populi, & adorent vos Tribus, & ſitis domini fratrum veſtrorum, & incuruentur ante vos filij matrum veſtrarum. Qui maledixerit vobis, ſit ille maledictus; & qui benedixerit vobis, benedictionibus repleatur. *Benedictionéque iſtâ finitâ, reuerſus, & intuitus ciuitatem,* Stephanum *Epiſcopum* Oſcenſem, *ſacrilegum, ſpoliatorem, & inuaſorem eius ſanctæ ſedis, ciuitatis, & Epiſcopatus* Barbaſtri, *cum fautoribus eius, maledixit, & excommunicauit, & maledictos, & excommunicatos reliquit, Deum, & Sanctam Romanam interpellans Sedem, vocibúſque cordis, & oris cum Propheta dicens:* Nolite tangere Chriſtos meos, & in Prophetis meis nolite malignari, quia eritis ſacrilegi, & criminoſi. *Et reuerſus in ſe, & aſſumens patientiam, vt mereretur Sedem Epiſcopalem in cælis, & vt nobis exulibus eſſet Paſtor, Patronus, & Aduocatus in terris, recordatus illius:* Abraham egredere de terra tua, & de domo patris tui, & vade in terram, quam monſtrauero tibi, & ego benedicam benedicentibus tibi, & maledicam maledicentibus tibi, atque in te benedicentur omnes cognationes terræ: *cum dolore ſponſæ Sedis* Barbaſtrenſis, *& filiorum ſuorum minoris plebis Chriſtianorum, Iudæorum, & Sarracenorum S. Vir receſſit, & aſcendit ad* Rotenſem *Eccleſiam, ſiue Sedem, quam deſtinauit ſibi Pontificalem; donec Deus Iudex iuſtus, ſibi, ſuiſque* Barbaſtrenſem *reddat Eccleſiam.* Rotenſis *Eccleſia præfulget, & tanti Paſtoris munita gaudet cuſtodiâ. Flet S. Dei,* Barbaſtrenſi *Eccleſiâ, ſponſâ ſuâ ſpirituali viduatus, ieiunans, vigilans, orationibúſque vacans, & toto mentis affectu, quæ Dei ſunt, amplectitur, cilicia ſibi parat, & eis indutus Sexdecim annorum ſpatio, non niſi ſolo cuſtode conſcio, cooperi tur. Sic caro ſpiritui rebellis domatur. O felix B. Viri conſtantia! ô admirabilis S. Præſulis abſtinentia! ô ineffabilis S. Antiſtitis patientia! à quo tam patienter cuitata humana gloria fuit.*

Gen. 23.

Pſam. 104.

Gen. 12.

Cap. 4. *Fit Epiſcopus Ripacurtia.*

Svbsequente *autem tempore factum eſt, vt* S. Raymvndvs, *ſpolio* Barbaſtrenſis *Eccleſiæ durante, per* Stephanum *Epiſcopum* Oſcenſem *facto, & propter reſidentiam in Eccleſia Rotenſi, tunc temporis dictus* B. Raymvndvs *Ripacurtianorum Epiſcopus eſt nominatus, vt in feſto*

Tranſlationis

Digitized by Google

Translationis S. Valerij in Breuiarijs Cæsaraugustanensi, & Oscensi scriptum habetur. Quinimò non desiuit esse vir magnæ religionis, nam venieus quandam ob expeditionem Cotendæ, * ad ciuitatem Cæsaraugustanam accessit; qui ab Episcopo Cæsaraugustano, & cæteris fratribus Canonicis eius tanto dilectionis affectu susceptus est, vt in adolescentula Ecclesia Cæsaraugustana tantam charitatem, tàm citius exercuisse gaudens admiraretur. Ingressúsque Capitulum eiusdem Ecclesiæ Cæsaraugustanæ, Canonicum, & filium, & omnium beneficiorum participem se fieri postulauit. Ipsi autem de tanti Viri consortio congaudentes, & pro tali petitione sibi gratias referentes, maximo cum amore, in Canonicum, & fratrem admiserunt. Societate igitur initâ, & vinculo charitatis adstrictâ, & vsque in hodiernum diem seruatâ cum Canonicis Cæsaraugustanensibus, Canonici Rotenses vt fratres accipiunt quotidianam distributionem panis, & vini; per tres dies eis conferendo. Episcopus Cæsaraugustanus, & alij fratres Canonici gemitibus, & lacrymis dilectionem prædicti RAYMVNDI tunc Ripacurtiani Episcopi, & Barbastrensis, licet spoliati, vnanimiter implorare cœperunt, vt de Corpore B. Valerij Episcopi Cæsaraugustani (quòd Corpus in Ecclesia Rotensi habebatur, & ibi sepultum esset) partem aliquam eis tribueret, & Sedi propriæ restitueret. Quorum Vir Venerabilis petitionem iustam videns, lacrymis, & orationibus eorum victus, cùm rem honestam peterent, preces eorum exaudiuit, & voluntati eorum adquieuit, & Brachium B. Valerij Episcopi Cæsaraugustani se dare spopondit. Quam ob rem mittuntur de fratribus honestissimi Viri, qui tantas Reliquias reuerenter tractarent, & ad Sedem suam pristinam feliciter reportarent. Quibus acceptis, voti compotes, nec suo desiderio defraudati, cum gaudio remearunt, Patroni sui Valerij Brachium deferentes. Cum ergo adpropinquarent ad vrbem Cæsaraugustanam, facto præconio, Episcopus, & Clerici, Viri, & Mulieres, senes, iuuenes, & pueri, quasi tunc ab exilio redeunti Pontifici Valerio obuiam exierunt, omnes quoque vnanimiter concordantes, & Altissimo gratias referentes, Deum in tanto munere benedicere, & glorificare, & in ipsis laudibus exaltare non cessabant. Ad eius rei spectaculum multi ex Sarracenis egressi mirabantur, quod hominem mortuum, tanto prosequerentur honore. Sed Dæmoniacus, qui pluribus Mensibus à dæmone vexatus, assistens Episcopo, & Canonicis cum Brachio dicti S. Valerij supra pontem, ad eum, tanquam ad præsidium cucurrit, & liberatus est. Quo viso miraculo, multò magis gauisi sunt.

* sic in originali.

Relatio de Trãslatione brachij S. Valerij Rotã Cæsaraugustam.

Miraculũ.

PROTENDENTE autem tempore Moabitæ, siue Agareni subintrant in Hispaniam, & ad ciuitatem, quæ dicitur Malaca, venerunt: quo relato, & audito, Rex Aragonum Ildefonsus, armipotens, bellicosus, triumphator magnanimus, proposuit cum ingenti Christicolarum exercitu eos abijcere, & dictos Agarenos, & alienigenas, atque infideles potenter expugnare decreuit; prafatúmque RAYMVNDVM Episcopum Rotensem, & Barbastrensem, licet spoliatum, Dei præsulem, sanctitate præditum, secum habere voluit comitem, vt se, atque exercitum suum roboraret diuinitus hortando, atque iuuaret frequenter orando. Ea propter vocatus Antistes, Ecclesiâ suâ diligentissimè dispositâ, profectus est cum belligero Ildefonso, eiúsque expeditione, vsque ad penultimam Prouinciam, quæ Malaca nuncupatur, per multa videlicet prælia, atque periculosa. Quo in itinere innumeri de exercitu corruêre, partim fame, partim algore, partim itineris difficultate, variisque morbis accidentibus, ex aeris insolentia, atque intemperie. Quibus Vir Dei, eo quo poterat subueniebat modo, esurientes alendo, algentes induendo, fatigatos vehendo, ægrotos consolando, præliantibus ne pro Christo formidarent mori, persuadendo. Erat namque plenus Charitate, & abundabant in eo viscera compassionis, & misericordiæ. Vbi verò Malacam peruenêre, concurrerunt perfidi, & audaces Mohabitæ cum innumerabili multitudine præliatorum. Sed Christo per suos triumphante, minimè præualuêre. Tunc prælibatus Pontifex Christicolis totaliter

Cap. 5. *Comitatur Regẽ Malacã vsque, ægrotat, & moritur.*

Digitized by Google

totaliter perſuadebat, dicens: Potens eſt Dominus ſuperare & in paucis, & in multitudine; ipſe ſuis ait: Nolite timere, ſed potius confidite. Ego vici mundum. *Et iterum*: Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere. *Dum exercitus pugnabat, ille ad inſtar Moyſis Deo vacabat, & ſeorſum orabat: talibus enim armis nouerat dimicare, quòd poſſent cælos aperire.*

Infirmatur. AD *vltimum, Vir Theologus, & Deicola cum cæteris Malacâ, ſed tamen ægrotus, remeauit, & vſque ad vrbem Oſcam ægrotando peruenit, cum literis Regis* Ildefonſi, *miſſis* Stephano *Epiſcopo* Oſcenſi, *vt Sedem* Barbaſtrenſem, *& diœceſim* RAYMVNDO, *quem manu armata de ipſa ſpoliauerat, reſtitueret efficaciter. Sed cùm iam S. Præſul ægritudine oppreſſus, & deficiens dictam Ciuitatem* Oſcæ *acceſſit, & exinde qualiter ſe haberet ſuis in Chriſto filijs* Rotenſibus *Canonicis celeriter denuntiauit. Quo audito, de paternâ ſummopere Mœſti ægritudine, & lacrymantes* Oſcam *illicò properant, vbi eum ægrotare agnouerant. Quibus aſſiſtentibus, & lamentantibus, cæpit eos dulciter affari, paternè conſolari, & ab infimis, & tranſitoriis dehortari, ad ſummam, & æternam vitam, quam iam prælibabat, quam nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis adſcendit, & quam præparauit Deus diligentibus ſe. Ita eos exhortabatur, & ſimilia per verſus proferebat, hîc non deſcripta. Quibus finitis Vir Beatus, atque ſanctiſſimus, humanæ vitæ fine ſibi accelerante, oſculi datâ pace, factâ confeſſione, ſumpto Corpore Dominico, ac Noſtri Redemptoris adoratâ Cruce, illicò impoſita benedictione ſuper ſe ipſum, & ſignaculo Crucis impreſſo, à ſuis Canonicis, vt mos eſt, conſecrato liquore perungitur, & ad vltimum, in cinere, & cilicio ponitur beatiſſimum S. Præſulis Corpus, donec ſpiritus eius in Chriſto felix elabitur*, XI. Kalendas Iulij, *& ab Angelis ſuſcipitur, in cœlum defertur, in numero Sanctorum Epiſcoporum, & Confeſſorum collocatur, & ita beatiſſimus* RAYMVNDVS *Epiſcopus* Barbaſtrenſis, *ſimul &* Rotenſis *duplici coronâ, quâ meruit, coronatur, ac feliciter ſempiterna vita decoratur. Cuius* CORPVS *ſanctiſſimum ad* Rotenſem *Eccleſiam deportatur, & honorificè ſepelitur Anno Domini* M. C. XXVI. *præſtante Domino Noſtro Ieſu Chriſto, auctore fidei Noſtræ, qui cum Patre, & Spiritu-Sancto viuit & regnat Deus per omnia ſecula ſeculorum, Amen. Sedit autem in Epiſcopatu* Barbaſtrenſi, *ſimul &* Rotenſi *Annis* XXI. *Menſibus* VIII. *Diebus* XX.

Moritur.

Sepelitur.

Helias quo Anno vixerit? Hactenus ACTA ab HELIA Doctore Theologo coætaneo conſcripta, vt ſuſpicatur Franciſcus Didacus de Aynſa in *Hiſtor. Oſcenſ. lib. 2. c. 41. fol. 312.* qui cum vixiſſe ad Annum M C. XXXVIII. fatetur. In quorum ecphraſi aliqua notabimus ad eius elucidationem.

Quare S. Vir à Sede deiectus? PRIMVM circa cauſam, ob quam *Stephanus Oſcenſis* Præſul ſanctiſſimum RAYMVNDVM, à ſede manu armatâ eiecerit? Huic quæſito faciunt ſatis *D. Michael Cirreto* Epiſcop. Barbaſtr. in Libello ad Philippum II. Regem Catholicum de *Inſtaurat. Epiſcopal. Sed. Aragon.* & Didac. de Aynſa, *ſupr. c. 42. fol. 317.* dicentes: *Stephanum*

I. Ratio hoc opus exequutum fuiſſe ob reſtituendam Sedi *Oſcenſi* vrbem *Barbaſtrenſem*, quam *Sanctius* Rex eidem donauerat. At S. Oldegarius in *Epiſtol. ad Innocent. II. Pont. Max.* aliam reddit rationem, aſſerens: *Regem Alfonſum* RAYMVNDO *nolenti militem aduerſus Chriſtianos Caſtella mittentem inſequi, pluries minitaſſe, & Stephani Oſcenſis occaſione arreptâ fœdum facinus perfeciſſe.* Oldegarij verba auſculta: *Certum quidem eſt apud nos, & vt credo, apud Curiam veſtram, quòd per præcepta Regalia* Barbaſtrenſis *Eccleſia*, Rotenſis *Epiſcopatus dignitatem accepit; quam Romani Pontifices per priuilegia ſua tuſtum eſſe iudicantes confirmauerunt. Dum enim his actibus fultus Dom.* RAYMVNDVS *Epiſcopus in pace ipſam haberet Eccleſiam* Barbaſtrenſem, *vbi conſecratus fuit, Rex Aragoniæ, qui ſemper ipſi inimicabatur (nolebat enim eum ſequi ſuper Chriſtianos) miſſo* Stephano Oſcenſi *Epiſcopo cum manu militari, ipſum Epiſcopum cum manu tenentem cornu alteris ignominiosè fecit expelli ab Eccleſia, & Ciuitate.* Iam vide cauſam ex *B. Oldegario*; nunc ab ipſo Rege Alfonſo ſuum peccatum fatente coram multis Epiſcopis ad hoc congregatis: *Ego pro peccato meo illum Virum*

II. Ratio.

Rex peccatum faſſus ſucceſſori Epiſcopo ſedem reſtituit.

Religioſum

Digitized by Google

Religioſum ſine ratione, & iudicio expuli de Sede ſua Barbaſtrenſi, *nunc autem Dei iudiciũ timens* Petro *Epiſcopo Sedem* Barbaſtrenſem *reſtituo.* vt refert Ainſa ſupr. *c.* 43. *f.* 323.

SECVNDVM, Quid de *Stephano Oſcenſi* Epiſcopo ſpoliatore actum ſciſcitaberis? Scies, quòd cognito per *Paſchalem II.* Pont. Max. ſpolio, *Alfonſo* ſcripſit Regi, & *Stephano* Epiſcopo, quatenus prædictam Sedem *Barbaſtrenſem* RAYMVNDO protinus reſtituerent, qui haudquaquam Apoſtolicis paruêre mandatis, & ideò *Calixtus II.* Pont. Max. denuò eadem expediuit, vt ex Breuibus ab *Aynſa* relatis *d. c.* 42. *fol.* 318. & 319. pateſcit. Hinc proſequitur Helias in *Vit. S. Raymund. c.* 6. *in meo MS.* Per mortem dicti S. RAYMVNDI *litera Regia non habuerunt effectum, neque dictus* Stephanus *ſacrilegus, & inuaſor, & excommunicatus operatus eſt ſalutem animæ ſuæ, atque reſtitutionem; ſed ſecum crimina prædicta afferens,* Romam *iter arripuit, vt mortuo S. Viro, confirmationem ſacrilegij, & ſpolij Cathedræ Barbaſtrenſis inueſtituram ſuſciperet. Sed ſuis meritis, & peccatis exigentibus, Deóque minimè permittente, vt ſacrilegus in Cathedra S. Præſulis ſederet, in itinere, antequam Romam acceſſiſſet, miſerabiliter à latronibus interfectus fuit, & ſocij eius redierunt ſine eo.* De hac etiam miſerâ *Stephani Oſcenſis* morte meminit S. Oldegarius in relata *Epiſtol. ad Innocent. II.* quâ, & ſanctum RAYMVNDI obitum, & *Stephani* violentum exitum, *Alfonſi*que Regis pœnitudinem, & confeſſionem deſcribit, ſic: *Pio* RAYMVNDO *Epiſcopo defuncto; & Oſcenſi Stephano interfecto; ipſe Rex, vt audiuit, quod multa Deus per eundem Rotenſem Epiſcopum* RAYMVNDVM *operaretur miracula, conuocatis Epiſcopis, & Religioſis Viris, confeſſus eſt malum quod egerat, & ait coram omnibus.* Ego pro peccato meo, &c. *Quid de Stephano ſpoliatore actum?*

TERTIVM, quatenus ad titulum, quem poſt ſpolium de Epiſcopo *Ripacurtienſi* & *Rotenſi* accepit, ſciendum eſt, quod in antiquo *Breuiario Cæſarauguſtano* in Feſt. *Tranſlat. S. Valer. Die XX. Octobr.* agitur de hoc titulo, quo & etiam nominatur: *Nam cùm* (inquit) Raymundus Ripacurtianorum *Epiſcopus, &* Rotenſis *veniens ad expeditionem* Cutandæ (*oppidum prope* Darocam) *venit* Cæſarauguſtam. Quod & fatentur Aynſa *d. c.* 42. *fol.* 320. D. Martin. Carrillo *Hiſtor. S. Valer. c.* 12. *fol.* 133. P. Morill. *Hiſtoria Cæſarang. p.* 1. *c.* 23. *fol.* 199. *An Epiſcopus Ripacurtiæ.*

QVARTVM, circa expeditionem *Malacitanam*. Breuiar. Oſcenſe peruetuſtum *h. d. fol.* 547. in *Lect.* 2. Octauæ; de hoc iſta breuiter compaginat: *Interea* Alfonſus *Rex cum exercitu Chriſtianorum, Mauris ſubditam intrantibus* Hiſpaniam, *ad Ciuitatem* Malacam *venit, quem Beatus comitatur* RAYMVNDVS, *ibíque fames valida populum Dei opprimit, & diuerſis penurijs Dominicus grex perijt.* Quod & notauit Aynſa *d. c.* 43. *fol.* 321. licèt apud *Zuritam* altum ſilentium. *Interfuit expeditioni Malacitanæ.*

CÆTERA communia ſunt, ideò illa omiſimus, prout & miracula, quæ infra *Tom.* 6. *Die XVI. Nouembris,* cùm de eius ſacri Corporis *eleuatione* agemus, omnia ex *Helia* ſubiiciemus. Nunc ad Hymnos in *Eccleſia Oſcenſi* cani ſolitos deueniamus. *Hymni in eius feſtiuitate.*

AD VESPERAS, HYMNVS.

PAſtor excellens RAYMVNDVS *ille*
Hoc die lætus, Domino iubente
Dignus, & felix meritis, Olympi
Clauſtra petiuit.

Sancte Confeſſor RAYMVNDE *Præſul,*
Præſulum fulgens decus, atque gemma
Pro reis ora Dominum precamur
Cunctipotentem.

Debitas laudes Domino canamus,
Qui dedit ſacras RAYMVNDO *ſedes,*
Quas verè ſcimus famulis paratas
Numine Chriſti.

Hic dies felix, bonus, atque fauſtus,
Quo datur iuſto requies beata,
Angeli gaudent, populúſque cunctus
Magna canentes.
Laus Deo Patri, ſalus, & poteſtas,
Pneumati ſancto, paritérque Nato,
Qui ſedens mandat ſolio tonanti
Cuncta moueri. Amen.

AD LAVDES, HYMNVS.

RAYMVNDVS *Paſtor bonus, Deo dignus Pontifex,*
Cœlorum iam felix pignus tranſit ad palatia
Prece cuius, mundi huius dirumpamus retia.
Glorioſe RAYMVNDE *clara gemma Præſulum,*
Qui pro vita repromiſſa, hoc ſpreuiſti ſeculum,
Vnà tecum, ac per te capiamus ferculum.
Trinitati ſit poteſtas, ſalus indiuidua
Patri, Nato, Paraclyto, qui gubernat omnia,
Deus vnus in æternum, mirâ prouidentiâ. Amen.

AD SECVNDAS VESPERAS, Hymnus.

EXultantes *decantemus, Deo laudes debitas,*
Polorum, qui RAYMVDO *ſedes confert inclytas,*
Deo dignas, quas nos ſcimus ſolis ſanctis debitas.
Felix dies, in qua quies ſibi datur cœlica,
Gratulatur, & lætatur omnis plebs Angelica,
Ergo homo promat Deo, cordis, oris cantica.
Trinitati, &c.

An canonicè inter Sanctos relatus. Hinc proculdubio colligere eſt, S. RAYMVNDVM canonicè fuiſſe inter Sanctos relatum, nam credibile non eſt Eccleſias *Barbaſtrenſem, Rotenſem, Oſcenſem,* & *Ilerdenſem* feſtum Duplici officio, & in tribus primis cum Octaua peregiſſe, & adhuc primas agere, niſi Canonizationis S. Præſul titulo decoraretur, provt & eruditè probat Didacus de Aynſa *ſupr. c.* 44. Quod & nobis veriſimile videtur, ex eiſdem rationibus, & coniecturis.

Topographia. BARBASTRVM. Ciuitas Epiſcopalis in *Hiſpania* Citeriori, quam aliqui ſed perperam BIGASTRVM putauêre; aliqui & melius BVRTINAM. de qua Ptolem. *in Geograph. lib. 2. Tabul. 2. Europ. c.* 6. Eius ſitus inter *Caſarauguſtam*, & *Iaccam*. Oſcæ ad V. Mill. proxima eſt. Hodie BALBASTRO dicitur.

C. S. PALLADIVS Epiſcopus Confeſſor.] *Andreas Saußayus* mihi venerandus amicus, in *Gallicano Martyrologio* cuius Sanctorum illius Regni compago *duobus* diſcreta *Tomis* circumfertur; licèt de nonnullis PALLADIIS ſanctis confeſſoribus, videlicet Antiſiodorenſi *die X. Aprilis*. Duobus *Bituricenſibus* Seniori, & Iuniori, *die X. Maij*. Sanctonenſi, *die VII. Octobris*, meminerit, prorſus Noſtrum iſtum PALLADIVM *Ebredunenſem*, fortaſſis Noſtratum anamneſis ignoratione repellit, Eius memoriam repetit Philipp. Ferrar. in *General. Catalog. SS. h. d. fol.* 255. hoc breui elogio: *Camprodoni in* Hiſpania *apud Gerundam* S. PALLADII, *Epiſcopi Ebredunenſis.*

Inter Gallos ignotus.

Martyrologia, & Scriptores.

Huius

Huius igitur ACTA tàm quæ ad vitam, quàm quæ ad Translationem spectant, ex *Breuiarijs Barcinonensi, & Gerundensi*, necnon ex *Legendario MS. Camprodonensi* extraxit P.F.Antonius Vincentius Domenec *in Histor.SS.Catalon.lib.1.fol.57.* Hispano sermone, illa en tibi Latina damus.

ACTA S. PALLADII EPISCOPI Ebredunensis, Confessoris ex Anton.Vincent.Domenec.

PALLADIVS Ebreduni *in* Aluernia *Galliæ natus, ex honestis, & Catholicis parentibus, à tenera ætate sui animi præsagia demonstrauit futura; nam mundi terrena despiciens, & æterna concupiens, vt à Magistro illius vrbis Episcopo didicerat, spiritu, Domini semitis adhærebat. Cùm ergo hæreticorum malignitas Episcopum Ebredunensem è Sede deijceret, ille Ebreduno Viennam, comite* PALLADIO, *exulauit, vbi ab Auito ipsius vrbis Episcopo, & S.Sigismundi Burgundiæ Regis in spiritualibus magistro, benignè susceptus, ibidem per aliquot annos Deo, & proximis inseruientes, insignes virtutum cumulos coaceruarunt. Post hæc mortuo Ebredunensi Episcopo, S.Gallicanus in eius locum sufficitur, quo etiam breui defuncto,* PALLADIVS *cleri, & populi suffragijs fuit ad Cathedram Ebredunensem euectus. Nec ista hæc electio ab hominibus facta creditur, sed ab Angelis S.Spiritus illustratione perfecta putatur; quia, vt ille sæpius suis enarrabat discipulis, quidquid agebat, operabatur, & docebat, illud omne ab hisce sanctissimis spiritibus, præcedente reuelatione, capiebat. Ergo sanctissimus hic Vir fuit ita in oratione feruidus, vt quidquid expetebat à Domino feliciter acciperet. Pauperum necessitates, inexhausta charitate, quærebat, quibus subsidia deferès, orphanos, & viduas propriis alebat sumptibus; ita vt quoque peregrinis famelicis, & iter agentibus, continuis eleemosynis, subueniret. Dominicam passionem adeò præ oculis habuisse dignoscitur, quòd eius sanctissimæ Crucis signaculo plurics diabolum deuicisse, constet. Dono fuisse prophetiæ illustratum, illud conuincit, quòd pluribus antecedentibus diebus, diem suæ mortis prædiceret, necnon S. Sigismundi martyrium, & Regni excidium prænosceret. In Episcopatus gubernatione, quem per Quinquennium rexit, adeo malis omnibus occurrebat, vt vix facta, quando depulsa; & hoc per Angelos monitus, quorum oraculis, omnia patrata, aut patranda à subditis crimina perdiscebat. Tandem post vitam sanctissimam peractam, ad æternam Deus sanctissimum Præsulem euocare constituens, illum graui affecit morbo, cuius lentitudine oppressus, placidâ dormitione quieuit, Anno Domini Nostri Iesu-Christi* D.XVIII. *Cuius Translationis festiuitas Camprodoni die* XXI. Iunij *solemni ritu peragitur.*

Origo.

Viennam exulat.

Episcopus fit.

Exercitia.

Dominicæ Passionis deuotissimus.

Prophetiæ dono illustratus.

Moritur.

HVIVS *sanctissimi Præsulis sacra pignora Monachus quidam Benedictinus, qui apud Cœnobium de* Portella, *diœcesis* Viccensis, *habitum induerat, è* Gallia *extraxit, & apud* Camprodonum *sic mirabiliter quieuêre. Nam cùm Monachus prædictus ad Cœnobium S.Petri* Camprodonense *Ordinis Benedictini cum Reliquijs accederet, nequaquam aliò pergere quiuit, qua diuina permissione conuictus, sacra lipsana illic relinquere coactus est. Quæ in argentea capsa custodita, venerabili solemnitate coluntur, & quotannis populo in eius festiuitatis die magnificentissimè demonstrantur.*

Translatio.

PLVRA *Sancti Præsulis intercessione Deus est operatus miracula tàm in vita, quàm post eius Translationem. Nam dum viueret, cùm S.Vir ad Castrum* Alagon, *ab vrbe* Ebredunensi *vix VI.Mill.distans accederet, è summo montis cacumine ingens saxum dilabitur, S.Præsulis ruinam minitans. Quod vt vidit* PALLADIVS, *ad illud conuersus, facto crucis signaculo, saxum in cliuo mirabiliter subsistens, adhuc viatoribus miraculi testimonium præbet.*

Saxum ruinam minans in cliuo subsistit.

HOMO *quidam* Ebredunensis, *qui cùm agritudinis oppressione nihil edere valuisset, ad S.Episcopi pedes, vt ab eo medelam acciperet, se deferri curauit. Cuius* PALLADIVS *laborem agnoscens, panis frustum benedixit, quo paulatim vtens, facilè salutem inuenit.*

Homo curatur.

VIRGO *quædam scorpij morsu brachium venenatum habebat, adeò vt iam*

Digitized by Google

Et Virgo ab Scorpij morſu.

nihil ſpiritus remaneret. Eius afflictionem S. Viro aperiêre nonnulli, & ille Deo preces effundens, ab oratione non ceſſauit, donec Virgo liberata proſiliit.

Infans reſurrexit.

POST *Tranſlationem verò alia etiam operatus eſt prodigia. Nam eo tempore, quo* Camprodonum *peruenit, infantis mortui corpus ſuper eius Aram poſuêre, & facta oratione pro puero, protinus vitam mirabiliter recepit.*

A Gallis corpus auferitur.

ANNO *Domini* M. CCCC. LXX. *cùm* Galli *milites Oppidum* Camprodoni *ſtrictis armis inuaderent, & Monaſterium S. Petri, vbi ſacra pignora requieſcebant, diriperent, Dux militum, cui nomen* Benaqui, *capſam cum ſacro Corpore expilauit, quam ſupra equum imponens, in* Galliam *perducere deſtinauit. Sed equo per cliuum montis in profundum elapſo, Dei prouidentia, nec capſa confracta, nec equus aliquid læſionis accepit, quo perterriti cuſtodes, illam in vrbem* Perpinianum, *tunc Gallis parentem, perduxêre. Hoc per regionem cognito tunc, homo quidam* Roſcinonenſis *paralyticus ſeſe S. Viro commendauit, cui & donarium obtulit, facta promiſſione de cuſtodiendo eius feſtiuitatis die. Vix dictum, quando ſanitati reſtitutus, cum voto ad pedes S. Pontificis lætabundus acceſſit.*

Ad Perpinianum vrbẽ defertur.

Miraculũ.

CVM *ergo ſacræ exuuiæ in prædicta capſa apud eandem vrbem in domo cuiuſdam accolæ nomine* Emdeu *à militibus cuſtodirentur, prælibatus hoſpes ab eis os ex ſacro corpore, precibus accepit, quod ſuadente quodam Notario Eccleſiæ Regali Præcipuæ vrbis obtulit. Sed vix inſtrumentum donationis perfectum, quando* Emdeu *de ſe ipſo dilapſus eius tibia confracta eſt, & Notarius cepit infirmari, & intra annum diem clauſit extremum. Tunc milites cuſtodes ſacra pignora in Arce* Perpinianenſi *depoſuere, cuius Dux illa ſuo Locumtenenti cuſtodienda commiſit, qui per multum temporis eadem abſque veneratione cuſtodiuit, donec mortem inuenit incognitam.*

Carcaſſonã Gallia trãſfertur.

POST MODVM *eadem ſacra lipſana* Carcaſſonam *Galliæ delata, cuius Epiſcopus erat Ducis* Benaqui *frater, qui illa honorificè recepit, & in eadem vrbe per Triennium remanſêre, ſpectans ſummum Pontificem licentiam conceſſurum fratri (vt ab eo multis erat precibus expetitum) quòd illa cuilibet poſſet Eccleſiæ donare. Sed hoc denegante Pontifice, quinimo iubente, quòd capſa argentea cum Sancto Corpore, Eccleſiæ Camprodonenſi protinus reſtitueretur: Epiſcopus fratri reſtitutionem interdixit. Hinc Præſul morte præuentus, faſſus ſe emori propter denegatam S. Corporis reſtitutionem, quam illico faciendam fratri ſummoperè commendauit, occubuit.*

Obitus miſerrimus Spoliatoris.

DEMVM *cum Duci* Benaqui *propter non reſtitutas ſacras Exuuias plurima in bellis pericula eueniſſent, à quibus liber euaſerat, voto de reſtituẽdis emiſſo, nec illud ſoluere procuraſſet, tandem prælio inito, cùm Regis caſtra ſequeretur, ictu globi plumbei vulneratus puſilli, ab equo cecidit moribundus vociferans ſe Dei manu punitum, ob intermiſſionem reſtitutionis ſacrorum pignorum, ideo teſtamento iuſſit, quod illa protinus reſtituerentur, quo dicto, animam reddit.*

Reſtitutio ſacri corporis Camprodono.

TVNC *Vice-Comitiſſa* de la Valere *vxor* Benaqui *Ducis, cognitâ coniugis voluntate,* Camprodonum *miſit, vt aliqui ex vrbe Ciues pro recipiendis ſacris pignoribus properarent. Ita factum, & acceptis ſacris exuuijs, illas* Camprodonum *reportant, in cuius tranſlationis itinere licet pluuia ingens agros omnes inuaderet, nuſquam ſupra capſam gutta licèt minima cadere viſa eſt. Imò accedente* Corpore, *& intrante* Cathaloniam, *oppidorum tympana, & cymbala per ſe ipſa pulſabantur vicinorum. Et ita reſtitutum fuit* S. PALLADII *corpus ſuo antiquo Monaſterio S. Petri Camprodunenſi.*

HÆC quæ *Antonius Vincentius Domenec* Compaginat ACTA, ex antiquis Monumentis Cœnobij *Camprodonenſis*, & Breuiariorum SS. Eccleſiarum Vrbium Gerundenſis, & Barcinonenſis. Quatenus ad bellum à Gallis tunc temporis geſtum aduerſus Cathaloniæ Principatum, videſis Ieronym. Zunt. *Annal. Aragon. lib.* 18. *c.* 17. Cætera comprobata ſunt.

Topographia.

CAMPRODVNVM. Oppidum Hiſpaniæ Citerioris ad Pyrenæi-Montis iuga, quâ Roſcinonenſis Comitatus vertices viſuntur; diœceſis eſt Gerundenſis in Gotholania, hodie dicitur CAMPRODON. De quo *Domenec.*

DECIMO

Digitized by Google

DECIMO KAL. IVLII.

DIES XXII.

A. BARCINONE *in Cathalonia memoria* SS. PAVLINI, *&* THERASIÆ *coniugum, &* CELSI *filij. Qui, cùm Pater* Barcinonam *deuenisset, & ibidem cum* Therasia *matrimonium contraxisset, ex qua* Celsum *filium suscepisset, cum eo* Complutum *visitandi ergo Corpora SS. Martyrum* Iusti, *&* Pastoris *adiens, ibidem filio morte praeuento, & apud sacras exuuias sepulto,* Barcinonem *remearunt, vbi* Paulinus *à* Lampadio *eius vrbis Episcopo Presbyter factus,* Nolanæ *Ecclesiæ infulas induit, & demum in pace quieuit.*

B. In Monte ARARATH, *in Armenia,* SS. HERMOLAI *Episcopi Toletani, & Decem millium Martyrum crucifixorum, quos S. Pontifex ad fidem conuertens, cum ipsis martyrij palmam promeruit. Cuius Corpus postea Audentius Toletanus etiam Præsul honorificè sepeliuit.*

C. TOLETI *in Carpetania Hispaniæ* S. GREGORII *ipsius vrbis Episcopi, qui iussu Constantij Imperatoris, exilio, & ærumnis pro fide exantlatis, spiritum Confessor inclytus Domino reddidit.*

D. PISTORII *in Hetruria, Inuentio, & Translatio sacrorum pignorum* B. ATTONIS Pacensis *in* Hispania *Ciuis, &* Pistoriensis *Episcopi: quæ post C.LXXXIV. annos integra reperta, honorificè fuêre in Ecclesia Cathedrali recondita.*

NOTÆ.

A.

SANCTVS PAVLINVS *Episcopus cum vxore, & filio.*] Nulli, vt credimus, dubium est, S. PAVLINVM ex Italia in *Hispanias* concessisse, & apud vrbem *Barcinonensem* commorasse, ibidémque cum THERASIA sanctissimâ fœminâ matrimonium duxisse, filiúmque ex ea CELSVM nomine suscepisse, quem, dùm pro visitandis lipsanis SS. Martyrum Complutensium illuc accederet, emortuum, prope Martyrum tecbas tumulatum reliquisse. Sed nec hæsitandum est, ipsum sanctissimum Virum *Barcinonem* reuersum à *Lampadio* illius vrbis Episcopo *Presbyterum* factum in Italiam repedasse, & *Nolana* vrbis infulas induisse. Quæ omnia ex eius vitæ relatione noscuntur. His sic prælibatis venio ad elogia: De eo *Beda, Vsuardus, Ado, Galesinius, Maurolycus, Bellinus, Peregrinis,* & cæteri Latinorum, à quibus *Martyrol. Rom.* Baron. *lit. A.* vbi plura, Castellanum *P. Vasq.* Lusitanum *P. Lupi,* & Hispanum *MS. P. Higuera,* & Italum *Constantij Felicis.* Ex Scriptoribus Flau. Dext. *in Chron. Ann.* 396. vbi plura P. Biuar. *Comm. 1. n. 1. fol.* 418. & Roderic. Caro *fol.* 141. *lit. L.* Eius ACTA scripsisse *Vranium Mart. Hisp. Iunij.*

In Hispanias deuenit.

Martyrologia.

Scriptores.

eius diſcipulum fatentur omnes, nouiſſimè illa coagulaſſe *Frontonem Ducæum*, & *Herisbertum Roſvveydum* liquèt in fine Operum S. Præſulis. Nos illa breuiora dabimus ex *MS. Codice Aſturicenſi*; additis aliquibus neceſſariis.

ACTA S. PAVLINI, THERASIÆ, & Celſi filij; ex Varijs Scriptoribus, & MS. Aſturicenſi.

Nomen, Patria, Genus. PAVLINVS, *qui &* Meropius Pontius Anicius *cognominatus eſt, Patriam habuit Gentium Principem* Romam, *Patricium, & Conſulare genus.*

Locus natiuitatis. *Natus eſt in* Aquitania, *in vrbe* Burdigala, *vbi domum habuiſſe ex* Auſonio *conſtat, ſeu* Hebromagi, *vt alijs videtur, quam & patriam ipſe* Paulinus *appellat. Patrimonium ei peramplum, ingentiáque prædia fuiſſe teſtantur omnes. Naſcitur ſeculo ad Annum* CCC. XLVI. *& ætate commodâ egregium*

Natiuitas. *Magiſtrum, Decium Magnum Auſonium, Poëticis, ſimul & Oratorijs virtutibus inclytum inter eius ætui primos, nactus, adeo profecit, vt in vtraque facultate, ſiue Oratoria, ſiue Poëtica, vel adæquaret docentis gloriam, vel ſuperaret.*

Studia. *Tantus in ipſa adhuc iuuenta fuit, vt Conſulatum Ordinarium conſequeretur, cùm antea ad agendas cauſas fori ſtrepitum ſequeretur. Chriſti veſtigia poſtmodùm eſt inſectatus, vel S. Felicis Martyris miraculis inſpectis, vel audita lectione illa Euangelica, quæ adoleſcenti præſcribit, vt omnia ſua venderet, & pauperibus diſtribueret, ſi vellet in cælo theſaurum conſequi. Quidquid fuerit,*

Conſulatus. PAVLINVS *venditis omnibus quæ habebat, pauperibus erogauit: quibus exoneratus, gaudens, & exultans, Chriſti veſtigijs præclarè inſtitit, & Italia, amicis, & propinquis relictis, in* Hiſpaniam *peregrinaturus aduenit, vbi* Barcinone *ſiſtens,*

Conuerſio. THERASIAM *nomine, Virginem locupletem, ſapientem, & religioſam vxorem duxit. Ex eo igitur coniugio, poſt longa vota, ſoboles tandem virilis obtigit, cui* CELSI *nomen impoſitum, breui ad æternas cæli manſiones*

Peregrinatio. *tamen aduolauit infantulus. Nam cùm pro viſitandis* SS. Iuſti, *& Paſtoris Martyrum* Complutenſium *ſacris pignoribus* Complutum *accederent, ibi-*

Coniugium. *dem* CELSO *vita functo, eius corpus iuxta puerorum Martyrum corpora tumularunt. Qui caſus coniuges ſanctiſſimos admonuit, ſimúlque viam expediuit, vt meliorum rectè factorum progeniem, & minimè caducam meritorum poſteritatem deſiderarent. Hinc inter ipſos continentiæ votum emiſſum, ſic in*

Sobolei. *poſterum vixerunt, vt eſſent ijdem coniuges, qui fuerant, ſed non ita coniuges, vti fuerant; eſſent ipſi, nec ipſi; nempe qui ſicut Chriſtum, ita ſemetipſos iam*

Celſus Cõpluti moritur. *ſecundum carnem non noſſent.*

Paulinus Presbyter. REVERSI *igitur* Barcinonem PAVLINVS *à* Lampadio *illius vrbis Epiſcopo ad ſanctum* Presbyteratus *ordinem adſcitus, in Italiam repedauit, vbi Monachiſmum cogitans, per eandem Regionem eius inſtituti ſodales*

Monachiſmum in Hiſpaniam defert. *congregauit. Inde in Hiſpanias reuerſus, ibidem vitæ Monaſticæ rudimenta præpoſuit, donec ad Nolanæ Eccleſiæ faſtigium ſublimatus, inſignia ibidem facinora peregit. Ita vt virtutibus plenus ad cæleſtem patriam euolaret Confeſſor.*

Moritur. X. Kalend. Iulij, *Anno* CCCC. XXXI. *Eius Corpus Romam tranſlatum, in Eccleſia S. Bartholomæi in Inſula, vnà cum Corpore eiuſdem Apoſtoli honorificè fuit conditum, donec Anno* M. CCCC. *D. Ioannes Vazquez de*

In Hiſpaniam Corpus transfertur. *Zepeda, Epiſcopus Segobienſis, ab* Henrrico III. *Caſtellæ Rege, Iubilæi ergo, Romam deſtinatus, ſacra inuiſit loca, lipſana* S. PAVLINI, in Hiſpaniam *rediens, aſportauit, & in Monaſterio* Aniagenſi Carthuſianorum *condidit, vbi adhuc honorificè coluntur.*

En ACTA quæ ad Hiſpaniam attinent, cætera vt communia, & prolixiora reliquimus, ne de Sancto necdum omnino Noſtro, Lectoribus faſtidium generemus: maximè cùm ſint eius res geſtæ propter celebritatem tritæ. Nunc ad elucidationem dictorum veniamus.

Aduentus duo in Hiſpaniã, probantur. PRIMO circa Aduentum *S. Paulini* ad *Hiſpanias*. Audi Roſvveydum *in Vit. fol.* 667. 2. *p.* §. 2. dicentem: *Sed hic animaduertendum, bis in* Hiſpania *videri fuiſſe: primùm negotiorum cauſâ, cùm varia loca inter pelagi, ac viæ labores peruagatus filium*

Compluti

Compluti *ſuſcepit,& amiſit,vti ſupra memorauimus. Deinde ad ponenda vitæ Monaſticæ rudimenta.* Quod & ſequitur *Biuar.*

SECVNDO de *Coniugio* cum THERASIA in *Hiſpania*, P. Biuar. *d. Ann.* 396. *n.* 1. *fol.* 418. auſculta: *Sanè* Vranius *Presbyter* Burdegalæ *natum* S. PAVLINVM *ſcribit, habuiſſéque vxorem* THERASIAM; *& cùm nullibi præterquam in Hiſpanijs* THERASIÆ *nomen fuerit in vſu, ex eo ſatis oſtenditur fuiſſe Hiſpanæ.* Et veriſimile eſt, quia cum adhuc inuenis in *Hiſpanias* venerit, quid mirum ſi apud Noſtres vxorem duxerit? *Theraſia vxor Hiſpana.*

TERTIO, quatenus ad mortem CELSI filij apud *Complutum*, dùm SS. Martyrum *Iuſti,& Paſtoris* limina viſitarent, ipſe Paulin. in *Poëmat. Eleg.* 15. *fol.* 516. refert, vbi hæc. *Compluti moritur, & tumulatur Celſus.*

Credimus æternis illum tibi CELSE *viretis*
Lætitiæ, & vitæ ludere participem.
Quem Complutenſi *mandauimus vrbe, propinquis*
Coniunctum tumuli fœdere Martyribus;

QVARTO, quòd *Barcinone* à *Lampadio* Paulinus ſuſceperit *Presbyteratum*, ipſe proculdubio fatetur in *Epiſtol.* 45. *fol.* 400. his verbis: *Nam Ego, etſi à Delphino Burdegalæ baptizatus, à* Lampadio *apud* Barcinonem *in* Hiſpania *per vim inflammatæ ſubitò plebis ſacratus ſim.* Flau. Dext. in *Chron. d. Ann.* 396. hac periodo: *A S. Viro* Lampadio *Epiſcopo* Barcinonenſi, *qui ſucceſſit S. Parenti meo* Patiano, *fit* PAVLINVS *Presbyter.* Subſcribunt Biuarius & alij *fol.* 421. & D. Thom. Tamayo *in Not. ad Luitprand. Ann.* 748. *fol.* 148. *Paulinus Barcinone fit Presbyter.*

QVINTO, quòd *D. Ioannes Vazquez de Zepeda* Epiſcopus *Segobienſis* tranſtulerit lipſana ſacra PAVLINI Româ *Segobiam*, quæque in *Aniagenſi* Carthuſianorum Cœnobio condita aſſeruentur, teſtis eſt Didacus Colmenares in *Hiſtor. Segobienſ. c.* 27. §. 14. *fol.* 316. vbi iſta Latinitate donata protulit verba: *Cùm ergo iam* lubilæi *annus* M.CCCC. *accederet, Rex decreuit, quòd eius nomine Noſter Epiſcopus ſuiſque expenſis* Romam *pergeret, & ſacra loca, ſtationum more, viſitaret; cuius deuotionis inſtantia illis ſeculis frequens. Itaque Auenionem cùm peruenisſet Epiſcopus*, & Benedictum XIII. *papatus prætenſorem ibidem inueniſſet, in eius palatio obſeſſum; eo quòd illum videre non poterut, de aduentu, & itinere monuit. Cui* Benedictus *ſcripſit, & illi vt in itinere poſſet cum ſchiſmaticis alloqui, & in quacumque parte, & vrbe, etiam interdicti mucrone feritâ, Sacrum pro ſuis famulis conficere, nec non qualeſcumque Reliquias Româ in* Hiſpaniam *transferre, licentiam in ſcriptis emiſit. Tunc Epiſcopus Romam petiit, quam adhuc in exordio Anni Sancti eſt ingreſſus, & apud Inſulam S Bartholomæi hoſpitio exceptus eſt. Aſt cùm in eius Eccleſia in die Epiphaniæ vigilias ageret, Sacrarium ipſius Apoſtolicæ Baſilicæ aperuit, è quo plurimas extraxit Reliquias, & præcipuè* Corpora S. PAVLINI, *Epiſcopi Nolani, &* SS. Marcellini, *&* Exuperantij *Martyrum, quæ hodie in Cœnobio Aniagenſi venerantur. Sed & Corpus* B. Bartholomæi *extrahere tentauit, ſed non valuit. Ita omnia idem* Epiſcopus *refert, in relatione ſui itineris, quam propria manu exaratam, & authenticam, in eodem Cœnobio cuſtodiunt Carthuſiani Monachi.* Hactenus *Colmenares.* Omnia ſuperius recenſita, etiam teſtatur M. Ægidius Gonzal. Regius Chronographus *Tom.* 1. *Theatr. Eccleſ. fol.* 556. *Corpus trãſlatum ad Hiſpaniã. In Cœnobio Aniagenſi Carthuſianorum ſeruatur.*

SS. HERMOLAVS *Epiſcopus* Toletanus, *& Decem Millia Martyrum.*] S. Vniuerſalis, & Catholica Eccleſia, hoc die recolit memoriam horum Sanctorum Martyrum, hoc elogio: *In Monte* ARARATH, *paſſio SS. Martyrum* Decem Millium *Crucifixorum.* Cui conueniunt Græci in *Menologio*, Beda, Galeſinius, Maurolycus, Petr. de Natalib. in *Catal. SS. lib.* 5. *c.* 137. & cæteri recentiores. Sed licèt apud ipſos nomen Noſtri Præſulis Toletani HERMOLAI deficere videatur, fortè ſcribentium incuriâ, aut ignoratione, vtramque ſuppleuêre Noſtri Chronographi vetuſtiores, hiſce locis, & elogiis Flau. Dext. in *Chron. Ann.* 134. ſic habet: *Decem Mille Martyres* (patiuntur) *in* Ararath, *Magiſtro, & Socio* HERMOLAO *Archiepiſcopo* Toletano, vbi P. Biuar. *in Not. n.* 3. *fol.* 231. & Roder. Caro, *lit. G. & H. fol.* 69. S. M. Maxim. *in Chron. ad finem* apud Biuar. *fol.* 729. *n.* 27. apud Roder. Car. *fol.* 221. *in fine*, B. *Martyrologia. Scriptores Hſpani.*

Digitized by Google

hac ſerie: *Celeberrima eſt in* Hiſpaniis *memoria* Decem Millium *Militum Martyrum in* Ararath *paſſorum, Magiſtro, & ſocio* HERMOLAO, Toletano *Archiepiſcopo, qui eos imbuit in fide, & animauit. Erant iſti SS. Milites, maiori ex parte,* Hiſpani, *quorum Dux* Heliodas, *& præcipuè milites cum Duce, Achatius, & Primicerius.* Hos ſequitur Iulian. Archipresbyter Toletan. in *Chron. Ann.* 134. *n.* 61. iſta proſequitur: S. HERMOLAVS *milites Chriſtianos, quorum ille bonam partem prædicatione ſuâ, vel ad fidem conuerterat, vel in* Hiſpania *baptizauerat, relicto ſuæ diœceſeos Aulo* Pelagio Agrippa *ſucceſſore, Romam ſequitur, & in de ad* Armeniam, *& in Monte* Ararath *cum illis glorioſiſſimum planè martyrium ſubiit.* Eadem D. Petrus Salazar de Mendoza *in Prolog. ad Vit. Cardinal. fol.* 10. D. Martin. Carrillo *in Annal. Eccleſ. Ann.* 135. D. Didac. Caſtejon *in Primat. Toletan.* 1. *p. c.* 8. *&* 9. P. Quintana-Dueñas *Hiſtor. SS. Toletan. in Prolegom. c.* 29. *fol.* 113. Ex quibus & Nos eius ACTA retexemus.

ACTA S. HERMOLAI EPISCOPI Toletani in Hiſpania, Martyris in Armenia; ex Var. Scriptor.

Toletanus Epiſcopus.

HERMOLAVS *cuius originis fuerit ignoratur, poſt* S. Honoratum *Conchenſem Hiſpanum,* Toletanum *Antiſtitem, ipſius Patriarchalis Eccleſiæ infulas induit, vbi Paſtoris ſanctiſſimè munere functus, oues ſibi commiſſas vigilantiſſimè & auxit, & cuſtodiuit. Poſt aliquantùm ergo temporis in officij gubernatione exantlati, fidei zelo ſuccenſus, & diuinâ illuſtratione vocatus, Toletum deſerere conſtituit, Romámque pergere. Quod vt felicius exequeretur,* Aulum Pelagium Agrippam *ſucceſſorem elegit, cui diœceſis adminiſtrationem commendauit. Itaque Romam perueniens, & ſancta loca venerabiliter viſitans, in Armeniam properauit, tempore, quo Agareni, & Euſratenſes Romano Imperio rebellarunt. Quorum vt Adrianus Imperator ferociam reprimeret, Nouem Mille Milites, qui in Partibus Alexandriæ ad Tigrim degebant, contra eos direxit, eiſque Acathium, Primicerium, & Heliadem præfecit. Cum ergo Romanorum milites multitudinem aduerſariorum conſpexiſſent, perterriti terga verterunt; & ſciſcitantes ad inuicem, cur tantus eos tremor inuaſiſſet; putantes, quod Dij contra eos indignati forent, eo quòd illis ſacrificare neglexiſſent, attendentes ad ſimulacra, ſacrificia obtulerunt; deinde irruentes in hoſtes adhuc maiori formidine repleti, iterum ſeſe in fugam dedêre.*

Romã pergit.

Inde in Armeniam.

Milites alloquitur.

TVNC temporis tanquam Angelus Domini ſtetit inter eos HERMOLAVS *Epiſcopus, quorum non minimam partem fuiſſe Hiſpanos agnoſcens, omnes alloquitur dicens: Deos gentium eſſe dæmonia quis dubitat? Si dæmonia, quomodo vobis auxilia impartiri poterunt? Si ergo in Chriſtum Deum verũ credere vultis, victoriã ex hoſtibus obtinebitis. Illis vnanimiter ſe velle credere reſpõdentibus,* HERMOLAVS *protinus omnes viriliter animauit. Sequenti die, prælio commiſſo, omnes Chriſtum in ſui adiutorium expoſcunt; in hoſtes impetum faciunt, & S. Epiſcopum, qui pridie illos roborauerat, eorum exercitum cernunt præcedentem: barbaros viriliter cædunt, in fugam vertunt, & multos fugientes in lacum ſe mergere compellunt. Obtento hoc admirabili triumpho,* HERMOLAVS *deduxit milites ad verticem Montis Ararath, longè ab Alexandria per quingenta ſtadia poſiti, & in medio eorum ſedens, eos de fide Chriſti plenius inſtruebat. Illico autem cœli aperti ſunt, & Septem Angeli viſibiliter ad eos deſcendunt, eorámque illis futura prædicunt, & ad martyrij paſſiones conſtantes efficiunt. Quibus ablatis ab eorum oculis, SS. Martyres vnanimiter in Chriſti fide, & amore fundati, triginta diebus in Monte perſtiterunt orantes, paruo cibo corporeo ſuſtentati. Imperator admiratus, cur ad illum, habitâ victoriâ, non redirent, ad eos perquirendos miſit; eóſque Chriſtianos effectos audiens, ſtatim Septem Regibus circumſtantium regionum epiſtolas dirigit, vt ad eos cum ingenti exercitu feſtinarent, quo vniuerſos Chriſti tyrones, in Montis cacumine ſecedentes, vſque ad vnum gladio penitus interimerent.*

Ad fidem conuertit.

Regibus

Digitized by Google

REGIBVS igitur cum feſtinatione congregatis, priùs ad Sanctos Imperator nuntios dirigere conſtituit, iubens, vt coram eo protinus deuenirent. Qui oratione præmiſſâ, ſe mutuò confortantes, voce delapsâ cœlitus roborati, coram Imperatore comparere feſtinarunt intrepidi. Interrogatique ab eo, cur poſt triumphum Nazareno Crucifixo adhæſiſſent, & Auguſtorum leges præterire non timuiſſent. ACATHIVS ore omnium reſpondens, omnia quæ illis euenerant, enarrauit, & Chriſtum Dominum voce publicâ prædicauit. Omnes quoque Milites, Chriſtum ſolum Deum verum acclamare cæperunt. At cùm Imperator comminaretur, quòd omnes pœnas, quas Crucifixus pertulerat, illos experiri faceret; vnus ex collegio Martyrum, nomine CARCERIVS Campi ductor, ſe beatos fore reſpondit, ſi necis, & paſſionis Domini mererentur eſſe conſortes. Clamantibus autem populis Gentilium contra eos; & illis è contra Chriſtum viuâ confitentibus voce; populi furore moti in eos lapides miſerunt, eóſque lapidare cæperunt. Sed Chriſti virtute lapides in faciem iactantium vertebantur, & plurimi ex Gentilibus mactabantur, Sanctíque Martyres à lapidibus minimè tangebantur. Quod cernens Imperator, & hoc magicis virtutibus adſcribens, eos ſcorpionibus flagellari iuſſit. At cùm diutiùs læderentur, vnus eorum Iuuenculus, nomine Draconarius, parumper in verberibus deficiens, ad Acathium ſe conuertens, eius exhortationem poſtulabat. Quem poſtquam Acathius confortaſſet, timens, ne aliquis de collegio in fide forſitan propter flagella titubaret, orauit ad Dominum, vt ipſos ab his tormentis erueret. Statimque nimio facto terræ motu, manus, & brachia cadentium aruerunt. Quo viſo miraculo, Magiſter quidam militum THEODORVS nomine cum ſuis militibus Mille conuerſus eſt, qui ſe Chriſtianos confitentes, ad Nouem Mille Martyres ſe contulerunt. Tunc Imperator iratus iuſſit apportari clauorum multitudinem trigonorũ, & per viginti ſtadia ſpargi, vt ſuper eos Sancti nudis pedibus Martyres ambularent. Quod cùm fieret, Angeli Domini Martyres præcedebant, & clauos leuantes, in vnum coaceruabant. Imperator verò illos Angelos, Deos fuiſſe putabat; propter quod adhuc magis Martyres ad ſacrificia ſuadebat; eo quòd Dij illorum miſerti, eos à tali clauorum periculo liberaſſent. Sed cùm tàm primi Nouem Mille, quàm alij Mille ſuperadditi, ſolum verum Deum Crucifixum clamarent; iuſſit Imperator, quòd omnia Crucifixi tormenta, quem prædicabant, experirentur in eis. Sicque coronæ ſpineæ in eorum capitibus impoſuêre, & lanceis latera perforantur, & vt olim Chriſtus à Iudæis, ſic Sancti à militibus illuduntur. Tunc de conſilio Saporis, vnius ex ſeptem illis Regibus, SS. Martyres in Crucibus configi iubentur, & comitantibus illos omnibus populis ad Montem Ararath, ab exercitu deducuntur, & ibidem horâ Tertiâ crucibus affiguntur, Beatus vero HERMOLAVS, & Acathius in crucibus pendentes, pendentes ſimiliter ſocios hortabantur, & ſymbolum fidei Catholicæ profitebantur. Vt autem SS. Martyrum paſſio, per omnia Dominicæ paſſioni ſimilis eſſet; miracula, quæ moriente Domino apparuerunt, ibidem innouata conſpiciuntur. Nam, & hora Sexta, vſque ad horam Nonam, Sol obſcuratus eſt, terræ motus ingens factus eſt, ita vt plurima ædificia ruerent, ſaxa etiam conciſa ſunt ſtupentibus vniuerſis. SS. verò Martyres ad Dominum orauerunt, vt cuncti eos in quacumque neceſſitate inuocantes, à Domino exaudirentur. Statimque voce de cœlo dilapsâ, ad cœleſtia regna vocantur, & eorum petitio exaudita nuntiatur, Poſtmodùm verò factâ horâ Nonâ per totum montem lux maxima circumfulſit, Sancti quoque Martyres, magnis vocibus, ſuos in manus Domini ſpiritus commendantes, animas emiſerunt. Corpora vero illorum ab Angelis de Crucibus depoſita, diuinâ diſpoſitione, in ipſo Monte ſepulta ſunt. Decimo Kalend. Iunij *Anno Domini* C. XXXIV. *Poſt multum temporis* Audentius Toletanus Epiſcopus, & B. HERMOLAI ſucceſſor, ſciens quòd eius ſacra pignora abſque honore tumulata iacebant, illa fecit honorificè collocari, *ad Annum* CCC. XCVI.

Martyrum conſtantia.

Lapidãtur.

Flagellãtur.

Conuertuntur alij Millime.

Tormenta Chriſto illata patiũtur.

Signa in paſſione Chriſti viſa innouantur.

Moriuntur.

Sepeliũtur.

EN genuinam ACTORVM ſtruem, quam ex *Breuiario* antiquo *Compoſtellano MS.*

Hymni ex Breuiario Compoſtellano MS.

MS. & vitellinis foliis compacto, deſumpſimus, vbi & *Hymnos* in horum SS. Martyrum officio perpendimus, quos Eruditorum venuſtati damus:

AD VESPERAS, HYMNVS.

HYmnum nouæ lætitiæ,
Chorus noſter ſolemniter
Regi nouæ militiæ
Solemnizet concorditer.
Hæc eſt illa Militia,
Cuius ductor Acathius,
Doctor & Hermoláus
Gaudet cum Decem millibus.
Sacrificantes idolis,
Et bellatores inclyti,
Prius erant in populis,
Auguſto valde cogniti.
His vocatis ad prælium,
Poſt felicem victoriam,
Chriſtus Redemptor omnium
Suam dedit notitiam.
Quos edocens Hermoláus
In magni Montis culmine,
Plura dicit vt ſedulus
De magno Chriſti nomine.
Trino Deo, & ſimplici,
Laus, honor, virtus, gloria,
Huius gregis mirifici
Prece ducat ad gaudia. Amen.

AD LAVDES, HYMNVS.

ADeſt dies lætitiæ,
Quo Beatus Acathius
Regnum cœleſtis curiæ
Suis intrat ſodalibus.
Vnde Mater Eccleſia
Laudet, depromat Martyrum
Nouâ feſtum lætitiâ
Sanctorum Decem Millium.
Qui poſt Chriſti notitiam
Datam eis ab Hermoláo,
Tormentorum ſæuitia
Exoſis vincit idolis.
Acuti claui pedibus
Tolluntur ab itinere;
Verberantur, lapidibus,
Mittentes Dei munere.
Omnes ſuſpenſi Crucibus,
Petunt Dei magnalia,
Bina dona colentibus
Huius feſti ſolemnia.
Solutis à patibulis,
Sepulturam corporibus
Conſequuntur ab Angelis,
Datis Deo ſpiritibus.

Aliorum Breuiariorum Hiſpaniæ officia.

Ferè in omnibus *Hiſpaniæ Breuiarijs* peruetuſtis adeſt ſolemnis horum SS. Martyrum feſtiuitas, & in aliquibus ſpeciali commemoratione S. HERMOLAI, vt in *Palentino*, illis verbis: *Tunc Imperator iuſſit eos Crucifigi, & omnia tormenta, quæ paſſus eſt Chriſtus D. N. ſunt eis illata, quæ illi forti animo, & fide firmiſſimâ, pro Domino ſuſtinuerunt Inter quos paſſus eſt* HERMOLAVS *Archiepiſcopus, qui eos baptizauerat.* Sed nec tantùm de noſtro S. Præſule meminere *Hiſpani* Scriptores, ſed etiam Nicephor. *lib. 7. c. 14.* HERMOLAVM Martyrem, & Epiſcopum cum illis occubuiſſe, refert. Prout illum citat Rodericus Caro in *Notis ad Dextr. d. Ann. 134. fol. 69. lit. H.* quem videas.

Reliquiæ an Toletũ tranſlatæ?

CIRCA *ſepulturam* datam ab *Audentio Toletano* Præſule ſacris pignoribus ſancti prædeceſſoris HERMOLAI, Iulianus Archipresbyter in *Chron. n. 193.* ſententiam dixit; & addit P. Biuar. *in Not. ad Dext. d. Ann. 134. n. 3. fol. 232.* quod S. Pontificis lipſana *Toletum* fuiſſe aduecta, & in *Eccleſia Toletana* ab ipſo *Audentio* ſucceſſore recondita. Sed & ABVLÆ in Oratorio *Illuſtriſſimi D. Sanctij Danila* Epiſcopi quondam

Digitized by Google

quondam Placentini Dvo Capita duorum horum SS. Militum, & Martyrum, ac aliquid ex eorum veſtibus, aſſeruantur, vt ipſe Illuſtriſſim. Præſul in *Catalog. Reliquiar. in principio* Libri de *Veneration. Reliquiar.* fatetur. *Abule, Duo Capita horum SS.*

Ararath. Mons eſt excelſus in *Armenia* prope *Alexandriam* ad *Tygrim*, & *Eulum* amnem poſitus, qui ramus eſt *Candani*, olim *Caucaſus*, vel *Candanus* dictus, vt notauit Luitprand. in *Aduerſar. n.* 233. Qui etiam *n.* 234. aſſerit, ex aliorum opinione, quod mons hic Latinè dicitur *Equinus*, pars *Montium Gordiænorum*, in cuius cacumine, teſte *Ioſepho*, arca Noë requieuit; quem, vt partem *Gordiænorum* (quæ barbarè etiam dicitur *Ararath*) fluuius Tygris irrigat, & mox in planitiem regionis Gordiœnorum, non longè III. M. P. præterit Ciuitatem *Characem*, ab *Alexandro* dictam *Alexandriam*; & à dextrâ eius, multis oſtiis, in ſinum Perſicum, ſpatioſiſſimus ingreditur: ſic Luitprandus. Videſis Baron. in *Not. ad hunc diem, lit. C.* *Topographia.*

S. Gregorivs *Epiſcopus* Toletanus *Confeſſor.*] Diuerſus ab *Illiberitanis* Gregoriis I. & II. & aliis, de quibus prolixam ſeriem texuimus ſupra *Tom.* 2. *Die XXIV. April. fol.* 742. & ſeqq. Nam I. Vitam exuit *VIII. Kal. Maij*, *Anno* CCC. LXXIX. vt ibidem probatum reliquimus. II. viuere deſiit *XIII. Kal. Ianuarij*, *Anno* CCCC. XXIII. vt infra *Tom.* 6. *Die XX. Decembris* comprabimus, & ſupra *d. Tom.* 2. *fol.* 743. expreſſimus. De iſto expreſsè Iulianus Archipresbyt. Tolet. in *Chron. n.* 167. hac clauſulâ: *Olympio ſanctiſſimè defuncto, ſucceſſit* Gregorivs, *Vir egregij ſpiritus, ad quem ſcripſit* Euſebius *Cõfeſſor, Epiſcopus* Vercellenſis. Et *n.* 169. iſtam ſubnectit: Gregorivs *Toletanus, Toleti ſynodum Epiſcoporum contrahit, in qua damnatur Auxentius Epiſcopus Mediolanenſis Arianus; In Concilio Romæ habito per Damaſum, & alios Epiſcopos prædamnatus.* Et *n.* 170. proſequitur: *Hoc Anno* Gregorivs, *Epiſcopus* Toletanus, *Himmerius Tarraconenſis, & Idatius Braccarenſis venientes Romam, confirmant fidem Catholicæ Eccleſiæ, quam ſtatuit magna Synodus Nicæna; eiúſque fidei formulam afferunt ad Epiſcopos Orientales in Concilio Tianenſi congregatos, eóſque verbis mirificè reficiunt.* Et *n.* 173. aſſerit: Gregorivs *Toletanus literas recipit enclyticas S. Liberij Papæ Romani.* Et *n.* 174. concludit: *Hoc Anno* (366) *X. Kalend. Iulij, Pontifex* Toletanus Gregorivs *ſanctè* Toleti *moritur.* En Actorvm fruſta ex *Iuliano*: Nunc quid *Dexter* de eo ſcripſerit inquiramus. Is in *Chron. Ann.* 356. ſucceſſionem in Sede *Toletana* poſt *Olympium* refert. Et *Ann.* 360. eius exilium enumerat. Et *Ann.* 366. ipſius mortem aſſignat. Horum veſtigia etiam inſequuntur D. Thom. Tamay. in *Verit. Dextr. in Diptych. Toletan. Antiſtit. n.* 14. *fol.* 118. Epiſcop. Turiaſonenſ. *de Primat. Tolet.* 1. *p. c.* 8. §. 4. *fol.* 102. P. Quintana-Dueñas *Hiſtor. SS. Toletan. in Prolegom. c.* 29. *fol.* 114. & 117. Non me latet nonnullos ex hiſce relatis Scriptoribus, nominum horum SS. Præſulum confuſione, hallucinatos, & Acta vnius alteri accommodantes, totius veritatis ſtruem euertere; dùm hunc Noſtrum *Toletanum* Gregorivm cum *Illiberitano* II. apud Amphitriam ſepulto, confundunt, ſtatuentes Noſtro obitus diem, *XIII. Kal. Ianuarij*, cùm clarè pateat ex *Iuliano d. n.* 174. Noſtrum, extremum clauſiſſe diem *X. Kal. Iulij*. Sed vt Acta genuina demus, illa ex melioris notæ Auctoribus excerpemus. C. *Diuerſus ab alijs.* *Scriptores.* *Noſtratum confuſio in Actorum ſtruc.*

ACTA S. GREGORII EPISCOPI Toletani Confeſſoris; ex Dextro, Iuliano, & alijs Scriptoribus.

Gregorivs *origine* (*vt creditur*) Hiſpans, *ex vrbe* Toleto *oriundus, literas ſacras abs* Olympio *eius vrbis Epiſcopo, & deceſſore luculenter didicit, adeò vt illo è viuis ſublato, ad apicem illius Patriarchalis Sedis Pontifex eucheretur inſignem. Cuius vt primùm gubernacula ſumpſit, mores Cleri, & populi ad rectam Catholicæ veritatis rationem reducens, tantam eſt apud omnes in poſterum conſecutus opinionem, vt* Hilarius *Pictauienſis Epiſcopus, &* Euſebius *Vercellenſis Antiſtes, ad eum frequenter literas emiſiſſent. Per hæc tempora* Auxentius *Mediolanenſis Eccleſiæ Epiſcopus, vt ſubiectum ſibi* *Origo, ſtudia, & Sedes.* *Hilario, & Euſebio Epiſcopis charus.*

ſibi populum, quem ſciret eſſe Catholicum, deciperet, laruam ipſe ſibi Catholici nominis impoſuit, ita vt cum Arianus eſſet, fallacijs, & doloſis confeßionibus populum Mediolanenſem, *& ipſum* Valentinianum *Imperatorem circumſcripſit. Huius* B. Hilarius *calliditates, & commenta detexit, adeo vt errorum cognitâ veritate, in Concilio Romano* Auxentius *tanquam hæreticus damnaretur, provt & damnauit* GREGORIVS *contracta Synodo Epiſcoporum apud* Toletum, *Damaſi ſequens veſtigia. Poſt hæc cùm etiam Synodus à Catholicis ageretur Tyanæ, Ciuitatis Cappadociæ, ad radices Tauri Montis poſitæ; & fidem Nicani Concilij, quam totis viſceribus Occidentales amplectebantur Eccleſiæ, Epiſcopis in ea Synodo congregatis Pontifex manifeſtaret* Liberius, *literas ab Epiſcopis Occidentis omnibus expoſtulat, quibus fides Catholicæ Eccleſiæ in Concilio Nicæno ſtabilita veraciter confiteatur. Hanc igitur confeßionem* GREGORIVS *quoque* Toletanus *Antiſtes, dum eßet Romæ cum alijs Epiſcopis* Hiſpaniæ *proprio ſigillo muniuit; quas etiam* Liberius *Papa cùm aliorum Occidentalium literis Præſulum ad* Tyanenſem *Synodum tranſmiſit. Demùm Beatus Dei Seruus cùm pro fidei cauſa apud* Minoricam *exulaſſet, ad Sedem redux muneris aſſumpti onera complens, ouium ſibi commißarum commoda quærens, doctrina, & ſanctitate clarus obdormiuit in Domino* X. Kal. Iulij *Anno Domini N. Ieſu-Chriſti* CCC. LXVI.

Synodum contrahit Toleti.

Literas fidei ad Synodũ Tyanẽſem mittit.

Moritur.

Binarij palinodia.

HÆC de Noſtro hoc GREGORIO *Toletano* Præſule colligere potuimus, provt veriſimiliora; provt & collegêre D. Didac. Caſtejon in *Primat. Tolet. d. c.* 8. §. 4. *fol.* 102. & P. Quintana-Dueñ. *d. c.* 29. *fol.* 113. & 117. Hanc quoque noſtram opinionem, palinodiâ recantatâ, nouiſſimè eſt amplexatus P. Biuar. *in Not. ad Braulion. in Addit. num.* 53. §. 6. *fol.* 60. & 61. cuius verba dedimus ſupra *d. Tom.* 2. *fol.* 741. Nunc ad probanda nonnulla, quæ in Actis referuntur accedamus.

Amicitia cũ SS. Euſebio, & Hilario Epiſcopis.

PRIMVM, circa familiaritatem per Epiſtolas cum *Euſebio* Vercellenſi, & *Hilario* Pictauienſi. De Primo iam vidiſti ex *Iuliano* in huius Notæ præfatione. De Secundo audi Flau. Dextr. *Ann.* 360. illis verbis: GREGORIVS Toletanus *Epiſcopus communicauit* res ſuas cum HILARIO *Epiſcopo Pictauienſi.* Cùm primò dixerat *Ann.* 356. agens, de GREGORIO: *Ad quem frequenter etiam mittit literas* HILARIVS *Epiſcopus Pictauienſis.* Quod & etiam referunt ſuperiùs citati.

Synodus Toletana dãnat Auxentium.

SECVNDVM, quatenus ad congregationem *Synodi Toletanæ* aduerſus *Auxentium* Epiſcopum Mediolanenſem Arianum. Iam ex *Iuliano* legiſti, nunc ex Athanaſio in *Epiſtol. ad Epict. Epiſcop. Corinth.* deprehendes: *Diuerſis* (inquit) *Concilijs per Galliam, & HISPANIAS, & Romæ celebratis, omnes qui in eo conuentu fuêre, iſtos lucifugas, qui ſeſe etiamnum occultant, & quæ Arij ſunt ſapiunt,* Auxentium *dico* Mediolanenſem, *Vrſacium Valentem, & Caium Pannonem, communi calculo, vnius ſpiritus incitatu, anathemate percuſſerunt.* Eadem notauit Baron. *Tom.* 4. *Ann.* 369. *n.* 34.

Dat literas ad Tyanenſem Synodum de fide.

TERTIVM, circa literas emiſſas ad Synodum Tyanenſem Liberij Papæ decreto. Etiam ex *Iuliano* didiciſti: ſed etiam illud ex Sozomeno *Hiſt. Eccleſ. lib.* 6. *c.* 12. deprehendes, cuius verba ex Baron. *Tom.* 4. *Ann.* 365. *n.* 28. cognoſces, vt *Iuliani* euidentiam & veritatem fatearis. Cætera communia ſunt.

D. *Scripteres.*

INVENTIO *Corporis* S. ATTONIS *Epiſcopi* Piſtorienſis.] De eo ſupra egimus ad *Diem XXII. Maij*, vbi eius ACTA recenſuimus, nunc Eccleſia *Piſtorienſis* eiuſdem ſacrorum pignorum recolit *Inuentionem*; quam & Ludouicus Sanllorente in *Vit. S. Atton. c.* 10. *& ſeqq.* Philipp. Ferrar. in *Catal. SS. Ital. Die XXII. Maij, fol.* 302. vbi hæc verba: *Cuius* (ATTONIS) *Corpus cùm per Annos* C. LXXXIV. *latuiſſet, integrum incorruptúmque, & ſuauem mittens odorem, repertum, in Ædem* S. IACOBI *tranſlatum eſt, miraculis aliquot ſubſecutis.* Idem *in General. Catal. SS. Die XXI. Iunij fol.* 255. inſequens Tabulas *Vallis-Vmbroſæ*, Inuentionem ſacrorum pignorum ad *diem præcedentem* indixit, cùm re verâ, *Inuentio* hæc *XXII. Iunij*, id eſt *hoc die* facta fuerit, vt eius indicant ACTA, ab ipſo *Sanllorente* recenſita, huiuſmodi.

ACTA

Digitized by Google

ACTA INVENTIONIS SACRORVM Pignorum S. ATTONIS Pacensis Hispani, Episcopi Pistoriensis, ex Lud. Sanllorente.

BEATISSIMI *Episcopi* Pistoriensis ATTONIS *Corpus, quod ignotum aliquantulùm, ob euanescentem simul cum annis hominum memoriam, diù humatum iacuerat,* Die XXII. Iunij, *sedente* Benedicto *huius nominis* XII *Romanæ Sedis Pontifice Maximo, Anno* M.CCC.XXXVII. *ab eius verò obitu S. Viri* C.LXXXIV. *sic mirabiliter est inuentum. Cùm suburbana* Pistorij *vrbis Ecclesia S. Mariæ (S. Ioannis Rotundi hodie vocitata) reædificaretur, terrámque ad fundamenta erigenda altè, altiúsque Operarij suffoderent, capsa plumbea non omnino rudi opere facta apparuit, in quâ, & plumbeam laminam, his literis incisam:* ATTO EPISCOPVS PISTORIEN. *& eiusdem integrum, illæsumquè* CORPVS, *Episcopali mitrâ, ac planetâ, cæterisque Sacerdotalibus indutum vestibus, quæ spatio* C.LXXXIV. *annorum, non dederat Deus videre corruptionem; præter spem intùs integra reperêre: Si quidem nullâ tabe corrupta, nullâ peste videres infecta. Quid plura? Vsque in hodiernum diem, ita eius* CORPVS *integrum permanet, & illæsum, vt exuant, lauent, induant, eisdemque Pontificijs vestibus ornent, quibus & olim reconditum, & vsque in hanc diem circumuolutum conspicitur. Immò quod admiratione dignius est, omníque naturali philosophiæ repugnat, totius vtique naturæ vires superat (nullo prævio humano adminiculo) suauissimus, ac fragrantissimus odor, instar suffituum cœlestium emanauit, & emanat ab illo. Quo etiam tempore ad eiusdem sacri* CORPORIS *tactum misericors Deus multa, in multos homines, insanabili morborum tabo languentes, in hunc luxatum membris; in illum paralysi correptum; in istum podagrâ laborantem; in alium captum lumine, beneficia contulit. Quorum adhuc aliqua Hetrusco sermone, in Tabella ad eius Sepulchrum appensâ, alia in suæ Ecclesiæ Libris registrata leguntur.*

Inuentionis Dies, & Annus.

Causa.

Integritas Corporis.

Odor.

Miracula.

DVM *igitur* B. ATTONIS *Corpus iacet inuentum, Ciues piè colunt, ac venerantur; sed vt ardentius prosequerentur, nec vlla esset sacrarum Reliquiarum dubitatio hoc mirabili testimonio, & Ciuium fidem confirmat Deus, & sanctitatem Serui sui perlustrat. Erat tunc temporis, apud* Pistorium *Mulier quæ ab Octauo suæ natiuitatis die vsque ad Annum ætatis suæ* XXX. *cæca permanserat, quæ cùm de* Inuentione *Corporis* S. ATTONIS *audiuisset multa, petijt, quò* CORPVS *iacebat, manuduci. Statim ac B. Viri* CORPVS *manuducta tetigit, virtute Dei, virtutem Beati sensit; & visum, quo per annos* XXX. *priuata fuerat, non minus videntibus, quàm stupentibus omnibus, recuperauit.*

Cæca visum recipit.

HIS *benè cognitis, ac debitâ deliberatione perspectis,* Barontius *Episcopus* Pistorienſis, *ac Populus decreuerunt, solemni pompa* B ATTONIS *corpus in honestiorem locum transferre, mirâque omnium lætitiâ, & exultatione, Clero, & Populo comitantibus, in Cathedralem Ecclesiam transfertur, ac secus eiusdem fores, cum omnibus quibus erat indumentis inuentum in lignea deauratâ capsâ honorificè eleuatur. Vbi pauca fuerùnt impensa denaria, tametsi interuentu S. Viri multa dona collata. Quo situ, magna vsque in hodiernum diem Populi celebritate colitur. Conuenientibus eò religionis ac voti causâ, ex tota fermè Italiâ fidelibus.*

S. Corporis eleuatio, & Translatio.

Hæc sunt INVENTIONIS, siue TRANSLATIONIS Corporis Beatissimi Viri ACTA; Cætera, quæ ad eius cultum spectant, supra *d Die XXII. Maij* recensuimus, vbi Lector desiderium opplere valebit; & ad amussim in speciali Libello, quem de S. ATTONIS Nostri PACENSIS vitâ, cultu, miraculis, adhuc meditatur *D. Ionnes Solano*, olim Archipresbyter Metellinensis in diœcesi Placentina, nunc Canonicus PACE-AVGVSTANVS, cuius in hisce Diuorum conscribendis elogiis eruditio, sedulitas, & iudicium, vix inter seculi Nostri probatos Viros,

D. Ioannes Solano Vitam S. Viri scribere meditatur.

Digitized by Google

alicuius illuſtriùs poterit inueniri. Sed quia S. ATTO noſtræ laus eſt *Hiſpaniæ*, & meæ *Extrematuræ* honor dignoſcitur, hocce voti ergo Epigramma appendere eius Cenotaphio decreui Sepulchrale.

Auctoris Sepulchrale Carmen.

Corpus in hac capsâ Pacenſis *conditur almum*
ATTONIS, *cuius vita beata viget.*
Iſte tuos diues Vettona *en allicit agros*
Extremos, quando naſcitur ipſe tuus.
Naſcitur ipſe tuus, ſed fatis ducibus, vrbem
Auguſtam *linquet, quò meliora ferat.*
Italiam pergit Dominum cùm quæritat: ergo
Italiæ Chriſtum comperit ille ſuum.
Vmbroſæ Vallis *conſortia protinus vrget*
Fratrum quæ Diuus corpore, corde capit.
Totius en demum ſacri tunc Ordinis ATTO
Eligitur Præſes; quo tua Diue fluant.
Piſtorij *Baculum tibi dant tua munera ſacrum:*
Quo moreris Sanctus, ſpiritus aſtra petit.

Proceſſus fulminatus Piſtorij de Origine S. Attonis.

Sanctiſſimi denique Viri memoriam etiam pluribus atteſtatur *Proceſſus* fulminatus apud vrbem *Piſtorij* de Anno M.D C.XXIX. coram *D. Petro Sozzofantio* V.I.D. Protonotario Apoſtolico, Priore S. Pauli, Vicario Generali Perilluſtris, ac Reuerendiſſimi Domini *D. Alexandri Caccia* Epiſcopi Piſtorienſis, quem authenticum, MS. vidimus, ab ipſo R. D. Epiſcopo propriâ manu ſignatum, & ſigillo munitum, & per *Camillum Taiolum* Curiæ Epiſcopalis Notarium ſubſcriptum, & roboratum: cuius copiam *D.D. Ioannes Benitez Montero* S.E. Pacenſis Magiſtralis Canonicus, literis, & virtute conſpicuus, mihi, eâ, quâ in S. ATTONEM pietate, & deuotione perfulget, lubens remiſit.

NONO KAL. IVLII.

DIES XXIII.

A. FLAVIOBRIGÆ *in* Hiſpaniæ *Autrigonibus* S. IVLIANI *adoleſcentis Martyris, qui adeò conſtanter pro fide receptâ militauit coram Martiano Præſide, quòd nullis potuerit blanditijs, aut minis diuerti; & licèt* Aſclepiodoræ *matri, Chriſtianiſſimæ fœminæ traderetur, vt Dijs ſacrificia litaret; illa è conuerſo iuuenem filium ita roboraret in fide, vt tandem ad martyrij coronam inclytus Agoniſta peruenit.*

B. MADRIDII *in Monaſterio fratrum SSS. Trinitatis excalceatorum, Depoſitio ſacrarum exuuiarum* S. IOANNIS

Digitized by Google

S. IOANNIS *Martyris Romæ paßi, quas Vrbanus VIII. cum alijs lipſanis huic Ordini donauit.*

NOTÆ.

SANCTVS IVLIANVS Martyr Flauiobrigenſis.] Eius memoria vix in Eccleſiaſticis Tabulis inuenitur; cæterum Conſtantius Felicius in ſuo *Kalendar. Ital. hoc die* eius meminit, vt & Abbas *Mauroly-cus* hoc elogio: *In* FLAVIA *Ciuitate* S. IVLIANI *adoleſcentis Martyris, qui tempore Decij, ſub Præſide Martiano, verberibus afflictus, in mare merſus eſt.* Petr. de Natalib. in *Catalog. SS. Lib.* 5. *c.* 141. Flau. Dext. in *Chron. Ann.* 270. vbi Roder. Caro *fol.* 92. *lit. L.* & P. Biuar. *n.* 1. *fol.* 296. Hiſpanum hac clauſulâ facit: FLAVIOBRIGÆ *in* Hiſpania *ſub Martiano Præſide* S. IVLIANVS *adoleſcens Martyr.* Eius ACTA ex *Equilino* dabimus, qui ea prolixiùs ſcripſit. A. *Martyrologia.* *Scriptores.*

ACTA S. IVLIANI MARTYRIS adoleſcentis apud Flauiobrigam; ex Dextro, & Equilino.

IVLIANVS *Ciuis* Flauiobrigenſis *in* Hiſpaniæ Autrigonibus *Citerioris, cùm eßet iuuenculus annorum* XVIII. *propter fidem à Martiano Præſide, adhuc durante Decij Cæſaris perſecutione, detentus, illum Præſes ad ſacrificia ſuadebat, & ſacrificare renuentem fuſtibus cædi iußit: iterumque in equuleo leuatum grauiter flagellari, & inde depoſitum, in carcerem mitti fecit. Tum* Aſclepiodorâ *matre iuuenis accerſitâ, hortabatur illam præſes, vt filium ad Deorum immolationem ſuis exhortationibus induceret: quæ trium dierum inducias poſtulauit, in quibus mater filium in Chriſti confeßione corroborauit, Elapſo verò triduo, cùm* IVLIANVS *iußu Præſidis eductus à cuſtodia, Dijs ſacrificare contemneret, fecit Præſes adduci ſaccum cum ſerpentibus, & arena. Martyremque Chriſti in ipſo conſui, ac in pelagum mitti, vt ſic tàm aquarum præfocationibus, quàm ferarum morſibus interiret. Cuius Corpus ab vndis iactatum ad Inſulam, quæ dicitur* Proconeſſus *à Chriſtianis ibidem habitantibus inuentum, in monte ipſius terræ ſepultum eſt, vbi multo tempore ſine aliqua veneratione quieuit. Poſt multos verò annos, ætatis tempore, maris procellâ intumeſcente, pars montis vbi arca ſita fuerat, à mari diruitur, & arca ſaxea in mare mittitur qui diuino nutu ſuper procellas enatans, ab vndis ad portum* Ariminenſis *Ciuitatis adducitur, & in litus iactatur. Quod ciues admirantes, qui ad portum venerant, & luce ſuperinfusâ, Arcam ſuper aquas natare conſpexerant, tumulum cum ſacro Corpore, plauſtro impoſuerunt, & ad Eccleſiam Maiorem, illud deferre volentes, ipſum inde amouere nullatenus potuerunt, ſed neque Arcam aperire aliqualiter valuerunt. Tandem poſt dierum plurium orationes, & ieiunia,* Ioannes *Abbas Monaſterij S. Petri extra ciuitatem ſiti, ſepulchrum cum Corpore eius, vehiculo impoſitum facile monſtrauit, & ad Eccleſiam ſuam adduxit. Et patefacto leuiter tumulo, Corpus* S. IVLIANI *Martyris, vnà cum veſtibus omnino incorruptum inuenit. Paſſionis quoque Epitaphium conſcriptum, ibidem repertum coram omnibus legit. Erant quoque in ipſa Arca* Septem Capita *Martyrum ignotorum. In ipſo igitur loco Corpus cum Arca depoſitum, ad præſens vſque quieſcit. Paſſus eſt* IX. Kal. Iulij, *Anno* CC. LXX.

Origo. *Tenetur.* *Flagellatur.* *Matri traditur vt cõpellat Dijs ſacrificare.* *In Mare proijcitur.* *Sepelitur.* *Corpus apud Ariminum ſiſtit.* *Collocatur.*

Hæc ſunt ACTA: fallitur proculdubio Philipp. Ferrar. in *Catal. SS. Ital. die* 22. *Iunij, fol.* 381. aſſerens S. Martyrem apud *Hiſtriam* natum, & in *Flauiade Ciliciæ* paſſum; quia cùm hæc ex *Menologio* deprompſerit, & ibidem nihil de *Prouincia*, niſi tantum *Ferrarij error.*

tum de vrbe mentio fiat, ſtandum eſt *Dextro*, tanquam vetuſtiori, qui ad vnguem vrbem, prouinciam, & annum paſſionis aſſignauit; quæ omnia in cæteris deficiunt.

Baronij, & Galeſinij coniectatio dilnitur.

NON me latet *Romanum Martyrologium* agonem huius S. IVLIANI Noſtri ad *diem XVI. Martij* reiecisſe, *Menologij* inſequendo veſtigia, eúmque paſſum *Anazarbi* commemoret; & *Galezinius* eodem die, reiectâ vrbe, tantum in *Cilicia* paſſum aſſignet. Aſt horum diſcrepantia potius *Dextri* placitum confirmant, quàm eneruent: cùm ille fixus in eadem ſententia ſit, cæteri *Menologium* inſequentes, & de ſuo inexcogitata aſſuentes, nihil certum ſtatuant. Quidquid ſit, pro Noſtris poſſeſſio eſt.

Topographia.

FLAVIOBRIGA. Vrbs peruetuſta *Hiſpaniæ Tarraconenſis* in *Autrigonibus*, quam Caput *Amanium* Populorum dixit Luitprand. in *Aduerſar. n.* 278. eámque à Mauris ORDVÑA vocatam contendit. Alibi de ea ſcribemus.

B.

S. IOANNES Martyr Romanus.] Celebris eſt eius memoria in omnibus Martyrologiis tàm veteribus, quàm recentioribus, h. d. Pro omnibus *Romanum*, hoc elogio: *Romæ* S. IOANNIS *Presbyteri, qui ſub Iuliano Apoſtatâ, viâ Salariâ veteri, ante ſimulacrum Solis decollatus eſt, & Corpus eius à* B. Concordio *Presbytero iuxta Martyrum Concilia ſepultum*. Philipp. Ferrar. in *Catal. SS. Ital. fol.* 383. huius ACTA etiam breui compaginat. Quod eius ſacra pignora Sanctiſſimus *Vrbanus* VIII. Pont. Max. Fratribus excalceatis SSS. Trinitatis *Hiſpanicæ* Congregationis, cum aliis Sanctorum Martyrum, & Virginum Corporibus, nocnon plurimorum Reliquiis, pro exornandis totius Hiſpaniæ ſui Ordinis Monaſteriis, donaſſet, patet ex ſuperiùs ſæpeſæpiùs citato Auctographo donationis, & inter Conuentus Hiſpaniæ diuiſionis, quod ſupra *Tom. 2. Die II. Martij. fol.* 45. & 46. & alibi ad literam exſcripſimus.

Martyrologia.

Corpus Madridij

OCTAVO KAL. IVLII.

DIES XXIV.

A. IN HISPANIIS *celebris eſt feſtiuitas Natiuitatis* S. IOANNIS BAPTISTÆ, *Domini Noſtri Ieſu-Chriſti Præcurſoris: cuius cultus à naſcentis Eccleſiæ Hiſpanicæ exordijs, ibidem felicibus annuatur auſpicijs; cuius nomen Baſilicarum dedicatione, ob origine Euangelicæ prædicationis in illis, ſequentibus ſeculis veneratum; & cuius Numen plurium ſacrorum pignorum poſſeſſione, votiuis oblationibus exaltatum, conſpicitur.*

NOTÆ.

Digitized by Google

NOTÆ.

NATIVITAS S. IOANNIS BAPTISTÆ.] Expectationi Mundi Deus gaudia desiderata restituens, NATALEM nobis Præcursoris sui IOANNIS verum Lumen lucernæ præeuntis inuexit. Cùm festiuitate, reciprocantium etiam temporum ipsorum vernante lætitiâ, quâ se nobiscum in gaudio omnis creatura aduentum Domini auditura diffudit. Et qui ad NATIVITATEM Præcursoris sui IOANNIS annua nos festiuitate reuocauit, ad suum quoque Natale, cum profectu totius Ecclesiæ, simili dignatione nos prouocet. Tanti enim Prophetæ ortum priùs est nobis dignatus nomine manifestare, quàm luce; & ante ostendere electionis eius, quàm conceptionis initium. Quia scilicet Præco mirabilis præparandus, ac præuius, prius ab eo præconium laudis, quàm viam accipere meruit, vocis. Atque vt ante ortum ab eo ostenderetur laudandus, quem post ortum ipse ostenderet laudaturum. Iste igitur est, qui nobis naturarum omnium Creatorem, necdùm natus ostendit, vt expers vitæ suæ, illius fieret testis gloriæ; haberétque prius cognitum lucis Dominum, quàm communis luminis vsum. Qui in illis coagulati corporis rudimentis, materni vteri lege viuiscens, vocem Dominicæ Matris salutantis exciperet; & quod à ministerio deuotionis exiliens, motu exultanti responderet. Qui ad opus Euangelij nasciturus, matrem de officio nec dùm editus commoneret. Qui prædicaturus pœnitentiam, paternæ diffidentiæ errorem, interceptæ vocis dispendio castigaret; & dubiæ mentis incredulitatem prophetatus clauderet, cùm venturæ salutis fidem prophetaturus aperiret. Qui senili exortus ex aluo, de virgineo nasciturum vtero demonstrauit; vt terrenæ fæcis horridum plasma origine maculatum, cœlestis facis de immaculato nascens corpore medicamine repurgaret. Qui obumbratium significationum figuras apertâ veritate detexit, vt in charitatis vnitate constituti, amplius non abuteremur antiquis. Qui, Deo humanæ salutis, ita ex prima conditione, sicut ex secunda reparatione, solicito, ne inopinatos nos, causâ tanti muneris inueniret, ad manifestandum filij sui aduentum, Nuntius destinatur electus. Qui nos de mirabilibus eius, ipse iam per eum, ex nauitate sua, mirabilis, commoneret; & magnitudinem sequentium rerum, rudes adhuc populos credere, sui ostensione, consueesceret. Qui nuntiaturus Christum, per Angelum nuntiatur. Prædicaturus in populo, prædicatur in Templo. Antè notus honore, quàm tempore. Qui parentibus in incensi est oblatione promissus, gentibus quoque in agnitionem luminis fuit præmissus. Præcursurus Verbum, silentium ponit incredulis, & ante processum vitæ suæ, futura infidelitatis damna, mutâ patris voce loquebatur. Qui & etiam exultat in vtero, vt in parentis viscеribus, natiuæ gentis pectora, venturi Regis prædicatione, concuteret. Qui erupit in gaudio, vt desperatæ promissionis taciturnitas, filij veritate conuicta, in testimonium susceptі muneris, exclamaret. Qui prophetat in spiritu; testificatur in Euangelio; ministrat in Baptismo; docet in populo; degit in eremo; proficit in deserto; parat Viæ viam, venturum nuntiat, per quem venit; & priorem sibi, quem secuturum diceret, non tacebat. Qui erat speculum luminis; initium baptismatis; testimonium veritatis, vt in plenitudine Christi, signorum rem, post rei signa monstraret; nuntius salutis; æmulus passionis. Seruit Propheta baptismo; Baptista martyrio, vt Christum, Dei filium, pro mundi redemptione venturum, quem adnuntiare se prædicatione sermonis ostenderet, amare se effusione sanguinis comprobaret. Qui puer Propheta Altissimi vocatur, præuius Viæ; lucerna Luminis; præco Iudicis; vox Verbi; amicus Sponsi, Angelus pacis; Lætitia seculi; gratia Vniuersi; gloria parentum; & index Christi. Qui fuit Spiritu-Sancto priusquàm nasceretur impletus. Qui & sterilitatem matris iam conceptus absterſit, & patris linguam natus absoluit. Cuius denique solemnia NATIVITATIS hoc die Ecclesia Vniuersalis, & præcipuè *Hispana* omnium iubilatione concelebrat. De quo tàm Latini, quàm Græci in suis *Martyrologijs*, & *Menologijs*, & in Homiliis,

A. *Elegia.*

Scriptores.

Mart. Hisp. Iunij.

miliis,Elegiis, & carminibus plura dixêre. ACTA verſu cecinit B.Paulin. *carm.*5. & Sigiſmundus Tord.*inter Scriptores Hungaros Tom.* 1. *fol.* 390. Sed quia in textu ſpecialiter TRES propoſuimus cauſas,quibus *Hiſpana* Eccleſiæ ad huius feſtiuitatis ſolemnem venerationem excitantur, hic breuiter illas comprobare, & elucidare compellimur, vt & omnibus innoteſcat Noſtratum deuotio, & inſtituto debitum exoluamus.

Templum in Hiſpania conſecratur antiquitus S.Ioanni.

PRIMA *Cauſa* huius ſolemnitatis in *Hiſpania*, ex eo originem ſumpſit, quia in naſcentis Eccleſiæ exordiis,cultus B. IOANNI dignoſcitur exhibitus, duplici medio; & *Templorum* erectione, & *venerationis* exhibitione. De primo, quatenus ad hanc primam cauſam ſpectat,nulli dubium eſt, Sanctos Septem IACOBI Diſcipulos, *Accim* Româ, ab Apoſtolis miſſos, aduentantes, poſt diſruptum miraculosè pontem, *S. Luparium* ad fidem conuertiſſe, quæ templum erexit, & SS. Diſcipuli illud B. IOANNI BAPTISTÆ dedicarunt. Hoc probatur ex *Actis S. Luparii* prout illa exſcripſimus ex *Legendario* peruetuſto *Montis Sion* Ciſtercienſium prope Toletum,*Tom.* 1.*Die XXII. Februar.fol.* 209. cuius etiam ecprafim refert P. Biuar. in *Not.ad Dextr.in Chron.Ann.*43.*n.*1.*fol.*92. & Nos quoque hoc *Tom.* 3.*Die. XV. Maij*, in Actis horum SS. Diſcipulorum, ex *MS. Codice* antiquiſſimo *Complutenſis Bibliothecæ*,deſumptis,vbi hæc leguntur verba: *Ex tunc iam Idolorum polluta ſedes relinquitur, & ibi* S. IOANNIS BAPTISTÆ *conſecrantur Altaria*. Quod & fatentur indiſcriminatim omnes *Hiſpani Scriptores*.

Eidem cultui lõgauus.

SECVNDA, quæ in cultu S. IOANNI exhibito verſatur, patet; nam nullibi daretur locus erectioni Templi, alicui homini, niſi & venerationem virtualiter concederes. Aram erigis Diuo? in ipſa erectione cultum & venerationem fateris. Si ergo ab Anno LX. Chriſti,*Templum* IOANNI conſtruxit *Accitana Luparia*, interuenientibus SS. Diſcipulis, vt liquet, rectè diximus ab exordio naſcentis Eccleſiæ *Aram* in *Hiſpania* fuiſſe dedicatam BAPTISTÆ,& cultum exhibitum. Et colligitur ex *Hymno Iſidoriano*, agens de hac Ara:

Illic Sancta Dei fœmina tingitur,
Et vitæ lauacro tincta renaſcitur,
Plebs hic continuò peruolat ad fidem,
Et fit Catholico dogmate multiplex.

Reliquiæ S. Ioannis inſignes in Hiſpania.

TERTIA, propter ſacrorum plurium pignorum poſſeſſionem, in aliquibus *Hiſpaniæ* Eccleſiis. Inter quas inſignis *Reliquia* eſt, quæ adſeruatur in Monaſterio *Patrum Prædicatorum* vrbis *Perpinnianenſis* apud *Ruſcinonem Comitatum*: cuius meminêre Michaël LLot in *Speciali Libello*, Franciſcus Diago *Hiſtor. Prædicator. Prouinc.Aragon.lib.*2.*c.*88.Anton.Vincent. Domenec *Hiſtor. SS. Cathalon. lib.*1. *fol.*81. Iacob.Lop.Stunica in *Itinerar.Compluto Romam*, quod extat *Tom.*3.*Biblioth. Hiſpan. fol.*628. qui hæc referunt vnanimiter, aſſerentes in *Templo* illius Monaſterij, & in eius Sacrario eſſe plurimas *Reliquias*, & inter alias MANVS SINISTRA cum parte BRACHII, ſanctiſſimi *Præcurſoris*, ante ferè CCC. annos ibidem cuſtodita,& debita veneratione culta, miraculiſque famoſioribus probata:cuius poſſeſſionis euentus, quia rarus, ſic ab illis Scriptoribus enarratur.

ACTA DEPOSITIONIS MANVS ſiniſtræ cum parte Brachij S. IOANNIS BAPTISTÆ *apud* Perpinnianum *Ruſcinonis, in Monaſterio Patrum Prædicatorum; ex Varijs Script.*

PEREGRINVS *quidam ex Orientis partibus ad* IACOBI *Apoſtoli limina in* Compoſtella *viſitanda veniens*,Perpinnianum *acceſſit*,& MANVM SINISTRAM *cum parte* BRACHII *ſanctiſſimi* Præcurſoris *Domini* IOANNIS, *quam in capſa quadam lignea ſecum ferebat, cùm longius adhuc reſtaret iter, prædictis*

Digitized by Google

prædictis Fratribus asseruandam dedit; eâ quidem lege, vt nemini, se vno excepto, aliquando redderent: quod si ipsum non repedare contingeret, præfato Monasterio, ab eo tempore, muneri obtulit. Visus amplius peregrinus non est; fato in itinere concessisse creditum. Capsa illa, in qua tantus thesaurus seruabatur, oblonga est, in cuius operculo depicta videtur imago IOANNIS BAPTISTÆ, *cum alis ad modum* Angeli, *figuram* Capitis *ipsius* Præcursoris, *manu tenentis sinistra; in manu verò dextra, formam habentis libri aperti*, Græcis *inscripti literis maiusculis; necnon & supra caput, & subtus pedes. Quæ autem supra caput sunt, sic se habent:*

Ο ΑΓΙΟΣ ΙΟ ΑΝΝΗΣ, Ο ΜΑΡΤΥΡ.

Id est, Sanctus IOANNES Martyr. *Quæ verò in libro scripta apparent, quem manu sinistra prædicta Imago gestare videtur; sic:*

Φωνᾶ βοήδρομος ὑπηρέτης τοῦ λόγε,
Μετανοεῖν δείκνυσι φύσιν βροτείαν.

Qui versiculi senarij ad verbum sonant, prout illos vertêre insigniores illius seculi Græci Episcopi:

Clamat Præcursor, *minister verbi,*
Pœnitere monstrat naturam humanam.

Quæ verò subtus pedes sunt literæ in hanc sententiam leguntur: Τί σὲ καλέσωμεν προφήτην, Ἄγγελον, Ἀπόστολον, ἢ Μάρτυρα, *Id est:* Quid te vocabimus, Prophetam, Angelum, Apostolum, an Martyrem? *In fronte verò prædictæ capsæ sequentes senarioli literis & ipsi maiusculis* Græcè *inscripti visuntur.*

Θεὸς κατέσπη εἰς βροτῶν σωτηρίαν
Πρόδρομε κήρυξ τοῦ τεκόντος τὸν λόγον.
Ἅπανθα τὰν σοὶ θαύματος πλήρη πέλει.
Λέγει Γαβριὴλ τὴν γέννησίν σε ξένως.
Πατρὸς τὴν ἀπιστίαν τιμωρεῖν θέλει.
Δίκην δὲ τὴν ταχυφθοΐαν εἰς φέρει ταχύ.
Ὑπερθεν ὤφθης ἀρετῶν τελουμένων
Κρείττων προφήτων, ἴσος τοῦ Ἀποστόλων.
Μάρτυρων ὤφθης κόσμος πλήρης μακρὸς,
Ἅγιος τροφῆς παντοίων τοῦ ἐν φύσει.
Γονυπετῶν σθένει πάντων ὡς ἴδιος,
Διδοὺς ἀρωγὴν τοῖς προσκειμένοις πόθῳ
Τῇ τιμίᾳ σε θήκῃ τῇ τοῦ λείψανον.
Πεχυμάτων ἕλκυσις τε καὶ τροφὰς βίε,
Ῥώσιν στόμασι θυμιάτα πλείονος,
Εὐλογῶν ἀυτοῖς κυβερνῶν ὡς σοι θέμις.
Φέρεις πλεύρας ὡς ἰσοθεῖς Ἄγγελον.
Ἔνυλος ὢν ἄυλος ὡς Σωτὴρ ἔφη.

Quæ carmina ad verbum traducta, & in Latinum *versa, sic sonare videntur, prout illa, vt diximus, à* Græcis *Episcopis traducta referuntur.*

Deus aduenit in hominum salutem,
Praueni Præco declarare verbum.
Omnia quæ in te admiratione plena sunt.
Dixit Gabriel natiuitatem tuam extraneè.
Patris incredulitatem punire vult.
Pœnam autem, loquelæ priuationem infert citò.
Supra apparuisti virtutes ter beatas,
Melior Prophetis, æqualis Apostolis,
Martyrum apparuisti ornamentum plenum, Beate,
Non gustans cibum qualiumcumque, quæ in natura sunt.

Genu flectens adiuua omnes, vt mos eſt.
Prabens auxilium adiacentibus voto
Honorabili tui theca Riliquiarum.
Negotiorum volutiones, & reuolutiones vita,
Sanitatem corporis cum latitia ligans.
Benedicens ipſos, gubernanſque, vt fas eſt.
Fers alas, vt adaquatus Angelis.
Materialis exiſtens immaterialis, vt Saluator dixit.

Hæc eſt traditionis ecphraſis in qua quicquam immutari non ſinit religioſa antiquitas, circa poſſeßionem tanti ſacri pignoris, quam auctographo publico vallatam adhuc celebre illud conſeruat Cœnobium. Poſt aliquot annos Epiſcopus Albigenſis Legatus Pontificis in Hiſpania, *dùm* Perpinianum *accederet, vt Reliquiæ veritatem examinaret curioſus, illam inijcere in ignem decreuit; ſed vix ad actum deuenit, quando omnia loci, vbi conficiendum erat ſcrutinium, laquearia corruêre, nemine læſo. Tunc Epiſcopus Legatus cum circumſtantibus tanti miraculi euidentiam demirans, protinus latitiâ, & rubore ſuffuſus, viginti ſemilibras argenti obtulit, ex quibus lipſanotheca conficeretur inſignis; provt & facta cernitur hucuſque, in tanti prodigij monumentum. Quiſquis inſignia miracula Dei prouidentiâ patrata, per huius ſanctiſſimi* BRACHII *interuentionem perlegere deſiderat, adeat Libellum* P. Michaëlis LLot, *& Hiſtoriam SS. Cathalonia* P. Antonij Vincentij Domenec, *vbi ad amuſſim.*

S. Ioan. Baptiſtæ Reliquiæ inſignes in Eccleſijs Hiſpaniæ.

Etiam in aliis *Eccleſijs Hiſpaniæ* quamplurima exiſtũt pignora *S. Præcurſoris*, vt in *Vrgellenſi* integer DIGITVS, vt refert idem Domenec *d. fol.* 81. *col.* 3. Alius DIGITVS, in *Valentina*, vt refert *Scolanus*, à quo Solorzano in *Sacrar. Valentin. fol.* 157. & Nos ſupra hoc *Tom.* 3. *Die VII. Maij.* Vna ex MAXILLIS, in *Legionenſi*, vt refert D. Prudent. Sandoual. in *Vit. Ferdinand. Magni, fol.* 10. Alia ex MAXILLIS in *Caurienſi*, vt ex M. Ægidio Gonzal. in *Theatr. Eccleſ. tom.* 2. *fol.* 441. diximus ſupra *Tom.* 2. *Die XIII. April. fol.* 623. Pars CAPITIS in *Burgenſi*. vt ex *Teſtimonio Reliquiarum* illius S. E. Metropolitanæ aſſeruimus *d. Tom.* 2. *Die IX. April. fol.* 553. *n.* 12. Os ex FRONTE, & pars CAPILLORVM in *Ouetenſi*, vt ex *Auctographo* prælibauimus ſupra *Tom.* 1. *Die XIII. Ianuar. fol.* 215. Aliæ alibi innumeræ Reliquiarum particulæ neceſſario in *Hiſpanijs* fuere, licèt earum memoria deficiat, eâ ratione, quoniam in hiſce Regionibus Ibericis quamplurima ab antiquis temporibus *S. Præcurſori* dicata *Templa* conſpicimus, in quibus mos erat aliquas cum aliorum Sanctorum Martyrum lipſanis particulas reponendi, vt pluribus probat P. Ioann. Ferrand. in *Diſquiſit. Reliquiar. lib.* 1. *c.* 3. *art.* 2. *ſect.* 1. *fol.* 103. *& ſeqq.* Hinc *Receſuinthi Templum.*

Receſuinthus Gothorum Rex in *Hiſpania*, cùm *Templum* apud oppidum *Balneolenſe* in *Vacceis* prope *Dueñas* ad Piſoricæ fluenta S. IOANNI BAPTISTÆ dedicaret, eius ſacris exornauit Reliquiis, Anno DC. LXI. Regni ſui XIII. vt ex marmore Gothicis literis inſcripto liquet, cuius copiam in Hiſt. Hiſpan. *lib.* 12. *c.* 37. *fol.* 153. Ambroſius Moralius Regius Chronographus inſeruit, & cuius talis eſt ſeries.

Præcurſor *Domini, Martyr* BAPTISTA IOANNES,
Poßide in æterno conſtructam munere ſedem,
Quam deuotus Ego Rex Receſuinthus *amator*
Nominis ipſe tui, proprio de iure dicaui:
Tertio poſt Decimum Regni Comes inclytus anno,
Sexcentum Decies Era Nonageſima Nouem.

Hymni ex Breuiario Gothico.

Sed quia paſſim de S. IOANNE Hymni, & Carmina compulſantur, & in ferè omnibus Eccleſiarum Hiſpaniæ Officiis vetuſtioribus ſemper Hymni à Paulo Diacono Hiſtorico conſcripti recitantur, hîc Hymnum in Eccleſia Gothica Hiſpaniæ occini

occini ſolitum, provt in Breuiario Muzarabi legitur, Antiquitatum amatoribus ſubjicere non grauabor.

S. IOANNI BAPTISTÆ Domini Præcurſori Hymnus, ex Breuiario Muzarbi S. E. T.

NAtiuitatem Pueri, Prophetámque Altiſſimi
Eſſe dicit, quem meritò corde canamus, & ore.
Vetuliſque parentibus, aluo conceptus ſterili,
Extrema mundi tempora, partum præceſſit Virginis.
Vt vox clamans in inuio, adnuntians iuſtitiam,
Chriſti clarus præconio viam pararet cordibus.
Intra materni corporis adhuc locatus viſcera,
Accepto ſenſit ſpiritu, mundi ſalutans Dominum.
Exultet infans gaudio, & lucem lucis filium
Intra naturæ tenebras necdum progreſſus indicat.
Mater prophetat, nuntiat Mariam plenam gratiâ
Non virili Commercio, ſed Dei fœtam myſterio.
Ac ſic in diem ſeculi Verbum ructandum ſit Dei;
Facta Mater hæc ſterilis, fructum præſagit Virginis.
O Matris mirum filium, ſanctum miniſtrum baptiſmi:
Sic priorem poſt natum, lumen perfudit Dominum.

AD MATVTINVM, HYMNVS.

PAnge lingua Zachariæ
Sacerdotum Principis,
Cui copulata coniux
Ab Aaron filiabus
Thalamorum inhærebat
Solita prænuntijs.
Operibus ſanctiores
Præpollebant cæteris,
Ac ſinceris in mandatis
Incedebant Domini,
Et nullâ prole conlatâ
Pergebant ad ſenium.
Mox enim hora refulſit
Incenſorum tempore,
Suetum geſtabat Vates
Ignem in thuribulis
Sacris, deferens odorem
Nectareum, atrijs.
Audit cælitus affatum,
Et ſonorum Nuntium,
Cuius candore præuiſo,
Tremor autem inruit,
Blandis robuſtiorem
Reddidit ſermonibus.
Ecce adiuncta tibi cuncta:
Coniux pariet ſobolem;
Quem protinus nuncupabis
IOANNEM vocabulo:
Cuius totum prædicatur
Per Orbem Natiuitas.
Hic coronandus Magnus
Matris infra vterum,
Replebitur Spiritu-Sancto,
Præcurſurus Dominum,
In virtute, Spiritúque
Permiſſurus Heliæ.

Talia,

Digitized by Google

Talia, Sacer, è contra
Sic reſpondit Angelo:
Ecce iam noſtræ ſub carnes
Marcuerunt viſcera:
Ac vetulis denegatur
Senſibus poſteritas.
Ego ſum miſſus ab Aſtris
Angelorum ſocius;
Et tu diuinis videris
Præceptis incredulus,
Propter quod carens loquelâ
Eris tacens labijs.
Temporibus iam completis,
Natus infans cernitur,
Cuius nomen prænotauit
Pater in volumine,
Vinculo ſoluto linguæ
Conlaudauit Dominum.

IN SECVNDIS VESPERIS, Hymnus.

PVer hic ſonat IOANNES,
Geniti Dei alumnus,
Domini potens amicus,
Rutilans lucerna Orbis,
Rutilo peracto Sole.
Sapientia loquela,
Deitatis aptus Iudex,
Vetulæ refuſus aluo,
Vteri ſenilis ortus,
Patrio decore clarus.
Precibus faue rogamus,
Pietas redundet alma,
Miſeris adeſto nobis,
Repleat ſalus labentes,
Facinus remitte cunctis.
Patriam regat modeſtia,
Acies recedat, enſis
Perimens ruat, per mentem
Gladium retundat ignis,
Iugulum reclinet hoſtis.
Sit gloria Deo, & Uni-
Genito ab ore Patris,
Sit Paraclyto perennis,
Similis tenax poteſtas,
Et apex honoris alti.

Hos ex Muzarabi Breuiario vetuſtiſſimo deprompſimus Hymnos, quorum pietatem demiraberis,& canitiem antiquitatis conſpectabis. Sed nunc P. Emmanuelis Pimenta Epigramma dulce Luſitanum auſculta. Lib. 7. Poëmat. fol. 231.

Es puer, & ſolas hilarat tua gratia ſyluas;
Es Vir, & es Populis delicioſus Amor.
Viuus inaſſuetam demonſtras pollice Vitam:
Mortuus, extinctis nuntia fauſta refers.
Triſtitiam in riſus mutas, in gaudia luctus:
Bella geris, pulchræ tempora pacis eunt.
Vmbrarum in tenebris præluces Lucifer, Ortum
Solis Fax, multò quàm venit antè vides.
Antè vides vitam, quàm viuere cœperis; Orbi
Vix natus, cœlo natus, & aptus ades.
Plurima diuinas ornant miracula cunas:

Te

Digitized by Google

Te pater, & mater prodigioſa parit.
Mirum opus artificis te dextera fingit IESV:
Fingitur è dextra non minus ille tua.
Cui tot ſunt tituli, tot ſunt miracula: fas eſt
Dicere, diuinas ſuccubuiſſe faces.

Hactenus dulciſſimus, & piiſſimus Poëta; apud quem plurima Carminum Symbola S. IOANNI dicata, quibus, vitæ totius S. Præcurſoris ACTA continentur. Quæ ſi volueris demirari, quærito.

SEPTIMO KAL. IVLII.

DIES XXV.

A. *Apud* SAGVNTVM HISPANIÆ *celebris memoria* S. GALLICANI OVINI, *Viri Conſularis: qui è Saguntinorum genere ortus, Conſtantino Auguſto charus extitit: Sed à Ioanne, & Paulo homopolis ad fidem conuerſus, ad pauperum hoſpitium ſecedens, tandem ab Apoſtata Iuliano fortiter inſecutus, Alexandriam perrexit, vbi tentus, cùm nollet Idolis ſacrificare, cœli culmina per martyrij certamina Martyr ingreditur.*

B. *Apud vrbem* IACCAM *in Hiſpania* S. EVROSIÆ *Virginis & Martyris, quæ ex Boiorum in Gallia Regulo filia exiſtens, & nuptui promiſſa Celtibero Proceri, dum in* Iberiam *properat cum Aciſclo Epiſcopo auunculo, & alijs propinquis, & famulis, à Sarracenis (tunc* Hiſpanias *inuadentibus) impetita, pro virginitatis honore, & fidei confeſſione, duplici redimita coronâ, ſuperas Polorum arces aſcendit.*

NOTÆ.

SANCTVS GALLICANVS OVINVS Vir Conſularis,& Martyr.] Memoriam eius h.d. repetunt *Vſuardus*, *Ado*,& cæteri recentiores, à quibus *Martyrolog. Roman.* hoc elogio: *Alexandriæ* S. GALLICANI *Martyris, Viri Conſularis, qui triumphalibus inſulis ſublimatus, & Conſtantino Auguſto charus, à* SS. Ioanne,& Paulo *ad fidem Chriſti conuerſus eſt; qua ſuſceptâ cum* S. Hilarino *ad oſtia Tyberina ſecedens, hoſpitalitati, & infirmorum ſeruitio totum ſe dedit: cuius rei fama in toto Orbe diuulgata, multi vndique illuc venientes videbant Virum ex Patritio & Conſule lauantem pauperum pedes, ponentem menſam, aquam manibus effundentem, languentibus ſolicitè miniſtrantem, & catera pietatis* A. *Martyrologia.*

Digitized by Google

pietatis officia exhibentem. Qui poſtmodùm ſub Iuliano *Apoſtata inde expulſus, Alexandriam perrexit: vbi cùm à* Rauciano *Iudice ſacrificare cogeretur, & contemneret, percuſſus gladio, Chriſti Martyr effectus eſt.* Quibus conueniunt, & Martyrologia Caſtellanum *P. Vazq.* & Luſitanum *P. Lupi*, & Hiſpanum MS. *P. Higuera*, hac ſerie: *En* Alexandria S. GALICANO OVINO *Varon Conſular natural de Braganza cerca de* Braga, *y decendientes originarios de* Moruiedre *donde fue la antigua, y celebrada* Sagunto, *que deſpues de la guerra de Scitia conuertido à Chriſto por* Iuan, *y* Pablo *ſus parientes, y payſanos, ſe retiro à vn Hoſpital, y auyentado del por el Apoſtata* Iuliano, *por la confeſion de la fe padecio iluſtre martyrio.* Quæ verba idem ſonant, ac in textu recenſita. De eo etiam Iulianus Archipresbyter Toletan. *in Aduerſ. n. 8. & 399.* cuius verba poſtea dabimus. ACTA ex illis, quæ refert Surius Tom. 3. à Terentiano conſcriptis de SS. Ioanne, & Paulo deſumemus.

Scriptores.

ACTA S. GALLICANI OVINI Martyris in Alexandria; ex Terentiani relatione, & alijs.

Origo. GALLICANVS OVINVS *ex* Saguntinis Hiſpaniæ *familijs oriundus, quarum prædeceſſores Romam deuenientes, in Patritiorum tabulas conſcripti, plurimos de ſe Populo Romano ſucceſſores procrearunt illuſtres. Inter hos celebris fuit Noſter* OVINVS, *& propter Conſulares inſulas, quas Romæ inclytus induit, & propter Auguſtam lauream, quam* Alexandriæ *conſtans Agoniſta percepit. Is itaque propter eius eminentem in rebus bellicis induſtriam, & prudentiam, bis ad Romanum Conſulatum euectus eſt: primùm cum* Baſſo *Anno* XI. *Conſtantini, hoc eſt Chriſti* CCC. XVI *ſecundum, cum* Symmacho *Anno* XXV. *eiuſdem Imperatoris, & Chriſti* CCC. XXX. *In illo plura geſſit ob Romani Imperij exaltationem certamina, quibus ſemper triumphans euadens, Populo Romano rebelles aut ſedauit, aut profligauit. In iſto Perſarum gentem, quæ Syriam inuaſerat, deuicit; eáque de cauſa, triumphalibus inſulis ſublimatus, Auguſto Conſtantino valde acceptus fuit.*

Bis Conſul.

Triumphi.

Vxor, & filiæ. POST *hæc, vxore demortua, & relictis Atticâ, & Arthemiâ communibus filiabus, quas honorificentiſſimè ſecum, vt par erat, alendas curarat, euenit, vt ad ſecundas euolare nuptias ſatageret; ideóque Conſtantiam Virginem ſacratiſſimam filiam eiuſdem Auguſti popoſcit; idque eo tempore, quo Scythica gens, quæ Thraciam occupauerat, infeſtis armis, Romanis imminebat. Qui cùm plurimùm auctoritate, & potentia valeret, Comites, & Præfecti cum vniuerſo Populo Romano, vt honeſtiſſimo eius poſtulato fieret ſatis, magnâ vi precum inſtabant. Conſtantinus vero Auguſtus, cùm ſciret filiam ſuam, ne morte quidem propoſitâ, à virginitatis amore auellendam, maximo animi dolore cruciabatur, incertus, quonam modo, ab his ſe difficultatibus extricaret. At filia eius cæleſti iam antè lumine plenè illuſtrata, cùm patris ſolicitudinem, ſtudio ſanctitatis, conaretur reſtinguere, dixit ad eum*: Cùm certa ſim, mi Pater, Deũ, cui die, noctéque deſeruio, virginitatis meæ curam habiturum, quæſo te, vt hanc animi ſolicitudinem, quæ te excruciat, miſſam facias, téque me illi coniugem daturum promittas, eâ conditione, vt ſi Scytharum gentem felici marte proſtrauerit, me victor ſimul & Conſul accipiat: porrò huius ſponſionis gratiâ, duas filias virgines, quas ex amiſſa coniuge ſuſcepit, vſque ad nuptiarum diem, apud me eſſe ſinat; atque ipſe *Ioannem* Præpoſitum, & *Paulum* Primicerium meum, apud ſe comiter habeat; vt & ipſe me per familiares meos penitus agnoſcat; & ego viciſſim per eius filias, clariſſimam morum illius, vitæque inſtituti cognitionem accipiam. *Placuit* GALLICANO *virginis prudentiſſimæ oblata conditio; & protinus* GALLICANI *filiæ Conſtantiæ traditæ, & eius famuli ſimiliter ſummâ cum humanitate accepti ſunt. Etenim duæ illæ ſorores, quarum altera* Attica, *altera* Arthemia *dicebatur, cùm eſſent liberalibus ſtudijs apprimè*

Conſtantiæ conſilium.

Conſtantiã in vxorem petit.

Gallicanus conditionẽ accepit.

Digitized by Google

apprimè erudita, facili negotio ad Christi cognitionem, ac fidem ab Augusto perducta sunt.

INTEREA *igitur* GALLICANVS, *Scythis bello feliciter profligatis, glorioso triumpho elatus, domum reuertitur; & antequam vrbem Romam ingrederetur, rectâ ad sacra Petri Apostoli limina pergit. Quâ re Constantinus Imperator, totáque Nobilium Aula, quæ ad excipiendum eum, debito cum honore parata stabat, vehementer admirati sunt; ipséque Constantinus ad* GALLICANVM, *toto mentis, & corporis habitu supplicationi intentum, accedens, ait:* GALLICANE, quidnam hoc rei nouæ est, quam Ego in te conspicio? Quod ad bellum pergens, Capitolium, & Templa ingressus, dæmonibus immolasti, & iam victor è bello rediens, Christum adoras, & Apostolorum supplex limina veneraris? *Cui* GALLICANVS: Desine admirari, ô Imperator, Nam Christum verum cœli, terræque Dominum, ex summâ eius potentiâ, cognoui. Cùm enim, cum Scythica gente confligaturus, extremas essem in angustias redactus, ac mole belli penè obrutus, & sacrificiis interim insistens, frustrà à Deo Marte opem implorarem; prorsúsque iam omnem in fuga salutem potuissem; *Paulus*, & *Ioannes* Constantiæ filiæ vestræ Augustæ famuli, verbis me hortati sunt, vt Deo cœli votum nuncuparem, me Christianum fore, si perditis in rebus, victoriam ex hostibus reportarem. Fateor, simul atque votum hoc prolatum est, apparuit mihi iuuenis statura excelsa, glorioso Crucis trophæo præcedens, qui me stricto gladio, suis insistere vestigiis iussit. Institi viriliter, & dexterâ, læuâque euaginatum tenens gladium, ipso Duce, ad Regem perueni, qui meis pedibus humi prostratus, sanguinem suum infimis precibus à me deprecatus est. Ego pietate flexus, & illius, & omniũ vitæ peperci; atque ita vniuersa Thracia, à Scythis, singulari Omnipotentis Dei beneficio liberata, ipsos Scythas tributarios effeci. En habes quadruplicatum exercitum; habes Scythas tributarios; & omnem Thraciam in libertatem vindicatam. Quod reliquum est, hanc vnicam à te, ô Imperator, laboris mei mercedem reposco, vt me ab huius dignitatis sarcinâ exoneratum, deinceps religioni, quam didici, vacare permittas.

Scythas denicit.

Conuertitur ad fidem.

Renuntiat mundo.

HIS *Imperator verbis adeò commotus est, vt ruens in amplexus eius, vix lacrymas teneret; narrauítque quomodo duæ eius filiæ pari pietate ad Christum accessissent, atque eius in laudibus, die, ac nocte, incredibili mentis alacritate perseuerarent. Interea deductus in Regiam* GALLICANVS, *quasi gener Augustorum habitus est, & Consul in fascibus positus, Quinque Millia seruorum libertate donauit, eosdémque Ciues Romanos effectos, prædijs, ac domibus ditauit; ac postremò omnibus facultatibus in pauperes distributis, in vrbe Ostiensi Hilarino se adiunxit, eiúsque ædes pauperibus excipiendis accommodauit, in quibus innumerabilem peregrinorum multitudinem excepit, & singulari benignitatis studio fouit, ac pauit. Ibi tunc videre licebat egregium profectò, atque admirandum pietatis studium; Virum Patritium, & Consulem, Augustis amicissimum, & omnibus mundanæ gloriæ titulis decoratum, pauperum pedes lauantem; cibum, potúmque offerentem; aquam manibus infundentem; languentibus solicitè ministrantem, cæteráque sancta seruitutis officia, mirâ alacritate, & gaudio exhibentem. His atque alijs eximia pietatis operibus clarus, primus in Ostiensi vrbe Ecclesiam S. Laurentij homopoli monitis excitatus extruxit, qui clarâ luce ei apparens, hortatus, vt ad multorum salutem, ritè construendam Ecclesiam fabricaret; quod & factum: qua quidem vsque hodie* Laurentia *nuncupatur. Interea ipse Dei seruus* GALLICANVS *Christi gratia adeò multiplici fuit illustratus, vt etiam dæmones eius nomen perhorrescerent, eiúsque conspectu, ex obsessis corporibus continuò, & sine retardatione migrarent.*

Seruorum quinque millia manumittit.

Eius exercitia humilitatis.

S. Laurentio Basilicã extruit.

Potens miraculis.

CVM *autem* Constantio *è viuis sublato,* Iulianus *liberas nactus esset imperij habenas, viderétque Christianã Religionem, & numero, & robore auctam, & stabilitam; Gentiliciam vero superstitionem, magna ex parte collapsam, atque prostratam, haud mediocri studio illam deprimere; hanc verò excitare, ac*

Iuliani Apoſtatæ perſecutio.

ibi priorem ſtatum reponere conatus eſt. At quoniam à Chriſtianis nollet palàm perſecutor haberi, more ſuo, dolis in eos agere, multifarias excogitando cauſas, ipſos per ſuos aggreſſus eſt perſequi Magiſtratus. Res quidem lento gradu agi cœpta eſt, cùm in eorum bona primùm fiſcus inſurgeret, qui in Aula Chriſtianorum Imperatorum militaſſent, cauſâ illâ communi obtentâ (ne more prædonum in patrimonia locupletum graſſari viderentur) quod ex Templorum diuitijs expilatis, olim fortunas auxiſſent. Quod ſi adeò hæc cauſa deeſſet, vt ne locus videretur eſſe fictioni, aut calumniæ, illa in promptu aderat, quam etiam reſcriptis ſuis inſerere minimè erubeſcebat; nimirum Chriſtianos, ex Euangelij præſcripto, nequaquam affluere diuitijs, ſed eas petẽtibus impendere, imò & perfectionis adipiſcendæ gratiâ, penitus omnes erogare debere. Hiſce quidem coloribus, rapax fiſcus in GALLICANI *opulentiſſimum patrimoniũ manus iniecit. Sed ipſe Chriſtus, in cuius pauperes S. Viri diuitiæ erogabantur, tutatus eſt reditus egenorum, pauendis admodum prodigijs; Nam quicunque accedebat, vt prædijs, vel domibus titulos fiſcales affigeret, vel exigeret penſiones, arripiebatur à dæmone, vel percuſſus lepra, è veſtigio recedebat. Sed nequiſſimi illi ſpiritus, expetentes de* GALLICANO *vindictam, ab obſeſſis corporibus ſe minimè egredi poſſe iactabant, niſi idem ipſe Dijs ſacra litaret. Qui eâ de re conuentus, cùm facere renuiſſet, ex Italiæ finibus abire iuſſus, ſe contulit* Alexandriam, & *in eremum ſeceſſit, è quâ à Rauciano extractus, cùm nollet à fide receptâ recedere, nec Idolis ſacrificare, capite plexus martyrium fuit feliciter aſſecutus* VII. Kal. Iulij, *Anno Domini* CCC. LXII. *Cui ſtatim Baſilicam ſui nominis conſtruxerunt, in qua exuberant beneficia martyrij eius, ex eo tempore, & nunc, & vſque in ſecula ſeculorum, Amen.*

Eius veſtities.

Luc. 14.

Confiſcantur bona Gallicani.

Illa Chriſtus tutatur.

Coronatur.

De origine Hiſpana probatio.

Hucuſque ACTA pleniora, nam quæ circumferũtur, in originis proſapiâ, defectuoſa noſcuntur. Quam vt probemus, Iuliani Noſtri Archipresbyteri Toletani *in Aduerſar. n.* 8. verba ſubiiciemus: *SS. Ioannes, & Paulus, &* OVINVS GALLICANVS, *Vir Conſularis, quorum hic* Alexandriæ, *illi Romæ paſſi ſunt,* HISPANI SAGVNTINI *& in Aula Cæſarum diù verſati.* Et *n.* 399. cognationem cum *SS. Ioanne,* & *Paulo* proſequitur. Illius opinionem etiam tuetur *Cyprianus* Cordubenſis Archipresbyter inter *Poëmata MS. Auli Hali* mei, hac ſerie.

PRO S. GALLICANO OVINO, VIRO Conſulari, Martyre; ex Cypriano Cordubenſi, Epitaphium.

Epitaphiũ ex Cypriano Cordubenſi.

IN tumulo hoc iacet almus GALLICANVS OVINVS,
Qui fuit HISPANVS *grandi ex & origine quondam*
SAGVNTINA; *Cuius vrbs memorabilis actus*
Vidit, & illuſtres, Conſul bis Roma triumphos:
Cuius & Oſtia poſt fidei duraſſe trophæa
Cognouit: Tandem Martyr cum chlamyde cœlos
Purpureâ conſcendit ouans, per tempora viuens.
Noſtros ſic alienóſque haud ſine nomine ditans.

Cætera, quæ ad elucidationem ACTORVM ſpectant, vide apud Baron. in *Annal. Eccleſ. Tom.* 3. *Ann.* 330. *n.* 49. qui *n.* 55. inſignia munera S.R.E. oblata à S. Martyre recenſet. Et *Tom.* 4. *Ann.* 362. *n.* 262. vbi eius agonem, & martyrium, recopilatis *Iuliani* Apoſtatæ dolis, & fallaciis, exponit.

Topographia.

SAGVNTVM. Vrbs memorabilis, & vetuſtiſſima in *Hiſpania Citeriori*, in populis *Edetanis* ex Ptolem. in *Geograph. lib.* 2. *Tabul.* 2. *Europ. c.* 6. Σαγουντὸν que vocitat. Quam & ZACYNTHVM, à *Zacyntho* Herculis Ægyptij comite, dictam quondam, ſuſpicantur *Vaſſæus*, & alij ex Noſtratibus, necnon & *Stephanus*. Sed & Ioann. Annius Viterbienſ. *in Comment. ad Beroſ. lib.* 5. *fol. mihi,* 120. & 122. *col.* 2. cum *Tubale* Hiſpanias aduentaſſe

Digitized by Google

aduentaſſe *Sagas* qui (ab eis nomen SAGVNTVM) vrbem condidêre. De ea plura Scolanus *Hiſtor. Valentin. Tom. 2. fol. 35. & 38.* vbi aliquot Inſcriptiones Hebræis characteribus inciſas exſcribit. Necnon Iac. Gruter. *fol. 104. n. 12. fol. 105. n. 13. fol. 276. n. 1. & 2. fol. 344. n. 4. & 7. fol. 357. n. 6. & ſeqq. fol. 373. n. 6.* Hodie dicitur MORVEDRE. Fideliſſima fœderi cum Populo Romano pacto, ita vt propter illius defenſionem, conſtantiæ exemplum ſequentibus præberet ſeculis. De qua Lucan. *lib. 3. Pharſal.*

Nec pauet hic Populus pro libertate ſubire
Obſeſſum Pæno geßit quod Marte SAGVNTVM.

Eius fidelitatem, & conſtantiam legito apud Valer. Maxiam. *lib. 6. c. 3.*

S. EVROSIA Virgo, & Martyr cum ſociis.] Inſignis, & illuſtriſſima eſt huius ſanctiſſimæ Virginis, & Martyris memoria apud *Iaccenſem* vrbem in *Hiſpania* ad Pyrenæi radices ſitam. Cuius & meminit Philipp. Ferrar. in *General. Catal. SS. die XXVI. Iunÿ. fol. 163.* & in *Topograph. SS. verb.* Corduba, *fol. 42. col. 2.* dicens: IACCÆ *in* Hiſpania S. EVROSIÆ *Virginis & Martyris.* De ea ſcripsêre Iulian. Petr. *in Chron. Ann. 715. n. 377. fol. 91.* & in *Aduerſ. n. 517. fol. 121.* Marin. Sicul. *de Reb. Hiſpan. lib. 5.* Ioann. Matth. Stephan. *de SS. Aragon.* Dux Ixarenſ. *in Catalog. SS. Hiſpan. Tabul. 3. n. 12.* Ambroſ. Morales *Hiſt. Hiſpan. lib. 16. c. 14. fol. 228.* & *c. 17.* Marieta *Hiſtor. SS. Hiſpan. lib. 4. c. 18. fol. 98.* Truxill. in *Theſaur. Concionat 2. tom. fol. 1189.* Blaſc. de Lanuza in *Periſtephan. SS. Aragon. lib. 2. fol. 22.* qui heroicè de Maurorum per *Hiſpanias* ingreſſu agens, proſequitur. B. *Vbi cultus? Scriptores.*

Huc ergo venêre Duces, Muzaquè ferocis
Armata turma, peditumque, equitúmque phalanges,
Tempore quo EVROSIA (*è cœlo velut aurea Nympha,*
Vt fulgens radius, lux vt diffuſa per auras)
Virgo Boëma, *cui forma & Rachelea venuſtas*
Contigerat, Regi Hiſpano *iungenda marito,*
Obuia tunc Mauris Vaſa peruenit ad oras:
Vt quando celeres calida & pulmone columba
Occurrunt aquilis, mitis vel cerua Leoni:
Sic Maurûm turma comites laniare Boëmæ
Virginis, & Chriſti Athletas mucrone ſecare.
Iamque acres tendunt arcus, agménque pharetræ
Mittunt, lethiferis vndans tunc aura ſagittis,
Turbáque truncatur, reſonat mons totus equorum
Hinnitu, clamore virûm, clangore tubarum.
Cultores Chriſti, nullo diſcrimine, mortem
EVROSIÆ *hortatu, Domini pro lege ſubire*
Deſiderant omnes. Offertur victima paſſim.
Cade ſolum, cade arma rubent, & ſanguine cuncta
Opplentur, montes immitis mortis aceruis.
Conſilÿs princeps Cornelius inſtat, Aciſclus
Præſul, Virginei cuſtos monitórque pudoris,
Sanctus homo hortatur cunctos, conſortia Diuûm
Reſpiciant. Hodie menſâ cænabimus vnâ.
Hoc genere (*aiebat*) mortis veniemus ad Aſtra.

Mox exacta ſeni ceruix, iuuenique pubenti,
Et ſcandunt cœlos vecta ſuper æthera mentes,
Corpora dum rubeo iacuêre in ſanguine trunca.
Hortatrix Virgo Princeps (Regina futura
Heſperiæ, tempus, ſi vel fortuna tuliſſet)
Dilecti fratris morti, patruíque ſuperſtes
EVROSIA *immanes carpit Machometis alumnos,*
Predicat atque fidem Chriſti, palatia temnit,
Ac Reges, Regúmque Duces, & maxima Regna
Deſpicit, & rapidos quos Dux conceperat ignes.
Corpus ei tenerum, verum inſuperabile pectus
Enſes deriſit: Ponti ceu murmura littus,
Mons magnus ventos, cautes vt ſaxea nimbos.
Ergo dum ſtolidi furias deriſit amantis
In fauces gladio, immiſſóque in guttura ferro,
Inuulgabat adhuc Chriſtum, ſumptóque volatu,
Cœlica victricem tulit ad conuiuia palmam.
Angelicas voces, plenas concentibus auras
Audiuit tellus; cœlos tunc vertice ab alto
EVROSIÆ *exequias plectro celebraſſe ſuaui.*
Sed tandem EVROSIÆ *corpus, quod ſanguine rubrum*
Expoſitum nimbis iacuit ſine honore relictum,
Paſtori Virgo monſtrat, poſt tempora multa
Cœlitus, atque ab eo tranſlata fuêre decenter
Pignora in illuſtrem templis, & mœnibus vrbem
Iaccenſem, *multis vbi mirabunda coruſcant*
Prodigijs; populíſque pijs venerata quieſcunt.

Error Scriptorũ Celtiberia, & Lectionum Breuiariorum detegitur.

Huius relationis ſynopſim tam iſte Scriptor, quàm cæteri *Celtiberiæ* prorſus deſcripsêre ex *Lectionibus*, & *Hymnis* Breuiariorum antiquorum ſanctarum Eccleſiarum *Oſcenſis*, & *Iaccenſis*, in quibus liquidò conſtat S. Virginem è *Bohemia* oriundam, ex parentibus Regibus illius Prouinciæ progenitam, *Hiſpano* quoque *Regi* nubendam, in *Hiſpanias* aduentaſſe. Quæ omnia proculdubio manifeſtum continent errorem, vt ex ſequentibus probatur apertè.

PRIMO, quatenus in dictis *Lectionibus*, à quibus Scriptores, aſſeritur: *Inclytam Virginem & Martyrem* EVROSIAM, *Sereniſſimi* BOHEMIÆ *Regis filiam* fuiſſe, & in Hymno, ſic:

Hæc BOHEMA *natione*
Natâ Regis *inclyti,*
Virgo pura mentis bona
Stabilis propoſiti.

Reges Bohemiæ quãdo creati?

Nequaquam poteſt conſiſtere, ex ſequentibus. I. Quia eo tempore, quo EVROSIA in Hiſpanias deuenit, erat Annus DCC. XIV. vel circiter, vt indicant *Lectiones*, & *Scriptores*: eo etenim Anno adhuc apud *Bohemos Regum* titulus non erat, nec fuêre *Reges* ad Annum vſque M.LXXXVI. vt fatentur *Æneas Syluius*, *Dubrauius*, & cæteri *Bohemicarum*

Bohemicarum Rerum Scriptores, & nouiſſimè P.Soliman. *in Elog.Reg.& Duc.Bohem. Elog.*13. ergo deficit in hoc *Lectionum*,& Scriptorum relatio. II. Quia ipſo eo ſeculo, nondum *Bohemia* fidem Catholicam agnouerat, ad Annum vſque DCCC. LXXX. quo *Borinorius* Dux eius XII. prædicatione *S. Methodij* illius Prouinciæ Apoſtoli,Chriſti crucem amplexus eſt, vt referunt ipſe *Syluius,Dubrauius, Baronius,* & Solimannus *Elog.*12. Si ergo EVROSIA proles erat *Bohemici* Principis, quo pacto *Chriſtiana* erat, patruúmque habebat *Epiſcopum*, ſi nondum *Bohemia*, nec *Regnum* Chriſto nomina dederant; ergo etiam in hac parte falluntur *Lectiones*, & Scriptores. III. Quia ſi ſtaremus hiſce *Lectionibus*, dùm dicunt: *Dum ad contrahendum matrimonium cum* Rege Hiſpaniæ *à Patre miſſa, cum venerabili comitatu proficiſceretur.* Et in Hymno ad Veſperas:

Bohemia quando fidem accepit?

Hæc cum Rege Hiſpanorum
Maritanda mittitur
Turmæ tuenda Virorum
Nobili committitur.

Error erit peior prioribus. Nam tempore *Hiſpani* excidij, nullus *Hiſpanorum Rex* erat, præter *Rodericum*, húncque Catholicum, licèt diſſolutum, & infelicem. Qui etiam cum *Egilona* Regina coniuge vitam agebat, vt ex Noſtris, & Exteris Chronographis liquidò conſtat; ergo perperam in *Lectionibus*, & Scriptoribus *Celtiberiæ*, aduentaſſe EVROSIAM ad contrahendum matrimonium cum *Rege Hiſpanorum* profertur.

Nullus Rex in Hiſpania niſi Rodericus tempore excidij.

HINC crederem *Ambroſium de Morales* prorſus à relatione *Lectionum* digreſſum,tantum martyrij locum,& pignorum cuſtodiam recenſuiſſe,illo addito: *Nam quæ ibidem de S.Virgine referuntur,& quæ Nos omittimus, prorſus veritate, & auctoritate carent.* Sed & *P. Truxillo* fortè hac obrutus mole commenti, aliò diuertens, ſecurior ſibi opinio viſa fuit,ſi EVROSIAM apud *Cordubam* paſſam,eiúſque pignora *Iaccam* tranſlata fateretur, quàm inſequi *Lectionum* veſtigia, tot erroribus implicata.

Ambroſij Moralez placitum.

P. Truxillo error vindicatus.

IGITVR *Lectionum*, & Scriptorum lapſus facillimo negotio ſanabimus, ſi Iuliani Noſtri Archipresbyteri Toletani in *Chron. d. n.* 377. ſententiam, cum peruetuſto Epigrammate, *in quo proſodia negligitur*, in meo *Auli Halı MS. Codice*, reperto, aſſuimus. Iſtud ſic:

PRO S. EVROSIA, V. ET M. AQVITANICA.

TEgitur almum gramineo ſub cæſpite, BOIÆ
EVROSIÆ *corpus; quod lacerauit Arabs.*
Hæc quæ Celtibero *veniens benè nupta marito,*
Hiſpanas *oras, omnes in arma vidit.*
Regulum at hæc quærit, capit aſt pro Procere Regem:
Nam Chriſto Sponſa, Martyr & Alma cadit.

Iulianus verò,ſic: *Floret memoria* S. EVROSIÆ *Virginis, & Martyris,* BOHEMICI *Reguli* (lege BOICI Reguli) *filiæ, anno* DCC.XV. *quæ nupta* Regulo Aragoniæ *venerat.* En nodum ſolutum tantillâ emendatione; quâ, & *Lectiones* ſubſiſtent, & Scriptorum placita ſanabuntur. Nam primò probatur non BOHEMAM origine fuiſſe Virginem Noſtram, ſed BOIAM ex *Aquitania*. Secundò non REGIS filiam, ſed REGVLI, ſeu Proceris. Tertio non cum REGE *Hiſpaniæ* nubendam, ſed cum REGVLO *Celtiberiæ*. Quibus ſic probatis, *Lectionum*, & Scriptorum ecphraſis retinebitur, ſi loco, BOHEMIÆ *Regis filiæ*, reponantur, BOIÆ *Reguli filiæ*, verba: & loco, *ad contrahendum cum* Rege Hiſpaniæ *matrimonium*, legatur *cum* RegulоCeltiberiæ.

Seruantur Lectiones Breuiariorum, & Scriptorum lapſus.

Digitized by Google

Boiorum ſitus. SED qualis BOIORVM ſitus ſciſcitaberis? Hunc in *Aquitania* non procul à *Celtiberia* fuiſſe fatentur Scriptores Geographi, tàm antiqui, quàm recentiores, Henricus Stephanus *in Dictionario*, verb. Boij *fol.* 466. Abraham. Ortellius in *Theſaur. Geograph.* Scalig. in *Lectionib. Auſonian.* Brietius in *Geograph. Vet & Nou.* Quorum etiam meminit Antoninus Imperator in *Itinerar. ex Aſturica Burdigalam*, apud Zurit. *fol.* 103. apud Simler. *fol.* 198. ſic:

Boſa. M. P. XII.
BOIOS. M. P. VII.
Burdigala. M. P. XVI.

Et Metropolù. Hos etiam *S. Paulinus* ad Auſonium *Epiſt.* 12. vocitat PICEOS, vbi Elias Vinetus *in Not. n.* 566. eorum ſitum deſcribit, & vrbem, quam hodie in Aquitania BAIONA dicimus, BOIORVM caput, & Metropolim quondam fuiſſe contendit.

HINC veriſimiliùs credendum eſt, *Regulum Aquitaniæ* nuptui tradidiſſe EVROSIAM filiam Regulo *Celtiberiæ*, tanquam viciniori, & noto; quorum vnuſquiſque *Hiſpaniarum* Regibus parebat, & à quibus titulos accipiebat. Nam è *Bohemia*, prouinciâ ab *Hiſpania* tot diſtantiis diſſitâ, tot periculis expoſitâ, & tantis anfractibus ſeparatâ, maximè illo ſeculo, quis credet Virginem deuenturam. His itaque rationibus, aliquando ab amico, mihi ſemper venerando, *Doctore Ioanne Franciſco Andreſio* Regni Aragoniæ Chronographo interpellatus per Epiſtolas, quibus *de Vera S. EVROSIÆ Patria*, (nam quæ circumferebatur ex *Bohemia*, ſibi improbabilis viſa fuit) dubitabat, ſententiam dixi. Quâ lectâ, & probatâ commotus doctiſſimus Chronographus, credens ſe obſequium illuſtre Vrbi, & Eccleſiæ *Iaccetanæ* præbiturum, ſi meam *Diſſertationem* huiuſmodi typis editam *Iaccenſibus* dedicaret, illam *Cæſaraugustæ* prælo dedit, & ad *Iaccetanos* obſequentiſſimâ circunſpectione dimiſit. Sed cùm ſint hominum ingenia, aut vaga, aut vana, & nemo ſe credit poſſe doceri, quod in eruditiſſimo Chronographo fuit obſequium, in *Iaccetanorum* animis tranſiit in opprobrium. Hinc *Apologum* aduerſus Noſtram *Diſſertationem* ſcripſêre, conantes *Lectionum* ecphraſim defenſare. Quod vt faciliùs aſſequantur, aduerſus ſuæ Eccleſiæ *Traditionem*, & *Scriptorum* inconcuſſam computi rationem tempus martyrij S. Virginis inuertunt, ne rationibus à Nobis adductis obruantur. Et ideò, vt *Apologo* reſpondeamus, totam illius ſtruem ad TRES *Corollarios* reducere conabimur: Quibus breuiter faciemus ſatis, vt contrariorum dignoſcantur commenta, & veritas eluceſcat.

De hoc diſſertationem ſcripſit Auctor.

COROLLARIVM, I. *Quod* Annus *agonis S. Virginis non potuit euenire, vt inquiunt Iaccetani, ad* DCCC. LXVIII. *& huius opinionis errores deteguntur.*

Martyriũ S. Virginis fuit anno euerſionis Hiſpaniæ. PROBATVR I. Quia ex ipſis *Lectionibus*, Hymnis, & Scriptoribus Celtiberis, Annus martyrij fuit, quo excidium *Hiſpaniæ* euenit: patet ex illis verbis *Lect.* 3. ibi: *Audita tamen Chriſtianorum perſecutione, &* TOTIVS Hiſpaniæ, *vſque ad Pyrenæos montes, à Sarracenis facta vaſtatione, in ſpelunca cuiuſdam cacuminis, in Territorio Villæ de* Hiebra *delituit.* Et conueniunt Iulian. *d. n.* 377. Marin. Siculus *d. lib.* 5. Alphonſ. Vener. Blaſcus de Lanuza vbi ſuprà. Si hoc ita; nequaquam potuit S. EVROSIA agonem implere ad Annum DCCC. LXVIII. vt inquit *Apologus.*

S. Methodius quo anno Slauiam petijt? PROBATVR II. Quia nec Anno DCCC. LXVIII. *Bohemia* fidem acceperat, vt ſimulat *Apologus*, qui vt hæc commentetur, duo fatetur, alterum quòd hæc *Bohemiæ* conuerſio facta à *S. Methodio* fuit; alterum quòd S. Præſul Româ *Slauiam* ab Adriano II. Pont. Maxim. miſſus extitit. His confeſſionibus admiſſis, venio ad Annum quo S. *Bohemiæ* Apoſtolus Româ *Slauiam* proficiſcitur. Cardinalis Cæſar Baronius in *Annal. Eccleſ. tom.* 10. *Ann.* 867. *fol.* 369. & cum eo cæteri Scribentes, in fine anni DCCC. LXVII. Methodium fuiſſe ab Adriano dimiſſum *ad prædicandum Euangelium* SLAVIS *quorum linguam didicerat* profitetur. Et licet inter SLAVOS comprehendantur BOHEMI, tamen ad iſtos non acceſſit *S. Methodius*, vſque ad Annum DCCC. LXXX. Si ergo in fine Anni DCCC. LXVII. perrexit *Methodius Slauiam*, eſto quod primò ad fidem conuertiſſet *Bohemiam*, quò pacto in pene ſex Menſium ſpatio, potuit S. Præſul ad *Bohemos* accedere, fidem prædicare, *Boriuorium*, & *Ludmillam* Prouinciæ Reges, eorúmque prolem Chriſto ſubiicere, Epiſcopos conſtituere, *Euroſiæ*

matrimo

matrimonium peragi, illáque cum Episcopo, & comitatu in *Hispanias* dimitti? Res mehercle nimis festina videtur: sed cùm computatio hæc *Apologi* coniecturalis existat, & citatis mens peruolet equis, quid mirum si breui multa complectatur itinera. Illud ex Historiæ elicitur veritate: Quòd *Boriuorius* (quem Patrem S. Evrosiæ mentitur *Apologus*) successit *Hostiuicio* in *Bohemiæ* ducatu, accepta vxore *Ludimillæ* Slauiuorij Melnicensis filiâ, pacem cum *Suatopluco* Morauiæ Rege statuere decernens, *Morauiam* accessit Anno DCCC.LXXIX. die quo Suatoplucus à S. Methodio Christi Corpus Sacramentaliter acceperat, aut die Cœnæ Domini, vt aliis placet, & ad Regem delatus, Rex, ob non admissum ad eius mensàm *Boriuorium*, hanc excusationem proposuit: *Ignoscas* Boieme *hospes, quòd ad prandium hoc nostrum impræsentiarum non iuuitêre. Nec enim fas est, nec iura Christiana sinunt, reuertenti à mensa viui Dei, cum conuiuam habere, qui mensæ Deorum mortuorum accumbere, déque eorum sacrificijs participare soleat. Proinde si tibi nostra conuiuia arrident, fac vt simul tibi nostra etiam arrideat Religio: ac tunc demum noster eris, & valde gratus conuiua.* Hinc *Boriuorius* Christo nomen dedit, ministrante *S. Methodio*, in Regis præsentia, quocum fœdera pacis pepigit, & reuersus ad suos, studio propagandæ Religionis Catholicæ, quam susceperat, inuenit *Bohemos* rebellantes, & alium Ducem eligere decernentes; proinde suasionibus *Slauiuorij* soceri *Morauiam* repedauit, vt *Suatoplucus* illi auxilia, pro recuperanda *Bohemia*, præberet. Interim *Bohemi Stoymirum* Ducem elegêre, qui per Decem Menses prouinciæ regimina moderatus est, & tandem spoliatus, & *Boriuorius* restitutus fuit. Tunc iste *Pragam* cum *B. Methodio* ingressus, qui fidem ciuibus prædicabat, breui omnes domesticos, & famulos ad fidem suscipiendam hortabatur. Hinc vxor *Ludimilla*, eiúsque filij, & *Slauiuorius* pater ad fidem conuersi sunt ad Annum vsque DCCC. LXXX. vt concludit P. Solimannus *d. Elog.* 12. his verbis: *Ergo Christianam Religionem (secundo Numine) Anno salutis* DCCC. LXXX. *suscepit Bohemia.* Quæ omnia etiam referunt Dubrauius *Histor. Bohem. lib.* 4. in princip. Syluius *c.* 14. Si hoc ita, vt sine dubio est; quomodo Evrosia si origine Bohema; & filia *Boriuorij*, & *Ludimillæ* fuit, *Christiana*, & cum patruo Episcopo in *Hispanias* ad Annum DCCC. LXVIII. aduentare valuit, & martyrio coronari, vt perperam hallucinatur *Apologus.*

Quo Boriuorius Dux Bohemiæ conuersus?

Probatvr III. Nam vt ex ipsis *Rerum Bohemicarum* Scriptoribus liquet, idem *Boriuorius* elapsis aliquot annis post fidem susceptam, cum coniuge in arcem *Tetinensem* secedens, *Spitignæo* filio primogenito *Bohemiæ* gubernacula cessit; sed illo è viuis sublato, iterum Ducis diadema induit, donec *Vratislaus* secundogenitus ad annos discretionis accederet, cui itidem, vt Deo vacaret, regendam commendaret prouinciam. Ast *Vratislao* pubertatem ingresso; *de danda* (inquit Dubrauius) *ei vxore maturè deliberant, atque ita secum decernunt, non aliam esse dandam, nisi Christianam. Sed præualuit sententia, vt Drahomiram (nam nondum extra Bohemiam Principes matrimonia contrahebant) vxorem duceret.* Quod & accidit ad annum DCCC. XC. Quæ consuetudo viguit ad annũ DCCCC. LXV. quo *Dambrouca* nupsit extra *Bohemiam*, cum *Miceslao Poloniæ* Principe; & hanc fuisse primam, quæ morem dissoluit, vt fatetur idem Dubrauius *Hist. Bohem. lib.* 5. *fol.* 41. Ergo retentâ hac consuetudine apud *Bohemos* vsque ad Annum DCCCC. LXV. de non maritandis filiabus Principum *Bohemorum* extra prouinciam; quo pacto *Aoplogus* Evrosiam, *Bohemiæ* Infantem, ad Annum DCCC. LXVIII. maritandã cum extero Regulo, in *Hispanias*, contra regionis morem, aduentasse contendit? Igitur & falsa *Iaccetanorum* opinio.

Extra prouinciã Bohemiæ nullus Ducum filius matrimonia contrahebat.

Probatvr IV. Quia si (vt inquit *Apologus*) *Boriuorius*, & *Ludimillæ* Duces *Bohemiæ* Parentes Evrosiæ fuêre, necessariò in illius regionis *Chronicis*, Virginis nomen reperiretur scriptum: at hoc in illis deficit, vt infra *Corollar.* 3. dicemus: ergo falsò tribuitur Ducibus illis huiusmodi filia, quando nec illi talem agnoscunt, nec Historici talem enumerant: sed & quod plus est, quod nullus vnquam ex *Nostris*, aut *Exteris* Scriptoribus de Evrosia loquentibus, parentum huiusmodi nomina expressit; sed tantùm ex proprio capite *Apologus*, vt anno passionis ab ipso efficto, conuenirent, nomina Ducum, eo tempore *Bohemiam* moderantium, sine discretione successuum, & absque eorum cognitione prolis, imaginariâ relatione

S. Virgo à nemine agnoscitur filia Boriuorij.

Digitized by Google

recenſet. Ex ſuperiùs adductis *Quatuor* probationibus ediſces, quanto laborent ſuppoſitionis vitio *Apologi* opinationes, quatenus ex hiſce contendit S. EVROSIAM in *Hiſpanias* ad Annum DCCC. LXVIII. aduentaſſe.

COROLLARIVM II. *Quod* S. EVROSIA *non potuit martyrio coronari in* AQVITANIA, vt falsò *Apologus* profitetur; & huius commenti *Geographicæ* ignorationes propalantur.

Quo ſitu martyrio coronata?

PATET ex *Lectionibus*, Traditione, & Scriptoribus Hiſpanis, in quibus, ad ſpeluncam iuxta Oppidum YEBRA in Pyrenæis occidentalibus montibus occubuiſſe legitur. En *Lectionis* 1. verba: *Auditâ tamen Chriſtianorum perſecutione, & totius* Hiſpaniæ *vſque ad* Pyrenæos *montes à Sarracenis factâ vaſtatione, in* Spelunca *cuiuſdam cacuminis, in territorio villæ de* HIEBRA *delituit. Sed latibulo illo diabolicâ fraude detecto, nobilis illa familia Chriſtiana ab infidelibus trucidatur.* Eadem ferè Marin. Siculus *d. lib.* 5. *Tom.* 1. *Hiſpan. Illuſtrat. fol.* 343. & indiſcriminatim omnes Scribentes tàm antiqui, quàm recentiores. Motus fuit ad hanc anilem tabulam inſcribendam *Iaccetanus* ille *Apologiaſtes*, ex eo quod in *Titulo* ſuperpoſito in ſuperiùs relato MS. *Epigrammate*, dicitur: *Pro* S. EVROSIA *Virgine, & Martyre* Aquitanica, quaſi vox illa AQVITANICA influat tantum in ſubſtantiuo vocabulo MARTYRE; excluſo VIRGINE. Ita vt ſenſus ſit: *Quod ideo à* Poëta *nuncupatur* AQVITANICA, *non propter originem Virginis, ſed propter locum Martyrij, quo Virgo agonem impleuit*; in hoc vafrè faſſus Montana illa ad HIEBRAM attingentia, partem fuiſſe AQVITANIÆ, eáque inter Galliæ circulos contineri, quod proculdubio craſſa ignorantia eſt. O hominum ingenia! Vt non faterentur *Iaccenſes* S. Virginem, fuiſſe AQVITANICAM, contra ius fateri Regionem illam *Celtiberis* parentem, fuiſſe AQVITANICAM compelluntur. Simili modo inuertere ſenſum illius *Diſtichi* 1. conantur:

Apologi error in Geographia.

Tegitur almum gramineo ſub cæſpite BOIÆ:
Euroſiæ *corpus, quod lacerauit Arabs.*

Et in interpretatione Epigrammatis.

Et apponentes duo puncta, poſt vocem BOIÆ, primum carmen ad vnam orationem integram reducunt, quâ conſtruentes *ſub cæſpite BOIÆ*, credunt, corpus Virginis tumulatum, in *Boiorum* territorio, hoc eſt in AQVITANIA. Sed cùm hæc interpretatio contra *Geographiæ* regulas inuenta noſcatur, facilè iſtis in medium recenſitis, illa doctioribus non arridebit. *Pyrenæorum* igitur deſcriptionem, quâ *Gallorum* quâ *Noſtratum* termini referuntur, Appianus Alexandrinus de *Bello Hiſpan.* meliùs omnibus ſubtexuit, dicens PYRENÆI *Montes à Mari Thyrreno ad Borealem Oceanum procurrunt. Horum partem, quâ ad* Orientem *ſpectat, incolunt* CELTÆ, *qui nunc* GALLI *appellantur: ad* Occaſum *ſunt* IBERI, *&* CELTIBERI. Conueniunt Strabo *lib.* 4. Plin. *lib.* 3. *c.* 5. Mela *lib.* 2. *c.* 7. Heydm. *lib. Manuduction. ad Veter. Geograph. c.* 4. *n.* 63. Oihenart. in *Not. Vtriuſq. Vaſcon. lib.* 3. *c.* 9. Briet. in *Parallelis Geograph. lib.* 6. *c.* 5. Noſter Silius Italicus *lib.* 3. *Pun.*

Aquitania, & Hiſpaniæ per Pyrenæos diuiſio.

PYRENE *celsâ nimboſi verticis arce,*
Diuiſos CELTIS *altè proſpectat* IBEROS,
Atque æterna tenet magnis diuortia terris.

Iebra anagramma diſſoluitur.

Sed quia hæc ſententia communis eſt, in eius comprobatione non inſiſtimus. Si ergo *Pyrenæorum* mons, quo *Occidentalia* cacumina ducit, CELTIBERIA eſt, & ad Oppidum YEBRA, cuius nomen ſoluto anagrammate IBERIA ſonat, & ibidem S. Viro agonem compleuit; quo pacto propter locum agonis *Martyr Aquitana* ſomniatur. Abſit hæc coniectatio ab homine *Celtibero*.

COROLLARIVM III. *Quod in relato Anno* DCCC. LXVIII. *non potuit* EVROSIA *cùm eſſet* BOHEMA *nuptias contrahere cum aliquo* Hiſpaniæ *Principe, vt ſuſpicatur* Apologus, *maximè cum* Fortunio Garſiæ *Pampilonenſium Infante*. Et ecphraſi cuiuſdam *Monachi Bohemi* delitiis imbutæ occurritur

Huius Corollarij ſubdiuiſio in Tres Sectiones.

IGITVR vt huic propoſitioni faciamus ſatis, *Apologiaſtæ* intentum in TRES ſubdiuidere ſectiones compellimur. I. quatenus Maritum quærit *Celtiberum*, cui S. Virginis connubium accommodet. II. provt etiam *Patrem, Regem, & Chriſtianum*, in BOHEMIA illo inueſtigat anno. III. quia ſuæ intentionis fundamina

in

Digitized by Google

in *apocrypha* cuiuſdam ſuppoſititij *Monachi Bohemi* ſcripturâ reponit. Quibus Sectionibus ſubuerſis,à fortiori *Apologi* machinationes corruent.

QVOAD *primam Sectionem* fatigatur *Apologus* in quæritando Virgini ſanctiſſimæ Marito,& poſtquam *P.F.Martini à Cruce* opinationem de FORTVNIO reſpuiſſet ſponſo,in ſe reuerſus concludit: *Tpudo ſer,que el miſmo,ſiendo Principe, y en vida de ſu Padre,por internuncios celebraſe matrimonio con* S. OROSIA. Sed quod non potuit hoc euenire, patet: Nam anno DCCC. LXVIII. quo *Apologus* martyrium aſſignat,haud natum FORTVNIVM fuiſſe conſtat.Siquidem *Garſias Eneconis* eius Pater illo eodẽ anno vix ad XVIII.attigerat; ita vt impoſſibile fuerit FORTVNIVM eo anno ætatem ad cõnubium habuiſſe.Sic Stephan.Garibayus in *Comp.Hiſtorial. tom.*3.*lib.*22.*c.*3.vbi agens de *Garſia* Patre ad Annum DCCC. LXVII. proſequitur: *Penes me documenta retineo, quibus pateſcit, quod quando Rex* Garſia Eneconis *in regnum aſcendit,tantum* XVII. *impleuerat annos.* Suffragatur D. Prudentius de Sandoual in *Hiſtor.Pampilonens.Ann.*867.*fol.*19.qui Eram,& Annum expreſſit, ſic: *Rex* Garcia Eneconis *ſucceſſit Regi* Eneconi *Patri,Era* DCCCC. V.*id eſt Annus* DCCC. LXVII. *cùm eſſet* XVII. *annorum.* Hinc colliges quot annorum poterat eſſe filius, ſi fortè natus, Anno martyrij S. Virginis, quando pater nondum XVIII. numerabat. Ergo perperam FORTVNIO tribuitur iſthæc ſponſalium actitatio. *Fortunius Garſias nondum erat natus anno Martyrij S.Euroſiæ.*

QVOAD *ſecundam Sectionem*, quod non potuerint eſſe S. EVROSIÆ parentes *Boriuorius*,& *Ludimilla Bohemiæ* Duces, duobus ſequentibus mediis probabimus. I. Quia *Boriuorius*, & *Ludimilla*, Anno DCCC. LXVIII. nec eſſe *Reges*, nec *Chriſtianos* probatum reliquimus ſuprà *Corollar.* 1. vbi ad amuſſim. II. quia prædicti *Bohemiæ* Duces nullam prolem fœmineam ſuſcepêre, ſed tantum Tres filios maſculos, *Spitigneum*, *Vratiſlaum*, & *Boleſlaum*, vt ex *Tabulis Genealogicis* Thomæ Iordani *Tabul.* 1. *n.*12. & ex Coſma Pragenſ. in *Chron.Bohem. Ann.* 894. & ex Georg. Barthold. in *Bohem.Pia lib.*2.& Ioann.Dubrau. *Hiſt.Bohem.lib.*4. colligitur. Ergo S.EVROSIA non fuit,nec eſſe potuit horum Ducum filia. Sed quia poſtmodùm, iſthæc à Nobis reaſſumenda eſt inſtantia, hic orationis filum erumpemus. *Boriuorius Dux Bohemiæ nullam fœmineam prolem ſuſcepit.*

QVOAD *Tertiam Sectionem*,quæ in relatione cuiuſdam *Monachi*,vt aiunt, *Bohemi* conſiſtit,illámque *Iaccenſes*,vt authenticam recondunt, & eius verba in *Apologo*, vt noſtram ſententiam conuincant, referunt; en tibi,Lector erudite,integram damus: *Die* XX.*Februarij Anno* M.CCCC.LXXXXIII. F.Ioannes de Monte Oliueti, *Regni* Bohemiæ, *venit ad Ciuitatem* IACCAM, *ad viſitandum Corpus* B. EVROSIÆ, *& dixit: Quod nomen Patris dictæ* B.EVROSIÆ, *erat* IOANNES *Lodici Rex* Bohemiæ,*Sclauoniæ,& Albaniæ;& nomen Matris eius* EVLALIA: *Nomen fratris ſui* CARMIONI *Lodici: Nomen ſuæ auunculæ* MARTIANA *Lodici: Nomen ciuitatis* LASPICI, *& baptizati fuerunt in vna ſanctiſſima Eccleſia, intitulata in honorem* S.Euſebij,*& ſanctiſſima corpora ipſorum requieſcunt in vno ſanctiſſimo Monaſterio Ordinis Sancti* Benedicti, *in honorem* SS. Fabiani, *&* Sebaſtiani, *iuxta Ciuitatem* Laſpici *ad* IX. *Milliaria* &c. O tu, quiſquis es eruditionis amicus, ſi hæc legiſti cachinnum ſolue, imò retine; nam potius commiſerationem, quàm riſum meretur, qui hiſce deliriis confarcinatus in publicum prodire non renuit. Sed non poſſum non valde mirari de critico hoc noſtre *Apologiaſte*, qui cùm noſtra prolixius perſcrutatur dilemmata, ipſe ſua nobis commenta patulè deglutienda proponit. Sed ad clauſulas relationis *Monachi* veteratoris, qui cerebrum, & animos *Iaccenſium* falſis propoſitionibus inflauit,comprobandas veniamus. *Scriptura apocrypha Monachi Bohemi euertitur.*

CLAVSVLA PRIMA. Quod parentes vocabantur IOANNES & EVLALIA. Hoc merum figmentum eſt: Quia ab Anno DC. XXXIX.quo *Bohemia* Monarchicum aſſumpſit regimen,vſque ad Annum M.CCC.XVII.quo *Ioannes*,& Iſabella Reges vixerunt *Bohemiæ*, nullus alius vnquam *Bohemorum* Ducum, aut *Regum* tali nomine conſpicitur inſignitus,vt in *Catalogis* Principum illius Prouinciæ apud *Solimannum*, quorum icones æreinciſas, elogiis carmine, & proſâ inſcriptas exponit, & apud alios pateſcit: ergo falſa *Monachi* relatio. Nec obſtat,ſi dicatur,quòd in Baptiſmo Gentilia nomina mutauêre, & Chriſtiana aſſumere voluerunt. Quia illò ſeculo haud moris erat huiuſmodi nominum mutatio. Inſuper, nam eſto quod efficeretur, quare in *Bohemicis* Scriptoribus tantum ſilentium? Quare non cum Chriſtianis *Clauſula I. circa nomina Patrum reprobatur.* *Tacita obiectioni reſpondetur.*

ſtianis nominibus illorum inpoſterum meminere? Seu quare in *Tabulis Eccleſiaſticis* cum de martyrio Matris agitur, LVDIMILA & nõ EVLALIA præſcribitur? MLADA igitur Virgo *Boleſlai* filia ad Annum DCCC. XCVII. prima fuit apud *Bohemos*, quæ nomine barbaro, à Pontifice, dum Romam ad viſitanda Apoſtolorum limina, accederet commutato, poſtmodùm MARIA nominata eſt, vt re ferunt Coſmas Pragenſ. *fol.* 11. Dubrau. *lib.* 5. & alij. Nec cognomen LODICI à *Monacho* præſcriptum, vnquam apud *Bohemos* auditum? imò quòd illis temporibus adhuc iſthæc vanitatis cognomina familiarum nondum hominum mentes occupauerant, nec erant in corda hominum ingreſſa.

Clauſula II. circa regna à patre poſſeſſa, reſpuitur.

CLAVSVLA II. quâ conſtanter aſſeritur: *Patrem* Ioannem *S. Virginis*, *Regem* Bohemiæ, Sclauoniæ, *& Albaniæ fuiſſe*. Quod falſiſſimum eſt; nam illo æuo omnes illæ Prouinciæ ſeparatos Principes, & Gubernatores habebant; nam licèt ſub nomine generali SCLAVONIA totius illius circuli ſitus diceretur, quo Morauia, Bohemia, Polonia, & Albania includebantur; tamen *Morauia*, & *Polonia* Regio titulo fungebantur, *Albania* ariſtocratico regimine contenta, Reges reſpuebat. *Bohemia*, vt vidimus, tantum *Ducatus* munere gaudebat, vt omnia ex Hiſtoriis eliciuntur. Videſis Dubrau. *lib.* 4. Martin. Cromer. *Hiſtor. Polon. lib.* 3. Baronium *tom.* 10. *Ann.* 867. Si ergo iſte Pater effictus EVROSIÆ tantum *Ducis* titulo decorabatur, nec adhuc ad coronam aſcenderat, quo pacto *Reges* ſub eius dominio poterat conculcare?

Clauſula III. circa nomina fratris, & auũcula reijcitur.

CLAVSVLA III. quâ *nomina fratris, & auuncula*, illius CARMIONI, iſtius MARTIANÆ *compulſantur*, prorſus commentitia eſt. Nam ſi patres *Boriuorius*, & *Ludimila* fuere, iſti nequaquam filium huius nominis ſuſcepêre, vt ſupra probatum extat *Sect.* 2. vbi filiorum nomina repoſuimus. Inſuper, quia ſi *Traditioni* S.E. *Iaccetanæ*, & *Scriptoribus Celtiberis* ſtandum eſt, frater S. Virginis CORNELIVS; patruus (non auuncula,) Epiſcopus, ACISCLVS nuncupabantur, vt *Apologus* confitetur: ergo perperam *Monachi Bohemi* ſuppoſititiis fictionibus inhæret, qui hæc allegat improbabilia figmenta. Maximè cùm contraria doceat in *Apologo*, & diuerſa ex *Homopolis Scriptoribus* didicerit, canente Blaſco in *Periſtephan. SS. Aragon. fol.* 22.

Conſilijs Princeps CORNELIVS *inſtat*, ACISCLVS
Præſul; Virginei cuſtos, monitórque pudoris.

Quos poſtmodùm ſanguinis vinculis interpellat, & Virginis dolorem de ipſorum morte, ipſâ præſente, explicans, proſequitur:

Dilecti FRATRIS *morti*, PATRVIQVE *ſuperſtes.*

Clauſula IV. circa locũ Curiæ, & Baptiſmi refellitur.

CLAVSVLA IV. quâ refertur, vrbem, in qua Curiam Parentes habebant, & Baptiſmum ſuſcepêre, LASPICI vocatam fuiſſe, penitus erronea eſt. Nam nullus ex *Geographis* vetuſtis, aut recentioribus illius vrbis ſimili nomine meminit; & conſtat *Curiam Bohemiæ* nullam aliam fuiſſe, à *Primiſlao* huius Prouinciæ Duce III. qui illam PRAHAM nuncupauit, vſque in hodiernum diem, vt notauit Æneas Syluius *Hiſtor. Bohem. c.* 6. *&* omnes Scribentes. De quo non eſt cur ambigatur.

Clauſula V. de loco Baptiſmi improbatur.

CLAVSVLA V. Qua dicitur: *Et Baptizati fuerunt in vna ſanctiſſima Eccleſia intitulata in honorem* S. Euſebij: tota mendoſa eſt. Et hoc ex duplici ratione probabimus. I. Quia eſto quod *Boriuorius* fuiſſet pater S. Virginis, iſte non in *Bohemia*, ſed in *Morauia* Baptiſmum recepit, & *Ludimilla* cum filiis poſtmodùm in *Bohemia*; ergo mendax *Monachi* relatio eſt. Adſit Dubrauius *Hiſtor. Bohem. lib.* 4 in princip. his verbis: *Adfuit Spiritus-Sancti gratia, animúmque* Boriuorij *luce fidei Chriſtianæ ſic illuſtrauit, vt* MORAVIÆ *ſtatum cum benè multis clientibus, aquâ ſalutari à Methodio tingeretur.* Eadem Georg. Berthold. in *Bohem. Pia lib.* 2 *fol.* 2. qui concludit: *Deinde vxor eius cui* Ludimillæ *nomen in* BOHEMIA, *ab eodem tincta fuit.* Ergo ſacrum Baptiſmi lauacrum non coniunctim, nec in vna *Eccleſia*, & vrbe, Parentes receperunt, vt inquit apocrypha relatio. SECVNDA etiam dupliciter probabitur. I. quia nulla erat *Eccleſia*, aut *Templum* in *Bohemia*, niſi poſt multùm temporis à die baptiſmatis *Ludimillæ*. II. Quia etſi poſtmodùm ædificari cœptum, nullum *S. Euſebio* intitulatum in tota *Bohemia* dignoſcitur: ergo fallax eſt relationis textura. Audi Dubrauium *d. fol.* 30. de hoc loquentem: *Ita* Boriuorius *Dignitati ſuæ, poſt decimum*

Nulla Eccleſia in Bohemia S. Euſebio dicata.

Digitized by Google

cimum Menſem, reſtitutus, ſecum in Boiemiam *Præſulem* Methodium *ex* Morauia *abduxit, vt ab impietate quos poſſet, ad pietatem conuerteret, eóſque in conſortium* Eccleſiæ *ſanctæ deſcriberet. Quorum* Ludimilla Boriuorij *vxor prima erat, deinde liberi vtriuſque, mox etiam* Slauiuorius *cum tota familia, ſacro lauacro eſt, ab eodem* Methodio *tinctus. Defectu* Templorum, *Vni Deo conſecratorum, ſparſim tunc* Methodius, *per* Ædes *prophanas rem diuinam faciebat, ſeménque verbi Dei diſſeminabat.* En *Bohemia* ſine *Templis* poſt Baptiſmum *Boriuorij, & Ludimillæ.* Nunc quando, & cui primum *Templum* dicatum, auſcultа: *Ergo* Methodius *agnoſcens, quòd* Templi *defectu, minor concurſus Gentilium tingebatur, illud* Boriuorio *propoſuit, qui tunc* (inquit Dubrauius, & Berthold. in *Bohem. Pia lib. 4. fol. 52. & 53.*) Templum Pragæ *ædificandum curam adiecit, conductíſque operarijs, fundamenta* Templo *ſub titulo* Diuæ Virginis *in loco maximè conſpicuo, quem* Curiam Lætam *vocabant ponere iußit.* Si hoc primum *Templum*, illúdque poſt Baptiſmum *Boriuorij* extructum, *S. Dei-Genitrici* dicatum; ergo falſa eſt relatio *Monachi.* Inſuper, quia etſi poſtmodùm plurima in *Bohemia* Templa conſtructa fuêre, quorum *Catalogum* recenſet *Georgius Bertholdus*, nulla *S. Euſebio* Baſilica dicata cognoſcitur.

Prima ſub nomine B. V. Mariæ.

Clavsvla VI. eiuſdem ac præcedentis farinæ eſt, cum dicit: *Sanctiſſima Corpora ipſorum requieſcunt in vno ſanctiſſimo Monaſterio Ordinis S. Benedicti, in honorem* SS. Fabiani, *&* Sebaſtiani, *iuxta ciuitatem* Laſpici *conſtructo.* Hoc ſubuertitur primò propter defectum identitatis huius vrbis, vt ſupra probauimus *Clauſ. 4.* Secundò, quia Antonius Yepius, Aubertus Miræus, Arnaldus VVion, & Georgius Bertholdus, qui Monaſteria *Benedictinorum* apud *Bohemos* olim, & nunc extructa, & exiſtentia commemorant, nullum tali titulo, nec tali loco inuenerunt, cùm eius non meminerint. Tertiò, nam eſto, quod eſſet talis vrbs, & iuxta eam tale *Cœnobium*, in collocatione, & ſepultura Corporum *Boriuorij*, & *Ludimillæ*, toto cœlo aberrauit *Monachus* veterator. Patet, nam *Ducis* oſſa in Eccleſia *S. Michaelis*, quam ad receſſum in *Arce Tetinenſi* iuxta *Pragam* ipſe extruxerat *Boriuorius*, iacent, vt *Dubrauius*, & cæteri Bohemicarum rerum Scriptores memoriæ commendarunt. Sacra verò lipſana *Ludimillæ*, nurus idololatræ inſidiis interemptæ, honorifico conduntur ſarcophago, in Eccleſia *S. Catharinæ*, quam etiam illa, dum vixerat, pro eius receſſu conſtruxerat, vbi quieuerunt per aliquot annos, quouſque *S Venceſlaus* eius nepos, illa ad Baſilicam *S. Georgij* ex Catharinenſi tranſtulit, vbi miraculis plurimis quieſcunt. Ita Dubrau. *d. lib. 4.* Georg. Berthold. in *Bohem. Pia lib. 2. fol. 14. & lib. 4. fol. 50.* Cuius diem Natalem *XVI. Septembris* appingunt Caniſius, & Philipp. Ferrar. in *Catalog. General. SS. fol. 368.* & in *Topograph. SS. fol. 113.*

Clauſula VI. de loco ſepultura ſubuertitur.

Boriuorij oſſa vbi ſepulta?

Ludimillæ lipſana vbi culta?

En quale, mi Lector, embolium documenti, quod pro ſua ſententia in *Memoriali* contexuit *Apologus Iaccetanus*, cuius fortè credebat auctographum, aut ſanctum, aut myſticum; quodque, provt legis Tabulas ſaxeas in ſacrario, venerabile ſeruat, vt inſtruaris, quantâ propriæ mentis vanitate hominum ingenia raptentur. Sed nec hic meta technarum. Aliam ſolemniorem auſculta, hac periodo, in *Memoriali* conſcriptam: *Et quia Monachi* Relatio *magis authentica reputetur, in eodem Libro Ciuitatis* Iaccenſis, *alia ineſt* Metropolitanæ Bohemiæ, *quæ eſt*, S. E. Pragenſis *Memoria, in ſuo* Martyrologio *tenoris ſequentis*: Hic Evrosia Bohemiæ Regis filia, & Aragonum Regina, Sarracenis Hiſpaniam inuadentibus, in ſpecu peremptis ſodalibus, cum Chriſtum negare nollet, trucidata eſt. Pragæ Bohemiæ Metropolis, in libro vocato Martyrologium R. D. Franciſci Maurolyci, Abbatis Meſſanenſis, Impreſſo Venetiis apud Iuntas, 1568. *En verba Apologi.* Crederem ab eodem emanaſſe *Monacho*, provt immenſis ſcaturiit fictionibus. Quidquid ſit, eas in publicum prodamus, vt auctor *Apologi* cognoſcat, qualiter eius arduum problema complectimur. Aſſerit enim in illo clauſularum inuolucro; quatenus illa abs ſe verba relata, deſumpta fuere ex *Martyrologio S. Eccleſiæ Pragenſis:* hoc prorſus commentitium eſt. Nam illa Eccleſia nuſquam tale quid in ſuo *Martyrologio* recenſuit; quod vt probemus ſequentia exquirenda ſunt: I. Nam ſi verba illa in *Pragenſi Martyrologio* reperirentur ſcripta, proculdubio *Caniſius*, & *Ferrarius*, necnon *Georgius Bertholdus Pontanus*, qui Sanctorum *Bohemorum*, & aliorum *Catalogum* texuerũt, apud *Pragam* S. Evrosiam cõſignarent; hoc reſpuunt, ergo in *Martyrologio Pragenſi*

Error Apologi in allegatione Maurolyci detegitur.

Martyrologium Pragenſe non memimit S. Euroſiæ.

Digitized by Google

Pragenſi eius nomen non reperitur. Maior probatur; Nam *Caniſius* illius Regionis Septemtrionalis Diuos ſedulus collegit, & plures *Bohemos* ſubiunxit: *Georgius Bertholdus* Præpoſitus S. E. Pragenſis *Anno* 1608. *Bohemiam* edidit *Piam*, quâ Sanctorum *Bohemorum* Nomina, & Acta, ex ſchedis Eccleſiarum Regni, deſcripſit. *Philippus Ferrarius*, qui Diuos in *Martyrologio Romano* omiſſos, vndecumque veneratos coniunxit: nullus illorum verborum meminit; ergo ſignum, nullibi apud *Bohemos* ſcripta.

Apologus verba ex Cabilonenſi deſumpta vitiauit.

SED vt emboliſmi machinam perſcruteris, ſcias verba illa abs *Petro Cabilonenſi* Epiſcopo in ſua *Topographia SS.* verbo, *Pyrenæi*, expetita fuiſſe, & *Martyrologio Pragenſi* fœdâ deceptione tributa, coniungens *Apologus* in vnum duos paragraphos ſeparatos, & primi caput omittens, alterius caput arripuit, ita vt de vtriuſque, dictionibus mutilis, periodis, compagem orationis efficeret. Quod vt practicè capias, *Cabilonenſis* paragraphos, provt in Codicibus impreſſis circumferuntur, ſubiicimus, ſic:

> PYRENÆI *Montes, qui* Galliam *ab* Hiſpania *ſeparant. Hic Rolandus, & cæteri Palatini Duces, pro Chriſto pugnantes occumbunt Martyres.* (Omnia hæc deſpexit *Apologus*, & ſequentia collegit) *Hic* EVROSIA Bohemiæ *Regis filia, & Aragonum Regina, Sarracenis* Hiſpaniam *vaſtantibus, in ſpecu, peremptis ſodalibus, cum Chriſtum negare nollet, trucidata eſt.* (Hic finis Paragraphi, & alius ſeparatus incipit.)
>
> PRAGA. *Metropolis* Bohemiæ. *Hic præfuit S. Adelbertus. Hic Corpus S. Viti.*

Vt ergo ſuam intentionem probaret. *Apologus*, primæ periodi clauſulas omiſit, & ſecundæ, vſque ad verba: *Hic præfuit*, excluſiuè, collegit: quâ coagulatione vtrumque paragraphum vitiãs, *SS. Adelberto, & Vito* Topographiam (auulſis dictionibus, *Praga Metropolis Bohemiæ*) violenter ademit; & Palatinis, EVROSIÆquè (omiſſa primæ periodi oratione) prorſus ſine loco paſſionis reliquit.

Meſſanenſi adſcripſit Abbati Cabilonenſis verba Præſulis.

HINC & *Apologiaſtes* ignorationem in Scriptorum cognitione deprehendes; nam cùm verba illa fuerint abs *Epiſcopo Cabilonenſi* concinnata, illa *Franciſco Maurolyco* Abbati Meſſanenſi tribuit, eo quod ferè ſemper illius *Topographia SS.* cum iſtius *Martyrologio* typis edita circumferatur, & cùm vtriuſque ſcripta ſimul in vno codice impreſſa cognouit; *Abbati*, quod erat *Epiſcopi*, ſine differentia diſcretionis adſcripſit. Sed nec illa verba *Cabilonenſem* dixiſſe pateſcit: quia poſt hæc, eius antiquiſſimam *Sanctorum Topographiam* inuiſimus vnà cum *Geographia Claudij Ptolemæi*, Anno 1507. editam Romæ per *Euangeliſtam Brixienſem* (cuius codicem *D. Gaſpar Ibañez de Segouia* Eques Alcantarenſis, Corpenſis Dynaſta, Familiis nobiliſſimis Illuſtris, ſed virtutibus, & eruditione, in primo iuuentutis flore illuſtrior mecum communicauit) in qua nihil de *Rolando*, nihil de EVROSIA perlegitur, ita vt crederem, verba illa merum eſſe gloſſema. Ex quibus liquidò patet, commentitium eſſe quotquot de *Martyrologio Pragenſi*, & *Cabilonenſi Apologus* retulit; & vt huius euidentius euacuetur opinio, adi Georgium Bertholdum in ſua *Bohem. Pia lib.* 4. vbi Catalogum Diuorum *Bohemicorum*, illius Prouinciæ Naturalium, ſeu ibidem veneratorum, in quo prorſus S. EVROSIÆ memoria, & nomen deſideratur: & non eſt veriſimile Georgium *Bohemiæ* oriundum S. E. Pragenſis Metropoliticæ Præpoſitum, & de Sanctorum Bohemicorum conficiendo *Catalogo* ſolicitum, ignoraſſe quid in ſuæ Eccleſiæ *Martyrologio* contineretur, cùm ipſe fateatur, omnia à ſe delibata, ex Eccleſiarum *Bohemiæ* ſcriniis deprompſiſſe; maximè cùm hoc Noſtro ſcripſerit ſeculo. Nec etiam veriſimile videtur, *Cabilonenſis* verba, ſi ſua, non vidiſſe, maximè cùm *Pragæ* topographiæ periodo cohæreant. Quod ſi legit, & omiſit, proculdubio illa commentitia eſſe iudicauit: Nam ſi vera crederet, vt quid ſuam Prouinciam tanto honore fraudare, vrbem tantâ gloriâ, Eccleſiam *Pragenſem* tanto ſplendore ſpoliare vellet? Quibus prælibatis, ACTA ſecundum Noſtram veriorem opinionem compaginabimus, vt muneri, & inſtituto pareamus.

Sed an hæc Cabilonenſis?

Non eſt veriſimile illa ignoraſſe Bohemos.

ACTA

ACTA S. EVROSIÆ VIRGINIS, & Martyris Iaccensis; ex Breuiarijs vetustis, & alijs Scriptoribus.

EVROSIA *apud* Boios *in* Aquitania *oriunda, ex nobilissimis Parentibus illius Prouinciæ Dynastis progenita, cum primùm visiua lucis radios aspexit, sacro delibuta Baptismate, Christi fidem amplexa est. Creuit post hæc in iuuene virgine virtutum cumulus, & passu, quo ætas incrementa noscebat, eo pietatis augebantur facinora. Ergo ad pubertatis annos accedens, de eius coniugio Parentes soliciti, internuntys dimissis, cum* Celtiberorum *Procere, Illustrissimâ etiam Gothorum stirpe oriundo, matrimonij vincula conclusêre. Actum itaque de dimittenda ad sponsum Virgine, Parentes ferè Regium seruorum comitatum, & cognatorum famulitium cum* Cornelio *fratre, &* Acisclo *Episcopo patruo prauenientes* EVROSIAM *in* Hispaniam *ad Sponsum emittere sunt aggressi.* — *Origo.*

ERAT *tunc temporis tota fere* Hispania *in armis posita, ob* Iuliani *Comitis sublenationem, contra* Rodericum *Gothorum Regem, qui* Florindæ *Comitis filiæ, quam postmodum Sarraceni* Cauam *dixere, vim inferre non perhorruerat; quâ prauâ defectione Comes ex* Tingitania *innumerabilia Agarenorum millia militum, cum* Muza *Duce, & alijs, in* Hispanias *aduentarat, & deuicto* Roderici *exercitu, Arabes totius* Hispaniæ *terminos vastare, & vrbes expugnare cæpêre, vsque ad* Pyrenæorum *cacumina, quibus* EVROSIAM Hispanias *ingredientem cum nobili illo comitatu, reperêre; & vtriusque partis ad certamen ascitis militibus, Arabum multitudo præualuit, ita vt* Cornelius *&* Acisclus *Episcopus, S. Virginis frater, & patruus, cum cætero seruorum, & propinquorum comitatu, gladijs Agarenorum occumberet.* — *Excidium Hispaniæ.*

INTEREA *igitur* B. EVROSIA, *ne fortè in manus inimicorum incideret, & eius castitatem militum execrabilibus violatam rigoribus aspiceret, pedester ad vicinam illorum cacuminum speluncam, arborum densitate perhorridam, & silentiosis situs opacitate tenebris ignotam, se virili recepit spiritu. Sed illud diabolica spelæum fraude detectum, trucidatis superstitibus eiusdem sexus pedissequis,* B. EVROSIA *propter eximiam eius pulchritudinem, vt fide abiurata, Sarracenorum nuberet Duci, reseruata permansit. Quæ cùm nollet Christum abnegare, nec Agareno Duci prorsus nubere vellet, cruciatibus exposita, amputatis manibus, brachijs, ac pedibus, tandem capitis abscisione, martyrij coronam adepta, Christo fuit Regi Regum perenniter copulata.* XXV. die Iunij, *Anno Domini* DCC. XIV. — *Delituit in spelunca.* — *Comprehenditur.* — *Coronatur.*

EO *igitur tempore, quo B. Virgo ictum constanter expectaret ferientis: vox cælestis spiritus de summis veniens dilapsa procul est audita, dicentis:* Veni electa Sponsa Christi, accipe coronam, quam tibi Dominus præparauit. Hoc insuper donum tibi concedens, vt quotiescunque pro pluuia, vel contra tempestatem, à Christi fidelibus piè fueris inuocata, in tuo nomine ipsorum oratio exaudietur. *Post hæc, glorioſum* Corpus *in eodem loco tunc sepultum, sequentibus temporibus miraculorum virtute coruscauit. Sed ingraueſcente Infidelium rabie, ſubdola, & fallax hoſtis antiqui versutia, sepulchri locum venerabilis, per aliquot secula fidelibus occultat. Donec postmodùm, per reuelationem cuidam* Pastori *diuinitùs factam, sacrum* CORPVS *inuentum, summâque cum celebritate, in* S. E. Iaccensem *delatum, & honorifico loco conditum, adhuc prodigiorum insignium signis mirabiliter eluceſcit.* — *Angeli vox audita.* — *Sepulchrũ.* — *Inuentio corporis.* — *Translatio.*

INTER *alias itaque virtutes, quas Dei clementia, tunc operata cognoscitur, illud celebre miraculum memoratur, quòd cùm terra circumiacentis confinij, diutina siccitate arefacta deploraretur, vt sitiens; B. Virginis, & Martyris interuentu, pluuiarum inundatione irrigata, protinus fuit in vberrimam* — *Sterilitatẽ depellit.*

fertilium meſſium ſolutione, conuerſa. Quo beneficio incolæ recreati, deinceps, quoties ab ipſis populis in neceſsitatibus inuocatur EVROSIA, *miſericors Deus eorum precibus, & S. Virginis meritis, omnium clementer ſupplicationibus annuit. Qui non ſolum B. Virginis interuentione, terræ ſterilitatem, & aëris tempeſtates depellit, ſed etiam cæcis viſum, mutis loquelam, ſurdis auditum, claudis greſſum, ac denique cæteris infirmis, varijs, & incurabilibus ægritudinibus laborantibus valetudinem, imò & mortuis vitam, vt traditur, impartitur.*

Ægrotos ſanat.

HÆC *itaque & alia inſignia miracula, quæ per ſuam Virginem Deus operatus eſt, & quotidie operari non deſinit, ipſam magnificant, & extollunt: Noſque certiores faciunt, ipſam ſpirituali oraculo diuinitus admonitam, de terra, & cognatione ſua, exemplo Patriarchæ Abrahæ egreſſam fuiſſe, vt ibi ſubiret pretioſum martyrium, vbi careret adminiculo cognatorum: nec deeſſe ipſi in conſpectu Summi Remuneratoris plenam ſatietatem gaudiorum, quæ dùm viueret dira pertulit ſupplicia tormentorum, ad laudem Dei, & Domini Noſtri Ieſu-Chriſti, cui eſt honor, & gloria per infinita ſecula ſeculorum, Amen.*

Aliamiracula.

Nominis etymologia I.

Hæc ſunt ACTA genuina. Quatenus ad nomen EVROSIÆ, eiúſque etymon, hoc in *Lect. 8. Breuiar. Oſcenſ.* reperitur: EVROSIA, *quaſi* Bona Roſa *interpretatur. Eſt enim* Roſa *ſuauitatis & redolentiæ*; Roſa *iucunditatis, & gratiæ*; Roſa *confortationis, & conualeſcentiæ*; Roſa *confectionis, & tolerantiæ*; Roſa *puritatis, & innocentiæ.* Aliam etiam etymologiam refert F. Martinus à Cruce *in Vit. S. Euroſ. c. 11. fol. 61.* ex Officio S. E. *Iaccenſis Lect. 3.* his verbis: EVROSIA *quaſi* RORE *ſatians. Cæterum quia* EVRO *pluuiali vento comparata areſcentem terram ſecundis imbribus irrigat; cunctiſque ægrotantibus implorata, corporis, & animæ medelam præbet.* EVROSIÆ, *id eſt, proſperitatis, & nomen ſanitatis bonæ, diuinitus eſt adepta.* Hæc de etymo.

Etymologia II.

QVATENVS ad notitiam S. ACISCLI Epiſcopi, S. Martyris, & Virginis *Patrui.* DVO hic ſe notanda offerunt. PRIMVM, quòd ſi S. Præſul iſte erat Patruus *Euroſiæ* & Epiſcopus, non potuit cum tali munere ex *Bohemia* deuenire, ad Annum DCCC. LXVIII. quo aduentum, & martyrium S. Virginis conſignat *Apologus Iaccetanus:* Quia *Epiſcopalis dignitas* non fuit in *Bohemia* introducta, vſque ad Annum DCCCC. LXV. vt Martin. Cromer. *Hiſtor. Polon. lib. 3.* & Cardinal. Baron. *Tom. 10. Ann. 965.* contendunt: ſeu Anno DCCCC. LXVIII. vt Coſmæ Pragenſi Decano *in Chron. Bohem. Ann. 967. fol. 11.* Georgio Bertholdo *in Bohem. Pia lib. 3. fol. 15.* placet. Rationem tanti ſilentij in conſtituendis Epiſcopis apud *Bohemos* reddunt Æneas Syluius *Hiſtor. Bohem. cap. 15.* & Dubrauius *lib. 5. fol. 38. & 43.* Ergo Anno ab *Apologiaſte* ſuppoſito, non potuit EVROSIA ex *Bohemia* deuenire cum *Patruo Epiſcopo.*

Epiſcopalis dignitas quando incæpit in Bohemia.

SECVNDVM, quia ex his cognoſces cuius ACISCLI Martyris lipſana veneratur *Eccleſia S. Saturnini* apud *Toloſates* in *Gallia*, quæ hucuſque pro pignoribus S. Martyris *Cordubenſis* ſunt habita, vt ſomniauit amicus meus Andreas Sauſſay. in *Martyrolog. Gallican. Tom. 2. Die XVII. Nouembr. fol. 896.* motus ex Diplomate *Ludouici XI.* Francorum Regis, quod refert Guillelm. Catell. *Hiſtor. Comit. Toloſ. lib. 2. c. 3. fol. 167.* vbi refertur, Carolum Magnum ex Hiſpania Toloſam Corpora Sanctorum tranſtuliſſe, inter quæ Reliquias S. ACISCLI, quas poſtmodùm Vrbanus II. Pont. Max. cum Bernardo Archiepiſcopo Toletano, & aliis Epiſcopis, Anno M. XCVI dum Eccleſiam S. Saturnini conſecraret, honorificè collocauit, vt inquit ipſe Catell. *d. cap. 3. fol. 177.* ex vetuſto Chronico MS. Et ſi mea me non fallit opinio, crederem illa ſacra ACISCLI Martyris pignora à *Carolo Magno* tranſlata, de huius S. EVROSIÆ *Patrui* exuuiis intelligenda eſſe. Hoc patet: Nam *Cordubenſis* ACISCLI lipſana poſt obitum *Caroli Magni* in Eccleſia ſuo nomini dicata apud *Cordubam*, Anno DCCC. L. iacebant, vt S. Eulog. *lib. 1. Memor. SS. & lib. 2. cap. 1.* Ambroſ. Moral. *Hiſtor. Hiſpan. Tom. 3. lib. 17. cap. 4.* Roa *Hiſtor. SS. Cordubenſ. fol. 163.* & Nos ſupra *Tom. 2. Die XVIII. April. fol. 693.* vbi de ſepultura *S. Præfecti* Martyris *Cordubenſis* egimus, teſtantur.

Corpus S. Aciſcli Martyris apud Toloſam.

Sed cuius Aciſcli Martyris?

Non Cordubenſis.

Ergo

Digitized by Google

Ergo illa quæ apud *Toloſam* reconduntur, minimè de ACISCLO *Cordubenſi* fuiſſe patefcit. Sed quia de hoc infra *Die XXI. Nouembris Tom.* 6. agemus, hæc dixiſſe ſufficiat. *Non Cordubenſis.*

CIRCA Annum, quo S. EVROSIÆ Corpus inuentum eſt; Audi Iulianum Archipresbyterum Toletan. in *Aduerſar. n.* 517. *fol.* 121. dicentẽ: *Anno* DCCCC. XXXV. *fuit inuentum Corpus* S. EVROSIÆ *diuinitus à quodam* Paſtore. Quod & fatentur *Breuiaria*, & *Scriptores Celtiberi*, & F. Martinus de Cruce (non *Ioannes*, vt falsò citat *Apologus*) in *Vit. S. Euroſ. c.* 27. *fol.* 150. vbi Baſurti cuiuſdam vetuſti Poëtæ Caſtellani Rhythmos recenſet, nec non & plura miracula. *Quo anno Corpus inuentum.*

IACCA. Vrbs Epiſcopalis in *Hiſpania* ad Pyrenæi radices ſita, qua Aragonenſe Regnum extenditur. De ea ſupra *Tom. I. Die VIII. Februar. fol.* 79. plura egimus. Alibi ſi ſe obtulerit occaſio, ampliora dicemus. Interim adi F. Martinum à Cruce vbi *ſupra c.* 28. §. 1. 2. 3. & 4. vbi eius antiquitates, & priuilegia refert. *Topographia.*

SEXTO KAL. IVLII.

DIES XXVI.

A. *Romæ* SS. IOANNIS & PAVLI *Martyrum; qui ex* Saguntina *Hiſpaniæ vrbe progeniti, & apud* Brigantium *non procul* Braccara *nati, Romam perrexiſſent, & Conſtantiæ Auguſtæ Conſtantini Imperatoris filiæ ſeruitio mancipati, alius Præpoſituræ, alter Primicerij munera in Auguſtæ domo, inſtantibus fuiſſent meritis adepti; tandem à Iuliani Apoſtatæ Miniſtris pro fide comprehenſi, martyrio coronati ſtrenui pugiles cœlos aſcendunt.*

B. CARACÆ *in Carpetania Hiſpaniæ*, S. PERSEVERANDÆ *Virginis Deo deuotæ; quæ ſanctis moribus imbuta, & virtutibus vndequaque clara, obdormiuit in Domino.*

C. *Apud Tridentum* S. VIGILII *ipſius Vrbis Epiſcopi, & Martyris*, Caurienſis *Ciuitatis in* Vettonia Hiſpaniæ *oriundi, qui cùm magno fidei zelo, in extirpandis, & conterendis Idolorum imaginibus accenſus, diœceſim curſitaret, à barbaris inſidiantibus impetitus, lapidum multitudine obrutus, martyrium felix Agoniſta percepit.*

D. CORDVBÆ *in Batica Hiſpaniæ*, S. PELAGII *Tudenſis iuuenis, qui dum obſes apud Abderramenem detineretur Tyrannum, à quo cùm nec in ſui opitulationem conuerti, nec à Chriſti amore diuerti valuiſſet, forcipibus*

Digitized by Google

ferreis membratim diſſectus, æternam beatitudinem laureâ Martyr coronatus ingreditur.

E. In *Eccleſia S. Chriſtophori in Territorio* Braccarenſi, *Depoſitio* S. Hermoigii *Epiſcopi* Tudenſis; *qui poſt paſſionem* S. Pelagij *nepotis, ad* Silenſe *Cœnobium ſeceſſit, è quo cum aliquot monachis comitibus, S. Chriſtophori Monaſterium extruxit, vbi vitam ſanctiſſimè egit, & demum ad æternam gloriam tranſlatus, glorioſum ſeculis ſanctitudinis ſpirauit odorem.*

NOTÆ.

A. *Martyrologia.* *Scriptores.* Sancti Ioannes, & Pavlvs Martyres.] Eorum nomina in Sanctorum Tabulis deſcripta cognoſcimus ex Martyrologiis *Bedæ, Vſuardi, Adonis, Galeſinij, Peregrinis, Bellini, Maurolyci*, & Romani, cui conſonant Caſtellanum *P. Vazq.* Luſitanum *P. Lupi*, Hiſpanum *P. Higuera* MS. & Italum *Conſtantij Felicis*. De eis quoque Petr. de Natal. *in Catal. SS. lib. 6. c. 9.* Philipp. Ferrar. in *Catal. SS. Ital. fol.* 390. Paul. Diacon. *Hiſtor. Longobard. lib. 2. c. 9.* Fortunat. *in Vit. S. Martini lib. 4. in fin.* S. Gregor. Turonenſ. *de glor. Martyr. c.* 83. Cardinal. Baron. *Annal. Eccleſ. Tom. 3. Ann.* 330. *n.* 52. *Tom.* 4. *Ann.* 362. *n.* 271, *Tom.* 5. *Ann.* 398. *n.* 18. Ioannes Andreas Gilius *de Perſecut. Eccleſ. lib.* 3. *Perſecut.* 15. *fol.* 238. Iulianus Archipresbyt. Toletan. *in Aduerſ. n.* 8. *& n.* 399. *fol.* 88. Eorum Acta à *Terentiano* conſcripta Mombrit. *Tom.* 2. & Surius *Tom.* 3. retulêre, à quibus omnes Florũ SS. Scriptores. Ea ex *R. P. Petro de Ribadeneyra* Noſtro dabimus.

ACTA SS. IOANNIS, & PAVLI Martyrum; ex Iuliano, & Ribadeneyra.

Origo. Ioannes, & Pavlvs *Romani Cives, licèt origine* Hiſpani *ex vrbe* Sagunto *oriundi*, & Brigantij *iuxta* Braccaram Gallæciæ *Metropolim nati, Romam iuuenes perrexêre, vbi in domo Conſtantiæ Auguſtæ Conſtantini Imperatoris filiæ in famulatum adſciti, alter* Præpoſituræ, *alter* Primicerij *munera ſunt adepti. In quorum exercitijs cùm per tempus fideliter deſeruiſſent, euênit* Ouini Gallicani *Viri Conſularis, & Sanctorum fratrum homopoli, ad* Conſtantinum *petitio, quâ Conſtantiam Auguſtam ſibi in coniugem dari ſæpius repetebat. Sed Imperatoris anguſtiâ per Auguſtam ſedatâ, promittens ſe Gallicano nupturam, ſi Scythicam ſublenationem ſedaret, & ſecum* Ioannem, & Pavlvm *fratres, eius neceſſarios perferret. Annuit conditionibus* Gallicanus, *& in Scythiam properans ſecum Catholicos fratres aduexit, quorum conſilio, cùm iam penè victus fugere deſtinaſſet, victoriam voto facto de Chriſti fide amplectenda, feliciter reportauit.*

Romã pergunt.

Gallicanũ in Scythia conuertunt.

Iuliani Apoſtatæ auaritia. Itaqve *Romam reuerſi ſanctiſſimi fratres Auguſtæ obſequio intendentes, virtutúmque aggeres cumulantes, vitam ſanctiſſimam peragebant. Sed cùm poſtmodùm* Iulianus *Apoſtata ad imperij apicem eueheretur, in Chriſtianorum facultates ſæuitiam, & auaritiam conuertens prauus Euangelij interpres, omnia bona Catholicis eripiebat, dicens: illos ex Euangelij præſcripto, nequaquam fluere debere diuitijs, ſed eas penitus erogare, ſi cœlorum regna aſſequi concuperent. Sed cùm* Ioannis, & Pavli *fratrum liberalitatem in pauperes cognouiſſet, vt illorum opes integriùs eriperet, Terentiano præſcripſit, vt eos à fide auerteret, & Deos ado-*

SS. liberalitas in pauperes.

rare

Digitized by Google

rare faceret. Quos cùm Terentianus *ad Imperatoris placitum perducere, & promiſsionibus, & minis conatus eſſet; illi ſanctiſsimi futuri Martyres reſpondérunt:* Non Principi ſeruire detrectamus, ideò vt qualemcunque hominem illi præferamus: Sed Dominum Iuliano anteponimus, qui fecit cœlum,& terram,mare,& omnia quæ in eis ſunt. Idcirco ſuam pro vt hominis mortalis amicitiam declinamus, ne Dei immortalis inimicitiam incurramus. *Quibus ſic elocutis, Terentianus decem dierum conceſsit inducias, quibus eâ ſuper re maturiùs deliberarent.* Cui Martyres: Iſtos decem inducíarum dies,iam præteriiſſe puta,& quod te illis elapſis facturum minaris,hodie facito. Quæ namque nobis ſedet ſententia,fixa eſt, & mutari neſcia.

Conſtantia Martyrum.

Inducias recuſant.

Ergo *Martyres, vt morituros ſe pro Chriſto ſensêre, meritas eidem pro tanto beneficio grates egêre, & quidquid adhuc in facultatibus ſuis reliquum habuêre, durantibus inducijs liberaliter in pauperes collocarunt. Abierat Vndecima iam dies,cùm ſub creperam noctis horam primæ* Terentianus *multâ militum manu ſtipatus, ædes Martyrum inuolauit, quos, vt in precibus Deo ſupplices reperit, exilem Iouis iconem auream deprompſit, eámque illis ex Imperatoris imperio adorandam propoſuit, minatus, ſi facere renuerint, è veſtigio obtruncare. Nec enim in Palatio nutritos publicè mori par eſſe. Reſpondêre Terentiano Martyres*: Si Iulianus tuus eſt Dominus, habeto partem cum eo. Nobis alius Dominus non eſt,niſi vnus Deus Pater,& Filius,& Spiritus-Sanctus, quem ille negare non timuit. *Tunc illos Terentianus iuſsit obtruncari, egeſtáque ijſdem in ædibus humo,protinus ſepeliri; ſparsâ interim per vrbem famâ, quod Imperatorio decreto fuiſſent exulare iuſsi, tantiſper fuit mors eorum celata. Sed Iuliano è viuis ſublato, Catholicus* Iouianus *imperij habenas arripuit,cuius tempore,cùm in eadem domo, quâ SS. Martyres conditi iacebant, Dæmones vociferari cœpiſsent,illic ſacras Martyrum exuuias latêre, atque his ſeſe torqueri, magnus eò factus eſt concurſus, multíque energumeni ſuffragantibus Martyrum meritis ſtygiam vexationem redemêre. Inter hos vnus fuit* Terentiani *filius; cuius operâ Martyres fuerant obtruncati. Hic liberato filio, Idolorum vanitatem reſpuit, & impiam crudelitatem execratus, quâ,iubente* Iuliano, *fuerat in Martyres debacchatus, ad ſacras Martyrum exuuias ſupplex acceſsit,veniamque popoſcit,ac deinceps in Chriſtum credidit, & horum Sanctorum Fratrum agonem conſcripſit. Paſsi ſunt* VI. Kalend. Iulij, *Anno Chriſti* CCC. LXII. *Corpora eorum in magnifico condita Templo quod fuit in eorum ædibus excitatum, Cardinalis Titulare eſt. Aliqua horum SS. Martyrum* Reliquiæ, *tempore* Pelagij *Papæ in* Galliis *delata ſunt; & apud* Rauennas *multis fulsêre miraculis, præſtante Domino Ieſu-Chriſto per ſecula regnante, Amen. Ad quorum ſarcophagum hocce ſepulchrale carmen appendit deuotio:*

Liberales in pauperes.

Sanctorum Chriſtiana libertas.

Coronãtur, & ſepeliuntur.

Dæmones locũ ſepulchri indigitant.

Templum Romæ.

Carmen ſepulchrale.

Vnanimes Fratres, pij, ac fideles
Chriſti aſſeclæ Pavlvs *ac* Ioannes,
Qui vertêre ſuam in fidem vocanti
Deſertori terga Iuliano,
Caſi pro Chriſto hic ſimul teguntur.
Hoſpes, qui imperium times ſupremum,
Qui Domino in re duriore parent,
Conſtantes Domini cole hic amicos.

Hucuſque Acta, in quorum ecphraſi, Originem & Nativitatem in *Hiſpania* probandam eſſe, fatemur. De vtraque audi Iulian. Toletan. *in Aduerſar. n.* 8. dicentem: SS. Ioannes, & Pavlvs, & Quinus Gallicanus *Vir Conſularis, quorum hic Alexandriæ, illi Romæ paſsi ſunt*, Hiſpani Sagvnthini, *& in Aula Cæſarum diù verſati.* En Origo Hiſpana ex Saguntho.

Probatur origo Hiſpana.

Digitized by Google

Ad Natiuitatem veniamus: Ipſe Iulian. in *Aduerſ. n.* 399. *fol.* 88. referens *n.* 398. eius in *Braccaram* cum *Bernardo Toletano* aduentum, & quæ antiquitatum monimenta cognouerat, proſequitur: *Eodem tempore cognoui, SS. Ouinum Gallicanum Martyrem Virum Conſularem, & IOANNEM, ac PAVLVM cognatos eiuſdem, natos* BRIGANTII *non procul admodum* Braccarâ, *Romam delatos Martyres fuiſſe clariſſimos.* Cui & adhæret *Cyprianus* Cordubenſis, in *meo MS. Carminum Codice* hoc Epigrammate in quo proſodiæ de more rigor negligitur.

IN SS. IOANNEM & PAVLVM Martyres fratres Hiſpanos; ex Cypriano Cordubenſi.

PAVLE decus Noſtri, nec non venerande IOANNES
Hiſpani *Proceres; Romani Martyres almi;*
Ambóque progeniti; SAGVNTA & origine; Fratres
Opibus illuſtres; fide & inſuperabiles ambo;
Veſtri Hiſpania *veſtra cupit conſortia ſemper.*
Et licet oſſa tenet Roma; hìc in corde iacetis.

Alia probantur in Actis recẽſita remiſſinè. Cætera, quæ in ACTIS, communia ſunt. Nam de *Templo* Romæ extructo, titulóque Cardinalis decorato, plura Baron. *in Notis ad hunc diem lit. A.* De Templo *Rauennæ* miraculis claro, idem ibidem ex Paul. Diacon. *de Geſt. Longobard. lib. 2. c. 9.* & Vennant. Fortunat. in *Vit. S. Martin. lib. 4. in fin.* cui addo Rubèum in *Hiſtor. Rauennat. lib. 3. Ann. 549.* De Pignoribus ſacris in *Galliam* tranſlatis agit Gregor. Turonenſ. de *Glor. Martyr. c. 83.* Andreas Sauſſay in *Martyrolog. Gallican. Tom. 1. h. d. fol. 367.*

Topographia. BRIGANTIVM. Vrbs eſt *Hiſpaniæ* vetuſta, eámque fortè BRAGANCIAM eſſe, cuius Ducatus titulo meminit Antonius Viperanus de *Obtent. Portugall. Tom. 2. Hiſpan. illuſtrat. fol. 1041. lin. 31.* his verbis: *At Interamne, inter flumina Durium, & Minium, iacet, Eccleſiâ* Braccarenſi *illuſtris, à qua etiam Gallæcia Braccarenſis nominatur; eique continens eſt Regio Tranſmontana, in qua eſt* BRIGANTIVM *Oppidum inſigne, ampliſſimi Ducatus caput.* Nam aliud eſt *Brigantium Flauium*, multum â *Braccara* diſſitum, cui verba *Iuliani* haud conuenire poterunt.

B. S. PERSEVERANDA Virgo, Deo deuota.] Celebris eſt *Nominis* tantùm memoria huius Virginis in ſacris Eccleſiæ Faſtis, in quibus nec locus tranſitus, nec annus obitûs adhuc agnoſcebatur: vt ex Martyrologiis *Vſuardi, Galeſinij*, & recentiorum pateſcit: quibus Romanum *Baronij*, Caſtellanum *Vazq.* Luſitanum *Lupi*, Hiſpanum MS. *Higuera*, Italum *Conſtantij Felicis* conſonant; & Petr. Equilin. in *Catalog. SS. lib. 11. c. fin. n. 180.* ſic: PERSEVERANDA *Virgo eodem die in Domino requieuit.* Aſt quod in hiſce omnibus ſub ſilentio latuit, omne illud *Flau. Dexter* expreſſit, hac ſerie: CARACÆ *in Carpetania*, PERSEVERANDA *Virgo Deo deuota floret.* Hoc enim aſſeruit in *Chron. Ann. 360.* vbi P. Biuar. in *Comment. n. 6. fol. 389.* & 390. Roder. Caro, *ibidem fol. 129. Lit. P.* De ea etiam D. Franciſc. de Torres in *Vit. S. Alexandri*, relatus à P. Antonio Quintana - Dueñas *Hiſt. SS. Toletan. fol. 402.* ACTA à nullo Scriptorum reperi coagulata: pro Actis hoc referre Hexaſtichon placuit, quod inter *Auli Hali* mei carmina in *Codice MS.* recenſita, perlegitur, hoc lemmate.

Martyrologia.

Scriptores.

PRO S. PERSEVERANDA Caracenſi, Deo deuotâ, Carmen Sepulchrale.

Alia ex Carmine Sepulchrali MS.

MArmore ſub cauo, virtutum plena CARACÆ
Sarcinis, en Virgo PERSEVERANDA *iaces.*

Diuáque

Digitized by Google

Diuáque vix tu nata, Deo iam viſcera Vero
Offers, & Chriſti Sponſa ſacrata manes.
Pòſt moreris; Chriſto viuens per ſecula; clara
Prodigijs; victrix ſemper; amica tuis.

Cætera quippè rerum à Sanctiſſima Virgine geſtarum ſub ſilentij iacent inuolucro: quæ præſcripſimus, *Halo* debentur, qui aut compoſuit, aut cumulauit.

Collegia Virginum antiquiſſima.

Qvod illo ſeculo eſſent Virginum Deo dicatarum cætus, probat P. Quintana-Dueñ. *Hiſtor. SS. Toletan. in Vit. S. Leocad. f.* 223. & 224. ex S. Ignatio, Auguſtino, Ieronymo, Carthuſiano, & aliis. Pluribus Baron. *Annal. Eccleſ. Tom.* 1. *Ann.* 57. *à n.* 53. & ſequentib.

Topographia.

Caraca. Vrbs Antiqua in *Carpetanis* Hiſpaniæ Citerioris Populis. De illa agit Plutarch. in *Vit. Sertor.* cùm Metelli ſtrenuitatem enarrat, quâ Sertorium è Caraca pepulit ad amnem Tagonium. In Antonini Itinerario, apud Zuritam *fol.* 99. & apud Simler. *fol.* 193. Perperam Ariaca nuncupatur, vt idem notauit Zurita in *Not. fol.* 589. dicens: *Ptolemæo eſſe arbitror, in ea* Carpetanorum *Regione, iuxta* Complutum Kapakka. Hodie eſſe quam dicunt Gvadalaxara, à *Complu-to* ad Orientem XXII. P. M. vt fatetur P. Biuar. ad *Dextr. in Chron. Ann.* 86. *n.* 13. *fol.* 179. De ea & Nos alibi.

Error in Itinerario Antonini.

S. Vigilivs Epiſcopus & Martyr.] Cùm in ſuperioribus differere compelleremur circa originem *Caurienſem* Sanctiſſimæ *Maxentiæ* Matris S. Vigilii Epiſcopi *Tridentini*, de quo ad præſens memoria eſt; eámque probaremus *Tom.* 2. *Die XXX. Aprilis fol.* 851. *lit. B.* Nec non SS. *Claudian*, & *Magoriani* fraternitatem cum S. Epiſcopo; illius *d. Tom.* 2. *Die VI. Martij fol.* 103. *lit. D.* & iſtius *d. Tom.* 2. *Die XV. Mart. fol.* 247. *lit. G.* propalaremus; non erit cur circa tàm tritam hanc ſententiam, amplius tempus & oleum (vt aiunt) perdamus. Hoc ſuppoſito, ad Martyrologos deſcendamus. De eo fere omnes, vt ex *Vſuardo, Galeſinio, Maurolyco, Peregrinis* & cæteris recentioribus deſumpſit Romanum *Baronij*, Caſtellanum *P. Vazq.* Luſitanum *P. Lupi*, Hiſpanum MS. *P. Higuera*, & Italum *Conſtantij Felicis*. Item Petr. de Natalib. in *Catalog. SS. lib.* 6. *c.* 10. Philippus Ferrar. *in Catalog. SS. Ital. fol.* 391. & in *Topograph. SS. verb.* Tridentum, *fol.* 118. Baronius *Annal. Eccleſ. Tom.* 4. *Ann.* 400. *n.* 2. & 14. cum ſequent. Eius Acta ex *Ferrario*, quia genuina, & veritati conformia, additâ origine *Hiſpanâ*, dabimus.

C.

Origo Hiſpana ſuperiùs probata.

Martyrologia.

Scriptores.

ACTA S. VIGILII EPISCOPI & Martyris Tridentini; ex Dextro, & Ferrario.

Origo.

Vigilivs *ex claro genere in* Hiſpania *apud* Cauriam Vettonum *vrbem oriundus, Romaque liberalibus diſciplinis iuuenis fuit imbutus, in quibus ſic profecit, vt ſui ſeculi Theologus maximus haberetur, & princeps. Sed cùm anno Salutis humanæ* CCC. LXXXIII. *Aſterius Tridentinus Pontifex è vitâ diſceſſiſſet, & Clerus, Populúſque Tridentinus* Vigilii *pietatem, & virtutum cumulos exploraſſet, protinus in locum deceſſoris Aſterij* Vigilivs *fuit omnium acclamatione ſuffectus. Tunc Româ cum* Maxentia *Matre, ac* Claudiano, *&* Magoriano *Fratribus* Tridentum *perrexit, vt infulas, annos* XX. *tantum natus, Præſulatus ſacras, vt moris erat, indueret. Qui ſuſcepto munere Paſtorali, ciuitatem primùm ab hæreſi, quæ tunc latè vigebat, aſſiduâ verbi diuini prædicatione, & vigilantiâ purgauit. Inde in Pagos egreſſus, eos ab idolorum cultu, ad Chriſtianam fidem perduxit, prædicationem vitæ integritate, & miraculorum præſtantiâ mirum in modum confirmans. Nam & cæcis lumen, & mutis loquelam Crucis ſignaculo, Chriſtique nomine inuocato, reddebat, ac à Dæmonibus liberabat obſeſſos*

Epiſcopus ordinatur.

Prædicationem miraculis confirmat.

Item *in* Veronenſium *agrum*, & Brixenſium *circulos digreſſus, ne-*

In agro Veronenſi, & Brixienſi Eccleſias extruit.

ſandos Idolorum cultus euertens, ſupra Triginta Eccleſias in illis regionibus, Deo vero dedicatas erexit. Hinc Tridentum *reuerſus,* Siſinium, Martyrium, *&* Alexandrum, *Viros ſanctiſſimos, doctrinâque conſpicuos, primum Diaconi, ſecundum Lectoris, tertium Oſtiarij ordinibus decoratos ſecum ducere conſtituit. Quos cùm ad Euangelij grana dimitteret ſeminanda, & apud* Anauniæ *terminos beatiſſimi Miniſtri concederent, & totius illius regionis populos ad Chriſti fidem conuerterent, abs fidei hoſtibus tenti, cruciatibus expoſiti, & rigoribus impetiti, tandem ſunt palmam martyrij viriliter conſecuti. Quod vt*

Anaunienſes conuertit.

VIGILIVS *agnouit, eò protinus aduolauit, ac eos hoſtes liberè increpatos, ad ſaniora perſuaſit conſilia, adeò vt illos ad pœnitentiam adduceret, & abnegatâ impiâ ſuperſtitione, deiectis vbique Dæmonum delubris, in tota illa valle, Chriſto nominibus datis, Crucis vexillum erigerent.*

In Randenâ valle idolũ euertit.

HISCE *igitur pijſſimi Paſtoris factuoribus exantlatis, cùm vallis quæ vocitatur* Randena, *ſola in Idolorum vanitatibus dedita ſupereſſet, hóque ſanctiſſimus agnoſceret Antiſtes, in eam prorſus ſerendi Euangelici ſeminis gratiâ, fratribus germanis* Claudiano, *&* Magoriano, *necnon Presbytero* Iuliano *comitibus ſecum aſcitis, profectus, demùm peruenit, ac protinus in ipſum incidit idolum, Saturni vocabulo nuncupatum, æreo metallo compactum, cui incolæ ſacra faciebant, & ad Sarcæ fluminis ripas inuenit. Zelo itaque Dei exæſtuans, ſpiritu latus, & alacer, in medios Idololatras prorupit, ſimulacrum aggreditur, ſpurcum idolum deiecit, percuſſum fregit, confractum mirabiliter in profluentem proiecit, vt turpiſſimæ rei, vel memoria, apud poſteros interiret, ſolius autem Domini nomen ſanctificaretur in poſterum. Mox verò in baſim, ſeu fulcrum deiecti Idoli reſidens Vir Dei, verbum Domini, illis, qui eius facinoris ſpectatores fuerant, prædicare cæpit, teſtificans ſalutem veram, non aliunde vel expectandam, vel petendam eſſe, quam à Ieſu-Chriſto, Dei, & hominis filio.*

Lapidibus obruitur.

Cæterum barbari, & impij Gentiles, Deum, & religionem ſuam contumelijs affectam putantes, caterùatim concurrunt, & ſeruum Chriſti animam ſuam Patri commendantem, lapidibus ſternere cæperunt, quibus velut imbre denſiſſimo obrutus, illuſtris Agoniſta martyrio coronatus occubuit, VI. Kal. Iulij, *Anno Domini* CCCC.V. *vel circiter, anno ætatis ſuæ* XL. *Epiſcopatus* XX. *Cuius*

Corpus Tridenti.

Corpus magna populi frequentia, non ſine multorum lacrymis, Tridentum *delatum, in Baſilica, quam ipſe ædificarat, conditum eſt.*

Acta hæc genuina, & quare?

Hanc ACTORVM ſynopſin genuinam eſſe, nemo eſt qui dubitet; nam quæ in limine Operum VIGILII circunfertur, in multis deficit, & nonnulla Noſtro tribuit Antiſtiti, quæ alterius ſunt, vt notarunt Baron. *in Not. ad Martyrol. Rom. h. d. lit. B.* & Philipp. Ferrarius *in Annotat. ad Catal. SS. Ital. h. d. fol.* 391. Hinc crederem ACTA illa, quæ in antiquis *Surij* editionibus *Tom.* 3. perlegebantur, in nouiſſima *Moſandri* expuncta fuiſſe. Cætera notanda apud ipſos Scriptores intueberis.

D. S. PELAGIVS Martyr Cordubenſis.] Illuſtris huius ſanctiſſimi Adoleſcentuli memoria Martyris fuit, ab eius agonis exordio, ita vt non ſolùm apud *Noſtros* paſſionis extolleretur conſtantia, ſed etiam & apud *exteros* tanti Agoniſtæ celebraretur victoria. Nec in hiſce tantum laudum acclamationibus, gloria extitit accidentalis, quinimo Officia pietas Catholica ex tunc S. Martyri Eccleſiaſtica coagulauit, ordinauit, & cecinit, Baſilicáſque per totius *Gallæciæ* circulos, ſuo dicatas nomini, Chriſtianâ religione conſtruxit. Eius Natalem hoc die *Vſuardus*, *Galeſinius*, *Maurolycus*, & cæteri recentiores appingunt; quibus conueniunt Romanum *Baronij*, Caſtellanum *P. Vazq.* Luſitanum *P. Lupi*, Hiſpanum MS. *P. Higuera*, & Italum *Conſtantij Felicis*. Eius quoque meminere Philipp. Ferrar. *in General. Catal. SS. fol.* 255. Vaſſ. *in Chron. Ann.* 296. Ambroſ. Moral. *Hiſtor. Hiſpan. lib.* 16. *c.* 5. Mariana *lib.* 7. *c.* 20. Brito *Monarch. Luſitan. tom.* 2. *lib.* 7. *c.* 19. Marieta *Hiſtor. SS. Hiſpan. lib.* 2. *c.* 77. D. Prudent. Sandoual. *Hiſtor. Tudenſ. fol.* 62. *& ſeq.* P. Martin. de Roa *Hiſtor. SS. Cordubenſ. fol.* 102. P. Truxill. *in Theſaur. Concionat. tom.* 2. *fol.* 1190. Et ferè omnes *Florum SS. Scriptores Hiſpan.* & *Breuiaria* Eccleſiarum illius. Eius ACTA primus ſcripſit RAGVELIS Presbyter *Cordubenſis* qui S. Martyri coætuus fuit, cuius opera nonnulla carmine ſcripta MS. habemus, quæ ſuo tempore dabimus Deo annuente.

Martyrologia.

Scriptores.

Digitized by Google

te. Poſt illum, eadem carmine cecinit ROSVITHA Virgo Sanctimonialis Benedictina *Gandeshemenſis, Gerberga Abbatiſſa*, quæ omnia à B. Martyre paſſa, à Conciue Cordubenſi in Germaniam, illo ſeculo aduentante, cognoſcens, pietatis zelo ſuccenſa, illuſtre Adoleſcentuli certamen deſcribere deſtinauit: quæ beneficio *R. P. Ioannis Bollando* S. I. Presbyteri, & mihi venerandi, ob eius inſignem eruditionem, & ob æquale in deſcribendis Sanctorum ACTIS penſum, MS. accepimus. Vtriuſque igitur RAGVELIS, & ROSVITHÆ ſubiicere compellimur; illius quia coæui, iſtius quia raræ.

ACTA S. PELAGII MARTYRIS
Cordubæ paſſi, ex Ragule Presbytero Cordubenſi.

Prafatio Auctoris.

ILLVSTRE *quidem cuiuſque operis tunc habetur exemplum, cùm eius narrationis textus, cæptum benè tenuerit initium. Quia ex hoc maximè ad laudem prolationis proficit ſubſequentis, ſi vltima haud diſcrepauerint primis: vt quæ fuit cæpti cauſa initij, ſit etiam ad complementum Operis peragendi. Et licet noſtra ſcriptio martyrium diſponere nititur fideliſſimi teſtis, ſui tamen primordijs non diſiungitur, vbi ſupplicium paratum extitit populis Chriſtianis. Vnde autem orandus eſt Dominus, vt loquendi nobis in laudem ſui præbeat initium, quòd conſummato opere, nullum penitus habeat diſtidium. Quo tandem ille foris reſonet in lingua, qui auctor erat intus in conſcientia.*

Belli motus contra Gallaciam.

IGITVR *temporibus illis, cum ſæniſſima orta fuiſſet tempeſtas Chriſtianis, contigit, vt totius* Hiſpaniæ *hoſtes, contra* Gallæciam *mouerentur, vt ſi fieri poſſet, funditùs eâ ſubuersâ, fideles omnes Dominatio poſſideret externa. Sed non deſtitit diuinum omnino auxilium, temeritatem reprimens, indebitè contra ſuos venientium. Ad quendam itaque locum, cùm prædicti hoſtes peruenissent, è contra Chriſtianorum exercitus occurrit, & ſibi inuicem vtrique obtarunt. Mos eſt autem Regis fidelium Chriſtianorum, vt ſua ſimul ſecum in expeditione Epiſcopos habeat. Conſerto itaque prælio, ita populus Dei in fugam conuerſus eſt, vt etiam Epiſcopi cum aliquantis fidelibus ipſi captini tenerentur. In quibus autem vnus nomine fuit* Hermoigius, *qui ferro vinctus,* Cordubæ *carcere manſit clauſus. Porrò quia diuinitùs varia ſunt iudicia, his, quos Omnipotens Deus ad regna vocat cælestia: feſſus iſte* Hermoigius *Epiſcopus carceris angustijs, ac ferri oneribus, obſidem pro ſe ſuum dedit ſobrinum, nomine* PELAGIVM, *eâ quoque ſpe retenta, vt ipſo abeunte, captiuos mitteret, quibus hunc ſobrinum redimere poſſet. Verùm ſolita diuinitus affuêre beneficia, quæ hunc* PELAGIVM *ita illuminarunt, vt carcerem haberet probationem, vel quotidianorum, ſine quibus humana fragilitas viuere non poteſt, caſuum limam. Vt eo etiam ſibi hoc ergaſtulum ad ablutionem induceret peccatorum, quo antea in propria poſitus patria cùm eſſet, quamuis puer, abſque illecebris vitam nequibat ducere incentiuorum. Quia vix homo in honore poſitus Deo placere poteſt, cùm ſibi quæ ſua ſunt, quiſque vult vendicare. Vnde Dominus dicit, viam eſſe arctam, quæ ducit ad vitam; latam verò & ſpatioſam, quæ ducit ad perditionem. Re verâ quantò facilius eſt ex proſperis ad ima dilabi, tantò vnicuique congruentius extat, ad ſublimia per aſpera, & confragoſa prouehi. Quinimo vnde morti ſimilis extat, inde Angelorum opportuniùs curiæ aſſociatur.*

Hermoigius Tudenſis Epiſcopus captus.

Pelagius obſes datur.

IGITVR *iſte Beatiſſimus* Pelagius *ſibi diuinitus hæc omnia inſpirata, iuxta quod eius narrant indicia, examinans, cautè in carcere viuebat, vbi fermè Decem annorum ætate incluſus fuerat: porrò qualem ibidem ſe gerebat, ſodales non tacent, & fama non ſilet. Erat enim caſtus, ſobrius, quietus, cautus, in orationibus vigil, lectioni aſſiduus, Dominicorum præceptorum non immemor, bonorum colloquiorum aſſitor, malorum expers, riſui non facilis. Quapropter ſolers erat in lectione, ac facilis in doctrina. Eadem quippè illius*

Sanctitatis in Pelagio rudimenta.

Digitized by Google

illius extabat conuerſatio, de illa nihilominus reſponſio, quà, eo reluctante, ſi quando fortè quinus diſſimilis fidei garrulus aderat, refutatus abibat, ſic præterea mente, vel corpore ſeruabat integritatem, vt putares eum non niſi futurum martyrium præmeditantem, vt pote cùm talia præberet indicia, quæ nullatenus cæleſtia amitterent gaudia. Quis verò talem indolem plauſibus non efferret, quam ſpecies foris pulcherrima paradiſigena prærogatiua iam decorauerat? Cui ſanè intus manebat inſtructor Chriſtus, qui foris erat formæ illuminator: quo ipſum etiam celebraret magiſtrum ſpecie vultus, qui mente haud dubiè dignum regebat alumnum. Purificabat quoque vas ſuum, dignum parans habitaculum, in quo poſt paululum, vt ſponſus lætaretur, & de quo facto laureatus cruore, ſibi, ſuiſque amplexibus, inter Sanctorum Curias, dignus honore famulus iungeretur. Vt bina tàm virginitatis, quàm paſſionis, vberiùs coronâ ditatus, duplicem ferret de hoſte triumphum; cùm & diuitias abhorreret, & vitijs non cederet. Ergo meritò duplum pertigit ad brauium, qui cum ſuis ſatellitibus hoſtem calcauerat tetrum. Manens vero S. PELAGIVS *promiſſionibus reſiſtendo fortis, ac vitijs ſanè non cedendo laudabilis: quantum interea ille antiquus hoſtis ſuis criſtatus nequitijs eum irretire, nunc apertè, nunc tacitè conabatur, tantum propriæ malitiæ calliditate ſub ipſius, Deo annuente, proſtrabatur pedibus infirmus.*

Specie decorus erat.

Virgo extitit.

Regi pulchritudo Martyris laudatur.

HIS *verò per Trium annorum, & ſemis circulum probabiliter geſtis, fortè quodam die Regij Tyronis cuiuſdam ſatellites affuere, qui huius beatiſſimi* PELAGII *venuſtiorem vultus pulchritudinem ſuo Domino eſſe nuntiarunt. Nec immeritò pulcher foris intuebatur, qui à Domino Ieſu-Chriſto intùs pulchrior diligebatur. Hoc pacto ſtulti homines, & veritatis neſcij, eius formam gurgitibus vitiorum putabant obruere, quam idem Dominus Noſter, inter Sanctorum Virginum choros ſuis à dextris pollicebatur ſtare. Non vtique intelligentes miſeri, ſe Domino non poſſe contraire, qui nec ſuum album, aut nigrum vnquam capillum poſſunt facere.*

Rex viſum Martyrem inhoneſtè amat.

QVÆ *interea fama Regis auribus innoteſcens, ei optimè, ſed non rectè placuit, cùm Dei famulus* PELAGIVS *in carceris etiam anguſtijs pulcher apparuit. Rex itaque inter epulas poſitus, apparitores miſit, qui futuram Chriſto hoſtiam ſuis ſiſterent conſpectibus intuendam. Sed quia Omnipotenti Deo poſſibilia manent cuncta, dicta factis complentur, & Dei famulum* PELAGIVM *præcipites ſatellites cum vinculis rapuêre, ita vt ſtridentes in Aula Regis, cum amputarentur, catenarum tumultus audirentur. Gaudentes itaque mente caci Regi offerre mortali, cuius iam ſibi Chriſtus animam nexu deſponſauerat inſeparabili, eum Regis conſpectibus trabeâ indutum Regali obtulerũt, Beatiſſimi auribus Pueri muſitantes, quòd ad tantum perduceretur honorem eius ſpecies. Ad quẽ illicò Rex inquit:* Puer grandis te honoris faſcibus ſublimabo, ſi Chriſtum negare, & noſtrum volueris Prophetam verum eſſe dicere. Nonne qualibus, quantiſue potiamur regnis vides? Inſuper addam tibi numeroſam auri, & argenti copiam, veſtes optimas, ornamenta pretioſa: Sumes præterea tibi, qualem ex hiſ tyrunculis elegeris, qui tuis ad votum moribus famuletur: ſed & chortes offeram ad habitandum, equos ad vtendum, delicias ad fruendum. Porrò & de carcere quantos petieris educam, & parentibus etiam tuis in hanc, ſi volueris, regionem aduocatis, immenſas dignitates conferam. *At vero Sanctus* PELAGIVS *vniuerſa deſpicens, ac ridenda eſſe intelligens, hæc ait:* Quæ demonſtras, ô Rex, nihil ſunt: & Chriſtum non negabo, Chriſtianus ſum, fui, & ero. Nam hæc omnia finem habent, & cum ſuis ſpatiis tranſeunt. Porrò Chriſtus, quem ego colo, neſcit habere finem: quia nec initium habet vllum. Ipſe namque eſt, qui cum Patre, & Spiritu Sancto, vnus permanet Deus, qui nos ex nihilo fecit, & vniuerſa, poteſtate continet.

Regis ad Martyrem verba.

Martyris Conſtantia.

Eiuſdem pudicitia.

INTEREA *cùm eum ioculariter Rex tangere vellet:* Tolle canis (*inquit* S. PELAGIVS) nunquid me ſimilem tuis effeminatum exiſtimas? *Et illico*

illico veſtimenta quibus indutus erat, ſcidit, & fortem in paleſtra ſe Athletam conſtituit, eligens dignè pro Chriſto mori, quàm turpiter cum Diabolo viuere, & vitijs inquinari. Ipſum verò adhuc ſuaderi poſſe Rex exiſtimans, ſuis præcepit tyronibus, vt eum ſuaſoribus delinirent lenocinijs, ſi forte apoſtatando, tantis adquieſceret regalibus pompis. Sed ille, adiuuante Domino, fortis ſtetit, & intrepidus permanſit, Chriſtianum ſe ſolummodo pradicans, eiuſque per ſecula præceptis obſecundare ſe dicens. Cuius feruentiſſimum Rex ſpiritum contrà perſiſtere videns, atque in ſuis ſe deſiderijs ſpretum eſſe intelligens: irâ ſtimulatus: Appendite (*inquit*) illum in forcipes ferreas, & ſtrictim tandiù ſurſum deorſum viciſſim leuantes deponite, quouſque aut animam exhalet, aut Chriſtum eſſe Dominum deneget. *Sed* Beatus PELAGIVS *forti animo pertranſiens, ſtabat intrepidus, qui adhuc pro Chriſto maiora pati penitus non recuſabat. Cuius cùm immobilem Rex conſtantiam videret, iuſſit eum membratim gladio ſcindi, & in flumen proyci. Quâ Miniſtri poteſtate acceptâ, per tàm immania in eum extero pugione ludibria debacchati ſunt, vt eos putares ſacrificia componere de eo, quem immolari, eis inſcijs in conſpectu D. N. Ieſu-Chriſti erat neceſſe. Et qui iam electus manebat in cœlis, adhuc duriter patiebatur in terris. Nam alius brachium radicitus amputauit, alius tibias diſſecauit, alius etiam ceruicem ferire non deſtitit. Interea ſtabat Martyr intrepidus, ex quo guttatim ſanguis diſtillabat, pro ſudore profluus. Nullum interim præter Dominum Ieſum-Chriſtum inuocans, pro quo pati non recuſabat, dicens:* Domine eripe me de manu inimicorum meorum. *Quem ſanè diuina poteſtas non deſeruit, faciens illum in pœnis Confeſſorem; ac ſub gladij mucrone glorioſum in cœlis Martyrem. Porrò manus, quas ille ad Deum leuabat, illi ſceleratiſſimi gladio amputabant. Inter quæ Beatiſſimus* PELAGIVS *feſſus anhelabat: & quia, qui hominum miſereretur non aderat, Dominum inuocabat. Clamabat quidèm Athleta fortiſſimus; ſed præſens certamini præerat Dominus:* Veni (*inquiens*) accipe coronam, quam tibi ab initio promiſi.

Crucia tur, & diſcerpitur.

Eius Oratio in tormentis.

INTER *hæc, ſpiritus migrauit ad Deum. Corpus verò proiectum eſt in fluminis alueum. Sed poſt hoc, nullatenus defuêre fideles, qui illud quærerent, atque ad ſepulchrum honorificè deferrent. Cuius quidem* CAPVT *cœmeterium tenet* S. Cypriani: CORPVS *verò cæſpes* S. Geneſij. *O verè dignum Deo martyrium, horâ Septimâ cœptum, veſpere autem eodem die conſummatum. Quis vnquam tale donum vllis compenſare valebit ſermonibus. Nam pro carceris ſqualore reddita eſt ei cœli gloria; pro anguſtijs temporalibus, meruit cœli munera; pro patria, quam reliquit, poſſidet Paradiſum, quem optauit. Dimiſit ſanè parentes, vel fratres, ſed nunc Angelos habet conſortes. Suſtinuit membris gladium, qui nunc Cœlorum obtinet regnum. O Beatiſſime Teſtis* PELAGI, *qui inter delicias, minaſque Chriſtum confiteris, ac blanditijs cedere nolis; eligens magis mori pro veritate, quàm viuere ſeculo, & carere iuſtitiâ. Et quem iam Chriſtus in ſorte habebat electorum, promiſſionibus noluit cedere perditorum. Vnde quæſumus, S. Martyr Eccleſiæ patrocinare, eámque foueto indefeſſe præſidijs, quam tibi famulari conſpicis votorum obſequelis. Quatenus te coram Deo habeat Patronum, quem* Gallæcia *oriundum, ſed martyrij ſanguine* Corduba *tenet glorioſum.*

Sepelitur.

Oratio ad S. Martyrem.

IGITVR *hic Beatiſſimus* PELAGIVS *ætate circiter* XIII. *& ſemis paſſus eſt annorum in* Cordubâ, *vt dictum eſt, ciuitate:* Habderraghman *Rege imperante:* Die *videlicet* Dominicâ, *horâ* Decimâ: VI. Kalend. Iulias: *Era* DCCCC. LXIII. *Præſtante Domino Noſtro Ieſu-Chriſto, qui viuit, & regnat cum Deo Patre, in vnitate Spiritus-Sancti, Vnus in Trinitate Deus, in ſecula ſeculorum, Amen.*

Martyrij dies, & annus.

HÆC ſunt RAGVELIS Presbyteri *Cordubenſis* ACTA de Noſtro hoc S. Martyre recenſita, quæ *Ambroſius Morales*, Regius olim Chronographus ex *Codice Gothico S. Petri Caridmenſis* Cœnobij extraxit, vt ipſe fatetur; & *D. Prudentius Sandoualius* item Regis Hiſtoricus ex *Legendario* peruetuſto *S. E. Tudenſis* exſcripſit, vt ipſe teſtatur

Qui huius hiſtoriæ meminerint.

Digitized by Google

teſtatur. Eorum Notationes qui videre deſiderat. *Tom. IV. Hiſpan. Illuſtrat. fol.* 350. adeat, vbi ad amuſſim. Nunc illa, quæ ROSVITHA delibauit, ſubiiciemus.

PASSIO S. PELAGII MARTYRIS Cordubenſis, abs Roſuitha Abbatiſſa Gerbergenſi, & Sanctimoniali Gandeshemenſi ſcripta.

PRÆFATIO.

INclyte Pelagi Martyr fortiſſime Chriſti,
Et benè regnantis miles per ſecula Regis,
Reſpice ROSVITAM *miti pietate miſellam,*
Me tibi ſubiectam deuotâ mente famellam.
Qua te mente colo, carmen quoque pectore promo,
Et fac exiguo, ſupero de rore rigari
Pectoris obſcurum iam mi clementius antrum,
Quo poſſim laudum condignè mira tuarum,
Famosúmque tuum calamo ſignare triumphum,
Et quem nobiliter mundum cum morte cruentum
Viciſti, nitidam mercatus ſanguine palmam.
PARTIBVS *Occiduis fulſit clarum decus Orbis,*
Vrbs Auguſta, nouâ Martis feritate, ſuperba,
Quam ſatis Hiſpani *cultam tenuêre coloni,*
CORDVBA *famoſo locuples de nomine dicta:*
Inclyta delicijs, rebus quoque ſplendida cunctis,
Maximè ſeptenis Sophiæ repleta fluentis,
Necnon perpetuis ſemper præclara triumphis.
Olim, quæ Chriſto fuerat benè ſubdita iuſto,
Fudit & albatos Domino Baptiſmate natos:
Bellica ſed ſubitò virtus benè condita iura
Mutauit ſacra fidei ſpargendo nefandi
Dogmatis errorem, populum læſítque fidelem.
Perfida nam Saracenorum gens indomitorum
Vrbis Marte petit duros huiuſce Colonos.
Eripuit regni ſortem, ſibi vim quoque clari,
Extinxítque bonum Regem Baptiſmate lotum,
Qui pridem meritò geſſit regalia ſceptra:
Et Ciues iuſtis domuit quot tempora frænis
Hoſtili ferro certè quo iam ſuperato
Ac reliquo victo tantâ de cæde popello
Ductor Barbaricæ gentis, ſtructor quoque pugnæ,
Vir ſat peruerſus, vitâ, ritúque profanus,

Corduba laudes.

Vindicat

Digitized by Goog

Vindicat imperij ſortem ſibi denique tanti,
Collocat & ſocios populato rure nefandos,
Implens mœrentem non paucis hoſtibus vrbem:
Polluit & veterem puræ fidei genitricem
Barbarico ritu, quod nam, miſerabile dictu,
Paganos iuſtis intermiſcendo colonis,
Quo ſibi ſuaderent patrios diſſoluere mores,
Déque profanato ſecum ſordere ſacello.
Agmen ſed tenerum Chriſto Paſtore regendum,
Iuſſum peruerſi renuit mox triſte Tyranni,
Dicens malle mori, legem quoque morte tueri,
Viuere quàm ſtultè ſacris famulando nouellis.
Quo Rex comperto, non abſque ſui fore damno
Senſit, ſi cunctis pariter prædiuitis vrbis,
Quam crebrò validæ cœpit luctamine pugnæ,
Ciuibus excidium mortis conferret amarum,
Ob quod decretum priùs immutando ſtatutum,
Sanxit mox legem vulgato dogmate talem:
Vt quiſquis Regi mallet ſeruire perenni,
Et patrûm mores olim ſeruare fideles,
Hæc faceret licitò, nullâ pòſt vindice pœnâ:
Hac ſolùm cautè ſeruatâ conditione,
Ne quis præfatæ ciuis præſumeret vrbis
Vltra blasfemare Dijs auro fabricatis,
Quos Princeps coleret, ſceptrum quicunque teneret;
Seu caput exacto citius ſubiungere ferro,
Et ſententiolam lati perferre ſupremam.
His ita digeſtis, ſimulatâ pace quieuit,
Obruta mille malis toties vrbs nempe fidelis,
Sed ſi quos ignis Chriſti ſuccendit amoris,
Martyriique ſatis ſuaſit corrumpere dictis
Marmora, quæ Princeps comptus diademate ſupplex
Corpore proſtrato veneratur thure Sabæo;
Hos capitis ſubitò damnauit denique pœna:
Sed Superos animæ petierunt ſanguine lotæ.
Caſibus his plures voluebat Corduba Soles,
Subdita per longum paganis Regibus æuum:
Donec ſub noſtris quidam de germine Regis
Temporibus, regnum ſuſcepit fortè Parentum,
Deterior patribus, luxu carnis maculatus,
Abdharamen dictus, regni ſplendore ſuperbus;

Quinam Chriſticolis faciebat more parentis
Librans arbitrium fidei ſupra memoratum,
Nec ſatis iniuſtum ſoluit pietate decretum
Auctor quòd ſceleris, populator perfidus vrbis
Sanxit, dum Regem ſuperaret Marte fidelem.
Sed voluens animo, ſeruans quoque corde profundo,
Sapiùs innocuo madefecit ſanguine rura,
Corpora iuſtorum conſumens ſancta Virorum
Qui Chriſto laudes ardebant pangere dulces,
Ipſius & ſtultos verbis reprehendere Diuos:
Inſuper & tanto faſtu ſe iactat in Aula
Sacrilegus, meritas cumulans ſibi denique pœnas,
Vt Regem Regum ſemet fore crederet ipſum,
Eius & imperio gentes omnes dare colla,
Vllum nec tantâ populum feritate refertum,
Qui tentare ſuas auderet Marte cateruas.
Cùm tumuit faſtu licitò iactantius iſto,
Audijt inde locis gentem praſtare remotis,
Gallicià *regione ſitam, bellóque ſuperbam*
Chriſti cultricem, ſimulachrorúmque rebellem,
Quæ ſua continuò tentaret ſpernere iura,
Velle negans dominis olim fore ſubdita prauis.
Quo Rex comperto, feruebat dæmonis irâ,
Corde gerens veterem ſerpentis denique bilem,
Voluebátque diu flammato dedecus æſtu,
Quid faceret tantis, animo tractans, inimicis.
Tandem nempe dolo cunctis iam fortè retecto,
Affatur proceres prædiuitis vrbis heriles,
Talia peſtifero latrando verbula roſtro:
Non latet imperio Reges ſuccumbere noſtro,
Viuere noſtrarum necnon moderamine legum,
Omnes Occeanus gentes quas circuit altus:
Sed quæ *Gallicios* retinet fiducia captos
Neſcio, gratiolæ renuunt vt fœdera noſtræ,
Et tandem veteris ſint ingrati pietatis.
Reſtat vt armatis repetamus quippè lacertis
Gallicios hoſtes, agitando fortè rebelles;
Donec ex noſtris ſtrati per ſecula telis,
Et victi noſtris ſubmittant colla catenis.
Hæc poſtquam iactat, cauſámque doli memorabat,
Iuſſit collectis vulgus concurrere turmis,

Armorum

Armorum varijs inſtructum denique ſignis,
Pergeret, vt gentem ſecum delere fidelem:
Oſtentátque ſuum gemmatâ caßide vultum,
Ferrea laſciuis imponens tegmina membris.
Tali cúmque locum peteret pompâ memoratum,
Et gentem primo tentaret denique bello,
Extemplò tantum ſortitur namque triumphum,
Vt iam biſſenos vnà cum Principe captos
Illaqueat Comites, arctis ſtringítque catenis.
His Procerum damnis magnâ feritate paratis
Ceßit victa ſuis fidißima gens inimicis,
Subditur atque iugo peruerſi Regis iniquo.
Tunc reſtaurato rurſus quoque fœdere primo,
Loris procedunt vincti Comites Duodeni,
Cum captiuo victi iam Rectore popelli.
Qui citiùs vinclis diſſoluuntur reſolutis,
Exempti propriæ pretio gazæ numeroſo:
Sed Ducis eſt pretium iußu Regis duplicatum,
Vltráque quàm proprijs poßit perſoluere gazis.
Cúmque ſui cauſa Regi deferret auaro
Quæ quidem habere domi ſibimet ſueuit pretioſi;
Caſu condicti paruum quid defuit auri,
Quod Rex ſentiſcens, fraudem quoque mente reuoluens,
Dixit nolle Ducem populo dimittere dulcem,
Ni priùs indictum plenè ſoluat ſibi cenſum.
Non ſitiens tantùm pretij quod defuit aurum,
Quantum Rectorem populi geſtit dare morti,
Qui fuerat natus præclari germinis vnus.
Omni pranitidâ compoſtus corpore formâ
Nomen PELAGIVS, *formæ ſplendore decorus,* *S. Martyris laudes, & elogium.*
Conſilio prudens, totâ bonitate refulgens
Qui vix tranſactis iam tunc puerilibus annis
Attigit ætatis primos flores iuuenilis.
Cúmque ſat immitem patrui ſciret fore Regem
Tali mœrentem blanditur voce Parentem:
O mi chare pater, mea ſuſcipe verba libenter,
Et quæ commoneo ſenſu bene percipe prompto.
Calleo namque tuam ſenio decreſcere vitam,
Viribus & propriis neruos penitus vacuatos,
Nec te poſſe quidem lenis quid ferre laboris:
Aſt ego ſed validis dominabor quippè lacertis,

Ad tempúſque potens dominis ſuccumbere duris,
Quapropter moneo, precibus blandíſque rogabo,
Vt Regi natum me deponas tibi charum,
Donec ſufficias pretium perſoluere totum;
Ne tua canities vinclis intercidat arctis.
Et ſenior contrà dicebat voce ſeuerâ:
Deſine tanta loquī, dulciſſime, deſine, fili,
Nec mœrore meos ducas in Tartara canos.
Nonne ſalute tuâ pendet tantum mea vita?
Et ſine te ſpatium valeo piè viuere nullum.
Tu decus omne meum, tu gloria magna parentum,
Et quoque ſubiecti nobis ſpes ſola popelli:
Quapropter Patriam præſtat me linquere charam,
Necnon Hiſpaniam vinctum penetrare ſuperbam,
Quàm te grandæuæ vinclis ſpem tradere vitæ.
Non tulit ergo patrem PELAGIVS *iſta ſequentem,*
Sed mulcet dictis mentem chari genitoris,
Et cogit blandis quod ſuaſit vélle loquelis.
Conſenſit tandem precibus Genitor venerandus,
Tradidit & Natum ſemet redimendo miſelium.
Tunc Rex PELAGIVM *iußit perducere ſecum,*
Et lætus rediit patriam, victórque reuiſit.
Nullus pro meritis credat factum fore Regis
Hoc, quòd tam pulchra vincebat denique pompa,
Sed magis indicio ſecreto Iudicis æqui,
Vt populus tanto correptus ritè flagello
Fleret totius proprij commiſſa reatus.
Vel quòd PELAGIVS *Chriſti pro lege necandus*
Fortè locum peteret, quo ſe morti dare poſſet,
Necnon ſanguineum pro Chriſto fundere riuum,
Impendens animam Domino benè morte piatam.
Poſtquam Rex vrbem tetigit ſæuus locupletem,
Portans præclarum victâ de gente triumphum;
Ilicet egregium Chriſti præcepit amicum,
Carceris in tenebras vinctum ſubmergere nigras,
Deliciiſque, cibo nutritum paſcere paruo.

Cordubenſis carcer deſcribitur.

Corduba *namque locum ſeruat ſub fornice tetrum,*
Oblitum lucis, conſignatúmque tenebris,
Maxima qui miſeris fertur fore cauſa doloris.
Illic PELAGIVS *præpollens pacis alumnus*
Clauditur, imperio Regis cogente nefandi.

Illic

Digitized by Google

Illic ergo viri venêrunt ſedulò primi,
Mulcendo mentem iuuenis, causâ pietatis,
Qui cum vidiſſent vultum capiti pretioſum,
Necnon prædulcis guſtaſſent ipſius oris
Verbula, Rhetoricæ circumlita melle loquelæ,
Optabant ſpeciem vinclis abſoluere talem.
Hæc & ſuaſerunt Regi iam ſceptra tenenti
Ipſum felicis certè ſummum caput vrbis
Corruptum vitijs cognoſcebant ſodomitis,
Formoſos facie iuuenes ardenter amare.
Has & amicitiæ propriæ coniungere velle
Huius namquè rei memores animo miſeranti
Causâ PELAGII *ſuaſerunt talia Regi:*
Non decet ergo tuum princeps fortiſſime ſceptrum,
Duriter vt Puerum mandes punire decorum,
Obſidis & teneros inſontis ſtringere neruos.
Eius prænitidam velles ſi cernere formam,
Et tàm mellitam ſaltem guſtare loquelam,
Quàm cuperes Iuuenem tibimet coniungere talem,
Gradum militiæ necnon aſſumere primæ!
Corpore candidulo tibi quo ſeruiret in Aula.
His Rex mollitus dictis, hac voce coactus,
Iuſſit PELAGIVM *nodis euellere duris,* *Martyr ad Regem defertur.*
Omnéque lauacro corpus detergere puro,
Lætáque purpureo circundare tegmine membra,
Collum gemmatis necnon ornare metallis,
Quo benè conſtructâ poſſet fore miles in Aulâ.
Cæſaris imperio tunc hæc vrgente ſuperbo,
Extemplò nigris Martyr producitur antris,
Siſtitur atque togâ Regali comptus in Aula.
Cúmque Palatinis medius foret ille locatus,
Vincebat ſocios vultus ſplendore togatos:
In quem conuerſis omnes mirantur ocellis,
Tùm faciem Iuuenis, tùm dulcia verba loquentis:
Aſpectu primo quoque Rex ſuſpenſus in illo
Ardebat formam Regalis ſtirpis amandam:
Tandem PELAGIVM *nimium mandauit amandum,*
In ſolio Regni ſecum iam fortè locari,
Ignis vt ipſius fieret ſibi ſedulò iunctus,
Frontéque ſubmiſſâ libauerat oſcula charo,
Affectus causâ complectens vtpotè colla.

Non patitur talem Chriſti nam miles amorem
Regis pagani, luxu carnis maculati,
Aurem Regalis ludens, ſed contulit ori
Magno ridiculo diuertens ore negata,
Fatus, & egregio dicebat talia roſtro:

Martyr ad Regem.

Non decet ergo Virum Chriſti baptiſmate lotum
Sobria barbarico complexu ſubdere colla;
Sed nec Chriſticolam ſacrato chriſmate tinctum
Dæmonis oſcillum ſpurci captare famelli.
Ergo corde viros licito complectere ſtultos,
Qui tecum fatuos placant ſub cæſpite Diuos
Sintque tibi ſocij ſerui qui ſunt ſimulacri.
Sed Rex è contra, nullâ commotior irâ,
Molliter ephebum dicens mulcebat amandum:

Rex ad Martyrem.

O laſciue puer iactas te poſſe licenter
Spernere tam mitem noſtri iuris pietatem,
Audactérque Diis toties illudere noſtris;
Nec monet ætatis præſens damnum iuuenilis,
Et quàm mœrentes orbabis fortè parentes;
Noſtri blaſphemos vrget cultus cruciandos
Subdere vos morti, veſtros iugulóſque forari,
Ni cedant, & blaſphemam reſpuant rationem.
Hortatu moneo quapropter quippè paterno,
Talibus vt verbis parcas ſæuæ rationis,
Et mecum ſtabilem comportes mentis amorem,
Nec tentes noſtrum poſt hæc offendere iuſſum,
Magno ſed ſtudio ſerues mea dicta ſequenda.
Te quia corde colo, nec non venerarier opto,
Tanto præ cunctis Aulæ ſplendere Miniſtris,
Alter vt in regno ſis, me præſtante, ſuperbo.
Hac ait, & dextrâ compreſſit Martyris ora,
Aſtrictúmque lauâ complectens colla ſacrata,
Quo ſic oſcillum ſaltem configeret vnum,
Callida ſed caci confudit ludicra Regis,
Oſque petit ſubitò pugno Regale vibrato,
Intulit & tantum pronis obtutibus ictum,
Sanguis vt abſque morâ ſtillans de vulnere facto,
Barbam fædauit, necnon veſtes madefecit.
Tunc Rex non modicam triſtis conuerſus in iram,
Iuſſit PELAGIVM *cœleſtis Regis alumnum,*

Cruciari iuſſu.

Funda murali iactum trans mœnia proci

Crebrò

Crebrò bellantes ſaxis quæ perfodit hoſtes,
Nobilis vt Teſtis fluuij colliſus arenis
Vrbem qui vaſtâ propius circumfluit vndâ,
Membratim creperet raptim fractúſque periret.
Talia iactanti, parebant fortè Miniſtri,
Mox & inauditam ſtruxerunt denique pœnam,
Fundâ PELAGIVM *iacientes martyrizandum,*
Vrbis famoſæ trans maxima mœnia longè.
Sed licèt ingentes obſtantes vndique rupes
Arctarent Teſtis corpus prædulce cadentis.
Attamen illæſus Chriſti permanſit amicus.
Certè Regales citiùs peruenit ad aures
Martyris alliſi corpus non poſſe ſecari,
Infigi ſcopulis ripæ quod iußit acutis.
Hic magis offenſus, penitus fuerat quia victus,
Mox caput extracto iußit ſuccidere ferro,
Et ſententiolam ſic exercere ſupremam.
Denique Lictores Regalia iuſſa trementes
Mox Chriſti teſtem gladio ſecuêre fidelem,
Corpus & extinctum lymphis demergere credunt.
Iam Miles Regis, proſtratâ morte, perennis
Victor ſtelligeri volitat per ſydera cœli, *Coronatur.*
Cœlitus Angelicis deductus ſuauiter hymnis,
Iudicis & veri cœli ſuper aſtra locati
E dextrâ nitidam ſuſcepit congruè palmam,
Pro nece martyrij, laudando fine, peracti:
Sed nec feruentis brauio fraudatur amoris,
Quo ſemet vinclis pro vitâ denique patris
Impendit, patriam linquens, gentémque ſubactam,
Tandem nulla pijs potis eſt depromere verbis
Lingula, laureolam cœleſti luce coruſcam,
Quâbenè ſeruatâ fulget præ virginitate,
Adiunctus turmis, cœleſti ſede receptus,
Agno cantemus modulando perenniter, Amen.
Poſtquam Lictores Regis decreta ſequentes
Corporis exuuias extincti ſat generoſas
Lympharum gremio credunt, in ſaxáque figunt,
Vt ſacri tumulo cineres eſſent ſine digno;
Chriſtus, qui proprios patitur non perdere ſanctos,
Præclari modicum capitis vel fortè capillum,
Non tulit in lympha teſtem remanere fidelem:

Illi ſed dignum prouidit rite locellum,
Qui Sancti tumulo ſeruaret membra ſacrata.
Nam piſcatores lymphas remis reſecantes,
Fluctiuagóſque greges varijs laqueis capientes,
Littoris extremâ viderunt Corpus in orâ
Inter grandiſonas agitari Martyris vndas.
Eminus hoc cautis cernentes nempe pupillis,
Illuc vela dabant, citiùs Corpúſque leuabant:
Piſcatores Corpus inueniunt.
Nec iam perſonæ noſcunt formam veneranda,
Illita purpureo quia ſanguine membra fuerunt,
Et caput egregium iacuit procul amne reuulſum.
Sed tamen hoc ſapiunt, prompto quoque pectore, credunt
Quòd hic quiſquis erat Chriſti pro lege cadebat;
Illic hi ſoli quia damnantur capitali
Pœnâ, qui ſacrâ tincti baptiſmatis vndâ,
Non metuunt crebrò Regis reprehendere ſacra.
Cúmque caput nanciſcentes, collóque locantes,
PELAGII *faciem cognouerunt rutilantem,*
Rumpunt in tales miſeranti pectore voces:
Heu iacet exanimis propriæ ſpes vnica gentis,
Atque decus patriæ, tumuli ſine ſordet honore:
Nonne ſatis multis ſcimus nos vendere ſiclis
Semper Sanctorum corpuſcula paſſa Virorum,
Quos capitis cædes monſtrauerat eſſe fideles;
Et quis laudandi dubitet Corpus fore teſtis,
Quod trunci miſerè Capitis iacet abſque decore?
Hæc vbi dicta dabant, naui pia membra locarûnt,
Cordubam reportant.
Et citius verſis remigabant denique velis
Famoſæ cunctis ad portam gentibus vrbis.
Hic quoque ſubductâ iam proceſſêre carinâ,
Et clam Cœnobium Chriſto petiêre ſacratum,
Intra non modicos Vrbis venerabile muros
Portantes, pretio vendendum denique magno,
Extincti Teſtis Corpus venerabile terris;
Quod gaudens hymnis ſuſcepit turba fidelis
Suauibus, exequias celebrans de more ſacratas;
Largiter & pretium nautis tribuit ſuper auctum,
Ardeſcens Sancti mercari Corpus amandi.
Quo nam mercato pretij non munere pauco,
Eligitur tellus membris locuples retinendis,
Tumulatur.
In qua ſupremâ buſto pompâ reparato,

Gleba

Digitized by Google

Glebæ ſub cumulo conduntur fragmina ſacra:
Quæ mox ſtelligeræ Regnator Maximus Aulæ
In tumulo ſignis iußit fulgere coruſcis;
In cœlis animâ ſatis vt regnante beatâ,
Æquâ gloriolâ regnarent mortua membra.
Denique collectus cernens ex vrbe popellus Miracula.
Non pauco varijs obſeſſos tempore morbis
Mundatis illic fœdis putredine membris,
Saluari gratis, nullâ mercede ſalutis,
Nec rudem meriti Sanctum titubat fore tanti
Illius, vt causâ fierent miracula tanta.
Tandem Cœnobij Princeps, Rectórque popelli
Optima conſilij tractans medicamina ſani,
Senſit Celſithronum deuotâ mente precandum,
Quo iam dignanter ſolitâ pietate, patenter
Detegeret, dubio cauſæ ſecreta remoto,
Quod mox perſonæ ſexus optant vtriuſque
Parcius atque tribus ſociatæ ſponte diebus;
Dulcibus inſtabant hymnis, precibus quoque ſacris.
His certè votis deuotâ mente peractis.
Mitem mollitum Regem ſensêre Polorum Caput in ignem mittitur.
Eſſe ſuis precibus, ſtudioſo murmure, fuſis,
Necnon iudicio dubiæ pronum fore cauſæ,
Et citò fornacem cogunt feruere minacem
Ignibus appoſitis, toto conamine ſtructis.
Dúmque focus gremio fureret fornacis in amplo,
Mox Caput abſciſſum Chriſti ſumpsêre famelli,
Talia blandiloquis palpantes verbula linguis:
Rex pie ſydereæ Dominator nobilis Aulæ,
Omnia iudicio qui ſcis diſcernere iuſto
Illius meritum Sancti fac igne probari,
Et ſi ſit tantæ fultus bonitatis honore,
Eius vt ex meritis fierent hæc dona ſalutis,
Frontis pelliculam facito non tangere flammam.
Verticis illæſos omnes quoque redde capillos.
Sin verò meriti conſtet fortaſſe minoris,
Manda pro ſigno ſaltem lædi cute ſummâ,
Iuxta naturam fragilis carnis perituram.
Talia dicentes clarum Caput igne probandum
Credunt flammiuomis ſaltem ſurgentibus vndis
Et tandem plenæ ſpatium poſt vnius horæ,

Hoc ipſum rapidis extollunt denique flammis,
Luſtrantes oculis damnum ferrétne caloris:
Quod iam ſplendidius puro radiauerat auro
Expers tum fumi penitus tantíque caloris.
Hinc ſurſum verſis laudauit turba fidelis
Vultibus altithronum modulanti carmine Chriſtum;
Qui toties tantis fecit ſplendeſcere ſignis
Fragmina conſtantis pro ſeſe mortua Teſtis.
Hæc Mauſolæo dignè condens venerando,
Digno plebs certè ſupplex veneratur honore,
Fine tenus meritò vulgo bene credula noti,
Cælitus atque dati ſemper gauiſa Patroni.

Extrahitur illæſum.

Epiſcopus Pelagij patruus, nõ pater.

Hæc ſunt ACTA provt illa ſcripſit carmine ROSVITHA, rubiginem ſanè illius ævi redolente, hactenus à nemine ex Noſtratibus edita, licèt à pluribus allegata. In illis illud de *Epiſcopo Patre*, & de ſtirpe *Regia*, à *Roſuitha* prolatum, penitus corruit, cùm Noſtris ſeſe opponat Hiſtoriis.

Caput igne examinatur.

QVATENVS in hiſce ACTIS dicitur, quod *Rector Monaſterij* cum cæterâ turbâ fidelium igne probare conſtituit, an CAPVT illud S. Martyris eſſet: quâ factâ præcedentibus orationibus experientiâ, illæſum extractum è flammis fuiſſe narratur; penitus à Noſtrorum Scriptorum codicibus excideratita vt nullus tanti miraculi recenſeret examen; quod nouiter *Cordubenſibus*, & *Gallæcis* ad Dei laudem lætabundi proferimus.

Ex Tyde oriundus.

CIRCA originem S. PELAGII, nullus vnquam dubitauit, eam è *Gallæcia* populis traxiſſe; licèt cuius vrbis, prorſus ignoretur. Pro TVDENSI contendit D. Prudent. Sandoual. ipſius Epiſcopus, *Hiſtor. Tudenſ. fol.* 85. vbi aliquot rationes non contemnendas proponit, quibus & adhæret, nonnullis additis, R. P. F. Philippus de la Gandara *Hiſtor. Gallæc. 2. p. lib. 4. c. 21.* quam adhuc MS. prælo ſubiicere parat. Quorum ſententiis lubens ſubſcribo.

Sociam habuit in carcere B. Eugeniam Martyrem.

INSVPER illud etiam ACTIS addendum eſt, quòd ſanctiſſimus Martyr ſociam habuit in carcere B. EVGENIAM *Cordubenſem* Martyrem, de qua plura *Luitprandus*, & Nos ſupra *Tom. 2. Die XXVI. Martij fol.* 411. Vbi ex Blaſij Toletani Antiſtitis Elegia, ibidem recenſitâ *fol.* 413. hanc in ergaſtulo Sanctorum Martyrum ſocietatem probauimus; cuius carmina, quæ huc ſpectant, auſculta..

Eugeniam *ſequeris* PELAGI *fortiſſime Martyr,*
Moribus & ſimiles eſtis, & igne pares.
Efferus Abderamen Almanſor *credidit ambos*
Perdere, vtrumque tamen morte ſub aſtra rapit.
Vos eadem fortaſſe grauat cuſtodia vinctos
Compede, tum vinclis, tum pietate pares.
Quos ibi ſermones ſeritis de morte ferenda,
Pro pietate ſemel, proquè pudore ſimul?
Eugenia, *ô* PELAGI *tibi ſit noua cauſa coronæ,*
Illa necem patiens, te docet eſſe Virum.
Poſt eius teſtare fidem veſtigia conſtans
Illa tuo capiti ſerta nec vlla locat.
Gaudetis ſuper Aſtra duo de morte ſubacta,

Nomine

Digitized by Google

Nomine velletis plura tuliſſe Dei.
Vos Roſa, vos decorant candentia Lilia teſtes,
Hinc rubor, hinc candor tempora veſtra tegit.
In terris patria haud ſimilis, tamen vna duobus
Patria communis Regia celſa Dei.
Gaudete ô pugiles, memores eſtote clientum,
Quos dubia exercet pugna, grauátque metus,
Præſentes igitur populis pugnantibus eſte;
Si nos aſpicitis vincimus, & fruimur.
Si vincemus, erit palmæ pars maxima veſtræ,
Gloria noſtra ſimul, gloria veſtra & erit.

Qualis agonis annus?

QVATENVS ad *Diem, Menſem*, & *Annum* Martyrij, omnes ex RAGVELE Presbytero *Cordubenſi* fuiſſe VI. Kal. Iulij. Era DCCCC. LXIII. ſcilicet Anno Domini DCCCC. XXV. vt notauit Ambroſ. Moral. in *Not. ad Act. fol.* 350. Quam etiam computationem antea obſeruauerat Luitprand. in *Aduerſ. n.* 44. agens de S. Eugenia, hac ſerie: *Obyt ſanctiſſima Virgo, & Martyr* Eugenia VII. Kal. April. *Feriá IV. Hebdomadæ dicta in Paſſione, quam poſt* DVOS ANNOS *aſſequitur ſanctiſſimus* PELAGIVS, *vt creditur natione* Gallæcus, *qui ducem, & magiſtram habuit ad martyrium, ſanctiſſimam Eugeniam*; Era DCCCC. LXIII. Sic legendum; nam hic de martyrio PELAGII non de *Eugenie*; cuius fuit Erâ DCCCC. LXI. Anno videlicet DCCCC. XXIII. Quibus additis DVOBVS proculdubio DCCC. XXV. Annus PELAGII agonis erit. Quâ auctoritate *Ambroſij* emendatio firma remanet.

Cultus S. Martyri exhibitus

QVOAD cultum S. PELAGIO exhibitum breui poſt eius agonem, multa congerit Sandoual. *vbi ſupr. fol.* 36. vbi veteſtiſſimum Officium *S. E. Tudenſis* profert, & literaliter ſcribit, & exſcribit, cuius ecphraſim omittimus, ne prolixitatis vitio damnemur; tantùm *Hymni* eiuſdem relatione contenti, vt antiquorum fidelium *Hiſpaniæ* pietatem demireris.

PRO S. PELAGIO MARTYRE
Hymnus, ex Officio S. E. Tudenſis.

IMmenſe cœli conditor
Hæc precum vota ſupplicum
Clementer iam reſpicias
Idémque ſemper permanes.
Hæc plebs alumna Patronum
Canit ſibi præcipuum,
Tuum teſtem PELAGIVM
Regnum æternum qui meruit.
Qui in ætate paruulus,
Infeſtum hoſtem proterit,
Caduca temnendo regna
Peruenit ad cœleſtia.
Quem ſeculi blanditiæ,
Nec gladij ferocitas,
Inlicere præualuit,
Vt te negaret Dominum,
Aurum nam ſibi reſpuit
Collatum à Tyrannico,
Fugacéſque ſimul epulas,
Pomposáſque diuitias.
Adgreſſus namque Principem
Chriſtum laudare non deſiit,
Pro quo nec mori timuit,
Nec decollari metuit.
Nam ille cœlo animum
Cum terreretur dirigens,
Paratas ſidi aureas
Calcauit vectes fortiter.

Hic

Digitized by Google

Hic te omnis Eccleſia
Immenſa poſcit Trinitas
Quòd Martyris ſuffragio,
Omni reſiſtat vitio.
En Sancte Martyr audiens
PELAGI *preces ſuſcipe*
Tudenſium fidelium,
Deferquè vota ſingulis.
Per te miſer auxilium,
Suum egenus caſpitem,
Simulque plebs Catholica
Cœli petat præſidia.
Ut ortus qui è Gallæciâ,
Paſſúſque ſiſtis Cordubæ
Pro nobis Chriſtum ſupplica,
Supernis frui gaudijs.

Quæ verò ACTA ad ſuam Tranſlationem ſpectant, infra *Tom. 6. Die IV. Kalend. Decembris* dabimus, vt plenè S. Martyris anamneſin ſubiiciamus.

E. S. HERMOIGIVS *Epiſcopus Tudenſis.*] Hunc fuiſſe Patruum *S. Pelagij* Martyris *Cordubenſis* teſtantur P. Truxillo in *Theſaur. Concionat.* Ambroſius Moral. *Hiſt. Hiſpan. Tom. 3. lib. 16. c. 28. fol.* 130. Sandoual. *Hiſtor. Tudenſ. fol.* 56. Eius natalem h. d. appingit Philipp. Ferrar. in *Catal. General. SS. fol.* 163. Eiúſque donationem P. Anton. Yepius in *Chron. Benedict. Appendic. fol.* 435. *Is igitur* (inquit Sandoualius) *S. Epiſcopus* HERMOIGIVS *poſtquam de Carcere Cordubenſi liber euaſit, Pralaturæ Tudenſi renuntiauit, & ad Monaſterium S. Stephani* Ripa-Silenſe *ſecedens*, S. Franquillæ *Abbati adhæſit, vbi per aliquot temporis Monaſticam vitam egit, vnà cum* S. Rodeſindo *cui charus erat. Sed conſtructo ad* Limiam *Cœnobio* S. Chriſtophoro *dicato, protinus acceptis aliquot fratribus, qui eius inſequi veſtigia voluêre, relicto* S. Stephani *Cœnobio, ad proprium* S. Chriſtophori, *ſuis expenſis conditum, & etiam* Silenſe *nuncupatum, acceſſit. Ibidem itaque vitam mirabilem texuit, donec plenus dierum, & bonorum operum obdormiuit in Domino. Cuius* CORPVS *adhuc in illo viſitur Monaſterio, in Oratorio eiuſdem Eccleſiæ B. Virgini-Matri dicato, ad cuius ſarcophagum plurimi deuotionis causâ Populi olim congregabantur, & adhuc apud illos ſimilis pietas in eorum cordibus perſeuerat.* Huc vſque *D. Prudentius de Sandoual.* Qui de conſtructione Monaſterij *S. Chriſtophori* à Præſule HERMOIGIO fidem facit, ex Diplomate Regis *Ordonij* II. *& Geloiræ* Reginæ, expedito *Kalend. Septembr.* Era DCCCC.LIII. Anno ſcilicet Chriſti DCCCC.XV. Hæc ſunt, quæ de hoc S. Viro potuimus eruere. Cætera Deus ſcit.

Scriptores.

Quid de S. Viri Vita proditur.

Vbi corpus.

Monaſterium S. Chriſtophori.

QVINTO KAL. IVLII.

DIES XXVII.

A. Cordubæ *in Hiſpania* SS. ZOILI *& XIX. Martyrum Natalis, qui in perſecutione Diocletiani Imperatoris, pro Chriſti fide comprehenſi ad gloriam certaminis, ad triumphum agonis, & ad præmium Martyrij fœliciter peruenerunt.*

B. *Apud* Calatiam *in Campania Depoſitio Sancti* FERDINANDI *Epiſcopi* Calatini, *qui natione* Hiſpanus, *miram apud omnes virtutum, & ſanctitudinis famam reliquit: Cuius Corpus ibidem in Baſilica ſuo nomini dicatâ honorificè conditur.*

NOTÆ.

Digitized by Google

NOTÆ.

SANCTI ZOILVS *& Socij Martyres Cordubenſes.*] Ferè in omnibus ſeculis horum SS. Martyrum floruit memoria, ita vt poſt eorum paſſionem vix inuenietur Scriptor, qui eorum non meminerit. Ex Martyrologiis, vetuſtum Romanum à *Ruſvveydo* editum, & à *Baronio* deſideratum, *Bedæ*, *Vſuardi*, *Adonis*, *Notkeri*, *Rabani*, *Galeſinij*, *Peregrinis*, *Bellini*, *Flori*, *& Maurolyci*. Item Romanum *Baronij*, Caſtellanum *P. Vazq.* Luſitanum *P. Lupi*, & Hiſpanum MS. *P. Higuera*, necnon & Italum *Conſtantij Felicis*; quibus adde Equilinum in *Catalog. SS. lib. 6. cap. 16.* Prudentium Noſtrum *in Hymn. SS. XVIII. Martyr. Cæſarauguſt. verſ. 4. 15. 19. 20. 24. 26. & 29.* quibus Hymnus *Breuiarij* Muzarabum conflatus agnoſcitur. Ex Scriptoribus recentioribus P. Truxillo in *Theſaur. Concionat. Tom. 2. fol. 1191.* Lucius Marinæus Sicul. *de Reb. Hiſpan. lib. 5.* à quo Sur. *Tom. 3.* ex editione *Moſandri*; & in Antiqua *Tom. 7.* Ambroſ. Moral. *Hiſtor. Hiſpan. lib. 10. cap. 15.* Ferdinand. Perez de Guzm. *in Valer. Hiſtoriar. lib. 3. tit. 3. cap. 5.* Vaſſ. *in Chron. Ann. 300.* P. Ioann. Mariet. *Hiſtor. SS. Hiſpan. lib. 2. cap. 21.* D. Franciſc. Padilla *Hiſtor. Eccleſ. Hiſpan. Tom. 1. Cent. 4. cap. 20.* D. Laurent. Padilla *de SS. Hiſpan. fol. 10.* Henrric. Coccus *in Hiſpan. Heroic. verſ. 134.* & in *Chron. Hiſpan. ſecul. 4.* Ioann. Mariana *Hiſtor. Hiſpan. lib. 4. cap. 14.* P. Yepes *in Chron. Benedict. Tom. 6. Centur. 6. Ann. 1047. cap. 1. fol. 73.* P. Martin. de Roa *Hiſtor. SS. Cordubenſ. fol. 111.* & in *Principat. Cordubenſ. & Antiquitat. SS. Cordubenſ. c. 1. fol. 32.* P. Biuar. *in Not. ad Flau. Dextr. Ann. 300. num. 5. Comment. 4. fol. 354.* Ex Legendariis, & Breuiariis Hiſpaniæ peruetuſtis, ferè omnia, nullo penitus dempto. Ex Florum SS. Scriptoribus, *Sanctorus*, *Vega*, *Maldonado*, *Villegas*, *Haræus*, *& Ribadeneyra*. ACTA ex antiquo *Legendario Hiſpalenſi* dabimus, conlata cum alio *Segobienſi MS.* in membrana, & aliis.

A. *Martyrologia.* *Scriptores.* *Breuiaria.*

ACTA SS. ZOILI, ET XIX. SOCIORVM Martyrum Cordubenſium; ex MS. Legendario Segobienſi, & edito alio Hiſpalenſi.

ZOILVS *igitur* Cordubæ *Ciuitatis ex præclaris parentibus originem ducens, in flore iuuentutis cùm glorioſiùs educaretur, lapſum humanæ conditionis in futurum præcauens, ſanctæ conuerſationis tàm viriliter cæpit rutilare conſtantia, vt totius regionis Viros approbatos, eius ſanctimonia tranſcendere videretur. Cùm verò Tyrannorum rabies in Chriſtianos perſequentium acriùs deſæuiret, in ſupradicta Ciuitate, quaſi lilium inter ſpinas ſuaue redolens* B. ZOILVS *repertus eſt, qui nullâ ſpe fruendi ſeculi delectans, martyrio coronari ſitibundo pectore, conſtanter deſiderabat. De ſuperſtitione Chriſtianitatis apud crudelem Iudicem accuſatus; hunc ſibi primitus maluit præſentari, credens ſi illum torqueret, cuius inſignia Nobilitatis latére non poterant, facilius ad ſacrificia minores inclinaret. Quem cùm vidiſſet:* Hactenus (*inquit*) frater chariſſime, prauo conſilio infantiæ tuæ primordia corrupta ſunt, quod ætati tuæ imbecilliori parcendum eſt, ita vt deinceps Imperatorum leges ſanctas infirmare non præſumas, ne tui generis nobilitas per te detrimentum patiatur. Nam ſi noſtris adquieſces conſiliis, digno ſtipatus honore, pretioſus in palatio poteris reſidere. Nónne Deorum cultura noſtros beauit Maiores, quibus etiam elementa ſubſiſtunt? Chriſtiani autem, neſcio quem Chriſtum colentes, multis attriti miſeriis, alij patibulo ſunt affecti; alij ligati ſtipitibus & ſagittis vulnerati, alij lapidibus obruti, alij carceribus mancipati,

Origo. *Virtus.* *Accuſatur.*

Digitized by Google

alij diuerſis tormentorum generibus trucidati ſunt, quia Deorum culturam irritam fecerunt. Et credimus quia per ignorantiam erraſti; quare ſatisfactionem tuam clementiùs ſuſcipiendam decreuimus. Non enim eſt dignum, vt flos tuæ nobilitatis, velut cuiuſdam vilis, & ignoti hominis exterminetur. *Cui Spiritu-ſancti plenus dogmate* B. ZOILVS *reſpondit:* Diù tibi præbui ſilentium, tuas auſcultans blanditias; nunc verò quia fides monet, prudentiæ tuæ reſpondere me iubeas. Quid mirum ſi fideles ab infidelibus tormenta pertulerunt, cùm aut mundi Redemptorem ignorantes damnare non timuerunt? Nam vt legitur, *ſi cognouiſſent Dominum gratiæ, non crucifixiſſent.* Hoc idem ſuis iturus ad paſſionem Diſcipulis Dominus dixit: *Si me perſecuti ſunt, & vos perſequentur.* Vnde memores Apoſtoli cùm perſequerentur, ibant gaudentes à conſpectu concilij, quoniam digni habiti ſunt pro nomine IESV contumelias pati. Sic Martyres ludibria, & verbera experti, inſuper & vincula, & carceres, lapidati ſunt, tentati ſunt, in occiſione gladij mortui ſunt. Hi exempti ſunt de terra, & lauerunt ſtolas ſuas in ſanguine agni. Qui verò verbis blaſphemis, & idolorum cultoribus pro huius vitæ fragili deſiderio aſſentiunt, ſpem futuræ beatitudinis irrecuperabiliter amittunt; Apoſtolo teſtante, qui ait: *Si in hac vita tantùm ſperantes ſumus, miſerabiliores omnibus ſumus. Ad hæc ſæuus Tyrannus reſpondit:* Vobis neſcio cuius Chriſti ſectam tenentibus, non verbis, ſed tormentis reſpondendum eſt, quia ita ſeducti eſtis, quod vobiſmetipſis miſereri non vultis. Elige ergo quod tibi ſanius ſenſeris, aut honorificè nobiſcum viuere, ſi Diis ſempiternis ſacrificaueris; aut inhoneſtè cum reprobis, ſi regias fœdaueris dignitates, diuerſis tormentis mori. *Cui tale reſponſum ſanctus reddidit Heros:* Quantò corpus meum in tua modò infirma poteſtate corrumpis, tantò gloria mea, tua tormenta non pauefcens, ſublimiùs creſcit. Dominus nobis in Euangelio præcepit, dicens: *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere; ſed potius eum timete, qui poteſt animam, & corpus perdere in gehennam.* Noſtra tormenta breui terminanda ſunt: veſtra autem vbi tempora incipient, ſine fine durare, nemo eſt fidelis qui neſciat. *Tunc Præſes iubet illum flagellis affici in omni tormentorum genere, ita vt cùm plus torqueretur, plus Chriſtum confiteretur. Cúmque nec ſic ſe proficere videret, & vt à bono S. Martyrem poſſet reuocare propoſito, amaricato felle commotus, vibratis in eum oculis, ſtridens dentibus, furibundus, laxatis habenis, totis viribus in eius tormentis debacchatur. Tunc ſatellitibus, qui in B. Martyris ſemper Deum laudantis excidium præoccupati properabant, permiſit, vt aliquod inexcogitati doloris tormentum aduerſum Martyrem experirentur. Tunc quidam in extremo dorſi, caſâ portâ, renès illius, & ilia crudelis tortor extraxit, & nihilominus adhuc viuus Martyr in Dei laudibus perſeuerauit intrepidus. Denique ſe victum ſentiens Præſes, iam omnibus allatis pœnis, cùm quid ei faceret amplius excogitare non poſſet, irâ incenſus, euaginato gladio ſanctiſſimum Martyrem decollauit. Cui, & alios* XIX. *Chriſticolas, quos etiam dira ergaſtuli catena vinctos inſuper retinebat, abſciſſis ceruicibus, aſſociauit.* V. Kalend. Iulij, *Anno Domini* CCC. *O ſumma Iuuenis conſtantia, qui dum vinci putaretur, fide protectus bellicoſos viros inermis ſuperauit! O omni laude dignißimum Virum, qui adhuc in primæuo iuuentutis flore migrauit ad Dominum, per quem pro minimis maxima, pro terrenis cælestia, pro caducis æterna ſe adepturum non neſciuit!* S. ZOILI *igitur, & aliorum Martyrum* Corpora *in cœmeterio præfatæ Ciuitatis, cum peregrinorum corporibus ſunt ſepulta, ne aliquando à Chriſtianis cognoſcerentur, & dignâ veneratione colerentur.*

Conſtantia.

Datur electio Martyri.

Cruciatur.

Renes extrahuntur.

Coronatur.

Corpora ſepeliuntur.

Cuius

Cuius B. ZOILI *pignora, longo tempore vbinam ſepulta fuêre, latuerunt: donec Chriſto donante, cum pax Eccleſiæ data eſſet, temporibus Regis* Siſebuti, *quidam Vir nobilis de Gothorum propagine clarus*, Agapius *nomine, ex laico vitam appetens Monachi, ſic ad ſummum Sacerdotium electus eſt. Et quoniam pro amore Chriſti ſeculum dimiſerat, non diſtulit illum fraudare bonis ſuis. Cùm itaque Corpus ſuum venerabilis Epiſcopus ieiunijs maceratum in ſtramine reclinaret, per quietem noctis ei* B. ZOILVS *apparuit, eíque quo nomine vocaretur aperuit, & pro cuius amore capite plexus eſſet, edixit, oſtendítque locum, in quo Corpus eius iaceret, iubens, vt ex illo extraheret, & in ſublimiorem reponeret. Qui mane facto, congregatis fratribus, & vulgi multitudine, quæ viderat indicauit, atque cum omnibus Chriſtianis, ad oſtenſum ſibi locum ſine mora perrexit. Ad quem perueniens, raſtrum manu arripiens, tamdiu effodere cæpit, quouſque Corpus Beatiſſimi Martyris, ſicut à paganis fuerat abſconditum, Deo iuuante, peruenit. Quo quidem inuento, gaudio magno repleti ſunt omnes. Præfatus denique Epiſcopus, præ amoris magnitudine, cùm Corpus* B. ZOILI *oſculis demulceret, atque indignum ſe iudicans, vt manibus ſuis tanti Martyris tangeret Reliquias, ſubitò, oſculando crebriùs, caruit primorum dentium adiutorio. Quos ab oris officio, vt minutos eſſe conſpexit, in ſarcophago vbi Martyris Corpus humatum fuerat, proiecit. Ergo ſacrum B. Martyris Corpus in lectícâ compoſitum in* S. Felicis *Martyris Baſilicam delatum, ibidem tunc temporis requieuit, donec Sanctiſſimus Agapius aliam pulchriorem, & ampliorem in poſterum extruxit, & ſacras exuuias, vnà cum* S. Felicis *honorificè conlocauit, Sanctíque* ZOILI *nomini dedicauit. Quæ poſtmodum, ſtante Arabum imperio, plurimorum extitit ſepultura Martyrum Chriſti, qui illos in cœlis coronauit, & cum Patre, & S. Spiritu in ſecula viuit.*

Agapius Epiſcopus Cordubenſis.

Illi apparet S. Martyr.

Corporis Inuentio.

Tranſlatio.

Baſilica.

HACTENVS ex relatis *Legendarijs* ACTA hucvſque à nemine Latinorum Scriptorum edita. In eorum ecphraſi aliqua illuſtranda veniunt. Et Primum circa NOMEN, quod ab aliquibus ZOELLVS, præſertim apud Prudent. *Noſtr. in Hymn. de SS. Martyrib. Caſarauguſtan.* vbi hocce vocabulo reperitur, nominatur. Nam vt inquiunt Ambroſ. Moral. *d. lib.* 10. *c.* 15. & Padill. *d. Cent.* 4. *c.* 20. Catholicus Poëta ob carminis proſodiam nomenclaturam Martyris immutauit, cum re verâ illi ZOILVS in ſcripturis antiquiſſimis vbique nomen exiſtat. *Quare Zoellus à Prudentio dictus.*

SECVNDVM, toto, vt aiunt, cœlo aberrant, qui Noſtrum *Cordubenſem* Martyrem *Presbyteratus* titulo decorarunt, vt inquiunt iidem *Morales*, & *Padilla*: quia illo ſeculo nullus ad hunc ordinem aſcendebat, niſi ætate maturâ, quod & etymon nominis manifeſtat, num Græcè πρέσβυς, τος, Latinè *Senex* vertitur: & cùm ex ACTIS conſtet ZOILVM paſſionis tempore fuiſſe iuuenem, immeritò *Presbyteri* titulo cumulatur. *Non fuit Presbyter.*

TERTIVM, licèt in ACTIS per aliquod longi temporis ſpatium lipſana delituiſſe referatur, hoc ſilentium nequaquam nomen Martyris, ſed Corporis ſitum obliterauit, vt perperam credidit *Biuarius*. Nam ex *Prudentio* Noſtro liquet, qualis ſuo æuo memoria Martyris fuiſſet, cùm ipſe hocce carmen de ipſius gloria referret: *Pignora lõgo tempore ignota.*

Corduba *Aciſclum dabit, & ZOELLVM.*

Sed & in vetuſtiſſimo Muzarabum *Breuiario* ſacrum Nomen Martyris repetitur, & in *Hymnis*, & in *Orationibus*. Hymnum auſculta: *Sed nõ cultu ignotus.*

IN FESTO S. ZOILI MARTYRIS, Hymnus.

MArtyris geſta ZOILIque corona
Obuiam Chriſto properanter ibit:
Ciuitas quoque pretioſa portans
Dona victoris.

Digitized by Google

Hoc colunt ciues velut ipſa membra
Ceſſpes includat ſuus, & paterno
Seruet amplectens tumulo, Beati
Martyris oſſa.
Noſter, & noſtra Puer in palaſtra
Arte virtutum, fideiquè oliuo
Vnctus, horrendum didicit domáre
Viribus hoſtem.
Martyrum nulli, remanente vitâ
Contigit terris habitare noſtris:
Solus tu morti propriæ ſuperſtes
Viuis in Orbe.
Solus occurrens, vitamque ſine
Reatu, virtutum Domino paraſti;
Solus prædiues pietate, multâ
Luce frueris.
Patriam credas, Martyris coronis
Debitam ſacris, Chorus vnde ſurgens
Tendit in cœlum, niuea togatus
Nobilitatis.
Inde ZOILE *tua palma nata eſt,*
Clerus hinc tantum peperit triumphum:
Hic Sacerdotum infulata domus
Celebrat votum.
Gloria ſummo celebret Parenti,
Gloria Chriſto, Spirituique ſancto,
Prædicet trinum piâ voce nomen
Omne per æuum.

Alius ex Roa Hymnus. Sed & apud R. P. Martinum de Roa in *Antiquitat. Officij S. E. Cordubenſis fol.* 49. alius S. Martyri *Hymnus* reperitur, fortè ab ipſo Religioſiſſimo Viro conſcriptus, cuius ſeriem hîc ſubiicere decreuimus, ne temporum obliuione depereat.

IN B. ZOILVM MARTYREM, Hymnus.

SAlue decus Hiſpaniæ
ZOILE Martyr nobilis,
Nobilitatis candidæ
Exemplar admirabile.
Crudelitas quæ intrepida
Præcépſque quondam fuerat,
Perterrefacta militis
Vultúque grandi & animo.
Aduerſus horrens congredi,
Aduerſus illum corripit,
Et tremebunda gladium
Dorſo recondens diſſecat
Hiant aperta viſcera,
Amore Chriſti feruida,
Atque in reuulſis renibus
Dant ſigna continentiæ.

QVARTVM,

QVARTVM, Circa ſacrorum pignorum *Inuentionem* tempore Gothorum ab AGAPIO Epiſcopo *Cordubenſi* factam, audi *Vſuardum* h. d. ita dicentem: *Cordubæ S. ZOILI Martyris cum alijs XIX. Cuius CORPVS cùm longo tempore latuiſſet, vbi nam ſepultum fuerit, venerabili Epiſcopo eiuſdem loci, nomine AGAPIO ex diuinâ reuelatione manifeſtatum eſt.* Cui conueniunt *Marineus Siculus*, qui tempore *Siſebuti Gothorum Regis* hanc *Inuentionem* appingit; Ambroſ. Morales *d. c.* 15. & Padilla *d. c.* 20. Roa *d. fol.* 113. contendunt, fuiſſe factam tempore *Reccaredi* glorioſiſſimi Gothorum Regis Catholici. Quorum opinioni adhæreo: Tùm quia nullus hoc nomine Epiſcopus *Cordubenſis* reperitur, niſi tempore *Reccaredi*, vt patet ex Conciliis III. Toletano, & Hiſpalenſi I. Tùm quia vt ex ACTIS conſtat, hanc *Inuentionem* peractam fuiſſe, *cùm pax Eccleſiæ data fuiſſet*, quod tempore *Reccaredi* ad Annum D. LXXXIX. euenit; & *Siſebutus* regnare cœpit Anno DC. XII. vt inquit Luitprand. *in Chron. num.* 12. à quo non diſſentit *Iſidorus*, vt refert P. Biuar. *in Not. ad Maxim. in Chron. Ann.* 603. *num* 3. *fol.* 709. §. 12. Et licèt tempore *Siſebuti* Era DC. LVII. hoc eſt Anno Chriſti DC. XIX. in Concilio II. Hiſpalenſi, *cap.* 7. mentio ſit de AGAPIO *Cordubenſi* Epiſcopo, illud non refertur tanquam de Epiſcopo viuente, ſed emortuo, vt patet ex Concilij verbis, hac ſerie: *Septimo examine relatum eſt nobis, venerandiſſimum quondam* AGAPIVM Cordubenſis *vrbis Epiſcopum frequenter Presbyteros deſtinaſſe.* &c. vbi verbum *Quondam* de præterito intelligendum eſt. Ita idem *Moral. d. c.* 15.

Corporis inuentio à quo facta.

Quo Rege imperante?

QVINTVM, quatenus ad *Baſilicam* à venerabili AGAPIO Epiſcopo extructam, & Sancti ZOILI Martyris nomini, in antiqua *Sancti Felicis* Martyris, dedicatam; teſtes ſunt ferè omnes ſuperiùs citati Scriptores: pro omnibus *Ambroſ. Moral.* his verbis Latinitate donatis: *Sacrum* Corpus *honore debito in Baſilicam tunc exiguam, ab antiquis temporibus* Cordubæ *extructam*, & Sancto Felici *Martyri dicatam tranſtulerunt: quâ poſtmodùm* AGAPIVS *Epiſcopus mirificum* Templum, *cum* S. ZOILI *aduocatione, conſtruxit.* Conſentiunt Padilla, & Roa, *locis ſuprà citatis.*

Conſtruit S. Martyri Templum Agapius.

SEXTVM, quòd hæc Baſilica Saracenorum adhuc tempore apud *Cordubam* extitiſſet, ibidémque quamplurima SS. Martyrum corpora in Arabica perſecutione occiſorum, ſepelirentur, patet ex *Sancti Eulogij* Doctoris, & Martyris relatione, præcipuè in *Memor. SS. lib.* 2. *cap.* 11. agens de SS. Chriſtophoro, & Leouigildo Martyribus: *Quorum corpora* (inquit) *ſuppoſitis aduſta incendijs, antequam penitus vrerentur, fidelium curâ erepta, apud Baſilicam* S. ZOILI *ſepulta ſunt.* Et eod. *lib.* 2. *cap.* 6. agens de Paulo Diacono Cordubenſi, aſſerit quòd ille Diaconus: *Apud Baſilicam, quæ Corporis Beati Martyris* ZOILI *præſentiâ illuſtratur, ſpiritualibus enutritus eſt diſciplinis.* Hinc colligitur, quòd in hacce Baſilica, illo ſeculo literarum ſtudia, & ſtudentium ſcholæ permanerent, vt & datur intelligi ex verbis Aluari Cordubenſis in *Vit. S. Eulog. num.* 3. vbi hæc clauſula: *Eccleſiæ miniſterio* (Eulogius) *mancipatur, in S. ac Beatiſſimi* ZOILI *æde deſeruiens, & in eiuſdem collegio Clericorum vitam deducens.* Idem Aluarus *num.* 28. ipſius etiam meminit Baſilicæ, ſic: *Eulogius nocturnas vigilias, adpetens, & in Baſilicam* S. ZOILI *terratenus proſtratus orans, noctes inſomnes ducebat.* Et poſtmodùm de eodem S. Doctore agens *num.* 32. proſequitur: *Cuius Beatiſſimi Caput alio die curioſitas Chriſtianorum redemit: Corporis verò Reliquias tertio die collegit, & ſub vmbra Beatiſſimi Martyris* ZOILI *tumulauit.* De quo etiam Templo *B. Samſon Abbas* pluribus diſſerit.

Quod fuit poſtmodum ſepultura Martyrũ.

Et literariũ Collegium.

De *Tranſlatione* verò Secundâ *Cordubâ Carrionem* tempore *Ferdinandi Gomezij* iſtius Oppidi Comitis ad Annum M. XLIV. infrà dicemus.

Tranſlatio II. Cordubà Carrionem.

S. FERDINANDVS *Epiſcopus* Calatinus *in Campania Confeſſor.*] Hucvſque nulla erat apud Noſtrates huius Sancti Antiſtitis memoria; donec illam repetere curauit Philippus Ferrar. *in Catalog. General. SS. h. d. fol.* 264. hoc elogio: *Apud* CALATIAM *in Campania* S. FERDINANDI *Epiſcopi.* Qui vt de eo copioſiorem redderet rationem, in *Notula fol.* 265. proſequitur: *Fuit natione* Hiſpanus, *Epiſcopus Calatinus: extat Eccleſia illi dicata apud Vulturnum fluuium.*

B.

Scriptores.

Digitized by Google

De eo etiam *D. Paulus de Tarſia*, Vir omnibus numeris eruditiſſimus, mihíque amicitiâ deuinctus, de *Nundin. lib. 2. c. 6.* Opus ſanè ſummâ eruditione refertum, quod & ego Ordinarij iuſſione recenſui, probauíque. Denique Sancti Confeſſoris Acta ſcripsêre *F. Mauricius Siculus* ex ordine Minimorum, & *Octauianus Melchiori* Calatinus, Italo idiomate, quæ nondum aſſecuti ſumus, licèt inſtanter ea expeteremus. Illa breuiſſima ex Philippo Ferrar. in *Catal. SS. Ital. fol.* 392. ſubiicimus.

ACTA S. FERDINANDI EPISCOPI CALATINI, *Confeſſoris; ex Philippo Ferrario.*

Origo. FERDINANDVS *natione* Hiſpanus, *vt nomen ipſum teſtatur, cùm in Italiam veniſſet, ac in Campaniæ vrbem* Calatiam *ſe recepiſſet, eam doctrinæ & ſanctitatis laudem eſt aſſecutus, vt mortuo Epiſcopo* Calatino, *illi ſubrogatus fuerit.* *Epiſcopus.* *Multis clarus miraculis apud Albinianum Calatinæ diœceſis oppidum obdormiuit* V. Kalend. Iul. *ibíque honorificè conditum eſt.* *Moritur.* *Vbi etiam ob eius ſuper agrotis ſigna virtutum, venerationem habet. Extat illi Eccleſia Campeſtris dicata apud Oppidum prædictum, quæ inter* Calatiam, *&* Aliphas *occurrit.* *Miracula.*

Calatia quæ hodie. Hactenus *Ferrarius* ex Monumentis Eccleſiæ *Albinianenſis*; vbi quo ſeculo vixerit, hactenus haud ſcire potuiſſe, fatetur. *Calatiámque* hodie CAYAZZA dici in Campaniæ circulo ſcribit.

QVARTO KAL. IVLII.

DIES XXVIII.

A. ALEXANDRIÆ *in perſecutione Seueri,* SS. Q. SERENI, *&* M. SERENI *ex* Samone Gallæciæ *in Hiſpania oriundi, necnon* SS. QVINCTIÆ MARCELLÆ, *& eius filiæ* POTAMIENÆ *ex* Putealienſi Baſtetaniæ *vrbe in Hiſpania ortarum, cum ſocijs, qui omnes pro fidei confeſſione cruciati, ad martyrij coronam deuenêre.*

B. ARBVCARÆ *in Celtiberia Hiſpaniæ Tarraconenſis,* S. PAPII, *qui ſub Daciano Præſide pro fide tentus, flagris cæſus, & in lebetem oleo, & adipe feruenti plenum iectus, & alia perpeſſus tormenta, tandem ceruicibus abſciſſis martyrium impleuit.*

C. ELOSATII *in Vaſconia* S. LVPERCVLI *ex vrbe* Cæſarauguſtâ *in Hiſpania orti, qui à pueritiâ eremum incoluit, vbi multos in ſuum contubernium Diſcipulos attraxit, donec à Daciano Præſide comprehenſus, per*

varia

Digitized by Google

varia ſuppliciorum certamina ad æterna felicitatis portum, martyrio præcedente, deuenit.

D. CORDVBÆ *in Batica Hiſpaniæ* S. ARGIMIRI *Monachi* Egabrienſis, *qui in Arabica perſecutione pro Chriſti nomine excarnificatus, cruciatus, & enecatus, ad Præmium Martyr euolauit æternum.*

NOTÆ.

SANCTI Q. & M. SERENI, & QVINCTIA MARCELLA, & POTAMIENA *cum ſocijs Martyribus.*] Hos omnes Diuos in vnum coniunxêre *Beda, Vſuardus, Ado, Galeſinius, Maurolycus,* & cæteri Recentiores, à quibus Martyrolog. Roman. *Baronij*, Caſtellanum *P. Vazq.* Luſitanum *P. Lupi*, Hiſpanum *MS. P. Higuera*, & Italum *Conſtantij Felicis.* Eorum etiam meminêre Euſeb. Cæſar. *Hiſt. Eccleſ. lib. 6. c. 4.* Nicephor. Calixt. *Hiſtor. Eccleſ. lib. 5. c. 4. & 5.* à quibus ACTA Surius *Tom. 3.* compaginauit, necnon Petr. de Natalib. *in Catalog. SS. l. 6. c. 21.* Baron. in *Annal. Eccleſ. Tom. 2. Anno 205. n. 4. & 7. & 8. cum ſeqq.* De Origine *Q. & M Sereni*, Luitprand. in *Aduerſ. num. 177. &* Nos ſupra *Tom. 1. Die XVI. Februar. fol. 144.* & *Die XIX. fol. 183.* vbi SERENORVM Genealogiam ex *Auli Hali* Epigrammate, videndi. De *Quinctiæ Marcellæ*, & *Potamienæ* filiæ *Hiſpanâ* etiam origine, videndus quoque Luitprand. *in Aduerſar. n. 37.* Sanctorum ACTA additis originibus, quæ ibidem exciderant, ex *Euſebio* dabimus. A. *Martyrologia.* *Scriptores.*

ACTA SS. Q. ET M. SERENI SAMONENSIVM, QVINCTIÆ MARCELLÆ, *&* POTAMIENÆ *filiæ Putealienſium in Hiſpania, apud Alexandriam Martyrum, cum ſocijs.*

Q. & M. SERENI *ex* Semone Gallæciæ *in* Hiſpania *vetuſtiſſimâ vrbe progeniti, patrem habuerunt* Q. Serenum, *profeſſione Medicum, & fide Chriſtianum, qui Gordiani Præceptor fuit, & à Caracalla pro Chriſti confeſſione in Balneo crudeliter occiſus. Ij igitur dum* Alexandriam *ad* Origenem *aduentaſſent, eiúſque doctrinam Catholicam ebiberent, adueniente Seueri Imperatoris perſecutione, in Origenis Diſcipulos inprimis ſæuitum, ita vt ex illis vix vnus abſque martyrij laureâ diſcederet. Hinc* Q. SERENVS *poſt Plutarchum, ſecundus ex Origenis diſcipulis Martyr fuit, cuius in Chriſtum fides, quam animo ebiberat, ignis incendio ſatis explorata eſt. Poſtmodùm ex eodem ludo* M. SERENVS *ſuperioris frater, poſt Heraclidem, & Heronem, quintus in arenam deſcendit Athleta, qui pro pietatis defenſione, quam ſuſceperat, pleno ore laudatur, cui poſt ingentem tormentorum perpeſſionem, fama eſt, caput cernicibus abſciſſum eſſe.* *Origo Serenorum.* *Alexandria ad Origenē pergunt.* *Coronãtur.*

QVIBVS *ſic per martyrium ſublatis, Baſilides quidam ex Satellitibus coram Aquila Præſide Sanctiſſimam Matronam* QVINCTIAM MARCELLAM *nomine, qui primò nupſerat* M. Aurelio Decimo, *Præfecto Legionis Septimæ, Geminæ, Piæ, Felicis Ciuis* Putealienſis *in* Baſtetaniâ Hiſpaniæ, *ex quo* POTAMIENAM *filiam ſuſceperat, cum ipſiſſima nata vinctam adtraxit; quas, cum Chriſti nomen in corde & ore infixum cerneret, illico per varia tormentorum genera dilacerare diſpoſuit. Sed ad filiam virginem, in qua præter* *Quinctiæ Marcellæ, & Potamienæ origo.*

Potamiena venuſtas.

animi virtutes, eximia praterea & integra corporis pulchritudo, cum mira venuſtate elucebat, iracundiæ fulmina tonans, illam ſic exercuit, vt poſtquam graues vniuerſo illius corpori plagas inflixiſſet, tandem ad corporis ignominiam, & contumeliam, libidinoſiſſimis gladiatoribus ſe illam traditurum minitauit. Sed cum Virgo in fide perſiſteret, ſententiâ latâ, Baſilides eam acceptam ad locum ſupplicij deduxit. Quo in itinere cùm nonnulli ex gentilibus ei moleſtiam faceſſere, verborum petulantiâ, conarentur, ſatelles eos qui contumeliam ei faciebant, repulſos coërcuit, & maximam clementiam, ſummámque humanitatem in eam declarauit. Virgo verò ſanctiſſima hominem pro illius erga ſe commiſeratione vehementiùs amplexata, bono animo eſſe hortatur; nam ait ſe, ſimul ac abiret è vitâ, à Domino ſuo veniam, & gratiam pro eo eſflagitaturam, & non diù pòſt, eius in ſe merita, iuſta remuneratione compenſaturam. Hæc cùm dixiſſet, pice feruenti, per varia, & diuerſa corporis membra, ab imis pedibus, vſque ad capitis verticem ſenſim, ac pedetentim diffuſa, generoſo, & excelſo animo, vnà cum matre MARCELLA ignis incendijs abſumpta, migrauit è vita. Quæ poſt triduum apparens Baſilidi ſatelliti, ei coronam capiti appoſuit, dixítque ſe pro eo gratiam à Domino poſtulaſſe, poſtulatam obtinuiſſe; ideò ſe ad Martyrium accingeret. Quo facto Baſilides conuerſus præclarâ martyrij coronâ donatus eſt. Omnium horum paſſiones ad IV. Kalend. Iulij *Anno* CC. V. *Eccleſiæ Tabulæ reponunt; imperante Seuero.*

Baſilidis ſatellitis humanitas.

Coronantur Mater, & filia.

Coronatur Baſilides ſatelles.

Genealogia horum Serenorum.

Hucuſque ACTA ab *Euſebio*, & *Nicephoro* recenſita. QVATENVS ad originem *Samonenſem* ex *Gallæcia* Hiſpaniæ, audi Luitprand. *d. n.* 177. Genealogiam eorum deducentem, *ex Q. Sereno auo, Ciue* Samonenſi: *Deceſſit Q. Serenus* SAMONE *in* Gallæcia *cum opinione ſanctitatis Anno* CLXV. *relicto filio adoleſcentulo, qui fuit egregius Medicus, & virtutis ac religionis amantiſſimus. Dies ſenioris* Q. Sereni *dicitur fuiſſe* XIV. Kal. Martij, *illo Anno. Medici duo filij*, Q. *&* M. SERENI *paſſi ſub Seuero*, Alexandriæ. *Hanc* etiam Genealogiam deſcripſit *Aulus Halus* meus, cuius Epigramma dedimus *d. Tom.* 1. *Die XIX. Februar. fol.* 183. quod & hic repetere, circa hoc, minimè grauabor.

Plurimis en vrbem ditauit vbere Romam
Samonicis *glebâ, Sanctis* Ibera *domus.*
Primitias Quintus *Roma dedit arte* Serenus,
Mirabili quondam, cum fuit vrbis honos.
Is alium Quintum *genuit, qui* Medicus, *illum*
Caracalla fecit balneis occidere.
Is alium QVINTVM, *&* MARCVM *tenuitque* SERENOS:
Alexandrinus *Martyr vterque fuit.*

Origo S. Potamienæ, & matris probatur.

His ſic probatis, venio ad QVINCTIAM MARCELLAM, & POTAMIENAM filiam, quas ex *Puteali* vrbe *Hiſpaniæ* originem duxiſſe notauimus in Actis. Huius aſſertionis debitum Luitprand. in *Aduerſ. n.* 37. his verbis ſoluat: S. POTAMIENA *Ciuis* Putealienſis *in* Baſtetaniâ, *filia M. Aurelij Decimi, Præfecti Legionis Septimæ, Geminæ, Piæ, Felicis, &* S. QVINCTIÆ MARCELLÆ *ſoror Cæciliæ Quinctiæ, quæ nupſit Druſo Valerio Caliano Valentiniano: & iſti fuerunt parentes M. Aurelij Valentiniani Præſidis Prouinciæ Hiſpaniæ Citerioris. Conſtant hæc ex Inſcriptionibus.* Quod ſi ita eſt, bene probata exiſtit origo. Licet Iulian. in *Aduerſ. n.* 359. *&* 360. aliam aſſignet.

SED nunc hunc locum *Luitprandi* illuſtrare non abs re erit, ſi Inſcriptiones, quarum meminit, reponamus. Et quia primus occurrit *M. Aurelius Decimus*, Pater S. Virginis, & S. MARCELLÆ coniux, ideo primò eius Inſcriptionem, quam Gruther *fol. LVII. n.* 7. exſcripſit, ſubiiciemus.

MATRI

MATRI CAMPESTRI SAC.
PRO. SAL.
IMP. M. AVREL. COMMODI.
AVG. ET. EQVIT. SING.
M. AVREL. DECIMVS.
7. LEG. VII. G. FELICIS.
PRÆF. SIMVL. ET.
CAMP. DEDIC. K. MART.
MAMERT. ET RVFO. COSS.

M. Aurelij Decimi Inscriptio.

Hanc & apud *Tarraconem* in Hortis *D. Antonij Augustini* ipsius vrbis Archiepiscopi, optimè de Antiquitatibus meriti fatetur *Scothus*. Post illum Luitprandus *Drusi Valerij Cœliani*, qui nupsit *Cœciliæ Quinctiæ*, meminit, de quo idem Grutherus *fol. XXXII. n.* 10. talem Inscriptionem adnectit.

SOLI. ÆTERNO. LVNÆ.
PRO. ÆTERNITATE. IMPERII.
ET. SALVTE. IMP. CA... SEPT. SEVERI.
AVG. PII.
ET. IMP. AVG. CÆS. M. AVR. ANTONINI.
AVG. PII.
DRVSVS. VALERIVS. COELIANVS.

Drusi Valerij Cœliani Inscriptio.

Hanc ad *Montem Lunæ* prope *Sintriam* in *Lusitania* repertam fatentur *Schotus*, & Andreas Resendius *Antiquit. Lusitan. lib. 1. c. 12. de Montibus*. Quæ licet illic prolixiùs scripta cognoscatur, attamen, quia in pluribus deficit literis, prolixitatem excusare Lectoribus visum fuit. Denique à *Luitprando* nominatur *M. Aurelius Valentinianus*, Drusi antecedentis filius, Præses Prouinciæ Hispaniæ Citerioris; de quo idem *Grutherus* plures collegit Inscriptiones *fol. CC. LXXVII. n.* 7. & *CC. LXXVIII. n.* 1. 2. *&* 3. ex quibus sequentem elegimus.

M. Aurelij Valentiniani Inscriptio.

VICTORIOSISSIMO.
PRINCIPI. IVVENTVT.
M. AVREL. CARINO.
NOBILISSIMO. CÆSARI.
COS. PRO. COS.
M. AVREL. VALENTINIAN.
V. C. PRÆSES. PROV. HISP. C.
LEG. AVGG. PR. PR. D. N. M. EIVS.

Quam in Templo *S. Theclæ* apud Tarraconem, in basi Altaris extare, referunt *Apianus, Schotus, & Verderius*. Sed cum omnes isti Viri à *Luitprando* recensiti vixissent ab Anno C. L. ad CC. Christi, quo vitam agebant S. QVINCTIA MARCELLA, & eius sanctissima filia POTAMIENA, haudquaquam de veritate *Luitprandi* subdubito.

PVTEALIA. Vrbs peruetusta in *Hispania Citeriori* in populis *Bastetanis*, vt inquit Luitprandus in *Aduersar. n.* 34. quam in *Itinerario Antonini Pij* à Laminio Cæsaraugustam apud Zurit. *fol.* 101. & apud Simler. *fol.* 196. ADPVTEAL nomine appingunt.

Topographia.

Saltici. M. P. XV.
ADPVTEAL. M. P. XXXII.
Valepongam. M. P. XL.

Quarum mansionum vocabula prorsus deturpata esse idem *Luitprandus* in *Aduersar. n.* 35. fatetur, illáque sic esse legenda contendit.

Itinerarij Antonini error.

Saltiga.

Digitized by Google

Saltiga. M. P. XVI.
PVTEALIA. M. P. XXXII.
Vallemlongam. M. P. XXXX.

Dicæarchia, quæ vrbs in Hiſpania.

Hodiéque eſſe Oppidulum prope PARACVELLOS etiam fatetur. Sed cuius nominis adhuc conſignetur, me latet. Idem Luitprand. in *Aduerſ. n.* 36. etiam aſſerit ex auctoritate Iuliani Lucæ, Auctoris Græci, & Toletani Diaconi, quòd Græci in Hiſpanias aduentantes, in *Baſtetanis* oppidum dictum DICÆARCHIA, ſeu PVTEALIA condiderunt; deinde in *Carpentania* aliud illius nominis, quæ poſtmodùm à Mauris fuêre diruta. Et optimo iure à Græcis Δικαιαρχία vrbs dicta, quam Latini in PVTEALIA vertunt, vt Robert. Conſtantin. in *Lexic. Græc-Lat. tom.* 1. *fol.* 406. ſcribit.

B. S. PAPIVS Martyr Arbucarencis.] Græci in *Menologio* huius ſanctiſſimi Martyris agonem breui compendio concelebrant, dicentes: *Eodem die* S. PAPII *Martyris. Hic ſub Diocletiano, & Maximiano Imperatoribus, inde vſque à maioribus Chriſti Domini fidem ſequens, & prædicans fuit: pro cuius confeßione flagris cæſus, & in lebetem iniectus oleo & adipe feruenti plenum, ſeptem dies permanſit, indutus igne ſicut veſtimento, quæ res ſtuporem omnibus attulit, & plurimos ad fidem conuertit.* A Græcis Martyrolog. Romanum *Baronij*, Caſtellanum *P. Vazq.* Luſitanum *P. Lupi*, Hiſpanum MS. *P. Higuera*, Italum *Conſtantij Felicis.* Græcos inſequuntur *Galeſinius, Bellinus, Florus, Maurolicus*, & Recentiores; apud quos de loco palæſtræ altum ſilentium. Flauius verò Dexter in *Chron. Ann.* 300. apud *Segiſamonem* eius memoriam recenſuit, hac ſerie: *Segiſamone in Hiſpaniæ* S. PAPIVS *Martyr, qui verberibus cæſus & in lebetem oleo feruenti, atque adipe liqueſcenti refertum coniectus, aliáque his grauiora perpeſſus, decollatus eſt.* Quo loco P. Biuar. *n.* 11. *fol.* 357. *Comment.* 4. & Roder. Car. *fol.* 111. *lit. T.* Aſt ARBVCARÆ in *Celtiberia* agonem expleuiſſe contendit Luitprand. in *Aduerſar. n.* 40. his verbis: ARBVCARÆ *in* Celtiberiâ S. PAPII *Martyris, qui varijs tortus cruciatuũ generibus, tandem datis ceruicibus occubuit IV. Kalend. Iulij Anno CCC. III. ſub Diocletiano, & Maximiano Imperatoribus, Præſide Hiſpaniæ P. Daciano: ibique eius memoria celebris eſt.* Huius opinionem ſequitur D. Didacus Portocarrer. *Hiſtor. Ercauicenſ. c.* 15. *fol.* 153. Nec inter Dextrum, & Luitprandum diſcrepantia eſt, nam de origine, & memoria apud *Segiſamonem* loquitur Dexter; de agone, & martyrio apud *Arbucaram* ſcribit Luitprandus. Eius ACTA à nemine recenſita conſpeximus, illa ex *Legendario MS. Segobienſi* dabimus additis originis, & agonis locis.

Menologium.

Martyrologia.

Luitprandi, & Dexteri diſcrepantia ſedatur.

ACTA S. PAPII MARTYRIS Arbucarenſis in Hiſpania; ex MS. Legendario Segobienſi.

Origo.

PAPIVS *natione* Hiſpanus *ex* Segiſamone *in* Vacceis *vrbe oriundus, ab ineunte ætate Chriſti fidem amplexus, eam toto vitæ tempore abſque diminutione ſuſtinuit. Sed eueniente, cùm iam vitæ probatæ vir eſſet, perſecutionis procellâ, quâ P. Dacianus Imperatorum Diocletiani & Maximiani auctoritate ſuffultus, vniuerſas Occidentalium partium vrbes, Chriſtianorum excidio penitùs depopulari conabatur*, Sogeſſam *vrbem, in quâ natus fuerat, relinquens, Præſidi obuiam ire propoſuit, quo inuento ad* Brucam *oppidum, cùm ſuis adeſſet conſpectibus, forti corde & intrepido ſequentia protulit verba*: Cur inſane aduerſus Chriſti membra tanto furore inflammaris, vt ſic ſæuè tantorum corpora diſcerpſeris? Nonne vides, quòd in eo ipſo, quo defatigaris acerbè, glorias Martyribus ſempiternas, te ignorante, multiplicas? Fortè non experiris, quòd humus Sanctorum irrigata ſanguine, pro vno, quem enecas, multorum fidem pullulat indelebilem? Ergo vt quid inſanis? Deſine quippè furoris progreſſum, & qui vidiſti tot etiam in fragili ſexu conſtantiæ miracula, & virtutum prodigia, abſtine ab itinere incepto, & Ieſum-Chriſtum Deum verum, qui te ad nihilum reducere poteſt, adora', vt ſic vitam conſequaris æternam.

Præſidem quarit.

Martyris in verbis conſtantia.

Digitized by Google

æternam. *His Præses auditis fremens* PAPIVM *comprehendi iußit, ſatellitibus imperans, vt ſubito, denudatis veſtibus, illum duriſſimis flagellarent neruis, donec verborum inſolentiam vnà cum anima inter verbera euomeret. Paruit ſatellitum manus, & tandiù Martyrem flagris cædere perſtiterunt, vt vix pellis pars minima circumſpectaretur illæſa. Ad hæc S. Martyr Deum ſemper læta fronte laudabat; & aliquando Præſidis cæcitatem increpans, vt in Chriſtum crederet perſuadebat. Tunc Dacianus Martyris corpus diſſectum contuens, lebetem oleo & adipe plenum accerſiri iubens, illum ſuper ignem fecit apponi, quouſque materia illa liquefacta & feruens appareret, illámque ſuper corpus Martyris applicari præcepit, vnà cum prunis, & titionibus, vt etiam ignis violentiâ citiùs animam exhalaret. Sed ô inſignis Dei prouidentia! Septem dies in hoc tormento permanſit, in vnoquoque pluries repetitis olei, & adipis feruentium liquoribus, quouſque Præſes deuictus Sanctiſſimum Athletam decollari præcepit, quo Martyr glorioſus in cælos coronâ redimitus adſcendit,* IV. Kal. Iulij, *Anno* CCC. III.

Maior in verberibus.

Coronatur.

En ACTA: vbi notabis, quòd vrbes, quæ inibi referuntur, ſcilicet SOGESA, in quâ natus dicitur Martyr, corruptè ſcripta eſt; & eius loco SEGISAMON ſubſtituendum eſt nomen. Et vbi BRVCA oppidum legitur, ARBVCARA eſt reponendum. Hinc videbis, & demiraberis, quanta inter *Dextrum*, & *Luitprandum* inſit in conſignatione locorum concordia. Nec quis putet SOGESAM, de qua in ACTIS eſſe SEGOSAM in Aquitania ex *Antonini Itinerario*, nec SEGESAM in *Baſtetanis* Hiſpaniæ, cùm ex Dextro clarè conſtet eſſe SEGISAMONEM, in quâ natus Martyr conſpicitur, & cuius memoria celebris tempore *Dextri*. Nec minus credendum eſt, BRVCAM de qua in ACTIS, eſſe vrbem illam in *Sicilia* poſitam, de qua Ortelius ex *Aretio*, quia haud vllo tempore Dacianus in *Siciliam* intrauit: nec minus ſuſpicandum eſt Martyrem ex *Hiſpania* Trinachiam migraturum, quando ipſe Tyrannus intra *Hiſpaniæ* terminos irrumpebat.

Nomina vrbium in Actis fœdata.

Tacitis obiectionibus occurritur.

SEGISAMON. Duas ferè huius nominis vrbes in *Hiſpania* comperimus, alteram in *Vaccæis*, quam hodie dici SIMANCAS, probat P. Biuar. *d. n.* 11. *fol.* 357. Alteram in *Autrigonibus Cantabrorum* populis, quam hodie *Santa Gadea* dicunt, de qua Moral. *Hiſtor. Hiſpan. lib.* 8. *c.* 53. Sed pro *Vacceorum* vrbe ſtat *Biuarius* rationibus abs ſe adductis. SEGISAMAM-IVLIAM illam vocitat Ptolemæus in *Geograph. lib.* 2. *Tab.* 2. *Europ. c.* 6. Hodie à Valliſoleto VIII. mill. diſtat, ad Piſoricæ fluminis confluentem. Perperam SENTICA dicta, vt credidit Rodericus Mend. *Silua in Populat. Hiſpan. fol.* 30. *c.* 35. vbi de *Simancas*, plura, & plures Auctores refert. Qui & conditam à *Celtis*, & *Græcis* ante Chriſti aduentum penè per CC. LXXVI. annos affirmat.

Topographia.

Conditores.

ARBVCARA vrbs Hiſpaniæ in Tarraconenſi, quam Ptolem. in *Geograph. lib.* 2. *Tab.* 2. *Europ. c.* 6. ALBOCELLA, nuncupat: ARBOCALAM, T. Liu. *lib.* 21. & Stephan. *de Vrbib.* ΑΡΒΥΚΑΛΗ & etiam Polybio *lib.* 3. ARBVCALE. Hodie verò in *Celtiberis* populis dicitur ALBACAR, prope Oppidum *Aldegnela* in Dominio Molinæ vt refert Portocarrero eius *Hiſtoriographus d. cap.* 15. *fol.* 153. & P. Higuer in *MS. Martyrolog. Hiſp. h. d.* his verbis: *En* ALBACAR *lugar del Señorio de Molina* S. PAPIO *Martyr.* Latinè: ARBVCARÆ *oppidi Dominij Molinenſis*, S. PAPIVS *Martyr.* Hinc ſitum agnoſces.

Topographia.

S. LVPERCVLVS Cæſarauguſtanus, Martyr in Vaſconia.] Eius nomen & originem primus Philippus Ferrar. in *Catal. General. SS. h. d. fol.* 265. licèt in nominibus vrbis, & Martyris defeciſſe videatur, his verbis: ELIZONÆ *in Aquitania* S. LVPERCII *Martyris*: cum dicere debuerat: ELOSATII *in Vaſconia* S. LVPERCVLI *Martyris*; vt pleniùs tanquam incola inſtructus, in *Martyrolog. Gallican. Supplement. h. d. Tom.* 2. *fol.* 1138. Andr. Sauſſay. hac ſerie: *In Vaſconia apud* ELOSATIVM *ciuitatem paſſio* S. LVPERCVLI *Martyris*. Hinc corrigenda venit *Ferrarij* ecphraſis, & cum *Sauſſayi* relatione formanda. Res geſtas huius Sanctiſſimi Martyris in *Bibliotheca Prædicatorum Toloſæ* aſſeruatas eſſe, in *Notul. fol.* 266. idem *Ferrarius* affirmat; fuiſſéque ex *Cæſarauguſta Hiſpaniæ* oriundum ciuitate contendit; provt & ipſe *Sauſſayus*, à quo ſequentem ACTORVM ſynopſim ſubiiciemus.

C. *Martyrologia.*

Ferrarij laſſus.

Acta Toloſæ aſſeruata.

ACTA

ACTA S. LVPERCVLI CÆSARAVGVSTANI, Martyris Eloſatienſis; ex Andrea Sauſſayo.

Origo. S. LVPERCVLVS *ortu* Cæſarauguſtanus *in* Hiſpania, *irradiatus fide Chriſtiana, in ipſa pueritia iam diuinis prodigijs micans, gloriam vt fugeret, eremum petijt. Vnde abſtractus, próque proſapia, quâ ingenuâ prodierat, dignitate, militiæ ſeculari adſcriptus; creſcentéque ætate, & robore, numeroſo agmini armatorum præfectus: cum Dacianus ſæuus Præſes, in cultores Chriſti atrocibus tam terriculamentis, quàm ſupplicijs fureret, palàm prodijt pro fidei veritate confligturus: increpatóque Tyranno, deriſis pſeudonuminum ſimulacris, nefandæque ſuperſtitionis ritibus, ob aſſertæ pietatis præconia, nexibus conſtrictus, equuleo ſuſpenſus, vngulis dilaceratus, aculeos ferreos nudis pedibus calcare compulſus, horrendiſque tormentis excruciatus: his omnibus, confortatione Angelicâ, ſuperatis, tandem triumphans, multis diuina virtutis ſibi aſſiſtentis prodigijs; datis fortiter, non tàm ad percuſſionem, quàm coronam, ceruicibus, ouans euolauit ad præmium*; IV. Kalend. Iulij, *Anno* CCC. III. *vel circiter. Eius ſacra pignora adhuc apud eandem* Eloſatium *vrbem, honorificâ veneratione conduntur, & populi pietate coluntur.*

Comprehenditur. *Torquetur.* *Coronatur.* *Pignora vbi condita.*

Hæc ACTA, prout illa breuiauit *Sauſſayus*; & licèt apud illum nihil de *Cæſarauguſta Hiſpaniæ* reperiatur quinimò nudâ voce *Cæſarauguſtâ ortum* S. Martyrem ſcribat, non ex hoc aliquis temerarius credat, LVPERCVLVM ex *Cæſarauguſta Siciliæ*, quam & *Anazarbum* dicunt, oriundum fuiſſe: quia Scriptores de vrbe viciniori, quàm remotiori, ſenſiſſe fatendum eſt. Item quia ſi ex illa oriundum ſuſpicaretur *Ferrarius*, proculdubio inter Sanctos Siciliæ S. Martyrem reponeret: eo ampliùs, quia nota, & valde nota erant illius ACTA, cùm ipſe in *Notul. ad hunc diem in Catal. General. fol.* 266. illum *ex Cæſarauguſta oriundum* fateatur. Sed nec *Octauius Caietanus*, qui *Ideam SS. Siculorum* edidit, Noſtri Martyris meminit. Quibus ſic firmatis, nullum de ortu Martyris apud *Cæſarauguſtam Hiſpaniæ* dubium remanebit.

Tacite obiectioni fit ſatis. *Topographia.*

ELVSATIVM. Vrbs peruetuſta, olim *Sede Epiſcopali* condecorata in *Nouempopulanis Vaſconum Galliæ*, nunc Sedes apud *Auſcios* tranſlata. Hæc vrbs variâ ab Scriptoribus nomenclaturâ ſignatur. Eam ELVZA *Claudianus, Sulpitius, & Ammianus. lib.* 15. vocitant. HELVSIA apud Sidonium Apollinar. *lib.* 7. *Epiſtol.* 6. ELSA apud Scaligerum. Sed primum nomen verum fuiſſe contendunt ex Libro Dignitatum Sauſſayus, & Ortellius, qui hodie LAISCVRE vocitari affirmat.

D. S. ARGIMIRVS Martyr Cordubenſis.] Agonis illius anamneſim primus S. Eulogius literis commendauit in *Memor. SS. lib.* 3. *cap.* 16. A quo Martyrolog. Romanum *Baronij*, Caſtellanum *P. Vazq.* Luſitanum *P. Lupi*, Hiſpanum MS. *P. Higuera*, Italum *Conſtantij Felicis*, Monaſticum *VVionis*, Benedictum *Hugonis Meardi*, Generale *Galeſinij*, *Peregrinis*, *Maurolyci*, & aliorum Recentiorum. Aſt in Monaſtico hoc elogio: CORDVBÆ *Sancti* ARGIMIRI *Monachi, & Martyris. Hic nobili genere* Cordubæ *natus, ætate iam ingraueſcente, è Cenſoris munere motus, cùm monachalem vitam in Cœnobio* Egabrienſi *ageret, ad Iudicem Arabicum delatus, quòd Mahometem maledictis afficeret, in ergaſtulum incluſus, cùm non potuiſſet vllis verborum blanditijs, per eum à Chriſti fide, ad Mahometis inſanias, auocari, equuleo ſuſpenſus gladio tranſuerberatur.* De eo poſt Eulogium Ambroſ. Moral. *Hiſt. Hiſpan. lib.* 14. *cap.* 24. Ioannes Mariet. *Hiſtor. SS. Hiſpan. lib.* 3. *cap.* 3. P. Roa *Hiſtor. SS. Cordubenſ. fol.* 189. Cardinal. Cæſar Baron. *Annal. Eccleſ. Tom.* 10. *Ann.* 856. *num.* 30. Eius ACTA ſic ex *D. Eulogio* damus.

Martyrologia. *Scriptores.*

ACTA S. ARGIMIRI MARTYRIS & Monachi Cordubenſis; ex S. Eulogio M.

Origo. ARGIMIRVS *vir nobilis, ex Oppido* Egabrenſi *originem ducens, qui quodam tempore* Cordubæ *Patritiæ* Cenſor *à Rege præfectus extiterat; ætate*

Digitized by Google

ætate iam plenus; & Confessoris titulo cumulatus, cùm semotus ab administratione iudicij otium cœnobij incoleret quietus, quorundam ethnicorum dolo, vel odio circumuentus, accusatur coram iudice, de subsannatione vatis sui, & exprobratur de professione diuinitatis Filij Dei; quódque præter illum Omnipotentem nullum alium agnoscat, & Mahometem vanitatis auctorem, ducémque asserat perditorũ. Continuò Dei seruus, sub grandi, & ferocissimo iudicis motu coniectus in ergastulum arctiùs coarctatur. Quem coram se post aliquot dies iubens adsistere, Dùm suis adhortationibus, & lenocinijs quorundam verborum profano ritui mancipare studet, nec præualet: Constantem in sancto proposito militem Christi, equuleo viuentem imposuit, enséque transfossum peremit, IV. Kal. Iulias, *Erâ* DCCC. XCV. *Cuius* Corpus *cùm post multos dies ex præcepto Iudicis depatibulo deponeretur, cuiusdam religiosi solertiâ in* S. ACISCLI *Basilicam deportatur, ac digno sacerdotum ministerio, prope tumulum prædicti Martyris, & S. Perfecti tumulatum est.*

Censor.

Accusatur.

Carceratur.

Coronatur.

Sepelitur.

En ACTA à *S. Eulogio* conscripta, in quorum illustratione *Ambrosius Morales* defatigatur circa *Censoris* officium, quo Martyr dum fuerat sæcularis fungebatur, & ait: *Qui fuerit apud Arabes hic Magistratus, ignoramus. Vmbram aliquam saltem Romanæ* Censuræ *fortè habuit ex Ciuium censu: vnde hoc ei nomen potuit* D. Eulogius *accommodare.* Sed miror *Ambrosij* Nostri hæc dicentis errorem, cùm illi qui *censum* apud Romanos exigebant, non CENSORES, sed CENSITORES dicerentur, probat vetusta Inscriptio apud Gruther. *Inscript. Roman. fol.* 417. *n*, 5.

Censoris munus quid?

Censitoris quid?

Q. HED. L. F. POL. RVF.
AVGVRI. COS. PPOCOS. ASIÆ.
CENSITORI. PROV. LVG.

De quibus & videndus Iacobus Grutherus *de Officijs Dom. Augusti. lib.* 3. *cap.* 27. *fol.* 648. Vlpianus in *l. forma, § illam æquitatem. ff. de Censib.* cum dicit: *Illam æquitatem debet admittere* CENSITOR *vt officio eius congruat.* Vbi Accursius vertit, CENSITOR id est, *qui præest censui colligendo.*

VNVM adnotare libuit contra VVionem in *Martyrolog. Monastico*, cuius verba dedimus; qui perperam ARGIMIRVM natum CORDVBÆ scribit, & apud ÆGABRVM Monachum egisse contendit. Cùm potiùs versâ vice ex *D. Eulogij* Actis eliciatur, scilicet S. Martyrem natum EGABRI, & apud Cordubam Monachum egisse. De EGABRO multa superiùs.

VVionis error.

TERTIO KAL. IVLII.

DIES XXIX.

A. Celebris est in Hispania *festiuitas* S. PETRI *Apostolorum Principis, qui vt Christi Vicarius Nostras lustrauit regiones, prouidet, consolatur, Epistolis fauet', Episcopis fouet, suâ præsentiâ magnificat, eius vrbes visitat, eius Ciues excitat, & sedes Episcopales disponit, & adsignat: pòst Romam reuersus, Cruci, capite ad terram verso, affixus, ad cœlos victoriâ martyrij festinat.*

B. SENTICÆ *in* Hispania *Citeriori* SS. BAVDELII, & IVLIÆ *cum socijs Martyribus: qui in persecutione Diocletiani, & Maximiani Imperatorum, Daciano iu-*

Digitized by Google

bente Preſide, martyrij palmam perceperunt illuſtres.

C. NONÆ *apud Gaditanos* Hiſpaniæ *Vlterioris populos, Sancta* BENEDICTÆ *Sanctimonialis : quæ S. Fructuoſo, in illis regionibus aduentanti cohærens, relicto nobili Palatino, cui prater voluntatem, nam Chriſto erat copulata, deſponſata extiterat, aſſentiente ſponſo in Nonenſi Monaſterio vitam ſanctiſſimam egit, donec ad æternam, caſtitatis chlamyde ornata properauit.*

NOTÆ.

A. *Elogia.* SANCTVS PETRVS Apoſtolorum Princeps, & Chriſti Vicarius.] Quàm celebris vbique Gentium fuerit hæc ſolemnitatis veneratio, & cultus, nulli dubium erit, ſi Catholicus perpendat Principis Apoſtolorum merita, & Chriſti in terris Vicarij ſupremam per ſecula dignitatem. Pro cuius multiplici gloria Deus plures munerum diſtributiones largâ ſatis pietate donauit. Quem & vnigeniti ſui Diſcipulum, & ex piſcium piſcatore, gentium fecit eſſe Magiſtrum. Qui ob Euangelij prædicationem cùm cœlorum præficiatur in regnis, carcerum clauditur anguſtiis. Qui dùm poteſtatem accipit peccata ſoluendi, ferreis vinculis alligatur. Qui & ſanitatem vmbrâ donat, & ægritudinum imbres portat. Dæmonibus imperat, & ab hominibus carceratur. Mortes verbo fugat, & fugit verbera perſequentium. Super mare ambulat, & in labore deſudat. Montes nutu transfert, & propriis victum manibus quærit. Iudicaturus Angelos, ſub hominum quæſtione ſubiicitur. Cùm Deo viuit, in mundo periclitatur. Chriſtus ei ſeruiens pedes lauat, & eius faciem blaſphemãtium manus colaphizat. Nihil ſuſtinenti penè defuit ad tolerantiam: Nihil ſuperanti victoriæ non adfuit ad coronam. Si recurramus, quid, ad teſtificandam fidei veritatem, ærumnarum pertulerit, in tormentis frequenter ſuis ſuperfuit martyriis. Si in mirabilibus, hoc per Chriſtum fecit, quod Chriſtus. Si in paſſionibus, hoc ſuſtinuit ipſe neceſſitate mortali, quod ille voluntate moriendi. Iſte eius viribus, ille ſuis. Probans doctrinæ auctoritate ſimilitudine, non æqualitate Doctoris. Impleuit PETRVS ſuo tempore, quod promiſerat ante tempus. Poſuit animam ſuam pro illo, quem ſe non crediderat negaturum : quia ad arduæ ſponſionis celeritatem, nimia Charitate præuentus, non intellexit ſeruum pro Domino dare non poſſe, quod pro ſeruo antè Dominus dediſſet. Similiter non renuit crucifigi, ſed æqualiter non præſumpſit appendi. Obiit ille rectus, iſte ſubiectus. Ille vt Maieſtatem aſcendentis, ſublimitate præferret ; iſte vt fragilitatem deſcendentis, humilitate monſtraret. Tot ergo meritis cumulatus PETRVS, Vniuerſâ, quid mirum, ab Eccleſiâ, ſi ſolemniori recolatur eius Paſſionis Dies commemorationis inſtantia ; Maximè HISPANA, quæ ab eo pluribus ditata fauoribus, non ſolùm Magiſtros dimiſit, Epiſcopos exlegauit, & Epiſtolis ſolidauit, ſed & totam Regionem ſuâ præſentiâ illuſtrauit, & eius vrbes perſonaliter inuiſit, & Sanctarum B. V. MARIÆ Dei-Genitricis Imaginum magnificauit iconibus. Hinc meritò à Noſtratibus Eccleſiis per omnia ferè ſecula S. PETRI cultu anniuerſario ſine intermiſſione, eſt repetita feſtiuitas, continuata deuotio, & irradicata ſolemnitas.

Petrus Hiſpaniam perluſtrat.

SED quia huius *Aduentus* in Hiſpanias PETRI apex noſtræ intentionis exiſtit, illum Doctorum auctoritate probabimus, ita vt deinceps, nullus ſubdubitandi Criticis remaneat ſcrupulus. Quod vt facilius, & perceptibilius enodemus, hiſce TRIBVS ſequentibus fundamentis totum huius rei apicem extruemus.

I. Probatur Prophetarũ expoſitione. PRIMVM verſabitur circa Iſaiæ *Prophetæ c.* 18. intelligentiam in illis verbis: *Ite* Angeli *veloces ad* Gentem *conuulſam, & laceratam, ad* Gentem *expectantem, & conculcatam*

& conculcatam. Quem locum explicant Doctores, quòd Propheta Apoſtolos præuenit, vt præſto ſint præcincti, euntes prædicare Chriſti Euangelium ad *Gentem* conuulſam. Sed qualis hæc *Gens* pluribus explicat P. F. Ioannes de la Puente in *Conuenient. Monarchiar. Tom. 1. lib. 3. à c. 1. & ſeqq.* vbi eruditè, hæc verba Prophetica deſuper recenſita, ad Apoſtolos IACOBVM, PETRVM, & PAVLVM, fuiſſe directa contendit. Cui & adhæret Alphonſus de Requena *de Aduent. S. Paul. ad Hiſpan. 1. p. c. 8. fol. 61.* Qui etiam *fol. 63.* pro hac opinione, *Abdiæ c. 1.* Prophetæ ſequentia verba recenſet: *Et hæreditabunt hi qui ad Auſtrum ſunt, Montem Eſaü, & qui in campeſtribus Philiſtijm, & poſſidebunt regionem Ephraim, & regionem Samariæ; & Benjamin poſſidebit Galaad, & Tranſmigratio exercitus huius filiorum Iſrael omnia loca Cananæorũ, vſque ad Sereptam, & Tranſmigratio Ieruſalem quæ in Boſphoro eſt, poſſidebit Ciuitas Auſtri, & aſcendent Saluatores in Montem Sion, iudicare Montem Eſaü.* Quæ verba *Nicolaus de Lyra*, de Legis Euangelicæ tempore, quando Apoſtoli Chriſti præceptum exequentes: *Eritis mihi teſtes in Ieruſalem, & omni Iudæa, & Samaria, & vſque ad vltimum terræ*: fidem vbique prædicarunt, exponit. Qui vbi vulgata legit, *vſque ad Sareptam*: ipſe ex Hebræo legit: *Zarphat*, id eſt vſque ad *Franciam.* Et deinceps ſequentia verba: *Quæ in Boſphoro eſt*, explicans, aſſerit apud Hebræos ſcribi: *Sepharat*, id eſt, *Hiſpania.* Quæ omnia expleta videntur, inquit ipſe Lyra, quando in haſce Prouincias aſcenderunt Saluatores, hoc eſt PETRVS, & *Paulus.*

SECVNDVM verſabitur in Antiquorum monimentorum traditione. Quorum primas tenet IMAGO venerabilis B. V. MARIÆ Dei-Genitricis apud *Madridium* in Cœnobio Prædicatorum, quam de ATOCHA, corrupta pro ANTIOCHIA voce ſeruata, & miraculorum gloriâ magnifica. Hanc aduexiſſe PETRVM Antiochia in Hiſpaniam communis ſententia eſt, vt ex Flauij Dextri verbis in *Chron. Ann. 50. num. 2.* probat Biuar. *in eius Not. fol. 101.* Roder. Caro *ibidem fol. 21. lit. N.* Pereda *Hiſtor. Patronæ Madridenſ. lib. 1. c. 1.* Quintano *de Antiquitat. Madridenſ. lib. 1. cap. 36.* Ægidius Gonzal. Reg. Chronograph. *in Theatr. Madridenſ. in principio.* Lupus Felix de Vega Carpius fœcundiſſimus Hiſpaniæ Vates (cuius elogium ſcripſit Aubertus Myræus in *Bibliothec. Eccleſ. Tom. 2. c. 204. fol. 216.*) in *Vit. S. Iſidori Agricolæ*, & alij plurimi, quos refert gentilis meus D. Thom. Tamayo in *Verit. Dextr. Nouitat. 9. fol. 29.* Ex hac igitur IMAGINIS nomenclatura, & Hiſpanicarum Rerum Scriptorum auctoritate, necnon inconcuſſa *Madridenſium* oppidanorum vetuſtiſſimâ traditione elicitur, S. PETRI in Hiſpanias Aduentus irrefragabilis probatio, ita vt in poſterum nequit ſubuerti.

II. Monimentorum traditione.

Imago B. V. de Antocha apud Madridenſes celebris.

ITEM hoc idem probatur ex alio vetuſtiſſimo apud Hiſpanos monimento, quod *R. P. F. Franciſcus Boyl* ex S. Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum inſtituto alumnus, eruditionis Eccleſiaſticæ, & ſecularis peritiſſimus, omnium, qui adhuc noſtro ſeculo viſuntur, maximus Eccleſiaſtes, in *Hiſt. del Puche. c. 5. fol. 26.* refert ex *Franciſco Ximenio* Presbytero Darocenſi, qui Anno M.CC.L. vitam agebat, & Hiſtoriam Hiſpanicæ Reſtaurationis MS. reliquit: vbi dicitur ſe inuentioni ſacræ IMAGINIS PVIGENSIS in Edetanis interfuiſſe, & tintinnabulum (ſub cuius cauo effigies delituerat Virginea) cõſpexiſſe, in eóque foras expreſſas VIRGINIS Dei-Genitricis, & SS. Apoſtolorum PETRI, *Pauli, & Iacobi* fuſiles icones demiratum fuiſſe, & in circulo ſeu nimbo nolæ has ſingillatim, Gothicis characteribus, literas perlegiſſe:

Imago B. V. del Puig in Edetanis inuentio.

S. MARIA. ORA PRO NOBIS.
IMAGO TVA SIT NOBIS TVTRIX.
QVÆ FVIT AB ANGELIS IN LAPIDE
SEPVLCHRI TVI DEDOLATA.
ET AB EIS ADSPORTATA.
AC APOSTOLORVM ADVENTV
DECORATA.
SERVI TVI TE COLIMVS. ABIGE
FVLGVRA. TONITRVA. SONITV
CAMPANÆ QVAM FECIMVS.
ÆRA. DC. LX.

Anno D. XXII. fuſa hæc Campana eſt.

Digitized by Google

Ex huius epigraphes myſtica relatione pateſcit, vnà cum effigiebus *Trium SS. Apoſtolorum* in *Tintinnabulo* depictis, IMAGINEM hanc B. V. Deigenitricis PVIGIESEM ab Angelis in Hiſpanias adſportatam, & *Aduentu* in hanc Regionem SS. PETRI, *Pauli*, & *Iacobi*, Apoſtolorum, quorum effigies ad B. MARIÆ Virginis-Matris pedes inuiſebantur, decoratam, hoc eſt viſitatam, & cultam; vt ita interpretatur Boyl *d. c.* 5. *fol.* 26.

Tres Soles in Hiſpania apparentes, quid ſignificent?

DENIQVE hæc SECVNDA pars probatur, ex illa antiquiſſima monumenti traditione, quâ vniuerſaliter circumfertur, quod eueniente IESV-CHRISTI D. N. natiuitate, TRES in Hiſpania SOLES apparuêre, qui in vnum paulatim coëuntes, totos Regionis angulos colluſtrârunt. De quo Dexter in *Chron. Ann.* 1. Iulius Obſequens *de Prodig. c.* 128. S. Thom. 3. *p. Summ. q.* 36. *art.* 3. *ad* 3. & alij quos retulimus ſupra *Tom.* 1. *Die VI. Ianuar. fol.* 76. Hinc D. Franciſc. Padill. *Hiſtor. Eccleſ. Hiſpan. Tom.* 1. *Cent.* 1. *c.* 23. elicit, ideò in Chriſti Natiuitate TRES hoſce SOLES apparuiſſe in Hiſpania, vt Dominum Prouincialibus adnuntiarent natum, vnàque Hiſpanos commonerent, ſe à TRIBVS Chriſti Apoſtolis, Solis numine, & nomine myſticis fulgoribus illuſtratis, vnam Fidem, & vnum Baptiſma feliciter acceptu-ros. Quam ſententiam etiam Puente *vbi ſupr. lib.* 3. *c.* 34. §. 2. *fol.* 208. & *d. lib.* 3. *c.* 1. §. 1. *fol.* 1. Alfonſus de Requena *vbi ſupr. d. c.* 8. *fol.* 46. ſequuntur.

III. Scriptorum auctoritate.

TERTIVM in Scriptorum auctoritate conſiſtit, quorum adeò frequens opinio eſt, vt ſi omnium recenſere nomina compelleremur, proculdubio grandem aggrederemur prouinciam. PRIMVS adſit in hac re teſtis vetuſtiſſimus Flau. Dext. in *Chron. Ann.* 50. his verbis: PETRVS, *vt Chriſti Vicarius*, HISPANIAS *adyt: Imagines Antiochiâ delatas affert: Epenetum Sexiſirmi in Batica reliquit Epiſcopum, multis cum comitantibus.* &c. Hinc ad Africam, & Ægyptum migrat. Simeon Metaphraſtes in *Peregrinat. Petri & Pauli* apud Surium *Tom.* 3. hac ſerie: *Cum autem* (PETRVS) *non diù manſiſſet apud Romanos, & ſancto baptiſmo multos regeneraſſet, & Eccleſiam conſtituiſſet: & Linum Epiſcopum ordinaſſet, venit Tarraconam, in qua cum Epaphroditum ordinaſſet Epiſcopum, venit Sirmium Ciuitatem* Hiſpaniæ, *quo in loco cùm Epenetum conſtituiſſet Epiſcopum, deuenit Carthaginem Ciuitatem Africæ, in qua cum Creſcentem ordinaſſet Epiſcopum, venit in Ægyptum.* O quanta inter *Dextrum*, & *Metaphraſtem* conſonantia! Aulus Halus meus de *Aduentu Sancti Iacobi in Hiſpan. verſ.* 406. *fol.* 87. ſic:

Poſt illum PETRVS, *Paſtor ſupremus, vtraſque*
Hiſpanias *luſtrauit amans, quem plurima paſſim*
Inſequitur turba, ex quorum tum vocibus, illa
Accipient ſacros fidei cum dogmate ritus.

Vbi & Nos in *Notation. fol.* 91. Iulian. Petri Archipresbyter Toletan. in *Chron. n.* 24. hac clauſula: *Sacer* (hoc eſt Hierotheus, vt notauit Luitprand. in Aduerſ. n. 236.) *& ante eum* PETRVS, *Clemens, Timotheus, & quotquot inuiſerunt* Hiſpanias, *inuiſerunt ſepulchrum Beatiſſimi, & Sancti* IACOBI. Qui & antea *n.* 19. *fol.* 14. dixerat: S. PETRVS *ad* Hiſpanias *ſe contulit: vt Paſtor vniuerſalis oues inuiſit, illas præſentiâ ſuâ, doctrinâque nobilitat. Firmi, vel Sextiſirmi Epenetum Epiſcopum reliquit; Toleti Iulianum Ciuem conuertit, quæ Ciuitas ſanctiſſimi Paſtoris, & Clementis prædicationibus illuſtratur.* Eadem ſcripſêre S. Gregor. *Epiſt.* 41. *lib.* 7. *Regiſtr.* Innocentius I. *Epiſtol. ad Decenium*, Euſeb. *lib.* 2. *cap.* 1. Sanctus Clemens in *Epiſtol. ad Iacob.* Lyppoman. *lib.* 1. *fol.* 312. Panuin. *in Chron. Eccleſ. Ann.* 57. Ieronym. Roman. *Reipubl. Chriſtian. lib.* 1. *c.* 1. Ioann. Pined. *Monarch. Eccleſ. lib.* 10. *c.* 28. §. 4. Ambroſius Moral. *Hiſtor. Hiſpan lib.* 9. *c.* 14. Ioann. Puent. *Conuenient. Monarch. lib.* 2. *c.* 10. §. 3. *&* 4. Scolano *Hiſtor. Valent. lib.* 2. *c.* 3. D. Gregor. Lop. Madera *Excell. Monarch. Hiſpan. c.* 6. D. Petrus Salazar de Mendoz. *in Prolog. ad Vit. Cardinal. fol.* 9. D. Martin. Carrill. *Ann. Eccleſ. Hiſpan. Ann.* 61. & virtualiter Cæſ. Baron. *in Annal. Eccleſ. Tom.* 1. *Ann.* 58. Mariet. *Hiſtor. SS. Hiſpan. lib.* 1. *c.* 13. Ieronym. Pujad. *Hiſtor. Catalon. lib.* 3. *c.* 9. D. Thom. Tamay. *in Veritat. Dextr. fol.* 28. Illuſtriſſ. D. Didac. Caſtejon. in *Primat. Tolet. Tom.* 1. *fol.* 55. Michaël de Erze *Hiſtor. S. Iacob. fol.* 8. *&* 12.

Ieronym.

Digitized by Google

Ieronym.Quintan.*Hiſtor.Madridenſ.lib.*1.*c.*31.P.Biuarius *in Not.ad Dextr.in Chron. Ann.*30.*n.*1. *fol.*100. Roder.Caro *ibid. fol.*21. *lit.M.* P.Ieronym.Roman de la Higuera *Hiſtor.MS.Tolet.*1.*p.tom.*2.*lib.*6.*c.*20.Comes de Mora *in eadem Hiſtor.MS.*1.*p. lib.*4 *c.*13. R.P.Petrus Ribadeneyr. *in Vit. S.Petr.apud Caniſium tom.*1. *fol.*282. *col.*2. Alfonſ.Requen.*de Aduent.S.Paul.* 1.*p.c.*8.*fol.*46.Valdes de Dignitat.*Reg.Hiſp.c.*6.

HINC, ex TRIBVS ſupra recenſitis fundamentis colligitur, ADVENTVM in Hiſpanias S. PETRI Apoſtolorum Principis eueniſſe ob viſitandam Prouinciam, diſponendóſque *Hiſpanorum* animos ad ſuſceptam fidem retinendam; & in quibus adhuc non intrauerat Euangelij ſemen, feliciter prædicandum, vt multi ex ſuprà relatis Scriptoribus retulêre, præcipuè Ieronym.Quintan.*d.lib.*2.*c.*31.*fol.*41. Ideò meritò Eccleſiæ Hiſpaniæ ab exordio fidei ſuſceptæ ſolemni feſtum S.PETRI ritu vnanimiter celebrabant. *Cauſa Aduentus.*

SED & Hiſpania noſtra plures habuiſſe, & adhuc habere RELIQVIAS inſignes S. PETRI teſtantur Scriptores Noſtri. Ieronym.Pujad. *in Hiſtor.Catalon.lib.*6.*c.*82. *fol.*316. ex MS.Codice Cœnobij *S.Petri Rhodenſis*, vetuſtiſſimo, refert, quòd temporibus Bonifacij IV.Pont.Max.circa Annum DC. XI.cùm Coſroas Babyloniæ Rex aduerſus Phocam Romanum Imperatorem, Eccleſiam, & vrbem Romanam inſurgeret, & innumeris cõgregatis militibus aduerſus Italiam tranſcendere deſtinaſſet, Bonifacius rei nouitatè perterritus, ne SS.lipſana Apoſtolorum, in horrendi manus Regis, & militum Chaldæorum deuenirent, congregato Concilio, quid de hiſce Sanctorum exuuiis in tantâ agendum anguſtiâ ſciſcitans, conuênit, vt CAPVT cum BRACHIO ſanctiſſimi PETRI Apoſtolorum Principis, necnon ſacra pignora SS.Petri Exorciſtæ, Concordini, Lucidi, & Moderandi, & aliorum Martyrum traderentur Felici, Põtio, & Epicino Romanis Presbyteris, qui huiuſmodi Reliquias in Naui, ad hoc parata, colligentes ad Occidentaliores extra Gallias deducerent prouincias. Quo facto, Nauicula fluctuum tempeſtatibus impulſa, in Hiſpanias deuenit, & ad Rhodem antiquum portum accedens, in loco, vbi hodie Cœnobium extat Rhodenſe, ſoluit, & inuentâ ſpeluncâ, ibidem ſacra pignora collocata per aliquot temporum curricula permanſerunt, donec ceſſante Babylonici Regis minitatione, CAPVT cum BRACHIO integro S.Apoſtoli Romam relatum eſt. *Caput cum Brachio S. Petri olim in Hiſpania, & vbi?*

INSVPER in alio antiquiſſimo apud Aragonios Monaſterio, qui *S. Petrus de Tabernas* dicitur, adhuc extare BRACHIVM integrum S. PETRI Apoſtoli, Ieronymus Blancas in *Comment.Aragon. Rer. Ann.*7.6. ex Canonica (vt vocant) *S.Petri de Tabernas*, quam in pergaminea chartula in Cœnobio *Pinnatenſi* inuentâ, ſe vidiſſe teſtatur, affirmat; cui D.Ioannes Briz. in *Hiſtor.Pinnatenſi lib.*2.*cap.*20.*fol.*355. Ludouic.Lop. in *Hiſtor.Cæſarauguſt.c.*1.*fol.*500. adhærent; necnon Scolan. *Hiſtor. Valent.*1.*p lib.*2.*c.*17.*n.*3. D.Martin.Carrill.*Catalog.Epiſcopor.Cæſarauguſtan.fol.*233. Murill. *Hiſtor.Fundat.Eccleſ.de Column.Cæſarauguſt.c.*30. Quo quippe pacto, iſthæc S.Apoſtoli Reliquia in Hiſpanias aduentaſſet, prolixè refert Canonica Scriptura ſupradicta, quam Hiſpano ſermone vertit Briz. *d.c.*20. *fol.*355. *Brachium hodie in Cœnobio S. Petri* de Tabernas *in Aragonia.*

HIS ſic prælibatis ad ACTA veniamus, quæ per ſynopſim ex vetuſtiſſimo *Breuiario S. E. Toletana* foliis membranaceis, edito Venetiis, per *Ioannem Herbort de Silingeſtat* Alemanum Anno Domini M. CCCC. LXXXIII. & alio *Salmanticenſi* antiquo Anno 1541. ſubiicimus:

ACTA S. PETRI APOSTOLORVM Principis, & Chriſti Vicarij, Hiſpaniarum Protectoris, & in earum Prouincijs Prædicatoris; ex Breuiarijs Hiſpaniæ.

SIMON PETRVS *filius* Ioannis, *frater* Andreæ, *ortus vico* Bethſaidâ, *prouincia* Galileæ, *quæ eſt iuxta ſtagnum* Geneſareth; *cuius prima vocatio nominis fuit* BAR-IONA, *quod interpretatur* Filius Columbæ, *id eſt*, Spiritus-Sancti. PETRVS, *in Chriſto Eccleſiæ firmamentum eſt.* CEPHAS, *corporis Chriſti, id eſt Eccleſiæ principatus, & caput eſt.* SIMON *Ioannis, Virginitatis* *Origo.* *Nominum etymon.*

generatio incorrupta eſt. Qui licèt circa Ioannem habeatur tertius, iuxta Matthæum eligitur primus. Hic in Galatia, Ponto, Cappadocia, Bithinia, Aſia, Italia, deinde Hiſpania, *& Africa Euangelium prædicauit, atque harum virtutum inſignibus effulſit Pendulo greſſu feruidum mare calcauit: prateriens vmbrâ ſuâ mortuos animauit: claudis priſtinum reintegrauit officium: Paralytici fluida membra in proprio reparauit ſtatu: Inter hæc defunctam viduam ſuſcitauit: Ananiam, & Saphiram reos perfidiæ mortis animaduerſione damnauit: Simonem Magum magicis artibus cœlum etiam conſcendentem, ad terram eliſit. Hic poſtquam Antiochenam fundauit Eccleſiam, ſub Claudio Cæſare contra eundem Simonem Magum Romam pergit, ibique manens, Euangelium Chriſti prædicando XXV. annis, eiuſdem vrbis tenuit Pontificatum. Vbi ordinauit duos Epiſcopos, Linum, & Cletum, qui præſentialiter omne miniſterium ſacerdotale in vrbe Roma, populo, & ſuperuenientibus exhiberent: ipſe verò orationi, & prædicationi operam dabat. Clementem verò poſt ſe Papam ipſe ordinauit, & Chriſtianis, vt ei obedientiam vt ſibi exhiberent, imperauit. Denique dato à Nerone præcepto, vt PETRVS comprehenderetur, ſuperuenerunt quatuor apparitores, qui eum comprehendentes, ſtatuerunt Agrippæ Præfecto vrbis, qui ait:* Multa tibi es fiducia in plebibus, quas circumuenis, atque in fœminis, quæ à toro maritali diſcedunt: qui auſus es in Deorum iniuriam, neſcio quem Chriſtum, inducere, & contra deuotionem ſanctæ vrbis æternæ, neſcio quæ inepta, & vana docere. *Tunc facta eſt facies Apoſtoli ſicut Sol ſplendida, & aperiens os ſuum ait ad eum:* Ignoras tu gloriam in qua mihi glorior, & ideò dicis, quod in viris, & in mulieribus mihi ſit fiducia. *Et ait ad eum Agrippa Præfectus:* In quo tibi gloriaris? Scis quia ignoro: facito me noſſe: *Et ait ad eum* PETRVS: Nulla eſt mihi gloria, niſi CRVX Domini Noſtri Ieſu-Chriſti, cuius ego ſum ſeruus. *Et ait ad eum Agrippa:* Vis ergo vt ſicut Dominus tuus crucifixus eſt, ita & tu crucifigaris? *Et ait ad eum* PETRVS: Non ſum dignus erectâ CRVCE mundum teſtem facere paſſionis meæ; ſed quæuis ſupplicia opto, & deſidero eius ſequi veſtigia paſſionis. *Tum Præfectus crucifigi Apoſtolum iuſſit. Inde ſubitò concurſus factus eſt hominum diuerſæ ætatis, vtriuſque ſexus, qui ſummâ voce clamabant:* Vt quid occiditur PETRVS? Quid admiſit criminis? In quo læſit vrbem? *Et cæperunt in Agrippam Populi ſæuire. Tunc* PETRVS *reſtitit modicum, & omnem plebem ad ſilentium prouocans, ait:* Si charitas veſtra in me vera eſt, & viſcera integra in me pietatis oſtenditis, nolite me reuocare ad Dominum euntem; nolite impedire properantem ad Chriſtum. *Superuenit autem Populus infinitus ad locum, qui appellatur* Naumachia, *iuxta Obeliſcum nemoris, illic enim ei* CRVX *poſita erat. Facto autem longo interuallo, pendens in cruce, capite ad pedes verſo, emiſit ſpiritum. Statímque Marcellus, non expectatâ alicuius ſententiâ, de Cruce proprijs manibus depoſuit Corpus eius, & multis aromatibus liniens, & diuerſo genere pigmentorum in ſarcophago nouo conditum illud collocauit,* Tertio Kalend. Iulij, *Anno Domini* LXIX. *Lucio Fonteio Capitone, & C. Domitio COSS. Ad cuius ergo marmor hoc inſcripſit Epigramma deuotio.*

Peregrinatio.

Miracula.

Romã pergit.

Comprehenditur.

Facies eius ſicut Sol.

Iubetur crucifigi.

Commonetur populus.

Coronatur.

Sepelitur.

Qua regnum cœleſte ſuper fundauit IESVS,
Prima ſuum, latet hìc petra ſecunda PETRVS.
Sit quamuis contrita omnis, ſic ſurgit in altum,
Vt reſeret ſuperas, claudat & vna fores.
Vna ſuper terra ſoluit, ligat vna Poteſtas,
Aſtra ſimul ſoluunt, aſtra ligántque ſimul.
Vt tota æternum fidei ſtructura manebit,
Sic ponentis opus gloria Pontificis.

Ex

Digitized by Google

Ex hacce quoque ACTORVM relatione colliges, qualis apud antiquos *Hiſpanos* circumferebatur opinio de *Aduentu in Hiſpanias* PETRI, quam ferè omnia *Hiſpaniarum Breuiaria* feliciter ſunt aſſecuta; provt & alij Eruditi Doctores Exteri, inter quos, quia hodie ad manus deuenit meas *Leuinij Torrentij* Antuerpienſis Epiſcopi Libellus Sacrorum Poëmatum, hîc ipſius ſententiam *lib. 5. de Cruent. Chriſt. Sacrif. fol. 219.* referam. *Breuiaria Antiqua Hiſpanie.*

Iamque nouum Chriſti nomen, non Itala tantùm
Audiuit per te tellus, ſed & aſper IBERVS,
Germanúſque ferox, Gallíque, & transfreta Ponti
Africa.

SED & in relatis vetuſtiſſimis Hiſpaniæ *Breuiarijs* adſunt Hymni ſpeciales, & proprij in ſolemnitate S. PETRI vnà cum commemoratione S. PAVLI, quorum licèt feſtum Eccleſia Vniuerſalis in diuerſos ſeparauerit dies, *Hiſpana* in Hymnis eorum laudes meritò coniunxit. Sic *Muzarabum*. *In quibus Hymni.*

IN FESTO SS. APOSTOLORVM PETRI, & PAVLI, Hymnus.

Apoſtolorum paſſio
Diem ſacrauit ſeculi,
PETRI *triumphum nobilem,*
PAVLI *coronam præferens.*
Coniunxit æquales Viros
Cruor triumphalis necis,
Deum ſecuti Præſulem,
Chriſti coronauit fides.
Primus PETRVS *Apoſtolus,*
Nec PAVLVS *impar gratiæ,*
Electionis vas, ſacri
PETRI *adæquauit fidem.*
Verſo Crucis veſtigio,
SIMON *honorem dans Deo,*
Suſpenſus adſcendit, dati
Non immemor Oraculi.
Præcinctus, vt dictum eſt,
Se ne eleuatus ab altero,
Quo volet ibit, ſed volens
Mortem ſubegit aſperam.
Hic Romæ caſus vertice
Deuotionem extulit,
Fundata tali ſanguine,
Et Vatis tanti, nobilis.
Tanta per Vrbis ambitum
Stipata tendunt agmina,
Trino celebratur Deo
Feſtum ſacrorum Martyrum.
Prodire quis mundum putet,
Concurrere plebem Deo
Electam, Gentium caput,
Fide Magiſtra Gentium.

IN Breuiariis autem *Hiſpalenſi, Toletano, Compoſtellano, Segobienſi, Salmantino, Abulenſi, Ilerdenſi, Tyraſonenſi, Burgenſi, Sigenenſi, Zamorenſi, Tudenſi, Pampilonenſi*, & cæteris Hiſpaniæ adſunt Hymni, quos ELPIS Boëtij vxor in SS. Apoſtolorum laudem concinnauit, in hunc modum:

IN FESTO SS. PETRI, ET PAVLI Apoſtolorum, Hymnus.

Felix per omnes feſtum mundi cardines
Apoſtolorum præpollet alacriter,
PETRI *Beati,* PAVLI *ſacratiſſimi,*
Quos Chriſtus almo conſecrauit ſanguine,
Eccleſiarum deputauit Principes.

Hi ſunt duo Oliuæ coram Domino
Et candelabra luce radiantia,
Præclara Cœli duo luminaria:
Fortia ſoluunt peccatorum vincula,
Portas Olympi reſerant fidelibus,
Habent ſupernam poteſtatem claudere
Sermone, ſed & pandere ſplendentia
Limina Poli, ſuper alta ſydera,
Linguæ eorum claues cœli factæ ſunt,
Laruas repellunt vltra mundi limitem.
PETRVS *Beatus catenarum laqueos*
Chriſto iubente, rupit mirabiliter,
Cuſtos ouilis, & Doctor Eccleſiæ,
Paſtórque gregis, Conſeruator ouium
Arcet luporum truculentam rabiem.
Quodcunque vinclis ſuper terram ſtrinxerit,
Erit in aſtris religatum fortiter:
Et quod ſoluerit in terris arbitrio,
Erit ſolutum ſuper cœli radium;
In fine mundi iudex erit ſeculi.
Non impar PAVLVS *huic, Doctor Gentium,*
Electionis templum ſacratiſſimum,
In morte compar, in corona particeps,
Ambo lucernæ, & decus Eccleſiæ
In Orbe, claro coruſcant vibramine.
O Roma fœlix, quæ tantorum Principum,
Es purpurata pretioſo ſanguine;
Excellis omnem mundi pulchritudinem,
Non laude tuâ, ſed Sanctorum meritis,
Quos cruentatis iugulaſti gladijs.
Vos ergo Sancti glorioſi Martyres,
PETRE *Beate*, PAVLE *mundi lilium,*
Cœleſtis aulæ triumphales milites,
Precibus almis noſtris, nos ab omnibus
Munite malis, ferte ſuper æthera.

CVR & non hic *Aurelij Prudentij Clementis* Noſtri, V. C. & Catholici Poëtæ, Paſſionis SS. Apoſtolorum Carmen ſubiiciemus? Cuius ecphraſin, quoad hoc, paſſim Baron. *Annal. Tom.* 1. *Ann.* 69. repetit. Et Maximè Nos qui in hiſce Commentariis, ſuffragiis Noſtratum vti propoſuimus.

PASSIO

PASSIO BEATISSIMORVM PETRI, & PAVLI Apoſtolorum; ex Aurelio Prudentio Clemente Hiſpano.

PLus ſolito coëunt ad gaudia, dic amice quid ſit,
Romam per omnem curſitant, ouántque.
Feſtus Apoſtolici nobis redit hic dies triumphi,
PAVLI, atque PETRI nobilis cruore,
Vnus vtrumque dies, pleno tamen innouatus anno
Vidit ſuperbâ morte laureatum.
Scit Tyberina palus, quæ flumine labitur propinquo
Binis dicatum cæſpitem trophæis.
Et Crucis, & gladij teſtis, quibus irrigans eaſdem
Bis fluxit imber ſanguinis per herbas.
Prima PETRVM rapuit ſententia legibus Neronis
Pendere iuſſum præminente ligno.
Ille tamen veritus celſæ decus æmulando mortis
Ambire tanti gloriam Magiſtri:
Exigit vt pedibus merſum caput imprimant ſupinis
Quo ſpectet imum ſtipitem cerebro.
Figitur ergo manus ſubter, ſola verſus in cacumen,
Hoc mente maior, quò minor figura,
Nouerat ex humili cælum citiùs ſolere adiri,
Deiecit hora, ſpiritum daturus.
Vt teres orbis iter flexi rota percurrit anni,
Diémque eundem Sol reduxit ortus.
Euomit in iugulum PAVLI Nero *feruidum furorem,*
Iubet feriri Gentium Magiſtrum.
Ipſe prius ſibimet finem citò dixerat futurum,
Ad Chriſtum eundum eſt, iam reſoluor, inquit.
Nec mora, protrahitur, pœnæ datur, immolatur enſe,
Non hora autem, non dies fefellit.
Diuidit oſſa duûm Tybris ſacer ex vtraque ripâ,
Inter ſacrata dum fluit ſepulchra.
Dextra PETRVM regio tectis tenet aureis receptum,
Canens oliua murmurans fluento.
Namquè ſupercilio ſaxi liquor ortus, excitauit
Fontem perennem chriſmatis feracem.
Nunc pretioſa ruit per marmora, lubricátque cliuum,
Donec virenti fluctuet Colymbo.

Interior

Interior tumuli pars eſt vbi lapſibus ſonoris
Stagnum niuali voluitur profundo.
Omnicolor vitreas pictura ſuperne tingit vndas,
Muſci relucent, & vireſcit aurum.
Cyaneúſque latex vmbram trahit imminentis oſtri,
Credas moueri fluctibus lacunar.
Paſtor oues alit, ipſe illic gelidi rigore fontis
Videt ſitire quas fluenta Chriſti.
Parte aliâ titulum PAVLI via ſeruat Oſtienſis,
Quâ ſtringit amnis caſpitem ſiniſtrum.
Regia pompa loci eſt, Princeps bonus has ſacrauit arces
Lusítque magnis ambitum talentis.
Bracteolas trabibus ſubleuit, vt omnis aurulenta
Lux eſſet intus, ceu iubar ſub ortu,
Subdidit & Parias fuluis laquearibus columnas,
Diſtinguit illic quas quaternus ordo.
Tum Camyros hyalo inſigni variè cucurrit arcus
Sic prata vernis floribus renident.
Ecce duas fidei, Summo Patre conferente, dotes
Vrbi colendas quas dedit togata.
Aſpice per biſidas plebs Romula funditur plateas,
Lux in duobus feruet vna feſtis,
Nos ad vtrumque tamen greſſu properamus incitato;
Et his, & illis perfruamur hymnis.
Ibimus vlteriùs quâ fert via pontis Adriani,
Lauam deinde fluminis petemus.
Tranſtyberina priùs ſoluit ſacra peruigil Sacerdos:
Mox huc recurrit, duplicátque vota.
Hæc didiciſſe ſat eſt Roma tibi, tu domum reuerſus
Diem bis feſtum ſic colas, memento.

Plura alia ex Noſtratibus poëmata hîc adnectere poſſemus; ſed illa conſultò, ne in magnam protraheretur molem iſtæc Notatio, omiſimus. Ad alia pergo.

B. *An iſte dies agonis?*

SS. BAVDELIVS, IVLIA, & Socij Martyres.] Diuerſus iſte à *Nemauſenſi* in *Gallia* Martyre, cuius dies feſtus colitur *III. Kalend. Iunij*. Et licet Iulianus Noſter Archipresbyter Toletanus in *Aduerſar. n.* 321. *fol.* 71. aſſerat, martyrium conſummaſſe die *XX. Aprilis*, eiuſque feſtum coli *Kalend. Nouembris*, proculdubio adfuit mendum in editione iſta *Iuliani*, cùm conſtet ex ſequenti inſcriptione, quam apud me MS. inter *Auli Hali* mei Poëmata retineo, hoc lemmate; hoc die occubuiſſe:

PRO SS. BAVDELIO ET SOCIIS
Martyribus Zamorenſibus.

SEntica *nunc tua* BAVDELI *in hoc marmore condit*
Oſſa ſacrata diù, quæ veneratur amor.

Impius

Digitized by Google

Impius Imperij Princeps te, numine fasso,
Verbera post, hastâ transfigit, igne cremat.
Supplicium pateris magnâ comitante caterua,
Quo die cruce Petrus, Paulus *& ense cadit.*
Et licet in alium solemnia iure Zamora
Transtulit, hoc Nostri Te coluêre die.

Quo cognito venio ad elogia. De eis primus Flauius Dext. in *Chron. Ann.* 356. hac clausulâ meminit: SENTICÆ *in Hispania* BAVDELIVS, IVLIA, *& alij Martyres, qui in alijs persecutionibus passi in* Hispania, *coluntur.* Quo loco P. Biuar. in *Comment. num.* 4. *fol.* 386. *&* 387. Roder. Car. *ibidem fol.* 127. *lit. G.* Iulian. Nost. supr. *d. n.* 321. hac serie: *Celebris est memoria* S. BAVDELII, Zamorensis *Ciuis, vulgo dicti* BOAL, *qui passus est martyrium sub Diocletiano* XX. Aprilis, *Anno* CC. LXXXVIII. *sub Daciano Præside. Adest pictura cum corpore transfixo quadrihastâ, Celebratur eius dies natalitius Kal. Nouembris. Reliquiæ eius seruantur* Oueti *in Camera Sancta.* Plura de S. BAVDELIO P. F. Alfonsus Vazq. *in Defensor. S. Ildefonsi lib.* 1. *c.* 5. *fol.* 42. ACTA à nemine scripta cognoui, illa summatim, antiquorum Scriptorum vestigiis adhærentes, coagulabimus. *Scriptores.*

ACTA SS. BAVDELII, IVLIÆ, & Sociorum Martyrum Zamorensium; ex Varijs.

BAVDELIVS *&* IVLIA *Ciues* Zamorenses *in* Hispania, *cum Christo nomina dedissent, & in Catholica permanerent fide, euenient in* Hispanias, *Diocletiani & Maximiani Imperatorum iussu,* Daciano *crudelissimo Præside, vt Christi nomen non tantùm in Templis manu factis, sed etiam in cordibus deleret fidelium,* Zamoram *ingressus, publicatu edictis,* BAVDELIVM, *&* IVLIAM, *& alios Christi assectas, ob fidei confessionem comprehendi iussit. Quos cùm nec blanditijs à fide suscepta distrahere, & ad Idolorum cultum adtrahere valuisset; per cruciatuum examina, in eorum constantia vindictam desæuire proposuit. Hinc* BAVDELIVM *primò verberum imbre flagellatum, tantâ rigoris continuatione coercuit, vt vix membrorum in Martyris corpore reperiretur compago. Cuius Tyrannus intuens in fidei confessione constantiam, illum stipiti affixum, quadrihastâ transuerberari præcepit, & deinceps suppositis carbonibus concremari. Quo facto, Deo spiritum obtulit,* XXIX. Iulij, *Anno Domini* CC. LXXXVIII. *Cuius* Corpus *ibidem sepultum, pòst* Ouetum *translatum, & in Camerâ sanctâ reconditum, ibidem dicitur adseruatum.*

Origo.

Comprehenditur.

Flagellatur.

Coronatur.

QVATENVS ad generá Passionum IVLIÆ, & aliorum Sociorum Martyrum, sub silentio iacent. Credibile est, æqualem cum BAVDELIO agonem peregisse, cùm Tyranni virulenta rabies nulli parcere consueuisset.

CIRCA Sepulchrum Martyris apud *Zamoram,* Testes sunt *Biuarius,* & *Vasquius,* qui adhuc in Ecclesia *S. Torquati* inspectari, cum subscriptione vetustis characteribus exaratâ, quâ refertur, BAVDELIVM inibi in *Monte Concilij*, prope vrbis mœnia cum sociis passum fuisse; contendunt. Eadem M. Ægidius Gonzal. Regius Chronographus in *Theatr. Eccles. tom.* 2. *fol.* 386. Ast si Iuliano credendum est, pio sunt errore decepti *Zamorenses*, cùm ille asseueret, BAVDELII corpus *Ouetum* fuisse translatum. Fortè *Reliquiarum* partes, vtrobique conditas asserimus: Nisi relationi Luitprandi in *Aduersar. n.* 63. adhæreamus, vbi hæc verba: *Reliquiæ* S. BAVDELII, *Diaconi, & Martyris* Nemausensis, *sub Iuliano passi pro fide, delatæ sunt* Rhodam, *ciuitatem maritimam prope* Indigetes, *&* Toletum, *quæ pòst delatæ sunt in arcâ sacrâ* Ouetum. Quod si euênit sic, & *Reliquiæ*, quas *Ouetensis* possidet Ecclesia, Martyris *Nemausensis* sunt, vt inquit *Luitprandus*, optimo lætantur iure *Zamorenses*. Sed si verum amamus, hæc *Luitprandi* ecphrasis mihi semper commentitia visa est, & *Vbi Reliquiæ.*

Luitprandi sententia diluitur.

erroribus

Digitized by Google

I. erroribus plena. I. Quia *Nemauſenſis* Diaconus Martyr Martyrium pertulit, non *Iuliani* æuo, vt aſſerit *Luitprandus*, vel quiſquis fuit illius gloſſematis auctor, ſed *Gothorum* tempore, vt eius indicant Acta apud Equilinum in *Catal. SS. lib. 5. c. 24.* Sauſſay. II. in *Martyrol. Gallican. Tom. 1. Die XX. Maij fol. 293.* II. Quia huius S. Diaconi corpus ſemper in *Gallia* extitit in Eccleſia *Aurelianenſi*, donec à *Caluiniſtis* hæreticis cum aliis Sanctorum exuuiis, Anno M. D. LXII. qui *Galliæ* luctuoſus in æternũ erit, igni datum fuit, vt refert idem Andr. Sauſſay. in *Martyrol. Gallican. Tom. 2. Die. XXVI. Octobr. fol.* 782. & ſeq. & *Die XVII. Nouembr. fol.* 898. III. Quia facilior erat Tranſlatio *Zamorâ* Hiſpaniæ, quàm *Aureliâ* Galliæ, *Ouetum*, tanquam ex viciniori vrbe, reſciſſis tot itinerum anfractibus.

III.

Topographia.

SENTICA. Vrbs Hiſpaniæ vetuſtiſſima ex Claud. Ptolem. in *Geograph. lib. 2. Tab. 2. Europ. c. 6.* qui in *Vacceis* ſuper *Durium* flumen conſtituit, vt & obſeruarunt Henric. Cocus in *Hiſpan. Heroica, verſ.* 138. quam MS. apud me habeo, ſic:

SENTICA quæ Duri fluctus bibis ardua ſemper.
Et ſeruare fidem ſolita horrida bella tuliſti.

Ioannes Marian. *Hiſtor. Hiſpan. lib. 6. c.* 10. & alij à Biuario relati *d. fol.* 386. Florian. de Ocampo *Hiſtor. Hiſpan. lib. 3. c.* 40. Hodie dicitur ZAMORA, ſede Epiſcopali condecorata. Cuius vltimus Epiſcopus Illuſtriſſimus ac Reuerendiſſimus D. ac D. IOANNES *Coello de Ribera*, & *Sandoual*, mihi ſemper venerandus, ex nobiliſſimo apud Hiſpanos genere ortus, omni doctrinæ ſpecimine à puero inſtructus, morum integritate apprimè commendabilis, & ingenij laude mirificè florens, ad *Placentinam* Sedem, Innocentio X. Pont. Max. diſponente, Anno Domini M. D C. LII. Kalend. Decembris per dimiſſionem Illuſtriſſimi D. ac D. mei DIDACI *de Arze Reynoſo*, Generalis Inquiſitoris Hiſpaniæ, tranſlatus eſt.

C. S. BENEDICTA Virgo Sanctimonialis.] Huius ſanctiſſimæ Virginis nomen in æterno cælorum albo ſcriptum, proculdubio *S. Fructuoſi in Actis* §. 16. quæ Nos ſupra *Tom. 2. Die XVI. April. fol.* 674. dedimus, S. Valerius fatetur: à quo omnes Martyrologiorum Scriptores h. d. licèt cùm ex *Vſuardi* fœdato codice, locum mutuarent originis, prouinciam prorſus nominum confuſione mutarunt. Apud illos igitur, præcipuè *Vſuardum*, à quo omnes, ſic: *In Territorio Senonico* B. BENEDICTÆ *Virginis*. Sed vbi hoc Territorium? Nullus, quem viderim, aperit: imò, quod plus eſt, nec ipſe Andreas Sauſſay. in *Martyrolog. Gallican. h. d. Tom. 1. fol.* 396. auſus fuit addere *in Gallia*, fortè huiuſmodi Diuæ ignoratione compreſſus; & ideò in eius elogio, generali verborum inuolucro contentus, nihil ſpeciale contexuit.

Error circa prouinciam in Martyrologijs detegitur.

I. Quod euidentiſſimè patet: Nam ſi apud *Senonem* in *Gallia* Virginis obitus euenire-t, *Vſuardus*, homo *Gallus*, qui *Caroli magni* iuſſu Gallorum Regis, illud Martyrologium Sanctorum ordinauit, proculdubio *Gallicanam* Regionem exprimeret: hanc occuluit, ergo aut illam ignorauit, aut non fuiſſe *Gallicanam* virtualiter conceſſit. Probatur SECVNDO: Nam dato, quod *Vſuardus* prouinciæ nomen adII. imeret, aut ignoratione ſucceſſus, aut propriâ ipſiuſmet incuriâ; vt quid cæteri Scriptores ſequentes, maximè *Galli*, & *Benedictini* Monachi, *Vſuardi* lacunam non impleuêre? ergo ſignum eſt, ignoraſſe Virginem, eiúſque res geſtas haud cognouiſſe: provt nec hodie agnoſcunt; vt videre eſt apud *VVionem*, qui in fide *Vſuardi* huius Virginis meminit, quem ſecutus *Hugo Menardus* in Martyrologiis Monaſticis, nihil de ea quod obſeruaret agnouit. Cæſar Baron. in *Not. ad Martyrol. Roman. h. d. lit. F.* Vſuardum tantum Auctorem profert.

Reſtituendus eſt locus obitûs in Martyrologijs.

His ſic delibatis, iure Noſtram vindicandam BENEDICTAM virginem *Hiſpanam* aggredimur, vt *Gaditanis* ſua reſtituatur Abbatiſſa, & quod ſuum eſt vnicuique detur; ita vt in Martyrologiis adhuc expreſſum, & impreſſum mendum obliteretur, & verum inpoſterum, & genuinum prouinciæ nomen reponatur. Ad huius rei igitur veritatem probandam ipſiſſima eius ACTA, à *S. Valerio* Abbate, *S. Petri Montium* in Vergedenſi Territorio, de quo & Nos ſupra *Tom. 1. Die* I. *ex Actis,* *XXV. Februar. fol.* 247. egimus, conſcripta, inter res geſtas *S. Fructuoſi*, cuius vitam texuit, manifeſtent, ſic.

ACTA

ACTA S. BENEDICTÆ NONENSIS

Abbatissæ, ex Actis S. Fructuosi Episcopi Braccarensis, à S. Valerio Abbate Vergedensi, scriptis.

QVÆDAM *Virgo sacratissima, nomine* BENEDICTA, *claro genere exorta, atque ex Gardingo Regis sponsa, ardore fidei, & flammâ ardoris sanctæ Religionis succensa, à suis occultè fugiens parentibus, sola ingressa est diuersa eremi loca, & sic imperuia, & ignota errando deserta: tandem, duce Domino, appropinquauit ad sanctam Cœnobij congregationem. Non audens procedere, sed procul in deserto persistens, suggessit per internuntios* S. Fructuoso, *vt ouem errantem, de luporum faucibus liberaret, & in viam salutis dirigeret, & animam quærentem Dominum, spiritualibus disciplinis institueret, qualiter hoc à Domino, qui ouem perditam humeris suis reportauit, accepisset. Ille verò hæc audiens, immensas Omnipotenti Domino retulit gratias, & iussit ei, vt in eadem deserti sylua paruam faceret mansiunculam. Et vt præfatus Vir referebat, quia de senioribus nullus appropinquare audebat, sed ex nobis paruulis, vnusquisque vice suâ, illi literas ostendebat, & substantiam ministrabat, & ita cum multa coniuratione suggessit, vt nunquam illi cibus aliquis portaretur, nisi cùm Beatissimus Vir, licèt mediâ nocte, reficeretur, & ab eo sanctificatus illi dirigeretur. Hæc nempè spiritualibus studijs edocta diligèter, cùm eius fama per diuersas terras fuisset laudabiliter propalata, tantus desiderij amor inflammabat cæteras diuersorum filias, vt vndique alacriter confluerent eximiæ fœminarum caterua, ita vt intra breue temporis spatium Octogenarius in congregatione numerus Sacrarum virginum compleretur. Quibus in alia solitudine, more solito, construit Monasterium. Tanta itaque in vtroque sexu almifica florebat sanctitas, atque eximia crescebat fama perfectionum, vt viri cum filijs suis ad sanctam se conuerterent Congregationem Monachorum: Matronæ verò earum cum filiabus suis sancto se sociarent consortio puellarum.*

Genere clara.

Ob castitatem domum deserit.

Eremum quærit.

A Nonensibus Monachis eruditur.

Sanctimonialium cõgregatio numerosa.

SPONSVS *verò sæpè dicta Virginis* D. BENEDICTÆ *cum mœrore, & dolore ingenti flebiliter aduersus eam immissus perfidâ liuoris inuidiâ suggessit Regi: sicque de præsentia Regis petijt Iudicem, qui inter eos examinaret iudicij veritatem, Comitem nomine Angelate; qui veniens ad Monasterium Virginum Regiâ procinctus auctoritate, compulit Præpositam Virginum, vt præfatam Virginem de Congregatione secernens, præsentaret, qualiter Sponso suo responderet. Quæ cum violenter fuisset egressa, ita oculos in cælum tendens, recitando intra se, insibilebat, vt faciem illius minimè videret. Cúmque ille aduersus eam assereret, ita per gratiam Domini, Spiritu-Sancto repleta, cum paucis adclusit verbis, vt vltra ei quid diceret, non haberet. Tunc ipse Iudex dixit:* Dimitte eam Domino seruire, & quære tibi aliam vxorem. *Post hæc, eandem sanctissimam Virginem iussit diuina pietas, intra breue temporis spatium, de hoc seculo migrare. Ita factum est per ineffabilem Domini electionem, vt quæ in sancta conuersatione cunctarum Sacrarum Virginum illarum præcesserat chorum, præcederet & in sancta conuersatione, ad supernam gloriam Regni cælorum. Per eum, qui viuit & regnat in secula seculorum Amen.*

Sponsus coram Rege virginem petit.

Absoluitur B Virgo.

Moritur.

Quod omnia hæc in *Gaditana* euenissent *Insulâ*, in quâ NONENSE extruxit Cœnobium, ipse S. Valerius §. 14. & 15. fatetur, & conueniunt Scriptores Nostri Ambros. Moral. *Hist. Hisp. lib.* 12. *c.* 35 *fol.* 149. D. Francisc. Padill. *Histor. Eccles. Hisp. tom.* 2. *Cent.* 7. *c.* 44. *fol.* 268. & cæteri qui de actis *S. Fructuosi* scripsêre, præcipuè F. Anton. Yep in *Chron. Benedict. tom.* 2. *Cent.* 2. *Ann.* 646. *c.* 1. *f.* 177. D. Prudent. de Sandoual in *Fundat. Cœnob. S. Petri Mont. fol.* 18. *&* 79. vitã huius S. Abbatis & Episcopi descripsit.

HINC elicitur, quanto hucusque laborarunt errore *Codices Vsuardi*, apud quos pro *Territorio* NONENSI, fortè ignorato, amanuenses repósuerunt *in Territorio* SÉNONENSI, cognito; & cum *Vsuardo*, Martyrologium Romanum cum recentioribus; quod vt feliciùs innotescat operepretium duxi Carmen Sepulcrale huic S. Virgini ab *Anonymo* scriptũ recẽsere, quod inter *Auli Hali* Poëmata MSS. legitur hoc titulo.

II. ex auctoritate Epigrammatis vetustissimi MS.

Digitized by Google

PRO S. BENEDICTA V. NONENSIS

Cœnobij apud Gaditanos, ex Anonymo.

Hic Benedicta *iacet* Nonensis *inclyta Virgo,*
Quæ ſponſum deſerens, Sponſa ſit vna Dei.
Adhæſit Fructuoſo *tunc Sancta Magiſtro.*
Cùm Gaditanis *prædicat almus heros.*
Pòſt moritur victrix referens ad culmina cœli
Virtutum cumulos, queis ea floret ouans.
Tertio *nam* die Iulij *repetita* Kalendis.
Feſtiuitas colitur, hîc, & in Vrbe ſimul.

Annus obitus. Ex quibus facilè datur intelligi, Benedictam Virginem, quam hocdie referunt Martyrologia apud Senonem occubuiſſe, eſſe Noſtram *Gaditanã* Benedictam, & apud Nonem Cœnobium à S. Fructuoſo conditum, è viuis ſublatam: Aſt quo Anno? adhuc neſcitur; creditur ad Eram DC. LXXXVIII. hoc eſt Chriſti DC. L. cùm iam ædificaſſet Cœnobium Nonense, Anno DC. XLVIII.

PRIDIE KAL. IVLII.

DIES XXX.

A. In *Hiſpania celebris eſt Commemoratio* B. Pavli *Apoſtoli, Gentium Magiſtri, qui in locum* Iacobi *Noſtri per martyrium ſublati, Hiſpaniarum etiam Apoſtolus ſubrogatus, vniuerſam prouinciam præſentialiter perluſtrauit, accolis fidem prædicauit, Catholicos roborauit, vrbes Magiſtris, Prædicatoribus, & Præſulibus exornauit, Romam profectus, ad martyrij coronam peruenit.*

B. Pampilone *in Nauarra Hiſpaniæ* S. Martiani *ipſius vrbis Epiſcopi, qui in Hiſpaniarum excidio à Saracenis pro fidei confeſſione, & ouium defenſione interemptus ad gloriam martyrij laureâ properauit æternam.*

NOTÆ.

A. *Cauſa huius feſtiuitatis.* Commemoratio S. Pavli Apostoli.] Licèt die antecedenti, tàm Petri, quàm Pavli feſtiuitas in vniuerſa peragatur Eccleſia; tamèn hoc potiſſimùm die ſolius S. Pavli memoriam fieri ex *Gregorij Pont. Max.* inſtituto, docet Microlog. *cap.* 42. & alij recentiores. Cuius rei cauſa colligitur ex *Prudentij Clementis* Noſtri *hymno* 12. quem ſupra dedimus; dum narrat conſueuiſſe Romanum Pontificem, eodem die, Pontificias in vtraque Baſilicâ functiones exercere, ſic:

Tranſtyberina

Tranſtyberina prius ſoluit ſacra peruigil Sacerdos,
Mox huc recurrit, duplicátque vota.

Sed cùm propter locorum diſtantiam id incommode fieret, viſum eſt, Primo Die Vaticana in Baſilica vtriuſque feſtiuitatem peragere; ſequenti verò, hoc eſt, hodie, ad S. PAVLI Templum deuenire. Sic Baron. in *Not. Ad Martyrol. Rom. h. d. lit. A.* Hugo menard. in *Not. ad Sacramental. S. Greg. f.* 169. Iacob. Caniſ. *in Not. ad Floſſanct. Ribadeneyr. h. d. Tom.* 1. *fol.* 287. Et meritò, ne tantorum Apoſtolorum merita vnius diei ſolemnitate confunderentur, & PAVLO ſeparatim ordinaretur feſtiuitas in Orbe, qui totius fuit Orbis Apoſtolus, & Magiſter. Qui, vt inquit *Damaſus* Noſter, Pont. Max. *Epigram.* 1. *S. Damaſi elogium.*

Iam dudùm SAVLVS *procerum præcepta ſecutus*
Cum Domino patrias vellet præponere leges,
Abnueret ſanctos Chriſtum laudaſſe Prophetas,
Cædibus aſſiduis cuperet diſcerpere plebem,
Cum lacerat ſancta Matris pia fœdera cœcus,
Poſt tenebras verum meruit cognoſcere lumen:
Tentatus ſenſit, poſſit quid gloria Chriſti;
Auribus vt Domini vocem, lucémque recepit:
Compoſuit mores, Chriſti præcepta ſecutus,
Mutatus poſtquam placuit de nomine PAVLVS.
Mira fides rerum, ſubitò trans æthera vectus,
Noſcere promeruit, poſſint quid præmia vitæ.
Conſcendit Charus Martyr penetralia Chriſti,
Tertia lux cœli tenuit paradiſus euntem,
Colloquijs Domini fruitur, ſecreta reſeruat
Gentibus, & Populis, iuſſus prædicere vera,
Profundum penetrare maris, noctémque, diémque,
Viſere, cui magnum ſatis eſt vixiſſe, latentem.
Verbera, vincla, famem, lapides, rabiémque ferarum,
Carceris illuuiem, virgas, tormenta, catenas,
Naufragium, lacrymas, ſerpentis dira venena,
Stigmata non timuit portare in corpore Chriſti.
Credentes docuit poſſent quò viſere mortem.
Dignus amore Dei viuit per ſecla Magiſter.
Verſibus his breuiter fateor, ſanctiſſime Doctor
PAVLE, *tuos Damaſus volui monſtrare triumphos.*

Iſtum eximium Apoſtolum HISPANIA meritò ſolemni ritu concelebrat, & propter tanti Doctoris magiſterium, quo poſt IACOBVM Noſtrum, populos erudiuit Ibericos; & propter aliquot ſacra lipſana in Noſtratûm ſacrariis adſeruata. Quorum probationem, vt inſtituto pareamus, ſubiicere compellimur. *Paulus Hiſpanias adyt.*

PRIMA venerabilis ſolemnitatis cauſa probatur, primo ex locis ſacræ Scripturæ die præcedenti, in probatione aduentus in Hiſpanias PETRI, relatis; quæ hic repetere prolixum. Quibus adde locum Iſaiæ *c.* 52. *verſ.* 10. dicentis: *Parauit Dominus* BRACHIVM *ſanctum ſuum in oculis* GENTIVM, *vt viderent* FINES *terræ Salutare Dei Noſtri.* Quis ſi hæc legat, prælocutum Prophetam de PAVLO Apoſtolo GENTIVM Doctore, & HISPANIARVM Magiſtro, dubitabit? *Probatur I. Iſaiæ locus explicatur pro Aductu S. Pauli ad Hiſpanias.*

Digitized by Google

Sed ad huius loci explicationem veniamus, BRACHIVM enim in ſacris Literis ſæpè fortitudinem ſignificat operationis, & miniſterij. *Prouerb. c.* 3. poſt agri emptionem: *Accinxit fortitudine lumbos ſuos, & roborauit* BRACHIVM *ſuum, guſtauit, & vidit, quia bona eſt* operatio *eius.* Operator, & Miniſter Euangelij fuit PAVLVS renuntiatus à Domino. Ad quos? Ad *Gentes*, vt ipſe Dominus *Act. Apoſt. cap.* 26. *verſ.* 16. teſtatur: *Ad hoc apparui tibi, vt conſtituam te* MINISTRVM, *& teſtem eorum quæ vidiſti*, GENTIBVS, *in quas nunc ego mitto te.* Et ipſe ad *Galat. cap.* 1. *verſ.* 15. de ſe ipſo: *Cùm autem placuit ei, qui me ſegregauit ab vtero matris meæ, & vocauit per gratiam ſuam, vt* euangelizarem *illum in* GENTIBVS. Quæ & alludunt verba, ad illa à Domino prolata *Act. Apoſt. c.* 13. *verſ.* 2. dicentia: *Segregate mihi* SAVLVM, *& Barnabam, in* OPVS *ad quod aſſumpſi eos.* Ecce BRACHIVM, id eſt OPERATOREM, ſiue MINISTRVM Euangelij, quem per *Iſaiam* parauit Dominus, in oculis Gentium, vt coram illis portaret Nomen Domini, *Act. Apoſt. c.* 9. *verſ.* 15. Nunc Propheta proſequitur: *Vt viderent* FINES *terræ Salutare Dei Noſtri.* Qui propriè ſunt FINES *terræ*, niſi HISPANIARVM Regiones? Nil notius etiam lippis, & tonſoribus. Rufus Feſt. Auien. *in Deſcription. Orb. Terrar. verſ.* 17. aſſerit: *Tria ſunt confinia terræ vnius.* FINIS *huic* Gades, id eſt; *Hiſpania.* Dionyſius Alexandrin. de *Sit. Orb. verſ.* 64.

Hiſpania finis, & terminus terræ.

Stant ibi pro METIS Orbis *miracula ſumma*
Herculis intuitæ, poſtrema Gadira *columnæ.*

Vbi Euſtathius in *Not. n.* 9. dicens: *Scilicet extant circiter* Gadira, *magno naturæ miraculo, Columnæ vulgo dictæ Herculis, ceu* TERMINI, *ac* FINES Orbis *terrarum.* Quem locum ſic expoſitum nullibi inuenies.

Probatur II. ex verbis Apoſtoli, & SS. Patrum placitis.

SECVNDA Aduentus PAVLI in *Hiſpanias* probatio, deducitur ex promiſſione ab ipſo Apoſtolo factâ Romanis, vt ex eius *Epiſtol.* ad ipſos *cap.* 15. *verſ.* 28. liquet, ſic: *Hoc igitur cùm conſummauero, & aſſignauero eis fructum hunc, per vos proficiſcar in* HISPANIAM. Et licet aliqui ex Patribus hanc promiſſionem, quoad aduentum in HISPANIAM, nequaquam adimpleuiſſe Apoſtolum opinentur; tamen in contrarium eſt aliorum Patrum, & Scriptorum ſententia, imò & Eccleſiæ Vniuerſalis Traditio. De Patrum igitur, & Scriptorum relatione, Primus mihi teſtis aſſiſtat Euſebius in *Hiſtor. Eccleſ. lib.* 2. *cap.* 21. qui illa conſiderans ipſius Apoſtoli 2. *ad Timot. c.* 4. *verſ.* 17. verba dicentia: *Dominus autem mihi adſtitit, & confortauit me, vt per me prædicatio impleatur, & audiant omnes* GENTES: *& liberatus ſum de ore leonis.* Manifeſtiſſimè (*proſequitur Euſebius*) *pro hac deſignat, quia primò quidèm, vt per ſe ipſum cæpta prædicatio impleatur, liberatus eſt de ore Leonis, id eſt, crudelitate Neronis.* Quæ etiam verba Ieronymus de *Scriptorib. Eccleſ. cap.* 5. exponens, illum in Occidentis partes deueniſſe, & prædicaſſe affirmat. Quorum obſcuritatem cùm B. Ioannes Chryſoſtomus elucidare ſatageret *Homil.* 7. *de Laudib. Paul.* concludit: *Romam venit: verùm nec ibi ſtare contentus, etiam in* HISPANIAM *percurrit.* Id ipſum appoſitè amplius declarat S. Ieronymus in *Comment. ſup. Amos c.* 5. *verſ.* 8. ad illa verba Prophetica: *Qui vocat aquas maris, & effundit eas ſuper faciem terræ: Dominus nomen eſt eius.* Proſequitur Ieronymus: PAVLVS *vocatus à Domino, effuſus eſt ſuper faciem vniuerſæ terræ, vt prædicaret Euangelium de Ieroſolymis vſque ad Illyricum, & ædificauit non ſuper alterius fundamentum, vbi iam fuerat prædicatum, ſed & vſque ad* Hiſpanias *tenderet.* Conſentiunt Sophronius Patriarcha Ieroſolymitan. *Sermon. de Natal. Apoſtolor.* S. Iſidor. *de Ortu & Obit. SS. cap.* 71. Ieronym. in *cap.* 11. *Iſaiæ & Epiſt.* 8. Gregorius Magn. *lib.* 31. *Moral. c.* 22. Anſelm. *in cap.* 15. *ad Roman.* Athanaſ. *Epiſtol. ad Dracont.* & in *Synopſ.* Cyrill. *Catechеſ.* 17. Epiphanius *hæreſ.* 27. Hyppolit. *de XII. Apoſtol.* Theodoret. *ſup.* 2. *ad Timot. c. vltim.* & ad *Philippenſ. c.* 1. & in *Pſalm.* 116. Ex Noſtris Flau. Dext. *in Chron. Ann.* 64. vbi Biuar. *num.* 4. *fol.* 124. Iulianus Noſter Archipresbyt. Toletan. in *Chron. num.* 21. Lucas Tudenſ. *in Chron.* Abulenſis *in cap.* 33. *Geneſ. & cap.* 2. *Matth.* Ambroſ. Moral. *Hiſtor. Hiſpan. lib.* 9. *cap.* 11. Padill. *Hiſtor. Eccleſ. Hiſpan. Cent.* 1. *cap.* 23. Beuter *Hiſtor. Valentin. lib.* 1. *c.* 23. Pujades *Hiſtor. Catalon. lib.* 4. *cap.* 13. 14. & 15. Pons Icart. *Hiſtor. Tarracon.*

Et ex Scriptorum ſententia.

cap. 37.

Digitized by Google

*cap.*37. Diagus *Hiſtor. Valentin. lib.* 4. *cap.* 8. Aulus Halus meus *de Aduent. S. Iacob. verſ.* 399. *folio* 86. P. Mariana *Hiſtor. Hiſpan. lib.* 4. *cap.* 3. P. Ioann. Marieta *Hiſtor. Sanctorum Hiſpan. lib.* 1. *cap.* 13. F. Ludouic. de Vtrera *Hiſtor. Eccleſ. Æthiopic. lib.* 2. *cap.* 1. Vaſſæus in *Chronic. Hiſpan. Ann.* 67. Ægidius Zamorenſis *de laudibus Hiſpan. cap.* 3. Stephanus Garibay. *in Compend. Hiſtorial. lib.* 7. *cap.* 6. Pineda *in Monarch. Eccleſiaſt.* 2. *part. lib.* 10. *cap.* 33. §. 1. *&* 2. Puente *in Conuenient. Monarchiar.* 1. *part. lib.* 2. *cap.* 13. *fol.* 162. *& lib.* 3. *cap.* 11. §. 3. Alfonſus de Requen. *de Aduent. S. Pauli.* 1. *part. cap.* 8. Villegas, Santoro, Ribadeneyra, Truxillo, & cæteri Florum Sanctor. Scriptores. Gaſpar Sanct. *de Aduent. Paul. in Hiſpan.* & alij.

TERTIA probatio elicitur ex Vniuerſalis Eccleſiæ traditione, in Romano Martyrologio *Die XXII. Martij* canonizata, hac ſerie: *Narbonæ in Gallia, Natalis S. Pauli Epiſcopi, Apoſtolorum Diſcipuli, quem tradunt fuiſſe Sergium Paulum Proconſulem, qui à B. Apoſtolo* PAVLO *baptizatus, & cum in* Hiſpaniam *pergeret, apud Narbonam relictus, ibidem Epiſcopali dignitate donatus eſt.* Vbi Baronius *in Not. litera B.* & in *Annal. Eccleſ. Tom.* 1. *Ann.* 61. *num.* 2. *& ſequentibus.* Hanc ipſam traditionem fatentur ferè omnes *Galliarum*, & *Noſtratum* Eccleſiæ, & Scriptores: de quo plura & Nos ſupra *Tom.* 2. *Die XXII. Martij, fol.* 350. Ex Gallis Scriptoribus, & Exteris, Ado Viennenſis *in Chronic. Ann.* 59. *fol.* 117. qui etiam aſſerit reliquiſſe in Galliæ Vrbibus, Arelatæ Trophimum, & Viennæ Creſcentem: cui conueniunt Genebrardus in *Chronic. Ann.* 63. Ioachim. Perion. *in Vit. S. Paul. fol.* 178. Claud. de Rota *in legendar. SS. cap.* 85. *fol.* 57. Claudius Dauſgius *de Sanctitat. Apoſtol. Paul. fol.* 255. P. Thom. Maſſut. *in Vit. S. Paul. lib.* 13. *cap.* 7. *fol.* 759. Læuin. Torrent. *de Rebus à D. Paul. Geſt. lib.* 2. *verſ.* 1022. Andr. Sauſſay. *in Martyrolog. Gallican. Die XXII. Martij fol.* 164. & alij plurimi ab iſtis relati. *Probatur III. ex vniuerſalis Eccleſiæ traditione.*

NEQVE his obſtant *Innocentij* I. Pontif. Maxim. verba in *Epiſtol. ad Decentium,* quæ contra Nos refert Maſſutius *d. cap.* 7. *fol.* 761. in illis clauſulis: *Manifeſtum eſt in omnem Italiam, Gallias,* Hiſpanias, *Africam, atque Siciliam, Inſuláſque interiacentes, nullum inſtituiſſe Eccleſias, niſi eos, quos Venerabilis Apoſtolus* Petrus, *aut eius Succeſſores conſtituerint Sacerdotes.* Quia reſpondetur, quòd hæc *Innocentij* ſententia non comprehendit Apoſtolos, qui à Deo poteſtatem accepêre prædicandi Euangelium, docendi omnes Gentes, fundandi vbique locorum Eccleſias, eáſque regendi; vt eruditè probat idem Maſſutius *in Vit. Paul. lib.* 2. *cap.* 10. *fol.* 113. Vbi & hanc facultatem competere PAVLO tanquam APOSTOLO à Chriſto deſignato, pluribus auctoritatibus contendit. Si ergo PAVLO hæc fuit attributa facultas, ergo in *Innocentij* cenſura, haudquaquam comprehenſus *Apoſtolus* innodatur. Maximè cùm geſta à PAVLO etiam geſta à PETRO videantur, vt notauimus ſuprà *Tom.* 2. *Die XXVII. Aprilis fol.* 787. & alibi. *Innocentij I. verbu reſpondetur. Apoſtolorum facultas communis.*

MINVS obſtant *Gelaſij* Pontif. Maxim. in *cap. Beatus Paulus,* 22. *quæſt.* 2. verba, quibus hæc Pontifex cenſuit: B PAVLVS *Apoſtolus non ideò, quod abſit, fefelliſſe credendus eſt, aut ſibi extitiſſe contrarius, quoniam cùm ad Hiſpanos ſe promiſiſſet iturum, diſpoſitione diuinâ, maioribus occupatus ex cauſis, implere non potuit, quod promiſit. Quantum enim ipſius voluntatis interfuit, hoc pronuntiauit, quod re verâ voluiſſet efficere: quantùm enim ad diuini ſecreta conſilij, quæ vt homo omnia non potuit, licet ſpiritu Dei plenus, agnoſcere; ſupernâ prætermiſit diſpoſitione præuentus.* Cui & adhærent S. Thom. in *Commentar. ad Epiſtol. ad Roman. cap.* 15. & Sotus *ibidem.* Quia reſpondetur primò: Illud non eſſe *Decretum Pontificium* pertinens ad vniuerſalem fidei, vel Chriſtianæ Religionis diſciplinam; ſed iudicium quoddam, veluti Doctoris particularis, cui pro veritate poſſunt opponi, tot, tantorúmque Patrum, & Eccleſiæ Doctorum irrefragabilia teſtimonia. II. Nam in illo canone mens Pontificis erat declarare, in nullo caſu licere mendacium. Cui cùm duo caſus per exempla in contrarium obiicerentur; Vnus S. PETRI, qui Chriſto Domino proteſtabatur *Ioann. cap.* 9. *verſ.* 13. dicens: *Non lauabis mihi pedes in æternum;* & tamen paulò poſt ait: *Domine, non tantum pedes, ſed & manus,* *Gelaſij PP. & D. Thomæ opinioni ſit ſatis. Reſpondetur I. Reſpondetur II.*

& caput. Alter, S. PAVLI, qui promiſit Romanis ſe quamprimùm ad eos iturum, & per eos ad HISPANIAM tranſiturum; & tamen non præſtitit. Reſpondet ad hæc Gelaſius: S. PETRVM ideò non eſſe mentitum, quia verè tunc habuit illam voluntatem nunquam permittendi, vt ei pedes à Chriſto lauarentur, ſed Chriſtus illi cor, & voluntatem immutauit. De S. PAVLO reſpondet ſimiliter, in animo illi fuiſſe ire in *Hiſpaniam*, ideo non eſſe mentitum, quia nihil contra mentem locutus eſt: *Quantum enim* (inquit Gelaſius) *ipſius voluntatis interfuit, hoc pronuntiauit, quòd re verâ voluiſſet efficere.* Quaſi diceret Pontifex: Eſto, non iuerit, ſi quidem ex diuinâ Scriptura non conſtat iuiſſe, licèt conſtet ire promiſiſſe, nihil præterea mentitus eſt. Hinc non ex hoc negat, poſtmodùm iuiſſe. QVOD ſi aliquis tacitâ obiectione perſiſteret, dicens: Oportuiſſe Pontificem fateri, ſi non ex ſacra Scripturâ, ſaltem ex multis SS. Patrum auctoritatibus haberi, tandem PAVLVM iuiſſe in *Hiſpaniam*. Reſpondemus, minime oportuiſſe: nam obiectionem directè non ſoluiſſet, ſi poſtmodùm Apoſtolus in *Hiſpaniam* tranſmigraſſet: cùm diſputatio exiſtat, circa non adimpletam promiſſionem eo tempore, quo promiſit, licèt poſtmodùm illam realiter adimpleret. Ita Baron. in *Not. ad Martyrol. Roman. d. Die XXII. Martij lit. B.* P. Biuar. *ad Dext. d. Ann. 64. num. 4.* Maſſut. *d. cap. 7. fol. 763.* & alij, licèt non ſic explanatè. Eadem prorſus *D. Thomæ*, & *Soti* opinioni reſpondendum erit, dum eandem ibidem mouent quæſtionem, ſcilicet: An PAVLVS mentitus ſit promittendo profectionem in *Hiſpaniam*, quam tunc fortè non adimpleuit? Cui ipſi reſpondent: Etiam ſi nunquam impleuiſſet, non fuiſſe mentitum. Vt idem Maſſutius vbi ſupra *fol. 764.* fatetur.

Tacita obiectioni reſpondetur.

Eſtij aſſertioni occurritur.

NEC eſt audiendus Eſtius in *Comment. ad Epiſtol. Paul. ad Roman. cap. 15.* aſſerens, non eſſe credibile PAVLVM in *Hiſpaniam* deueniſſe, ex eo quod nullam in tota Prouincia inſtituiſſet Eccleſiam, nec eius auctoritate fundata noſcatur. Quia reſpondetur, nequaquam hunc eruditiſſimum Doctorem *Derboſenſis* Eccleſiæ in *Hiſpania* monumenta legiſſe; quibus ediſceret, quod temerario affirmauit conatu, cùm conſtet ibidem *Ruffum* Diſcipulum ſuum Epiſcopum reliquiſſe; *Aſtigitanam* Eccleſiam fundâſſe, & alibi Diſcipulos ſuos prædicandum miſiſſe, vt pluribus probant, D. Thom. Tamayo in *Veritat. Dextr. Nouitat.* 10. Rus-Puerta *Hiſtor. Giennenſ. 1. p. ſecul. 1. cap. 12.* Luitprand. in *Aduerſar. num. 232.* P. Quinta-Dueñ. *Hiſtor. SS. Toletanor. in Fundat. S. E. Tolet. cap. 3.* & alij plurimi. Sed ſufficit Nobis illud celebre veſtigium Aduentus PAVLI, vt confundatur *Eſtij* aſſertio, quod in Græcorum *Menologio* inuiſitur *Die XXIII. Septembris*, vbi ſequentia leguntur verba: *Eodem die memoria SS. Mulierum* Xantippæ, & Polixenæ *ſororum. Hæ fuerunt ex regione* Hiſpanorum, *Claudij Cæſaris, id eſt Neronis temporibus; quarum quidem* Xantippe *vxor fuit* Probi, *qui prouinciam illam adminiſtrabat: ipſa autem erudita fuit ab Apoſtolo* PAVLO, *cum regionem illam peragraret.* Quæ & *Romanum Martyrologium* amplectitur, & Simeon Metaphraſtes in *Vit. S. Paul. apud* Sur. *Tom. 3.* Vaſſ. in *Chron. Ann. 61.* Requena *de Aduent. S. Paul. in Hiſpan. 1. p. cap. 9.* Roa *Hiſtor. Aſtigitan. lib. 2. cap. 1.* E quibus potuit *Eſtius* eruditi de hac veritate, & Maſſutij *d. cap. 7. fol. 764.* opinionem perpendere. Quibus ſic animaduerſis, venio ad ACTA prout illa per ſynopſim concepêre Noſtrates.

S. Xantippe diſcipula S. Pauli.

ACTA S. PAVLI APOSTOLI
Gentium Doctoris, & Hiſpaniarum Magiſtri.

Origo.

PAVLVS *qui antea* SAVLVS *ex Tarſo Cilicia vrbe oriundus, licèt origine Hebræus, adoleſcens Ieroſolymam adijt, vt literis inſtrueretur, vbi Gamalielem magiſtrum habuit: donec ſublato in cælum Stephano Proto-Martyre, ipſe perſecutionem aduerſus Chriſti aſſeclas inſtituit, & Damaſcum vſque, vt eos exterminaret, ire conſtituit, ſed Chriſti voce detentus, & eius fulgoribus obcæcatus, ſic Damaſcum ingreſſus eſt. Cui Ananias Dei nutu, viſum*

visum restituens, protinus illum baptizauit, & Christi Apostolus factus, & Gentium Doctor, plus omnibus laborans, multo latiùs inter omnes Apostolos, Verbi gratiam seminauit, atque doctrinam Euangelij cum sua prædicatione compleuit. Incipiens enim ab Ierosolymis, vsque ad Illiricum, & Italiam, per Gallias in HISPANIAM *venit cum aliquot ex eius Discipulis, vbi apud Laminium sistens cùm in domo* Probi, *illustris cuiusdam Viri, hospitio susceptus fuisset,* Xantippe *vxor eiusdem Probi, modestiam hominis, sedulius in eum intenta, admiraretur, diuinâ voluntate factum est, vt dùm sic intenta vultui peregrini inhæreret, apparet ante frontem* PAVLI, *quasi literis aureis scriptum:* PAVLVS APOSTOLVS PRÆDICATOR CHRISTI. *Quæ cùm prænuntiâ famâ multa de Apostolo audiuisset, & diù desideraſſet vultum eius videre, gaudio pariter resoluta, & stupore, cum lachrymis corruit ad pedes eius. Edocta autem mysteria Christi, cum Viro, & familia Christo regenerata est. Post hæc lustratis* Hispaniæ *vrbibus, & extructis Astigitanâ, Laminitanâ, &* Dertosensi, *& alijs Ecclesijs, quibus Antistites posuit, aliò se conferens, tandem Romam repedauit, vbi carceri mancipatus cum* Petro *Apostolorum Principe, gladio* Neronis *feritus, martyrij palmam reportauit, Die* XXIX. Iunij *Anno Domini* LXIX. *Sepultúsque in viâ Ostiensi fuit; ad cuius sarcophagum hoc appendit carmen deuotæ eruditionis instantia:*

Baptizatur.

Peregrinatio.

Miracula in Hispania.

Patitur.

Hoc SAVLVS, *lupus ante rapax, qui dente, vel vngue*
Tot Christi mites dilaniauit oues,
PAVLVS *ouísque dein, pro Christo casus eodem,*
Conditur in tumulo, victima grata Deo.
Hoc amplectuntur Christum Doctore Quirites,
Hoc duce pro Christo vel didicêre mori.
Plus debes PAVLO, *quàm debes, Roma, Quirino;*
Æternam toto rem tibi in Orbe locat.

Sed & gladium, quo B. PAVLVS *fuit decollatus, adhuc* HISPANIA *possidet, qui in Cœnobio S. Ieronymi* Siſlensi Toletano *seruatur, & veneratur.*

Toleti gladius, quo decollatus fuit Apostolus, seruatur.

Huc vsque ACTA, quæ ad Nostram attinent *Hispaniam*, cætera qui prolixiùs legere cupit adeat *Metaphrastem*, à quo Lyppomanus, & Surius *Tom.* 3. & cæteri Florum SS. Scriptores. Ea etiam vt breuiora, & carmine descripta, ex Baptista Mantuano in *Fastis hoc die*, mutuabimus.

SAVLVS erat, quando furijs agitantibus ibat
Alta Damascena subiturus mœnia terra:
Sed traxit collapsa vetus dementia secum,
Nomen, & euasit PAVLVS, *qui voce per Orbem*
Intonuit tantâ, vt Boreas audiret, & Auster.
Ortus, & Occasus, maria vndique, & vndique terra.
Quis referat gentes? Quis regna recenseat? vrbes,
Oppidáque, & populos, per quos vitalia sparsit
Semina? Triptolemo similis (si sancta prophanis
Admiscere licet) non tot Proserpina matri
Est quasita vijs, nec tanto inuenta labore:
Quanto humana salus Paulo satagente reperta est.
Europam metire animis, Asiámque: Theatrum
Istud erat PAVLO, *tantâ hac certauit arenâ.*
Non vada, non Syrtes timuit: Iuga summa minantes

In cœlum ſcopulos, ſumptis quaſi Pegaſus alis
Tranſiit: obicibus nullis mens ardua ceſſit.
Gerionem, Antæum, Buſirim, pecudémque Erymanthi
Suſtulit Alcides, monſtrúmque immane Molorchi.
Iſte Deos Saturnigenas, Martémque, Iouémque,
Neptunum, & reliquos, qui tunc diadema ferebant,
Et quibus Imperium Roma ſubmittere faſces,
Et curuare caput, vitulóſque adolere ſolebat.
Sicut in igne chalybs poſitus candeſcit, & ignem
Concipit, ac ſtipulas admotáque robora adurit:
Sic animus PAVLI *diuino accenſus amore*
Euaſit diuinus amor, qui feruida corda
Redderet, & cœleſti homines accenderet æſtu.
Nec ſat erat gentes coram docuiſſe; docebat
Abſentes etiam: Teſtatur Epiſtola Romam
Miſſa; nota ſuperant quas accepêre Philippi,
Theſſalonicenſes, Galata, ſubiunge Corinthum,
Atque genus miſſas Hebræum, Epheſúmque, Rhodúmque:
Et quæ Diſcipulis fidei documenta reliquit.
Inter mortales nil magnificentius vnquam
Auditum, viſúmve fuit. Non ſupplicat ore
Seruili, ſeu mendico, ſed grandia fatur,
Nil veritus Procerum vultus, & Regibus ipſis
Imperat, imponens leges ceruicibus altis.
Adde quòd ad ſuperos raptus cœleſtia vidit
Viuus adhuc, & adhuc terreſtri in corpore regna:
Audiuítque Deum, verba immortalia fantem,
Quæ non ſit licitum fari mortalibus vllis.

Qui plura de PAVLO carmina cupit, adeat Robertum Obrizium in *Hymnis*, Mutium Sfortiam, Baptiſtam Maſculum in *Lyricis*, Bachotum *in Faſtis*, Læuin. Torrentium, & Emanuëlem Pimentam Noſtrum in *Poëmatib. Sacr.* & alios ſæpe ſparſim.

Gladium, quo decollatus eſt Paulus, Toleti aſſeruatur.

DIXIMVS in Actis, in Monaſterio SISLENSI *Toletanæ* vrbis, quod Fratribus S. Ieronymi paret, cuſtoditum GLADIVM, quo B. PAVLVS fuit decollatus, & veneratum eſſe adhuc. Et optimè: de quo videndus P. Siguenza in *Chron. Ieronymian. lib. 1. cap. 13.* D. Franc. Queuedo *in Prolog. ad Vitam S. Paul.* & Nos ſupra *Tom. 1. Die IX. Ianuar. fol.* 107. vbi GLADII formam, & materiam deſcripſimus: quem & Nos vidimus Anno M. DC. XLV. dùm *Toletum* negotiorum causâ deueniremus, & ibidem aliquot ſacra monimenta, pro exornandis hiſce Sanctorum Hiſpanorum Commentariis, vetuſtiſſima compararemus, inter quæ *Breuiarium*, & *Miſſale Mozarabum*, necnon Opera MSS. *Auli Hali*, cum *Carminibus Variorum* antiquiſſimorum *Hiſpaniæ Poëtarum*, de Hiſpanorum Diuorum commemoratione, loquentium. Hoc igitur munus GLADIOLI, iſti Ieronymiano Cœnobio donaſſe fertur Eminentiſſimus, & nunquam ſatis laudatus *Ægidius Albornozius* S. R. E. Cardinalis Legatus, & Defenſor, cuius elogia paſſim apud Italos, & Noſtros reperies.

Quis hunc Gladium Cœnobio dedit?

S. MARTIANVS

S. MARTIANVS *Episcopus* Pampilonensis *Martyr.*] Eius nomen deficit in Martyrologiis; sed honorificè in *Hispaniæ* monumentis refertur, maximè in *Concilio XVI. Toletano*, vbi interfuit eius vicarius, nomine *Vincemalus*, vt ex ipso liquet Concilio apud Loayſ. *fol.* 723. D. Prudent. Sandoual. *Histor. Pampilonenſ.* §. 5. *fol.* 8. asserit: MARTIANVM, *fuisse Virum sanctissimum, & tantæ virtutis plenum, quòd adhuc in vrbe* Pampilonensi, *tanti Præsulis commemoratio perseueret; eius diem festum colentes ciues* XXX. Iunij. *Eiúsque sacrum* CORPVS *translatum in Cœnobium* S. Saluatoris Legerense *fatetur*, provt & Arnald. Oihenart. *in Not. vtriusque Vascon. lib.* 2. *cap.* 3. *fol.* 97. F. Anton. Yep. *Chron. Benedict. tom.* 4. *Cent.* 4. *Ann.* 840. *cap.* 3. *fol.* 82. & Nos suprà *Tom.* 2. *Die VII. April. fol.* 531. & concludit Sandoual. *fol.* 18. *col.* 3. In Cœnobium Legerense translatæ sunt quamplurimæ Sanctorum Reliquiæ: *maximè* S. MARTIANI, *Episcopi* Pampilonensis, *tunc temporis, quando Arabes* Pampilonam *deuastarunt, Anno* DCC. XVIII. *quo agonem Sarracenorum manibus consummauit: cuius martyrij Acta penitus excidêre.* Hinc & Nos ab eorum prosecutione desistimus, cum hac breui relatione contenti, à Domino toto corde petentes, vt nostram hanc Operis huius fabricam suis, & Sanctorum suorum auspiciis ad medium protractam, dignetur istorum, & subsequentium Diuorum, vnà cum Virginis MARIÆ sine originali peccato conceptæ intercessione finiri, interímque cum *Henric. Coeco* dicam, licèt eius Musa prosodiæ regulas non seruet:

B.

Scriptores.

Deficiunt Acta.

Iam medium exegi Nostri, Deus Optime, pensi;
Téque fauente: mora tu, rogo, parce meæ.
Vósque Dei Procerum Nostrûm sanctissima Diuûm
Agmina, conceptis ferte fideles opem.
Quæritur hîc tantùm, Diui, per secula, vestra
Nomina seruare, queis fide crescit honor.
Hinc memores Nostri estote lectissima Christi
Pignora, nam vestrâ sic ope, crescet opus.

FINIS.

INDEX

Digitized by Google

INDEX
RERVM NOTABILIVM,
quæ in Anamneſi Sanctorum Menſis IVNII continentur.

A

Abſtinentia.

AD Abſtinentiam exhortatio. *pag.* 562
Abſtinentiæ laus. 563
Abſtinentia ſequenda. ibid.
Abſtinentia vini. 564
Abſtinentia balnei. ibid.
Abſtinentia à riſu. 565
Abſtinentia carnium. 567
Abſtinentia proprietatis in Religione. 568
Abſtinentia à collocutionibus. 562. & 568

Abundius Auitus.

De S. Abundio Auito Confeſſore Scriptores. 540
Eius agnomen. ibid.
Auiti plures. ibid.
Hic à cæteris diuerſus. ibid.
Probatur primò origine. ibid.
Deinde cauſa, ſiue ex legatione cum Oroſio ad Auguſtinum contra Priſcillianiſtas & Origeniſtas. ibid.
Tertiò tempore. 541
Quartò loco. ibid.
Acta ipſius recenſentur. ibid.
Eius origo ex vrbe Braccara Gallæcorum Metropoli. ibid.
Eius pietas & ſtudia à teneris annis. ibid.
Fit Presbyter & Archidiaconus. ibid.
Priſcillianiſtarum & Origeniſtarum hæreſes tunc temporis ſerpebant. ibid.
Ipſe cum Oroſio in Africam pergit S. Auguſtinum conſulturus. ibid.
Inde Ieroſolymam pro viſitandis ſacris locis proficiſcitur. ibid.
Interfuit Inuentioni Reliquiarum S. Stephani. ibid.
Epiſtola ipſius ad Balchonium Braccarenſem Epiſcopum refertur. 542
Poſt vitam ſanctiſſimè peractam in Domino moritur. ibid.
Eius Epitaphium in quo Acta probãtur. 543
Fuit Archidiaconus Balchonij. ibid.
Annus & dies obitus conſignantur. ibid.

Acci.

Accitanæ Ciuitatis topographia. 504
Hodie *Guadix* nuncupata. ibid.
De ipſa vetus Inſcriptio. ibid.
An olim Iulia Gemella dicta. ibid.
Accitanæ vrbis deuotio erga S. Fandilam Martyrem. 503

Aciſclus.

Corpus S. Aciſcli Martyris apud Toloſam Galliæ veneratione colitur. 616
Sed cuius Aciſcli Martyris, dubitatur. ibid.
Cordubenſem negat Author. 617
Aciſcli potiùs S. Euroſiæ patrui pignora eſſe contendit. ibid.

Æqualitas.

Æqualitas animi in paupertate & abundantia ſeruanda. 566

Agennum.

Agenni Topographia. 474
Quo hodie nomine vocitetur. ibid.
De eadem ciuitate remiſſiuè. ibid.

Alba.

Albæ vrbis Topographia. 440
Hodie Viuarium dicitur. ibid.

Alphonſus.

Alphonſi Aragonum Regis bella. 424. & 427
An Rex iſte totam ſubiugauerit Hiſpaniam? 427
Caſtellæ Rex ipſi reſtitit. ibid.
Petrus Pampilonenſis Epiſcopus Aragonium Regem forti animo reprehendit. 428
Pij Epiſcopi monitis adhærens Rex caſtra mouit, & pacem iniuit. ibid.

Anaſtaſius.

De S. Anaſtaſio & Sociis Martyribus Martyrologia. 524
Eorundem mentio apud Scriptores. ibid.
Inſtitutum S. Anaſtaſij. ibid.

Martyrio

Index Rerum Notabilium.

Martyrio coronatur. ibid.
Eius origo Cordubensis probatur. 525
Officium in antiquis Hispaniæ Breuiariis. 526

Antonius Paduanus.

De S. Antonio Paduano Martyrologia. 504
Scriptores. ibid.
Hymnus ad Nonam ex Officio Sanctorum Lusitaniæ. ibid.
Eiusdem mentio in Breuiariis. ibid.
Origo & prosapia. 505
In Templo B. Deiparæ dicato baptizatur. ibid.
Pia illius educatio. ibid.
Indoles ad omnem virtutem paratissima. ibid.
A primis pueritiæ annis pietatem sectatus est. ibid.
Insignis eius modestia. ibid.
Primæ Iuuentutis voluptates refugit. ibid.
Fit Religiosus Ordinis S. Augustini. ibid.
Virtutes ipsius in Religione. ibid.
Conimbricam petit vt à parentibus omninò se abdicaret. ibid.
Diuinarum literarum studio se totum addicit. ibid.
Martyrij desiderium. ibid.
Ad Franciscanam Religionem transire cupit. ibid.
Impetratâ à Superiore licentiâ voti sui compos fit. ibid.
S. Francisci habitum induit. 506
Nomen mutat. ibid.
Martyrij desiderio in Africam pergit. ibid.
Graui morbo affligitur. ibid.
In Hispaniam redit valetudinem recuperaturus. ibid.
In Siciliam vi ventorum fertur. ibid.
Assisium proficiscitur S. Francisci Patriarchæ sui Ordinis visendi gratiâ. ibid.
Comitia à S. Francisco Assisij celebrantur, quibus S. Antonius interfuit. ibid.
Finito Conuentu S. Antonius ad Romanam Prouinciam transfertur. ibid.
Gratiano illius Prouinciæ Ministro comitem se offert. ibid.
Ab aliis Religiosis rudis reputatur, & repellitur. ibid.
A Gratiano suscipitur. ibid.
Eius pœnitentia. ibid.
Vilioribus Monasterij exercitiis addictus. ibid.
Forum-Iulium cum aliis mittitur ad suscipiendos Sacros Ordines. ibid.
Iubetur Antonius de rebus diuinis differere. ibid.
Ob insignem modestiam se excusare nititur. ibid.
Magna eiusdem Humilitas. ibid.
Superiori iterùm præcipienti de diuinis verba facere obtemperat. ibid.
Omnes ingentem illius scientiam, sapientiam, & modestiam mirantur. ibid.
Propter humilitatem & obedientiam extollitur. ibid.
Dotes à Deo sibi concessas exhibere deinceps & cæteris impendere iubetur. ibid.
Theologiã Religiosis Fratribus legere præcipitur. 507
Epistola S. Francisci ad ipsum, vt sacri Lectoris officio fungatur. ibid.
Tanquam lucerna super candelabro posita omnibus lucet. ibid.
Religionem, imò & totam regionem suis virtutibus illustrat. ibid.
Quanta in concionibus vis consideratur. ibid.
Malleus Hæreticorum nuncupatus. ibid.
Sacramentarium Hæreticum miraculo confundit. ibid.
Alios alibi piscium exemplo ad salutis viam reducit. ibid.
Piscibus magnalia Dei refert, & ipsi gratas vices ad verbum S. Antonij rependunt. ibid.
Alios Hæreticos venenatas epulas ipsi offerentes, quas innoxius comedit, conuertit. 508
Spiritualia miracula ab eo patrata. ibid.
Donum linguarum obtinuit. ibid.
Auditur etiam à parte remotissima dum verbum Dei prædicaret. ibid.
Pluuia circumquaque ingruente ipso sub aperto cœlo concionante populus pluuiam non sensit. ibid.
Eius concionem probat S. Franciscus per aëra delatus. ibid.
Populi frequentia ad sermones ipsius. ibid.
Concionis pij motus. ibid.
Horrendum auaritiæ exemplum. 509
Peccata pœnitentis in papyro descripta miraculosè deleta. ibid.
